BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
G
33
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMENTARIA
AD
CONSTITUTIONES
Apoſtolicas,
SEU BULLAS SINGULAS
SUMMORUM PONTIFICUM
In Bullario Romano contentas ſecundùm collectionem CHERUBINI,

INCIPIENTES

A DIVO LEONE MAGNO.

AUCTORE

VINCENTIO PETRA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALE
Tituli Sancti Onuphrii.

TOMUS QUARTUS.



VENETIIS, MDCCXXIX.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

PHILIPPUS RONDININUS J. U. D.

CATHEDRALIS ECCLESIÆ FAVENTINÆ
Canonicus Theologus S. P. D.

MIraberis, Lector benevole, meum huic proloquio nomen inſcribi, & de opere, quod Romæ prodit in vulgus, Roma abſentem præfari. Verùm ſi Auctorem noveris ſcribentem, nulla etiam longè diſſita eſſe loca, ſcias velim, quæ non pervaſerit inſigne nomen, ibique ingenii ſui planè admirabilis vulgata non ſint monumenta. Egregia itaque doctiſſimi Præſulis fama, nec non mea vetus erga illum obſervantia abſentem ab Urbe hominem ſtudio ſingulari mirificè incitavit, ut Romam deſiderio ſaltem rediret, ac velut præſens publico documento teſtaretur, quantum de re literaria diuturno vigiliarum ſuarum labore optimè mereatur, Legibus proficiat, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Theologicæ Facultati, Pontificum Sanctionibus, ac proinde Canonici Juris Conſultis, atque Eruditis omnibus, qui in utroque ſoro verſantur. Quartum itaque prodit Volumen, neque adhuc extremum; perſuaſum ſiquidem Auctori fuit in primi Voluminis præfatione, quadringenta Commentaria, quæ prælo paraverat, quatuor Voluminibus abſolvi: Verùm adeò excrevit opus, ut fieri nequaquam potuerit, quin ad impoſterum edenda Volumina rejiciantur ea, quæ ſuperſunt promiſſa Commentaria. Id ſolùm in cauſa fuit uberiùs proficiendi ſtudium, quo publicæ utilitati conſuluit. Opus enim ampliori doctrina cumulavit, qua nimirum res omnes apriori ſerie, faciliorique methodo luculenter digeſſit, atque ordinavit: quæque aut explicatione, aut confirmatione antiquæ Sanctiones, novarum acceſſione, indigebant, ſapienter advertit: univerſaque omnia priſcis, ac recentibus Romanæ Rotæ Deciſionibus, Sacrarum Congregationum noviſſimis Decretis, aliiſque hujuſmodi locupletavit. Hinc cauſa cur exerevit opus; hæc etiam erit exinde cur, quæ ſequentur Commentaria, aliquoties ad jam edita referentur. Biſcentum & ſexaginta ſex duntaxat in quatuor magnæ molis Voluminibus comprehenduntur, & centum triginta quatuor ſupereſſent vulganda. At verò, quoad per vires, & curas licebit, præter oblatum numerum, per alia ſucceſſiva Volumina, Auctor ab opere non conquieſcet. Præſtolare igitur reliquum doctiſſimi Viri laborem, qui brevi quinque tantùm annorum ambitu, quatuor (quorum hic poſtremum vides) publico beneficio in lucem emiſit Volumina, quibus conficiendis ſedulam diu noctuque navavit operam, quam ex veteri ejus conſuetudine in literarum amorem, & in labores pronam nunquam, ut ocio indulgeret, intermiſit. Accedunt publica, quibus hodie diſtinetur, & cætera, quæ antea honorificè obivit, munera, unde Romanæ Curiæ plauſibus exceptus eſt ab ineunte ætate, qua Urbem coluit adoleſcens, tum apud Judices, tum apud eruditos homines, cum quibus in literariis exercitationibus dudum verſari conſueverat: quibus, Lector, profectò intelligis egregium Virum ad virtutem laboribus & vigiliis parandam natum; ac propterea neminem eſſe crediderim cordatum hominem, qui non ſibi polliceatur cætera, quæ deinde ſequuntur, volumina, Auctore ſoſpite, & incolumi, in lucem publicis literis educenda. Nullus enim fuit illi adhuc feriandi locus, à quo primùm tempore immortalis memoriæ Pontifex Innocentius XII. in ordinem Signaturæ Juſtitiæ Votantium, ut vocant, in ipſo juventutis flore eum ſapientiſſimè cooptavit: quod nimirum inſigne Tribunal Sanctiſſimus Princeps viris integerrimis ac doctiſſimis ſtatuit exercendum, quorum plerique graviora hodie ſuſtinent miniſteria. Congregationibus itidem adſcriptus erat pro tuenda Eccleſiaſtica Immunitate, nec non Vaticanæ Fabricæ, & Apoſtolicæ Datariæ, aliiſque pro rerum opportunitate convocatis. Septennio ferè elapſo, in Apoſtolicæ Cameræ Auditorio Juri dicundo præpoſitus eſt, muneri ſanè operoſo, ac multi laboris, quodque induſtriæ plurimum exigit, & doctrinæ: idemque jugi adeò, ac ſolerti opera adminiſtravit, ut in toto, quo illud implevit, ſeptennii curſu, uno neque die à munere forenſi vacaverit. Majora hinc ab Optimo Pontifice, & virtutis acerrimo æſtimatore CLEMENTE XI. Auctori doctiſſimo admota ſunt miniſteria; quem à Secretis inſtituit Congregationis ſuper interpretatione Tridentini Concilii, nec non Signaturæ Gratiarum Votantem: Inter Conſultores Supremæ Inquiſitionis adſcripſit, aliiſque ſuper reſidentia Epiſcoporum, nec non quæ ſuper Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ ſunt, Congregationibus adnumeravit; ac propterea ingenti ac diuturna hinc inde ingruentium negotiorum mole diſtrictus, nullum adhuc feriandi tempus invenit. Verùm communis utilitatis ſtudio incenſus, quidquid temporis à publico officio liberum datur, & quantum forenſes feriæ concedunt (quod in animi, corporiſque ſolatium, & ad virium tenuitatem reſtituendam, atque inſtaurandam, quæ jugi labore languere ſolent, conferendum eſſet) id totum in opus impendit; quod ideò impoſterum omni ex parte conficiendum univerſi literarum cultores exiſtimant, ſibique Auctor id brevì facturum confidit. His interim, Lector, fruere, & præſtantiſſimi Auctoris hactenus navatam operam debita laude proſequi ne graveris. Vale. Dabam Faventiæ decimo Kalendas Martii Anno MDCCXI.

Digitized by Google

E L E N C H U S
C O N S T I T U T I O N U M
SEU BULLARUM, AC MATERIARUM,
Quæ in hoc Quarto Tomo continentur.

JOANNIS XXII.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Ex parte.*)

EPitome Bullæ. Commentarium. Ubi de vita dicti Pontificis, & Schiſmate Antipapæ Petri Corbarii, & Ludovici Bavari Imperatoris. Hæretici non gaudent Immunitate Eccleſiæ, ubi quoque de ſuſpectis de hæreſi, & de reis pœnitentiam peragentibus in Carceribus Sacr. Inquiſitionis, & an immunitate gaudeant Hæretici quoad delicta non concernentia fidem, & quomodo extrahendi ſint ab Eccleſia. Judæi converſi ad fidem, ſi apoſtatentur, non gaudent Immunitate. *pag.* 1

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Sol Oriens.*)

Epitome Bullæ. Commentarium, De Canonizatione Ludovici Epiſcopi Toloſani, ejuſque geſtis. Canonizatio verſatur circa virtutes ſervi Dei, & formam probatoriam earundem. De antiqua forma probatoria pro Canonizatione, & moderna, Cauſæ Canonizationis cognoſci debent coram Papa, & quomodo, & quæ dubia proponi poſſint in Congreg. Rituum, & quæ perſonæ in ea interveniant, ubi de Promotore fidei, ſecreto ſervando, & tempore poſt quod Cauſæ hujuſmodi tractari poſſunt. Proceſſus ſuper Sanctitate, aut Martyrio, & ſuper non cultu, quomodo, & à quibus fieri debent, ubi de introductione Cauſæ, Commiſſione, aperitione Proceſſuum, Cuſtodia eorum, interpretatione idiomatis Teſtium, & de actibus ordinatoriis ſubſequentibus. Qui Procuratores, & Advocati poſſunt eſſe in his Cauſis, & quomodo ſcripturæ imprimi poſſunt. Quomodo diſputatur validitas proceſſus, & de ſubſcriptione, & dictis Teſtiũ, & loco examinis, & remiſſorialibus, de probatione non cultus, Inquiſitione in genere, & ſpecie, & de actu Beatificationis, & Canonizationis. 6

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Glorioſam.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De condemnatione hæreſum Beguinorum, ſeu Beguinarum, Bizocorum, & Fraticellorum, ſeu Pſeudofratrum S. Franciſci de Aſſiſio, ubi de pluribus ſpeciebus Fraticellorum, & eorum origine; quorum aliqui errores contra fidem habuerunt, aliqui non, un etiam de Beguinis, & Bizochis. Refertur hiſtoria Minoritarum, qui à corpore Religionis defecerũt ſub prætextu ſervandæ paupertatis regulæ, ac plures Decretales circa hoc emanatæ referuntur quoad Regulam S. Franciſci, ejuſque paupertatem, ac enarratur contumacia Pſeudofratrum in parendo Romano Pontifici. Minores fratres nequeunt poſſidere ſtabilia, annuos redditus, cenſus, neque Syndicorum nomine, & in quo differant à Theatinis, PP. Societ. Jeſu, aliiſque Regularibus, cenſuſque ad eorum favorem creati, ſunt nulli ab initio, ubi de facultate Reverendæ Fabricæ diſſeritur. 12

Sectio Unica. Referuntur, ac refelluntur quinque præcipui errores Pſeudo Minoritarum, nempè ſalſò aſſerebant duas eſſe Eccleſias Carnalem, & Spiritualem, & comprobatur unicam eſſe Eccleſiam Catholicam, necnon refertur, & confutatur error, Miniſtros Eccleſiæ nullam habere Juriſdictionem Eccleſiaſticam. Dicebant Juramentum in nullo eventu eſſe præſtandum, & jurantes ſemper lætaliter peccare; comprobatur contrarium, & illud eſſe practicandum in Judicio aſſeritur, ubi plura de praxi Juramenti reorum, nec eſſe abrogandum. Quartus error refertur, & rejicitur, Sacerdotes criminibus preſſos non conficere Sacramenta. Quintò aſſerebant Chriſti Evangelium in ipſis ſolis eſſe completum; quodque confutatur. 16

CONSTITUTIO IV.
incipiens (*Paternam.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De commonitione facta per Joannem XXII. Eduardo II. Regi Angliæ, ut corrigeret gravamina Populis Hyberniæ illata; ubi de Regnis Hyberniæ, Angliæ, & Neapolis feudatariis Romanæ Eccleſiæ. 23

CONSTITUTIO V.
incipiens (*Exhibita.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Fructus Beneficiorum, in quibus Religio S. Joannis Hieroſolymitani habet Annalia, ob non reſidentiam Beneficiatorum eidem Religioni accreſcere debent, ubi de Annalibus, & Annaliſtis, & Annalium quantitate, quæ conſtitui poſſint à Papa, & an Privilegio, Statuto, & Epiſcopi auctoritate, & in quibus Beneficiis, & an ad favorem laicorum, & quæ cauſa requiratur, & quo tempore Jus Annalium amittatur. 24

CONSTITUTIO VI.
incipiens (*Inter cæteras.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Studio Peruſino, quod obtinet facultatem impertiendi licentiam perſonis idoneis docendi, & agitur de hujuſmodi licentia concedenda, vel deneganda, & quid in loco, ubi adeſt Univerſitas publica, necnon de Urbe, ac de PP. Societatis Jeſu, præſertim quoad lectionem S.S. Canonum. 28

CONSTITUTIO VII.
incipiens (*Unigenitus.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Refertur Canonizatio Thomæ Epiſcopi Herfordienſis, ac indicantur ejus virtutes, obitus ac miracula. 31

Sectio Unica. De pluribus concernentibus cauſas Canonizationum, earumque Poſtulatoribus, ſeu Procuratoribus, & expenſis. Cauſæ Canonizationum, an ſint Civiles, vel Criminales, & contentioſæ. Poſtulatores, ſeu Procuratores pro Canonizatione alicujus Servi Dei, an poſſint obligare principalem pro expenſis, & quid ſi fuerint plures, an intret obligatio in ſolidum, & an requiratur Beneplacitum Apoſtolicum, ut teneantur ſucceſſores in dignitate; & vindicentur expenſæ neceſſariæ ab hæreticorum calumniis. 31

CONSTITUTIO VIII.
incipiens (*Inter cætera.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Refertur Status deplorabilis Patrimonii Eccleſiæ tempore Sedis Apoſtolicæ in Gallia, & de prohibitione

Recto-

Digitized by Google

Rectoribus Civitatum, & locorum ſe ſubmittendi, & alienandi quibuſcumque perſonis, quique actus irriti declarantur, quodque hujuſmodi actus non ſint permiſſi Civitatibus recognoſcentibus Superiorem, & quid ſi fiant à Legato à Latere, ſeu Prorege. 34

CONSTITUTIO IX.
incipiens (*Exigit.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De familia armata, quam habent Inquiſitores, ubi de familiaribus eorum, & armis prohibitis iſtis permiſſis. 35

CONSTITUTIO X.
incipiens (*Ad hoc.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Cavalcatis, & incurſionibus prohibitis fieri, abſque licentia Rectoris Provinciæ in Statu Eccleſiæ, & prohibitione ſibi jus dicendi ad vindictam, ubi etiam plura ad rem in genere. 37

CONSTITUTIO XI.
incipiens (*Redemptionem.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De adſcriptione Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum in Cathalogo SS. Confeſſorum, & plura de ejus nativitate, origine, & geſtis recenſentur, ac declaratus ſuit Doctor Eccleſiæ, & ejus Corpus translatū Toloſam. Plura quoad ejus opera, an fuerint ipſius, indicantur. Refertur quoque Decretum pro Canonizatione B. Pii V. nuper editum, quodque hujus Corpus requieſcit in Baſilica S. Mariæ Majoris. 38

CONSTITUTIO XII.
incipiens (*Cum nonnulli.*).
Epitome Bullæ. Commentarium. Prohibentur ligæ, & ſocietates cum hæreticis, eiſque auxilium, & conſilium, ac favorem præſtare, & quod contra contrafacientes Inquiſitores procedant juxta Canonicas ſanctiones, ubi plura de Sponſalibus, & Matrimoniis Catholicorum cum hæreticis, quomodo permitti poſſint, & an in illis, & Matrimoniis inter hæreticos, ut ſint valida, debeat ſervari forma S. C. T. pluresque caſus ad rem explicantur, & an præfata Matrimonia ſubdantur impedimentis dirimentibus Eccleſiæ, & ſint indiſſolubilia. 40

CONSTITUTIO XIII.
incipiens (*Super.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De prohibito Chriſtianis uſu recipiendi à Dœmonibus reſponſa, & auxilia, actus vetitos eiſdem faciendo, aut quòd ea diſcentes, docentes, ac libros retinentes, ab Inquiſitoribus puniendi ſunt, & plura de his ſuperſtitionibus referuntur. 47

CONSTITUTIO XIV.
incipiens (*Ratio.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Sacræ Rotæ Romanæ origine, & nomenclatura agitur, ejuſque Auditoribus, ac diſpoſitis per Joannem XXII. in hac Bulla. 49

Sectio I. De pluribus concernentibus Sacr. Rotæ Auditorium, ejuſque Auditores. Plura declarantur circa habitum, præeminentias, & præcedentiam Auditorum Rotæ, cauſaſque, & juriſdictionem eorum, & præſertim an ſit ordinaria, vel delegata, & quatenus unus acta ſubſcribat pro alio; ubi de Commiſſione generali, & ſpeciali, & quid ſervetur in Commiſſionibus Rotalibus; De diebus Juridicis, & in quibus ſit Rota; De ordine informationum in voce, & in ſcriptis, & loco, hora, & cauſis, quæ ſolent proponi in qualibet Rota; De Ponente cauſæ, & Voto præſtando ab eo, vel non, aliaque exponuntur circa praxim ejuſdem Tribunalis, & de modo appellationis in eadem. in diverſo tamen Turno; De Auditorum numero, ſtudio faciendo, miniſterio in Cappella Pontificia, abſtinentia à quocumque dono, necnon conſilio in cauſis, & non poteſt Auditor Votum proferre in cauſa, in qua patrocinatus ſuit, ſed votat in cauſa, in qua judicavit in prima inſtantia, ubi plures caſus diſtinguuntur, in quibus cauſis Auditores non poſſint Votum proferre, præſertim in cauſis conjunctorum certis gradibus, & an cauſæ conjunctorum poſſint in Rota cognoſci Parte reluctante. 49

Sectio II. De feſtis, & feriis præſertim in S. Rota ſervandis, & de actibus judicialibus earum tempore fieri prohibitis. De feriarum nomine, & origine plenè agitur, ac de earum differentia, & de æſtivis, ubi præſertim recenſetur Stylus S. Rotæ, aliorumque Tribunalium Urbis. Qui actus juriſdictionis voluntariæ, vel contentioſæ fieri poſſunt in diebus feriatis, & quid in feriis dominicalibus, ubi etiam de derogatione feriarum agitur. 58

CONSTITUTIO XV.
incipiens (*Cum à nobis.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De origine, & approbatione Congregationis Monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti. 65

BENEDICTI XII.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Regularem.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. Geſta dicti Pontificis enarrantur. 66

Sectio Unica. De prohibito tranſitu Mendicantiū ad Monachos nigros, & Ciſtercienſes, ac de aliis ad tranſitum Regularium pertinentibus, ubi de diſpoſitis in jure in tranſitu Regularium de una Religione ad aliam arctiorem, ubi recenſentur requiſita pro hujuſmodi tranſitu, & de licentia Superiorum an ſit neceſſaria, & quid ſervetur in Religionibus, in quibus prohibitus eſt tranſitus etiam ad arctiorem, quidque quoad Mendicantes tranſeuntes ad non Mendicantes, vel inter ipſos; quidque ſervandum in tranſitu ad ſtrictiorem in præſenti, & quomodo practicatur in licentiis, quæ dantur à Sede Apoſtolica. 66

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Decens.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De pluribus ſervandis ab Advocatis, & Cauſarum Patronis Romanæ Curiæ, ubi diſtinguuntur variæ ſpecies hujuſmodi, & regula, quæ videtur adhibenda, ne quilibet munus Procuratoris exerceat etiam in Sacris Congregationibus. De Procuratoribus Collegii Patronorum Curiæ Romanæ, & an munus Procuratoris ſit nobile, & quomodo ſe debent continere in Cauſis recipiendis, & defendendis. 70

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Fulgens.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De reformatione Ordinis Ciſtercienſium, præſertim circa contributiones ſolvendas à Monaſteriis Generali Capitulo, vel Abbati, & de forma exactionis earum, necnon adducitur cauſa definita circa contributiones ſolvendas à Congregationibus Italiæ Procuratori Generali totius Ordinis Ciſtercienſis, & quomodo cogi poſſunt Procuratores dd. Provinciarum ad præfatas ſolutiones faciendas. 74

CONSTITUTIO IV.
incipiens (*Benedictus Deus.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. Definitur animas Defunctorum, qui in gratia deceſſerunt ante diem Univerſalis Judicii verè eſſe beatas,

ſtante viſione clara, & fruitione Dei, necnon Joannem XXII. oppoſitum errorem non docuiſſe, hæc que omnia pluribus auctoritatibus, & argumentis comprobantur, ac contrarii errores confutantur. 77

CONSTITUTIO V.

incipiens (*Summi Magiſtri.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Plura recenſentur circa Regulam Monachorum nigrorum D. Benedicti, ac ordinationes in hac Conſtitutione pro eorum regimine editæ. 81

Sectio I. Præmittuntur nonnulla ad Votum paupertatis pertinentia, & agitur de prohibita Regularibus facultate teſtandi, ac contractus ineundi. Regulares nequeunt teſtari, & de Teſtamento facto in ſæculo quomodo revocari poſſit in Noviriatu, vel rumpatur per Profeſſionem, vel potiùs confirmetur, an poſſet ſaltem declarari à Profeſſo. Quomodò procedat in militibus Hieroſolymitanis, in PP. Societatis Jeſu. De facultate teſtandi, quæ conceditur Regularibus à Papa. An ſuppreſſa Religione, Regularis teſtamentum antea factum reſolvatur, vel poſſit revocari. Regulari obtinenti facultatem diſponendi de certa re, ad quem ſpectet, ſi non facta diſpoſitione decedat; & an obtinens Indultum à Papa teſtandi poſſit pluries teſtari, & codicillos facere, & an talis facultas revocetur per obitum Pontificis concedentis? Regulares nequeunt facere contractus, & quatenus non obligentur, & quid de fidejuſſore, nec Monaſterium tenetur ex contractu eorum, & an teneatur ad debita Profeſſi facta ante ingreſſum, vel pro expenſis factis in ſtudio, & alimentis, & quid quoad Regularem ejectum. 82

Sectio II. Quatenus Regularibus utriuſque ſexus peculium, annuaſque præſtationes obtinere, eiſque uti prohibitum ſit, ubi plura de proprietate, & peculio non permittendo Regularibus, in quo plura peculia diſtinguuntur, & quid quoad Officiales Monaſterii, & an poſſit à Papa permitti peculium Regularibus, ubi exornatur diſpoſitio Sacr. Concil. Trident. Quid ſervandum quoad mobilia. Quid dicendum quoad vitalitia, & quomodo ea concedi debent Regularibus in uſu, prout quoad Moniales. Vitalitia, ſeu donationes factæ Regularibus cum conditione, imò cum pœna, ut non acquiratur Monaſterio, quomodò debeant intelligi, & habere locum. Vitalitia à Regularibus cedi, aut donari non poſſunt; & quid dicendum de fructibus decurſis, & non exactis. Res empta à Regulari ad favorem tertii, cui acquiratur, ubi etiam de Eccleſiis, & minoribus. 90

CONSTITUTIO VI.

incipiens (*Ad decorem.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Plura enunciantur diſpoſita in hac Conſtitutione quoad Canonicos Regulares S. Auguſtini, & præſertim quod non valeant alienare etiam in caſu à jure conceſſo bona, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, ubi late agitur de alienatione ſtabilium, aliorumque, non permiſſa Regularibus abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ac adducitur *Extravagans Ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alien. & Decretum Urbani VIII. de rebus Regular. non alienan.* ubi plura ad rem explicantur, præſertim quoad Minores S. Franciſci, Theatinos, Domus Profeſſas Societ. Jeſu, Carmelitas Diſcalceatos, alioſque, & de pœnis, ac cenſuris in d. Decreto contentis, & an talis prohibitio comprehendat recipere pecunias cum ſolutione fructuum, vel recipere cenſus vitalitios, & hypothecam generalem, vel ſpecialem, & an alienationes permittantur inter Eccleſias, Beneficia ejuſdem Eccleſiæ, Monaſteria ejuſdem Ordinis, inter Abbatem, & Conventum, & licentias alienandi obtinent Regulares abſque expenſa per Sacr. Congregationem Concilii. 99

CONSTITUTIO VII.

incipiens (*Quoniam.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De pœnis ſtatutis contra promovendos ad Beneficia, qui alios loco ſui in examine ſupponunt, vel ita agentes promovendi ad Epiſcopatus, ubi plura de literis beneficialibus gratioſis, & in forma dignum, & de literatura probanda, & examen an faciendum ſit in notorio literato, vel in eo, qui aliàs examinatus fuit, & repertus habilis. 105

CLEMENTIS VI.

CONSTITUTIO I.

incipiens (*Solicitudinis.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Refertur aſſumptio Clementis VI. ad Pontificatum, ejuſque qualitates, & geſta, nec non emptio facta Status Venayſini pro Sede Apoſtolica. Plura de Congregatione Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti indicantur. 108

CONSTITUTIO II.

incipiens (*Regimini.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De origine Fratrum Servitarum, eorumque Ordinis progreſſu, & reformatione, necnon enunciatur diviſio illorum inter Conventuales, & Obſervantes, & quæ præſcripſerint plures Summi Pontifices quoad eos, & Eremum Montis Senarii, & ſub eo Ordine militant Fratres, & Sorores Tertii Ordinis. 108

CONSTITUTIO III.

incipiens (*Etſi.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De pœnis contra ſupponentes aliquo modo loca Patrimonii Romanæ Eccleſiæ alicui, aut illud uſurpantes in dominium, Advocatiam, vel ſuperioritatem, ubi confirmatur Conſtitutio Joannis XXII. & innuuntur Bullæ Pii IV, aliorumque Romanorum Pontificum de non infeudandis, ubi plura explicantur ad rem, & de prohibitis Advocatiis, ligiis, confederationibus, ſubmiſſionibus quoad Civitates ſubditas alicujus Principis. 110

CONSTITUTIO IV.

incipiens (*Ad ſpiritualis.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Refertur Canonizatio Ivonis Presbyteri dicti Advocati Pauperum, ejuſque natales, geſta, ac miracula. An ſint alii Sancti, qui fuerunt Advocati. Plura dicuntur de eorum munere gratuitò præſtando, & an liceat recipere aliquid pro honorario, & diſtinguuntur boni Advocati ab aliis, ac laudantur illi Curiæ Romanæ. Plura dicuntur de Advocato Pauperum, qui deputatur à Principe, ejuſque prærogativis in Urbe, & an intervenire, vel votare poſſit, prout facit Advocatus Fiſci. Enunciantur Congregationes, quæ ſunt in Urbe, & in Civitate Neapolis pro defenſione pauperum in litibus, aliaque hujuſmodi opera, & an valeant duæ Congregationes hujus pii Inſtituti in eadem Civitate inſtitui. 113

CONSTITUTIO V.

incipiens (*Licèt.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De pluribus ſervandis circa cibum, potum, & ſervitium

S.R.E.

S. R. E. Cardinalium in Conclavi exiſtentium pro electione Papæ, ubi enumerantur plures diſpoſitiones antiquæ circa electionem Romani Pontificis, & an ipſe poſſit Succeſſorem eligere, & apud quos fuit primis ſeculis electio ipſius, ubi de prætenſo jure Imperatorum, populique diſſeritur, & de jure Cardinalium in tali electione, uſuque Conclavis. 116

INNOCENTII VI.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Cùm onus.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Vita, & geſta Pontificis referuntur, atque deputatio Cardinalis Ægidii in Legatum Sedis Apoſtolicæ ab eo facta, & in Vicarium in temporalibus in Statu Eccleſiaſtico Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecto. Indicantur natales, & præclara geſta ejuſdem Cardinalis Ægidii. Diſſeritur de Ægidiana, ejuſque contextu, & confirmatione facta à Romanis Pontificibus, & innuuntur quæ ſint Conſtitutiones Carpenſes, & quos obligent. Conſtitutio Ægidiana quoad prohibitionem appellationis, non comprehendit Eccleſias, aut bona, ſeu perſonas Eccleſiaſticas, & qua ratione, latè diſcutitur; & expenduntur facultates dicti Cardinalis Ægidii. Ægidiana in quibus judiciis, inter quas perſonas, & quæ loca procedat, latiſſimè inquiritur, omnes, & ſingulos caſus diſcutiendo, præſertim quoad Statum Avenionenſem, Venayſinum, & Parmæ, & Neapolitanum Regnum. Quid ſi Clericus fuerit in cauſa tempore ſententiæ, vel poſt eam, vel ſi ſuccedat laico, vel ſit legitimus defenſor, & quatenus ſufficiat allegare Clericatum, vel ſi ſit cauſa connexa cum laico, vel de bonis emphyteuticis Eccleſiæ, vel ſit prolata in foro Eccleſiaſtico. Non habet tamen locum, ſi adſint ſpecialia ſtatuta, & quid in bonis Confraternitatum Ordinum Militatium, Alcantaræ, & ſimilium, & Militum Hieroſolymitanorum, Tertiariorum, Executorum rerum Eccleſiaſticarum, & an in Clericis non habentibus requiſita Concilii. 124

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Quaſi.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Studio Civitatis Bononiæ, pluribuſque ejus privilegiis agitur, & præſertim in eo legendi Theologiam. Diſſeritur de facultate Theologica, & Theologali à S. Conc. Tridentino demandata, ut inſtituatur, ac latè plura explicantur de erectione illius, in quibus Eccleſiis, & quomodo erigenda, & ex qua præbenda, & an ex affecta, & reſervata, & an ſit locus optioni in præbendis Theologalibus, & Pœnitentialibus, & an poſſint eas obtinentes eligi ad aliud Beneficium Incompatibile. Electio perſonæ in Theologum, ad quem ſpectet, & quæ requiſita habere debeat eligendus, & an poſſit eam præbendam obtinere Regularis. De onere legendi Theologalem habentis, & quatenus abeſſe non poſſit, & de tempore, loco, & materiis, quæ legi debent, & an memotiter, anve lucretur diſtributiones, & quando; ejuſque lectioni an teneantur intereſſe Canonici, Parochi, Confeſſarii, aliique de Clero. 133

URBANI V.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Apoſtolatus.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Natales, & geſta Urbani V. indicantur. De juriſdictione Camerarii S. R. E. ubi de Archidiacono Romanæ Eccleſiæ olim exiſtente, ac in præſenti abolito, ac de ampliſſima auctoritate Cardinalis Camerarii antiquitùs exercita, & præſenti, præſertim tempore Sedis Vacantis, & an poſſit eligi à Cardinalibus Camerarius, ſi de ea durante decederet. 145

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Sincera.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De uſu Altaris portatilis conceſſo Monachis Carthuſienſibus, ubi plura enucleantur quoad Altaris æthimologiam diverſitatem, quòdque nequeat celebrari in Altari portatili ſine privilegio Papæ, iſtudque habent plures; ſed fuit revocatum à Sac. Conc. Trid. poſſunt tamen eo uti Epiſcopi, & Cardinales, & quomodo, & an in aliena Diœceſi, & an poſſint Epiſcopi concedere licentiam in certis caſibus, in eo celebrari. An Miſſionarii habeant privilegium hujuſmodi, & an ſufficiat communicatio privilegiorum. Privilegiati an poſſint celebrare in Altari portatili in mari, ubi plura de hac re, & an eo uti poſſint Epiſcopi, & Cardinales in Urbe, & quomodo Altare portatile eſſe debet. 147

GREGORII XI.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Super.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Ejus opera, acceſſus ad Urbem, aliaque recenſentur. De Baſilica Lateranenſi ſupremum locum obtinente ſuper omnes Eccleſias Urbis, & Orbis, ubi de ejus antiquitate, ac aliis qualitatibus, ac reſtaurationibus. In ea Romani Pontifices præcipuas functiones faciebant, & quas nunc faciunt, ubi de Ordinationibus, Baptiſmo Cathecumenorum, atque Confirmationis adminiſtratione, aliiſque, quæ fiunt in ea Baſilica. De præcedentia hujuſmodi Canonicorum ſuper reliquos etiam Baſilicæ Vaticanæ. 153

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Admodum.*

Epitome Bullæ. Commentarium. De Tribunali Sanctiſſimæ Inquiſitionis procedente contra tranſeuntes ad Saracenos ritus, vel ad Judaiſmum, aut redeuntes. De Baptiſmo, quod miniſtratur ab Hæreticis quoad ejus validitatem, & de ordine Miniſtrorum Eccleſiæ in miniſtrando Baptiſmate, ubi de proprio Parocho, Miſſionariis, aliiſque. De Eccleſia baptiſmali, & Parochiali, ac fonte baptiſmali plura declarantur; An pertineat baptizare Infideles ad Epiſcopum, ſeu Parochum Cathedralis, vel alium, & quid ſervetur in Urbe; Baſilica Vaticana habet jus, ut ejus Parochus baptizet omnes parvulos cujuſcumque Parochiæ Urbis. 156

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Salubri.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De exemptione conceſſa Fratribus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum à ſolutione decimarum, ubi de decimis temporalibus, & ſpiritualibus,

bus, ac plenè diſcutitur; quomodo laici ſint incapaces perceptionis decimarum ſine privilegio Apoſtolico, & quomodo iſtud debeat derogare Concilio Generali in *cap. nuper. de decimis*, & an ſuffragetur Immemorabilis, ac requiratur fama illius, & an derogetur iſta Bulla Urbani VIII. de præjudicialibus Eccleſiæ, 161

CONSTITUTIO IV.
incipiens (*Cunctos*.)

Epitome Bullæ. Commentarium, Reformantur facultates Protectorum Fratrum Minorum Conventualium, ubi plura de Protectoribus Minorum, & Regularium, eorumque poteſtate. 165

CONSTITUTIO V,
incipiens (*Relevationi*,)

Epitome Bullæ, Commentarium. Prohibetur Officialibus Status Eccleſiaſtici, ne compellant Cives ad granum, ligna, & hujuſmodi deferendum abſque pretio, ubi de Angariis, & Perangariis; & an id acquiratur privilegio, vel centenaria, ſeu immemorabili. 167

CONSTITUTIO VI.
incipiens (*Per Romani*.)

Epitome Bullæ, Commentarium. Religioſi quicumque etſi Sedis Apoſtolicæ Capellani ſubjici debent Ordinis Superioribus, ubi de exemptionibus Regularium, ibique de Regularibus Capellanis Capellæ Regiæ, Vicariis Epiſcoporum, & Capellanias in Eccleſiis ſæcularibus obtinentibus, quòdque & an id liceat Regularibus. 168

CONSTITUTIO VII.
incipiens (*Virtute*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, ejuſque facultate, ac privilegiis conceſſis dictis Regularibus, ac præcisè ut ordinentur à quocumque Epiſcopo, ubi plura ad rem, & an Regulares promovendi teneantur promittere obedientiam Epiſcopo ordinanti, ubi etiam de Abbatibus Ciſtercienſibus dum ab Epiſcopis benedicuntur, & à quibus benedici valent, 171

CONSTITUTIO VIII.
incipiens (*Et ſi à Sacris*.)

Epitome Bullæ, Commentarium. De illegitimis non promovendis ad Canonicatus Eccleſiarum Patriarchalium Urbis, aliaſque præbendas, & earum officia, niſi expreſſa accedat diſpenſatio in literis; ubi plura de illegitimis quoad beneficia, ac de irregularitate ob defectum natalium; pluresque enucleantur caſus, nec non de legitimatione; ac diſpenſatione, & ad rem plura enucleantur tam quoad ordines, quàm beneficia, & quid quoad penſiones, & in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare; & an legitimus ex illegitimo habeat aliquod in prædictis impedimentum, & ſtatutum eos excludens in aliqua Eccleſia, an afficiat proviſos Apoſtolicos. 173

CONSTITUTIO IX.
incipiens (*Cupientes*.)

Epitome Bullæ, Commentarium. De origine, & approbatione Fratrum S. Ambroſii ad Nemus, ac eorum ſupreſſione. 181

CONSTITUTIO X.
incipiens (*Sacra*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Exemptione à ſolutione decimarum conceſſa Cœleſtinorum Congregationi, declarata, & extenſa. Ubi an exemptio à decimis veniat ſub communicatione privilegiorum, & plura ad rem declarantur. 182

URBANI VI.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Apoſtolica*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. Patria, natales, & geſta Urbani VI. deſcribuntur, ejuſque ad Urbem acceſſus. Plures facultates conceſſæ ab eo fuerunt Cardinali Camerario, hujuſque juriſdictio partita eſt variis Tribunalibus Cameralibus, & plura nunc ei competunt, & quæ; & an declaratio pertinentiæ alicujus cauſæ ad Cameram, vel alia Tribunalia non Cameralia ſpectet ad ipſum, vel ad Signaturam Juſtitiæ, ejuſque Præfectum. 184

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Sacroſancta*.)

Epitome Bullæ, Commentarium. De exemptione Fratrum Ordinis Servorum à juriſdictione Ordinariorum, & qualibet præſtatione etiam ſubſidii charitativi; ubi de exemptione Regularium de jure communi à lege Diœceſana, & in quo iſta differat à lege juriſdictionis. Plura enucleantur de charitativo ſubſidio, quatenus poſſit exigi ab Epiſcopis, & in qua quantitate, & à quibus Beneficiis, & an à penſionariis, & an ab Eccleſiis unitis Regularibus, etſi iſti ſint exempti; ubi de diſpoſitis in Taxa Innocentiana quoad tale ſubſidium. 188

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Quia ſicut*.)

Epitomæ Bullæ. Commentarium. Immunitas Eccleſiaſtica fuit à Summis Pontificibus ſemper propugnata, & à piis Principibus. De pœnis contra bannientes perſonas Eccleſiaſticas, & Civitas interdici valet, ſi eveniat delictum ſui Rectoris, vel Domini, 193

BONIFACII IX.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Superni*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. Recenſentur natales, & geſta dicti Pontificis. De Feſtivitate inſtituta Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis cum S. Eliſabetha. 195

CONSTITUTIO II.
incipiens (*In ſuprema*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De ſtudio erecto in Civitate Ferrariæ, ac ejus privilegiis, ubi de Civitate Ferrariæ plura innuuntur. De ſtudio Juris Civilis quomodo prohibitum ſit, vel permittatur Clericis; quid in Medicina, & Phiſica, quidque in Regularibus, & an Studentes lucrentur fructus beneficiorum; an poſſint Regulares, & Clerici publicè legere dictas facultates, & lauream Doctoralem recipere. 196

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Sacroſancta*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De exemptione Fratrum Ordinis Carthuſianorum à juriſdictione Ordinariorum, & Epiſcoporum, ubi plura quoad exemptionem recipiēdi Ordines à propriis Diœceſanis, & facultate recipiendi à quocumque Catholico Epiſcopo, quod privilegium fuit modificatum Decreto ſub Clemente VIII. & quid ſi obtinuerint Brevia extra tempora cum facultate ſe promovendi à quocumque; an debeat ſervari diſpoſitio Decreti Clementini, & quomodo ſervetur in Dataria, & Secretaria Brevium, quoad hujuſmodi facultates promovendi Regulares. 200

CON-

CONSTITUTIO IV.
incipiens (*Juſtis.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De confirmatione hujus Pontificis legum editarum à Friderico II. & Carolo IV. Imperatoribus pro Immunitate Eccleſiaſtica, ubi quatenus excommunicatus rejici debeat à limine judicii, & plures caſus in praxi adducuntur, ac declarantur, & quid in gradu appellationis ex cauſa attentatorum. 203

CONSTITUTIO V.
incipiens (*Ab origine.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Canonizatione Brigittæ Viduæ Suecæ, ejuſque geſtis, ac revelationibus, quæ fuerunt publicatæ. 206

INNOCENTII VII.

CONSTITUTIO UNICA
incipiens (*Sedis Apoſtolicæ.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. Vita, ac electio, obituſque Innocentii VII. De Regula Fratrum & Sororum de Pœnitentia Ordinis S. Dominici, qui dicuntur Tertiarii, ubi plura de iis tam Viris, quàm Mulieribus, ac ab iis ſervandis. 206

GREGORII XII.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Illi.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. Plura innuuntur quoad Canonicos S. Georgii in Alga, deinde extinctos. 208

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Excitat.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris, ſeu Scopetinorum; ubi plura de eorum origine, ſtatu, ac incapacitate beneficiorum ſæcularium. 209

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Sacrum.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Fratribus Eremitis S. Hieronymi de Feſulis poſtea extinctis. 210

JOANNIS XXIII.

CONSTITUTIO UNICA
incipiens (*Ad pacem.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Convocatione Concilii Conſtantienſis, ubi hiſtoria ſchiſmatis magni trium Pontificum, ac geſtis in Concilio Conſtantienſi, & ſchiſmatis extinctione, electioneque Martini V. in eodem Concilio, & quomodo; ac propugnatur poteſtas Romani Pontificis ſuper Conciliis Generalibus, nec iſta habent ſuperioritatem in illum, & aliqua innuuntur quoad Concilium Piſanum. 211
Sectio unica. An acta, & privilegia tempore hujus ſchiſmatis ab his, qui pro Romano Pontifice ſe gerebant, elargita, ſuſtineantur, & valida ſint. 217

MARTINI V.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*Inter Cunctas.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. Electio Martini V. in Romanum Pontificem, ejuſque natales, ac geſta innuuntur. De condemnatione per eum facta plurium hæreſum, nempe Vvicleſ, Jo: Hus, & Hieronymi Pragenſis, aliorumque. 219
Sectio I. De Confeſſionis exterioris, quæ Sacerdoti fit ad ſalutem, neceſſitate, ubi error contrarius confutatur. 220
Sectio II. De vera Eccleſiæ forma contra primum errorem Jo: Hus, nec conſtare de ſolis juſtis. 223
Sectio III. De Communione ſub ſola ſpecie panis licita contra Dreſdenſem, & Miſnenſem, alioſque hæreticos, ubi de uſu Calicis quatenus non permittendo niſi in certis caſibus laicis, ac alia ad rem explicantur. 226

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Quod antidota.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De executione danda literis Apoſtolicis liberè abſque aſſenſu cujuſcumque Prælati, non obſtante indulto Urbani VI. quod irritatur, ubi plura de executione literarum Apoſtolicarum, quòdque nequeat prætendi earum recognitio ab Epiſcopo. 230

CONSTITUTIO III.
incipiens (*In Apoſtolicæ.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Abbreviatoribus, aliiſque Officialibus Cancellariæ Apoſtolicæ, ac Auditoribus Sac. Rotæ, Advocatis Conciſtorialibus, & Notariis, ubi de origine Cancellarii, & munere Vice-Cancellarii, ac Abbreviatorum de parco majori, & minori, & de qualitatibus Auditorum Rotæ probandis in proceſſu faciendo in eorum promotione, ac concluſionibus,& examine eorum ante admiſſionem. 232

CONSTITUTIO IV.
incipiens (*Fons parvulus.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De exemptione conceſſa Fratribus Carthuſianis à ſolutione Decimarum, & Primitiarum. 235
Sectio unica. De primitiis, ac exemptione ab earum ſolutione, ubi de origine, & præcepto primitiarum in antiqua lege, & quid in Evangelica, earumque definitio, ac cui aſſiſtat jus pro earum exactione, Epiſcopo, vel Parocho, & quatenus debeantur, & à quibus, de quibus fructibus, necnon de exemptione Regularium ab earum præſtatione. 235

CONSTITUTIO V.
incipiens (*Romani.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De pluribus pertinentibus ad Tribunal Rotæ Romanæ, præſertim quoad præventionem inter Auditores, & quomodo victor prævenire poſſit appellantem in impetranda commiſſione, ac eligendo Ponentem, vel id non permittatur. Quatenus Advocatus nequeat ſcribere pro parte, contra quam priùs ſcripſerat. 238

CONSTITUTIO VI.
incipiens (*Cum inter.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De juriſdictione Conſulum artis pannorum cognoſcendi cauſas ejuſdem artis, aliiſque hujus privilegii, ubi plura ad materiam Conſulum Artium, & quam obtineant de jure judiſdictionem, quid contra Clericos, ac de reformatione juriſdictionis hujuſmodi Conſulum per Conſtitutionem Innocentii XII.

CONSTITUTIO VII.
incipiens (*Sollicitudinis.*)
Epitome Bullæ. Commentarium. De unione plu-

plurium Congregationum Canonicorum Regularium ſub unica vivendi forma, & corpore, & plura ad rem indicantur. 242

CONSTITUTIO VIII.
incipiens (*Militanti*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De exemptione Ciſtercienſium à præſtatione decimarum, ubi de exemptione hujuſmodi Regularium, aliorumque; & an procedat quoad bona acquiſita poſt Concilium Generale in *cap. nuper, de decimis*. 243

CONSTITUTIO IX.
incipiens (*Etſi*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Juriſdictione Magiſtrorum viarum Urbis, ubi de Ædilibus plura indicantur, ac innuitur ſtatus præſens dictæ Juriſdictionis in Urbe, ac aliqua dicuntur de Præſide viarum, & Camera. 245

CONSTITUTIO X.
incipiens (*Ad reprimendas*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De prohibitione tam laicis quàm Clericis trahendi ad forum laicalem perſonas Eccleſiaſticas, ubi plura quoad Immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam in perſonis Clericorum exemptorum à quocumque judicio laico, & de pœnis eos trahentium. Quid ſi Clericus non incedat in habitu, & tonſura, ac non inſerviat in Divinis, vel fuerit conjugatus, ubi plura declarantur ad ornatum diſpoſitionis Sac. Conc. Tridentini, ac dictorum requiſitorum probationem. An Ægidiana afficiat Clericum non habentem dicta requiſita Concilii, & an non habentes dicta requiſita ſubdantur ſtatutis laicis, præſertim circa factionem teſtamenti in filio familias, & an fruantur privilegio *cap. Odoardus, de ſolutionibus*, ac materia latè explicatur cum pluribus caſibus. 247

CONSTITUTO XI.
incipiens (*Pia Poſtulatio*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Congregatione Jeſuatorum poſteà extincta. 256

CONSTITUTIO XII.
incipiens (*Ineffabile*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De ſolemnitate SS. Corporis Chriſti permiſſa celebrari tempore Interdicti, & de aliis feſtivitatibus, in quibus id permittitur, & de aliis caſibus, in quibus ſuſpenditur Interdictum, vel celebrari poſſunt dies feſti, & quales, & qua ſolemnitate. 257

CONSTITUTIO XIII.
incipiens (*Cùm*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Capitulo Generali Fratrum Minorum, & reformationibus in eo factis Præſidente Cardinali S. Petri ad Vincula de mandato Martini V. ubi plura enucleantur circa incapacitates hujuſmodi Fratrum poſſidendi bona, & acquirendi hæreditates, quod procedit tam in Eccleſiis, quàm Cappellis eorum, & de incapacitate habendi onera perpetua Miſſarum, & quomodo in hoc practicari debet. 259

CONSTITUTIO XIV.
incipiens (*Dum onus*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De convocatione Concilii Generalis Baſileenſis facta à Martino V. 261

CONSTITUTIO XV.
incipiens (*Sedis*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De Regula Fratrum, atque Sororum Tertii Ordinis Servorum B. M. V. Apoſtolica auctoritate confirmata, ubi latè etiam de Tertiariis aliorum Ordinum, & Bizochis, quæ requiſita habere debeant, & an ſubdantur Parochis, & obtineant exemptionem ab Ordinariis, & de eorum matrimonii validitate, quòdque an valeant obtinere dotes relictas pro Monachatu, ibique adducuntur Decreta S. Congregationis requirentia requiſita pro Tertiariis tam Viris, quàm Mulieribus; quomodo, & à quibus habitus dari poteſt prædictis, & an tandem fruantur privilegio exemptionis ab oneribus laicalibus. 261

CONSTITUTIO XVI.
incipiens (*Pervigilis*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. Plura declarantur in hac Conſtitutione ex contentis in Conſtitutione XIII. hujuſmet Pontificis. De prohibito ingreſſu Superioribus Regularibus in Clauſuram Monialium ſibi ſubjectarum ſub motivo publicandi electionem Abbatiſſæ, vel exhortationis faciendæ; & quid ſi concurrat immemorabilis, ibique de Monaſterio Germaniæ cum Superioribus Fratrum Minorum, & de loco, quo fieri debet electio Abbatiſſæ, & quo caſu permittatur ingreſſus in Clauſuram. 265

EUGENII IV.

CONSTITUTIO I.
incipiens (*In eminenti*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. Geſta Eugenii IV. referuntur, ac decernit, quod Cardinales in ſecreto Conſiſtorio pronunciati non dicantur Cardinales antequam inſignia Cardinalatus ſuſceperint, neque vocem in electionem Romani Pontificis habeant, donec ſit eiſdem licentia votandi data, ubi de forma antiqua, & moderna creandi Cardinales, quòdque ſtatim creati verè ſint Cardinales, habentque votum in electione Summi Pontificis, antequam inſignia recipiant, & recenſetur ritus eorum Creationis, recipiendi Biretum, & Galerum rubrum, oris clauſuræ, & aperitionis, equitatus publici novi Cardinalis venientis à locis ultra montes, & quando Papa mittit Galerum rubrum alicui Cardinali, & de veſtibus, & ornamentis eorundem, Xenia, quæ ſolent dari ei, qui defert biretum Cardinali abſenti, an cedant familiaribus Papæ, qui eum creavit, an Succeſſoris, ſi interim ille obierit. 266

CONSTITUTIO II.
incipiens (*Diſpoſitione*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De capacitate Congregationis Monachorum de Obſervantia S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti, acceptandi, & retinendi legata pia, etiam ſtabilium, eorum Monaſteriis facta. 271

CONSTITUTIO III.
incipiens (*Romani*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De reformatione Regulæ Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, ac rejiciuntur detractores Regulæ mitigatæ, & incidenter de initio anni, qui ſolet ſervari in Bullis Apoſtolicis. 272

CONSTITUTIO IV.
incipiens (*Divina*.)
Epitome Bullæ. Commentarium. De privilegio Eugenianæ dicto, conceſſo Officialibus Sedis Apoſtolicæ, & Curialibus Urbis, ut non conveniantur coram quocunque Judice extra Urbem, ubi latè hoc privilegium explicatur pluribus

Digitized by Google

bus caſibus, & reſcriptis Signaturæ plenè ad rem facientibus, & quid ſi agatur de cauſa fiſcali, vel in gradu appellationis, quòdque A. C. ſit Judex dd. Curialium in Urbe. 273

CONSTITUTIO V.
incipiens (*Regularem.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Congregatione Monachorum de Obſervantia S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti, ejuſque approbatione, ac Conſtitutionibus, quæque unita Caſſinenſi extitit, & ita in præſenti denominatur. 276

CONSTITUTIO VI.
incipiens (*Excellentiſs.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Indulgentiis confirmatis, & auctis in feſtivitate Sanctiſs. Corporis Chriſti, & de Monachis, Monialibus, & Confraternitatibus ſub ejus Inſtituto. 276

CONSTITUTIO VII.
incipiens (*Cùm.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De pœnis innovatis & auctis contra Simoniacos tam quoad Ordines, quàm quoad Beneficia recepta, ubi de origine ſimoniæ, & an fuerit in lege antiqua, & quotuplex ſit, anve ſit prohibita à Jure Divino, vel Eccleſiaſtico, & de pluribus ſimoniacis Jure Divino prohibitis, ac ſic dictis, quia à Jure Canonico prohibita fuere, quòdque an vera ſimonia intret in collatione tituli Beneficiorum quorumcumque, & quid Papa in hoc ſervet, & Curia Romana, & an vera ſimonia cadat in Capellaniis, Hoſpitalibus, legatiſque piis non crectis auctoritate Apoſtolica, nec Beneficii Eccleſiaſtici naturam habentibus. 277

CONSTITUTIO VIII.
incipiens (*Illa.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Indulto conceſſo Congregationi Camaldulenſium recipiendi Religioſos cujuſcunque Ordinis etiam Carthuſienſium; ubi de ſimili Indulto obtento ab aliquibus Religionibus latè agitur, & de tranſitu ad Religionem arctiorem, & æqualem, & quæ ſit arctior; de tranſitu è ſtatu Converſi ad ſtatum Clericalem in Religione, ac de tranſitu ad laxiorem, & de praxi S. C. in illis permittendis, & demum de tranſitu de Religione Clauſtrali ad Militatem, an permittatur. 280.

CONSTITUTIO IX.
incipiens (*Regularem.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De privilegiis, & exemptione conceſſa Monachis Congregationis S. Juſtinæ, & præſertim recipiendi Ordines à quocunque, quod fuit modificatum à Decreto Clementis VIII. ubi refertur reſolutio Congregationis particularis à Sanctiſſimo approbata, quod in Brevibus extra tempora expediendis, etiam per Secretariam Brevium pro Regularibus apponatur, *ſervata forma Decreti Clementis VIII.* ac plures rationes talis reſolutionis adducuntur pro illuſtratione materiæ. 285

CONSTITUTIO X.
incipiens (*Militanti.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Juriſdictione, & facultate Judicum Conſervatorum Congregationis Caſſinenſis, aliàs S. Juſtinæ de Padua Monachorum S. Benedicti, ubi plura de Conſervatoribus Regularium innuuntur etiam remiſſivè. 287

CONSTITUTO XI.
incipiens (*Magnas.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Concilio Baſileenſi, ejuſque translatione ad Civitatem Ferrariæ, ubi hiſtoria dicti Concilii enunciatur, ac attentata per illud facta contra Eugenium IV. ac electione in eo facta Fœlicis V. Antipapæ, qui Pontificatui renunciavit. Ac initium Concilii in Civitate Ferrariæ refertur. 289

CONSTITUTIO XII.
incipiens (*Regularem.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De origine, ac approbatione, & privilegiis Eremitarum B. Petri de Piſis, ac reductione eorum in Congregatione cum tribus votis. 290

CONSTITUTIO XIII.
incipiens (*Inter cætera.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De origine Collegii Clericorum Cameræ Apoſtolicæ, eorumque munere, præeminentia, numero, & aliis, quæ in præſenti conſiderari poſſunt circa idem Collegium. 291

CONSTITUTIO XIV.
incipiens (*Univerſalis.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De ſubjectione Abbatum Ciſtercienſium Viſitatoribus, & an Abbas nullius ſubſit Generali, & de Provinciis Romana, Tuſciæ, & Lombardiæ ſubjectis Generali Ordinis. 292

CONSTITUTIO XV.
incipiens (*Non mediocri.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. Plura enucleantur circa originem, dignitatem, & præminentiam Cardinalatus, & de Canonicis Cardinalibus in aliquibus Eccleſiis. 293

CONSTITUTIO XVI.
incipiens (*Regularem.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De tranſitu prohibito Ciſtercienſibus, ad quemcumque Ordinem exceptis Carthuſienſibus, ubi plura de eorum tranſitu, & an requiratur licentia Sedis Apoſtolicæ, vel ſufficiat Abbatis, & quid cum Carthuſienſibus. 295

Sectio unica. Quatenus ex tranſitu Regularium ad aliam Religionem transferantur etiam bona à prima Religione ad ſecundam; ubi latè declaratur materia tranſitus bonorum tam patrimonialium, quàm acquiſitorum per teſtamentum, aut diſpoſitiones inter viros, & pro conſtitutione pro dote Monialibus, & quoad annuas præſtationes, vel vitalitia ipſorum tranſeuntium, & quoad bona delata ante, vel poſt profeſſionem, ibique plura ex praxi S. C. deducuntur. 396

CONSTITUTIO XVII.
incipiens (*Lætentur.*)

Epitome Bullæ. Commentarium. De unione Græcorum cum Eccleſia Latina facta in Concilio Florentino, & plura pro exornatione hiſtoriæ, & de aliis unionibus hujuſmodi factis enunciatur. 300

Sectio I. De Proceſſione Spiritus Sancti à Patre Filioque, ubi latè refellitur error Græcorum, quoad Proceſſionem Spiritus Sancti à Patre ſolùm, & veritas Catholica comprobatur procedere à Patre, Filioque, & plura teſtimonia Sacræ Scripturæ, PP. Græcorum, Latinorum, & argumenta adducuntur, & de additione particulæ, *Filioque* & de additione in Symbolo quatenus permittenda, & quando illud evenerit. 301

Sectio II. De Azymo, & Fermentato in Sacramento Euchariſtiæ conficiendo, ubi de ritu antiquo celebrandi in Azymo, ac permiſſione, ut Græci celebrent in fermentato, ſed in utroque validè conſecratur, at licitè tantùm in Azymo apud Latinos, & in fermentato apud Græcos, & in quo convenientius ſit conſecrare, & an La-

tinus

tinus conſecrans in fermentato ſit ſuſpectus de hæreſi. 303

Sectio III. De origine, ac præcedentia Patriarcharum Orientis; ubi plura enucleantur de origine Patriarcharum, & de ſedibus antiquioribus Patriarchalibus, ideſt Romana, Alexandrina, & Antiochena, ac deinde Hieroſolymitana, & Conſtantinopolitana, & quomodo iſta procedit nunc aliàs poſt Romanam. 305

CONSTITUTIO XVIII.
incipiens (*Licèt*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De exemptione Monialium S. Claræ à juriſdictione Ordinariorum, & à ſolutione decimarum, gabellarum, & ſubſidiorum, ubi plura ad rem innuuntur. 307

CONSTITUTIO XIX.
incipiens (*Exultate*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De unione Armenorum cum Eccleſia Latina in Concilio Florentino ſecuta, hæcque hiſtoria refertur, & circa errores Armenorum, ac ritus Catholicorum permiſſos, ubi de Confirmatione. 308

CONSTITUTIO XX.
incipiens (*Fide digna*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Præcepto Paſchali recipiendi Sacram Communionem, ubi de antiquo, & moderno ritu ſumendi SS. Euchariſtiam quoad tempus, & de quotidiana Communione plura indicantur, ac decretum ſub Innocentio XI. quodque in præſenti ſtatutum ſit de præcepto Communionis ſemel in anno in Paſchate, & fieri valet infra octo dies ante, & poſt eam, & an impediti teneantur anticipare, vel poſtea id implere, quòdque in feria ſexta Paraſceve nequeat communicari, & ſumens ſacrilegè an ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ubi plures ad rem propoſitiones damnatæ recenſentur. 309

CONSTITUTIO XXI.
incipiens (*Super gregem*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Congregatione S. Hieronymi de Feſulis approbata, & deinde extincta, ubi de Epiſcopo Feſulano in Civitate Florentiæ. 313

CONSTITUTIO XXII.
incipiens (*Regimini*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Fratribus S. Ambroſii ad Nemus in Conventu Mediolanenſi eorum capite, ac deinde ſuppreſſis. 313

CONSTITUTIO XXIII.
incipiens (*Cantate*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De unione Jacobitarum ſecuta in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. 313

Sectio unica. De conjugio permiſſo Orientalibus Presbyteris, ubi de uſu antiquo Eccleſiæ ſervandi continentiam per conſtitutos in Sacris, & conſuetudine in Eccleſia Græca retinendi uxores, non autem in Epiſcopis; Matrimonia tamen, quæ contrahuntur poſt Ordines Sacros ſunt nedum illicita, ſed invalida, ubi auctoritate DD. oraculis S. Congr. & Conciliorum comprobatur, ac adducuntur duæ epiſtolæ Patriarchæ Caldæorum ad id collimantes. 314

CONSTITUTIO XXIV.
incipiens (*Quamquam*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Congregatione Canonicorum S. Georgii in Alga, deinde ſuppreſſa. 316

CONSTITUTIO XXV.
incipiens (*Regimini*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Congregatione Ilicetana Fratrum de Obſervantia S. Auguſtini, ſeparata ab aliis Ordinis Superioribus, excepto tamen Generali Ordinis, cui ſubjicitur, ubi plura de origine, ac aliis dictæ Congregationis. 316

CONSTITUTIO XXVI.
incipiens (*Inter curas*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. Reformationes innuuntur factæ in Capitulo in Urbe celebrato PP. Monachorum Græcorum S. Baſilii approbatæ ab Eugenio VI. ubi plura de Magiſtris linguæ Græcæ, ac aliis pro dictis Monachis. 316

CONSTITUTIO XXVII.
incipiens (*Licèt*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De Canonizatione Nicolai de Tolentino Ordinis S. Auguſtini, ubi plura de ejus geſtis, ac miraculis, præſertim effuſione ſanguinis. 317

CONSTITUTIO XXVIII.
incipiens (*Quamquam*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De exemptione Monialium S. Claræ ab Epiſcopis, & ſubjectione Superioribus Ordinis Minorum, quæ tamen ſubjectio procedit in ſpiritualibus, non autem in temporalibus, & in pluribus ſubjiciuntur Epiſcopis, & an Fratres talem ſuperioritatem abdicare à ſe valeant, pluraque Monaſteria reducta fuere ſub Epiſcopis per Sedem Apoſtolicam, & an iſta fruantur Indulgentiis, quibus fruuntur exempta. 318

CONSTITUTIO XXIX.
incipiens (*Inter cætera*.)

Epitome Bullæ. Commentarium. De ſanatione, ac confirmatione facta ab Eugenio IV. geſtorum per Principes, & Epiſcopos Germanos, qui tempore ſchiſmatis neutrales fuerant, ac deinde Eugenium recognoverant, ac abſolvit omnes, qui Concilio Baſileenſi poſt diſſolutionem intervenerant, ac adhæſerant, ac providet plura circa collationes Beneficiorum ab illis in ſchiſmate, vel neutralitate factas, ubi de dicta neutralitate dicitur, ac geſtis per illos. Agitur de recipientibus Ordines, & Beneficia à ſchiſmaticis, & hæreticis, & poteſtate ordinis, & juriſdictionis, an illas Epiſcopi, & alii ſchiſmatici, & hæretici amittant, ubi de actus validitate, & licita qualitate quoad Ordines, & juriſdictionem, & quid ſervetur in ordinatis hujuſmodi, etiam poſita *Extravagante Martini V. Ad evitanda* quoad toleratos, ac plura declarantur, quòd hæretici priventur poteſtate juriſdictionis, & poteſtate Ordinis quoad uſum licitum tantùm. Quidque ſit dicendum quoad Græcos Orientales ſchiſmaticos circa ordinatos ab ipſis, & an dicti ſchiſmatici dicantur tolerati. 319

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN CONSTITUTIONES
APOSTOLICAS,
ſeu Bullas
SUMMORUM PONTIFICUM
contentas in Bullario Romano.

CONSTITUTIO I.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Ex parte*.)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, INQUISITORIBUS Hæreticæ Pravitatis per Regnum Franciæ Conſtitutis.

Mandat Inquiſitoribus, ut contra Hæreticos, vel de hæreſi notabiliter ſuſpectos, aut de ea accuſatos; itemque contrà Judæos converſos, à Fide apoſtatantes procedant, quamvis iidem ad Eccleſiam confugerint.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Refertur aſſumptio ad Pontificatum Joannis XXII.*

2 *Schiſma Ludovici Bavari, & Petri Corbarii Pſeudo Pontificis quam cauſam, progreſſum, ac exitum habuerit.*

3 *Vindicatur Joannes XXII. à Criticorum calumniis quoad ejus electionem, aliaque in Pontificatu geſta.*

4 *Ejuſdem virtutes, & obitus indicantur.*

5 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*

6 *Hæreſis quàm aliis criminibus gravior ſit, quàmque graves pœnas promereatur.*

7 *Jure Aſyli gaudent Eccleſiæ pro omnibus delictis, præterquam contentis in Conſtitutione Gregoriana.*

8 *Hæretici privantur immunitate Eccleſiaſtica, & qua ratione.*

9 *Hæretici ſecundùm aliquos privantur immunitate, etiam in criminibus non exceptis, & numer. ſeqq.*

10 *Receptare Hæreticos prohibitum eſt, etiam affinibus, ac conſanguineis, & quomodo id procedat.*

11 *Verius eſt, Hæreticos gaudere immunitate pro criminibus non exceptis, & quid in locis, ubi Hæretici impunè habitare ſinuntur.*

12 *Bulla Gregoriana excipiens reus hæreſis, & aſſaſſinii, non privat eos immunitate quoad delicta non excepta.*

13 *Refertur, & refellitur quoad hoc ſententia Cutelli.*

14 *Hæreſis quantumvis minima totam fidem ſubvertit, ac quatenus hæreſes ſint inter ſe connexa.*

15 *Hæretici reconciliati gaudent immunitate quoad delicta non excepta, etiam ante reconciliationem commiſſa.*

16 Hæretici *per Inquiſitorem ab Eccleſia extracti, poſt reconciliationem reſtituendi ſunt Eccleſiæ, nec debent dari Judici laico illos petenti pro delictis non exceptis.*

17 *Hæreticus ante cognitionem cauſæ hæreſis ferè nunquam gaudet immunitate pro delictis non exceptis.*

18 *Suſpecti vehementer de hæreſi non gaudent immunitate.*

Suſpecti notabiliter de hæreſi non cenſentur ii, qui ſunt ſuſpecti de levi. Ibid.

19 *Suſpecti de hæreſi an poſt Bullam Gregorianam gaudeant immunitate? & num. ſeqq.*

20 *Sub nomine reorum hæreſis an veniant ſuſpecti de hæreſi.*

21 *Conſtitutiones contra hæreticos nunquam abrogata,*

ta, & ſæpius confirmatæ fuerunt.

22 *Suſpecti de hæreſi poſt reconciliationem gaudent immunitate.*

Hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti quatenus cenſeantur Eccleſiæ reincorporati. Ibid.

23 *Rei, qui poſt abjurationem peragunt pœnitentiam in carceribus Inquiſitionis, an gaudeant immunitate, ſi ad Eccleſiam confugiant, & num. ſeqq.*

24 *Detentus in carceribus pro crimine excepto, non gaudet immunitate, ſi ad Eccleſiam fracto carcere effugiat.*

25 *Rei, qui dum peragunt pœnitentiam in carceribus S. Officii, ab illis aufugiunt, cenſentur relapſi, aut ſuſpecti de hæreſi.*

26 *Nedum Inquiſitor, ſed etiam Epiſcopus poteſt extrahere reos hæreſis ab Eccleſia.*

27 *Inquiſitores an poſſint poſt Bullam Gregorianam extrahere ab Eccleſia reos hæreſis ſine licentia Epiſcopi.*

28 *Inquiſitor extrahens ex cauſa hæreſis reum ab Eccleſia, debet certiorare Epiſcopum.*

29 *Converſi à judaiſmo ad Fidem, ſi apoſtatentur, non gaudent immunitate.*

30 *Judæi an gaudeant immunitate Eccleſiaſtica, Remiſſivè.*

TRanslata Avenionem Pontificum Sede, quot indè incommoda experta ſit, quotvè emerſerint
1 noxia diſſidia, nullus vel mediocriter in hiſtoria verſatus ignorat: Dicas eam fuiſſe tunc veluti navem fluctuum arbitrio permiſſam. Mortuo Clemente V. invaluit procella; ex Conclavi namque, ubi deſtinando Eccleſiæ novo Pontifice convenerant, diſſidentibus Gallis, & Italis ex una, & Aquitanis ex altera inter ſe Cardinalibus, cùm neutra pars alteri fidem adhiberet, in varias illius Terræ Provincias, loco nedum animo ſeparati, diſceſſerunt: Apoſtolica interim Sede, ſuo viduata Paſtore per annos duos, menſes tres, dieſque ſeptemdecim. Cùm autem Cardinales tam longè lateque diſperſos in unum redigendi, atque ad priſtina revocandi conſilia ſpes nulla ſe oſtenderet, à Philippo Comite Pictavienſi, Ludovici Chriſtianiſſimi Fratre, ſpecie negotiorum Regni, pia, ac laudabili induſtria Lugdunum acciti, in Conclavi apud Fratres Prædicatores parato, vel inviti recluſi ſunt, miniſque intentatis, indè non dimiſſos iri, donec de Pontifice conveniſſent. Ergo anno 1316. die 7. Auguſti, vel, ut aliis placet, nonis Septembris Pontificem crearunt Jacobum de Oſſa Cadurcenſem, Patre ſutore natum, ea tamen prudentia, ac literis præditum, ut quem prius Roberti Siciliæ Regis Cancellarium, deinde Forojulienſem, ac poſtmodum Avenionenſem Epiſcopum, Arelatenſis Archiepiſcopus inſtituerat; Clemens tandem V. in Cardinalium Collegio cooptare dignum exiſtimaverit.

Multa, graviaq. negotia Joannem XXII. (id enim no-
2 men ſibi ſumpſit) exercuere. Graviſſimum omnium fuit ſchiſma Ludovici Bavari: nam poſt Henricum Lucemburgum, dum Electores quidam Fridericum Auſtriacum, alii Ludovicum Bavarum malunt, imperium ſcindunt, & bellum excitant. Cauſa ad Joannem XXII. delata, ſed non expectata ſententia, Imperii nomen, & jura Bavarus uſurpaverat: ergo monitionibus præmiſſis poſtquam jam certò conſtitit, Ludovicum Pontificiis mandatis pertinaciter fuiſſe rebellem, imperii jure excidiſſe Pontifex pronuntiavit. Ille non multùm ad anathema intremuit, quippe qui Marſilii, Janduni, Ocami, & aliorum fretus patrocinio, novam molitus Eccleſiam in veterem inſurrexit, & ab execratis Præſulibus Mediolani, Romæque Imperator dictus, Joannem quaſi Hæreticum, & ſuæ ſedis tranſfugam exauctoratum dicit; eique Petrum Corbarium Minoritarum apoſtatam ſubſtituit. At ſtolidus nullo magis à Chriſto ſe apoſtatam eſſe probare potuit, quam cùm ei Vicarium, cucullatum apoſtatam dixit. Accidiſſe juxta aliquos fertur, ut Joanna Matthæi, uxor Petri de Corbaria, qua reclamante, & invita Minorum Ordinem profeſſus fuerat, ſivè ab aliis inducta, ſivè opibus, quibus ille ſplendebat illecta, repeteret Maritum Pſeudo Pontificem, quem tot annis ſpreverat Monachum Mendicantem. Epiſcopo Reatino libellum porrexit, qui cauſa cognita ſententiam tulit, nullo juſto titulo diſſolutum fuiſſe conjugium; ac proindè Petrum, qui mutato nomine ſe Nicolaum dicebat, ad Joannam reverti debere. Totius rei proceſſus, & ſententiæ autographa ad Joannem XXII. miſſa ſunt, quorum varia exemplaria ad Principes Catholicos miſit, ut conſtat ex Regeſt. Vatic. *in lib. ſecret.* ex quo VVadingus *in Anal. Minor. & Bernardus Guido*: Sic omnibus ludibrio fuit ſcenicus Pontifex; ſed id opprobrii non diù Roma tulit, & ne ſancta eſſe deſineret, abominationem è loco ſancto ſubſtulit: nam Bertoldus Urſinus, Stephanus, & Jacobus Columnii, aliique Proceres, Bavarum cum ſuo Pontificis ſpectro Urbe depulerunt. Reverſo in ſuam Germaniam Bavaro, Corbarius ſui facinoris atrocitatem cœpit agnoſcere, ubi non adeſſe ultra vires, quibus illud tueretur vidit; ac veluti elapſus è nubibus, adeò ſe non agnovit Pontificem, ut vix Monachum eſſe meminerit, indè palinodia publica Piſis, poſteà Avenione, quæ impiè patraverat deteſtatus, membrum Eccleſiæ fieri ruſus meruit, dum ſe negavit eſſe caput.

Non me latet, Joannem XXII. à pleriſque Criticis, multis injuriis laceſſitum. Sunt, qui aſſerant, mortuo
Clemente V. Cardinales compromiſſum de eo in Pon- 3
tificem eligendo feciſſe, quem Jacobus de Oſſa nominaſſet, ipſumque, Napoſione Urſino ſuadente, ſeipſum nominaſſe, Joan. Villan. *lib. 9. cap.* 79. S. Antonin. 3. *parte Cron. tit.* 21. *c.* 3. Sed aliorum Scriptorum ſilentium, & maximè Ludovici Bavari, aliorumque iſtius Pontificis hoſtium, qui ſanè à tam opprobrioſa ambitionis labe ipſi objicienda non ſe temperaſſent in acerbiſſimis adverſus illum invectivis, ut fictitiam Villani narrationem habeamus meritò efficiunt: præſertim cùm Joannes ipſe in Encyclicis de electione ſua litteris, ſe à Cardinalibus concorditer nemine diſcrepante in Summum Pontificem electum, timore, ac tremore concuſſum vehementer hæſitaſſe, an tanto oneri imbecilles ſupponeret humeros, teſtetur: quod ſanè non ſcripſiſſet homo, qui ambitione tam manifeſta ſeipſum elegiſſet. Sunt, qui putent, Joannem XXII. in ea fuiſſe ſententia, ut aſſereret, ac definiret, animas Sanctorum, qui ex hac vita deceſſerunt ſufficienter purgatas, non ſtatim in Beatitudinem recipi, ſed uſque ad diem Judicii in quibuſdam abditis receptaculis ſervari, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici poſſint, niſi in ſpe: Verùm & hoc commentitium eſſe, ac à mente hujus Pontificis prorſus alienum, tum contra Hæreticos, tum contra Maimburgum, alioſque Criticos oſtendemus ad *Conſt. Benedicti XI.* incip. *Benedictus Deus.* Profectò Joannes XXII. propter Italicum Bellum Italorum ſubiit invidiam, & Petrarchæ mordaci calamo in Epiſtolis laceratus eſt: Sed non eſt opus iis occurrere: Cæterùm Joannes ſtudium ſemper co-
luit, etiam Pontifex, tempuſque à negotiis vacuum le- 4
ctioni impendebat, viros eruditos fovens, & ad ſacras dignitates promovens. Obiit nonagenarius anno 1334. die 4. Decembris, anno Pontificatus 19. & Avenione in Majori Eccleſia ſepultus eſt.

Pleraſque hic Pontifex edidit Conſtitutiones, qua-
rum viginti poſt ſextum Volumen Decretalium ſunt in- 5
ſertæ ſub nomine Extravagantium ipſius Pontificis. At in Bullario primordialem locum vindicat præſens Conſtitutio, edita Avenione Idibus Auguſti Anno 1316. in qua mandat inquiſitoribus: *Quatenus contra illos, quos de hujuſmodi hæretica pravitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter ſuſpectos eſſe vobis conſtiterit; accuſatos etiam de labe prædicta; converſos quoque Judæos, & poſtmodum patenter, vel veriſimilibus indiciis apoſtatantes à Fide, juxta qualitatem delicti exequamini liberè officii veſtri debitum, ac ſi ad Eccleſias, &*

loca

loca prædicta minimè confugiſſent. Etenim crimen hæ-
reſis, quod, ut inquit D. Hieron. *in Iſaiam*, impietate
ſua omnem impietatem vincit, quantò aliis ſceleribus
execrabilior eſt, eò duriores ſibi vindicat pœnas. Sunt
enim Hæretici omnium flagitiorum receptaculum, pro-
ut deſcribuntur *Matth.* 23. *Dicesi cæci, ſerpentes, ge-
nimina viperarum, pleni rapina, & immunditia, &
omni ſpurcitia, hypocriſi, & iniquitate*. Undè Altiſſi-
mi Unigenitus hanc ſuam Eccleſiam, macula, & ruga
carentem, quam etiam præcelſo muniverat titulo: *Por-
tæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, duplici in-
ſtructam voluit gladio, quo hoc nefariorum hominum
genus vel ad veritatis reduceret ſemitam, vel perpetuis
exagitaret pœnis. Inter has pœnas, quarum pleraſque
alibi, præſertim in præcedenti Tomo expoſuimus, eſt
denegatio Immunitatis Eccleſiaſticæ, dum Hæretici
ad Eccleſias confugientes, loci Sacri immunitate non
proteguntur, ſed inde extrahi poſſunt, debitis pœnis
afficiendi.

Enimverò etſi Aſylorum jus, ſeù localis Eccleſiarum
7 immunitas, utpotè principaliter fundata in majeſta-
te, reverentia, & honore Eccleſiis debito, competat
reo ad Eccleſiam confugienti, quantumcumque gra-
via maleficia perpetraverit, ut inquit Teatus in *capit.
inter alia de immun. Eccleſ.* in quibuſdam tamen caſi-
bus Summi Pontifices ex peculiaribus rationibus provi-
dè ſanxerunt, Immunitatem Eccleſiaſticam reis ſuffra-
gari non debere, ut præter alios poſtremò determina-
vit Gregorius XIV. *Conſt.* 7. incip. *Cum alias*. Et ſanè
maxima ratione contra Hæreticos id ſtatutum fuit tum
8 à Martino IV. & Joanne XXII. in hac Conſtitutione,
tum etiam à Gregorio XIV. in *cit. Conſt.* 7. §. 3. non
enim debet Eccleſia eatenus filiorum ſuorum temerita-
ti favere, ut pro illo ipſo delicto eos recipiat, ac tuea-
tur, quo ipſi ſeſe ab ea divellunt; fruſtra enim Eccle-
ſiæ auxilium invocant, qui in eam committunt, *cap.
in audientia de ſent. excomm. cap. quia fruſtra de uſu-
ris*; unde eſt, ut committentes homicidium, aut mu-
tilationem in Eccleſia, ejus immunitate non fruantur,
c. ult. de Immun. Eccleſ. tantò igitur majori jure Hæ-
reticis denegatur immunitas, quantò gravior quocumque
alio eſt delictum, quod ipſi in Eccleſiam committunt.

Quinimò Hæreticos non ſolùm ob hæreſim, ſed etiam
9 in aliis criminibus non exceptis ab Eccleſiarum Immu-
nitate excludi, voluerunt quamplurimi graves Aucto-
res, inter quos Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 26. *nu.*
4. Gambacurt. *de immunit. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 6. Gun-
diſal. *de haret. quæſt.* 11. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 20.
num. 14. Ambroſin. *de immunit. cap.* 8. *num.* 9. Boba-
dill. *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 54. Tanner. *in* 2. 2. *diſp.*
5. *q.* 8. *n.* 16. Peregrin. *de immun. c.* 8. *n.* 13. Quæ ſa-
nè ſententia quamvis nullo Canone apertè fulciatur,
probabilis tamen videtur; cùm enim hæreſis peſtis
quædam ſit, & contagioſa pravitas, *c. accuſatus de hæ-
ret. in* 6. *clem.* 1. *eod. tit.* inhumana ſermè pietas eſſet,
hos intra Eccleſias eſſe ſinere, eoſque defendere, ac
tueri; graviſſimo ſanè periculo, ne quem eadem con-
tagione inficiant. Prohibetur item Hæreticis favore,
eoſque receptare nedum Jure Canonico, ut dixi *tom.*
3. *ad Conſt.* 15. Alex. IV. *num.* 6. *& ſeq.* Sed etiam
Divino, juxta illud *Apoſt.* 2. *ad Timoth. cap.* 2. & D.
Joann. *epiſt.* 2. ibi: *Si quis venit ad vos, & hanc do-
ctrinam non habet, nolite recipere eum in domum*: Quid
igitur? Eccleſia, quæ Domus Dei, eſt, receptabit hæ-
reticos, quos privatæ domus excipere perhorreſcunt?
10 Quòd ſi dicas, prohibitum quidem eſſe receptare Hæ-
reticos, ſi modò id fiat intuitu hæreſis, non autem ob
alias cauſas, quia ſcilicet affines ſint, aut conſanguinei
ut dixi ad *cit. Conſt.* 15. *n.* 12. Reſpondeo, prohibitio-
nem receptandi hæreticos eſſe abſolutam, ac etiam affi-
nes, & conſanguineos comprehendere. Ea enim ſolùm
intercedit differentia inter receptantes hæreticos ob
hæreſim, & receptantes ob affinitatem, conſanguinita-
tem, aliamque cauſam, ut primi rigorem pœnarum
ſubeant, cum ſecundis mitiùs procedatur, extenſa per
DD. in hac materia hæreſis lenitate inducta per Tex-
tum *in leg.* 2. *ff. de receptator.* & ita docent Pegna *ad
directior. Inquiſ. par.* 2. *comm.* 81. *verſ. ſeu alias*, Si-
manch. *de Cathol. inſt. tit.* 15. *rubr. de credent. n.* 20.
Azor. *inſt. moral. p.* 1. *lib.* 8. *c.* 15. aliiq; communiter
relati apud Farinacc. *de hæreſi q.* 182. *n.* 144. quamvis
ob atrocitatem criminis hæreſis nec id admiſerint Auth.
Repertor. Inquiſ. verb. receptatores, verſ. ſed tamen,
Grilland. *tract. de haret. q.* 9. *nu.* 2. Quemadmodum
igitur hæreticos receptare prohibemur, ſivè id fiat ob
hæreſim, ſivè ob aliam cauſam; ita etiam arcendi ſunt
ab Eccleſia hæretici, ſivè ad eam recurrant ob hæreſim
ſivè ob aliud delictum non exceptum. Quamvis autem 11
hæc probabiliter dicantur, contrarium tamen, ſcilicet
hæreticos pro criminibus non exceptis gaudere immu-
nitate, frequentiori DD. calculo eſt receptum, ut tra-
dit Covar. *loc. cit.* cùm id nullo jure expreſsè caveatur
nec pro crimine non excepto excludenda ſit perſona ab
Eccleſiaſtica immunitate, ita Del Bene *de immunit. t.*
2. *c.* 16. *dubit.* 10. *ſect.* 4. *n.* 2. *& ſeqq. & dub.* 22. *n.*
5. Caſtropal. *to.* 2. *oper. moral. tract.* 11. *diſp. un. pun.*
7. *nu.* 4. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 7. §. 5. *num.* 2.
Dian. *to.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 29. ubi quòd in iis locis, ubi
hæretici impunè habitare permittuntur, nec ob hæreſim
puniuntur, gaudeant immunitate Eccleſiaſtica pro cri-
minibus non exceptis, *& tom.* 6. *tract. reſol.* 24. Fari-
nacc. *de immun. in append. cap.* 13. *nu.* 160. Pax Jor-
dan. *tom.* 1. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 379. Ventrigl. *in pra-
xi tom.* 2. *annot.* 23. §. 2. *num.* 42. Pignatell. *tom.* 9.
conſult. 10. *Ital. de immun. lib.* 1. *ca.* 5. §. 6. *n.* 7. qui
aſſerit, id expreſsè probari ex verbis Bullæ Gregorianæ
quæ, ut inquit, non excipit hæreticos, ſed crimine hæ-
reſis; adeòque hæreticos ob hæreſim, non autem ob
alia crimina. Verùm ſi ejus argumentum ſubſiſteret,
potiùs ex eadem Bulla inferretur contrarium, dum in
ea non excipitur cauſa hæreſis, ſed rei hæreſis, quod
perinde eſt ſi dixiſſet, aut excepiſſet hæreticos. Nihilo-
minùs licèt Bulla exprimat reos hæreſis, tamen vide-
tur reſtricta quoad reatum hæreſis; quia tum iiſdem
verbis Aſſaſſinii reos excludit ab Immunitate, & ta- 12
men non exinde, ſi iſti alia delicta committant, im-
munitate privari debent; tum quia poſt enumeratos
caſus excluſos, inter quos hæreſis reos enunciat, addit
quòd in caſibus prædictis Curia Eccleſiaſtica laicos con-
ſignet Judici laico, & in §. 4. ſequenti exprimitur,
quòd Curia Eccleſiaſtica recognoſcat an verè crimina
expreſſa commiſerit, & an rei culpabiles ſint in dictis
caſibus, ut conſignari valeant Curiæ Laicali, excepto
crimine hæreſis, cujus cognitio ad Eccleſiaſticum
Judicem pertinet privativè. Ex quibus verbis videtur
exceptuatum fuiſſe caſum hæreſis, non autem hæreticum
Hinc adeſt reſolutio S. C. Immunitatis in *Synopſi De-
cretor.* P. Petri Andreæ Ricci noviſſimè impreſſa *ver.
Immunitas localis n.* 3. in quòd Cauſis S. Officii Immu-
nitas Eccleſiaſtica nulli ſuffragetur, in *Firmana* 27. *Apri-
lis* 1654. & ſic intelligitur de cauſis hæreſis.

Singularis autem hìc videri vult Cutellus *de priſt. &
reten. Eccleſ. libertate libr.* 1. *quæſtion.* 29. *numer.* 5. 13
dum diſtinguit inter hæreticos, qui ob unam vel alte-
ram opinionis diſſentionem, præterquam tamen ſi ab
obedientia Eccleſiæ Romanæ, Summique Pontificis ve-
neratione recederent, licèt in aliquibus opinionibus er-
rarent; ab hæreticis, qui diverſum omninò à Romanæ
Eccleſiæ inſtitutum ſectantur; primos, inquiens, non
non eſſe excludendos ab immunitate ob alia delicta non
excepta; ſecùs ſecundos. Sed verè hæc diſtinctio nullo
ſolido innititur fundamento, ac proſsùs ruit, dum cu-
juſvis hæreſis tantum eſt pondus, ac momentum, ut
quamvis minima ſit, & unius tantum articuli, vel mi-
nimæ cujuſvis articuli partis firmum aſſenſum tollat, aut
in dubium revocet, univerſam ſimul Fidem ſubvertat,
dubiamque faciat; propterea quòd tolli nequit, niſi tol-
latur formalis ratio credendi, quæ cum in indiviſibili
poſita ſit, tota tollitur quoties tota non eſt, aut aliquid
illi deeſt, adeò ut veridicè dici poſſit, quod reus in uno,
factus ſit omnium reus. Hinc ad præſignandam inter
unam, & alteram hæreſim connexionem, paſſim Summi
Pontifices illud de hæreticis uſurpant: *Facies quidem
diverſas habentes, ſed caudas ad invicem colligatas*,

quia de vanitate conveniunt in idipſum; ut in *cap.* 13.
& 15. *de hæret. Conſt.* 18. Innoc. IV. *Conſt.* 2. Nico-
lai III. & facit *Imperator in leg.* 60. *Cod. Theodoſ. de
hæret.* ibi: *diverſa ſunt nomina, ſed una perfidia.* Item-
que illud Prudentii *lib.* 2. *cont. Symmac. Una ſuperſti-
tio eſt, quamvis non concolor error:* Cùm igitur quæ-
libet hæreſis ad Catholicam unitatem ſcindendam ten-
dat, ut inquit D. Auguſt. *lib.* 1. *cont. Creſcen. c.* 3. non
major videtur ſubeſſe ratio, ut quis ob unam hæreſim
potius quàm aliam immunitate Eccleſiaſtica privetur
quoad delicta non excepta. Quòd ſi pro admittendis,
aut repellendis hæreticis ab Immunitate Eccleſiaſtica ob
delicta non excepta, fas ſit, diverſitatem inter unam,
aut alteram hæreſim attendere: jam non immeritò ea-
dem hæreſium diverſitas attendenda foret pro conceden-
da, aut deneganda immunitate hæreticis ob ipſum cri-
men hæreſis: quod tamen jus non patitur, aut ratio.
Porrò in hac ſententiarum varietate, quarum poſte-
15 rior, quæ ſcilicet hæreticos ob crimina non excepta
Immunitate Eccleſiaſtica frui tenet, communior eſt, &
magis recepta, illud omninò incontroverſum eſt, hæ-
reticos Eccleſiæ reconciliatos, & de Tribunali inqui-
ſitionis dimiſſos, Immunitate Eccleſiaſtica gaudere quo-
ad delicta non excepta, ſivè ante, ſivè poſt abſolutio-
nem commiſſa, ut docent omnes communiter, & re-
ſolvit Sacra Congregatio Immunitatis apud Pignatell.
t. 9. *conſult.* 10. *n.* 3. Unde, ut refert Farinac. *cit. c.* 13.
num. 272. praxis Tribunalis Inquiſitionis eſt, ut dum
hæreticus in Eccleſia, etiam pro aliis criminibus ſe re-
16 cipit, inde ejuſdem Inquiſitionis juſſu extrahitur, ac re
cognita, niſi brachio ſæculari ſit relinquendus, vel li-
ber dimittitur, vel Eccleſiæ, à qua fuit extractus re-
ſtituitur, nunquam autem traditur Curiæ ſæculari eum
petenti pro aliis delictis, niſi forſan Inquiſitio reum
ab eadem Curia receperit, ut ſtatuitur in *Conſt.* 1. S. Pii
V. incip. *Sanctiſſimus, in fine*, & dixi *to.* 3. ad *Conſt.*
18. Alex. IV. *nu.* 39. & firmat Pignatell. *loc. cit. nu.* 4.
cum ſeqq. ubi quòd hæreticus, ſivè de hæreſi ſuſpectus,
ſi per Inquiſitores fuerit ab Eccleſia extractus, abſolu-
ta cauſa hæreſis, eidem Eccleſiæ ſit reſtituendus, nec ſit
tradendus alteri Judici, etiam Auditori Cameræ, quam-
vis reum ſibi tradi poſtulent pro delictis in Bulla Gre-
17 goriana exceptis. Priuſquam autem cognita ſit cauſa
hæreſis, quamvis hæreticus, juxtà communiorem ſen-
tentiam, ob delicta non excepta immunitate fruatur,
ut ſuperius dixi; id tamen apud nos rarò, aut nun-
quam contingere poteſt, ſi hæreſis crimen ad forum
Epiſcopi, vel Inquiſitoris deductum fuerit. Cauſa e-
nim hæreſis cognoſcenda eſt, quamvis reus ob alia
delicta obſtrictus ſit Judici laico, adeòut inquiſitor
pro hæretico puniendo poſſit eum requirere ab eo-
dem Judice, in cujus manu reperitur pro aliis de-
lictis, & ipſe Judex reum relinquere tenetur, etſi
cauſa ad ejus Tribunal pertinens, non ſit adhuc ex-
pedita, ut ſtatuitur in *cit. Conſt.* 1. S. Pii V. & dixi
to. 3. *ad cit. Conſt.* 18. Alexan. IV. *n.* 36. Unde eſt,
ut quamvis juxtà communiorem ſententiam hæretici
fruantur immunitate pro delictis non exceptis, hæc
tamen regulariter ob extrinſecum impedimentum eis
non ſuffragatur, niſi poſtquam fuerit expedita cauſa hæ-
reſis; nam dum eſt notoriè hæreticus, aut de hæreſi accu-
ſatus, contra ipſum procedunt Inquiſitores, & interim ſi-
let quodcumque aliud judicium pro aliis delictis inſtitutum.
Excluduntur igitur ab Eccleſiarum immunitate hære-
tici, ii ſcilicet, quos tales eſſe Inquiſitoribus conſtite-
rit, aut de hæreſi fuerint accuſati: Itemque in præſen-
18 ti Conſtitutione excluduntur ii, quos iiſdem Inquiſito-
ribus de hæreſi notabiliter ſuſpectos eſſe conſtet, aut
tamquam ſuſpecti de hæreſi fuerint accuſati, adeòut
contra eos procedere poſſint Inquiſitores, perinde ac
ſi ad Eccleſias non confugiſſent. Cùm autem in hac
Conſtitutione ſuſpecti de hæreſi non excludantur ab-
ſolutè, ſed ſi ſint notabiliter ſuſpecti, dicendum vide-
tur excluſos cenſeri tantùm ſuſpectos de vehementi;
nam ſuſpecti de levi non poſſint verè dici ſuſpecti no-
tabiliter de hæreſi; quemadmodum in terminis diſpoſi-
tionis loquentis de valdè ſuſpectis de hæreſi, ſub ea com-
prehendi ſolos ſuſpectos de vehementi, non autem de
levi, notat Card. Albit. *de inconſt. in fide c.* 35. *n.* 25.
Porrò etſi in hac Conſtitutione ab immunitate Eccle-
ſiaſtica excludantur, non ſolum hæretici, ſed etiam de
hæreſi ſuſpecti, dum tamen Bulla Gregoriana excludit
tantùm hæreſis reos; videtur dubitari poſſe, an poſt 19
dictam Bullam Immunitate Eccleſiaſtica priventur,
etiam ſuſpecti de hæreſi. Quæ quidem dubitatio non
cadit in iis caſibus, in quibus ſuſpecti de hæreſi haben-
tur pro hæreticis formalibus, veluti eſſe ſi excommuni-
catus ob ſuſpicionem hæreſis, in excommunicationem
per annum pertinaciter inſordeſcat, vel ſi incidat in hæ-
reſim formalem ille, qui jamprius abjuraverat de vehe-
menti, ut dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 12. Alex. IV. *nu.* 26.
cùm enim in ejuſmodi caſibus ſuſpecti de hæreſi præſu-
mantur hæretici formales, & uti tales puniuntur, con-
ſequenter Immunitate Eccleſiaſtica privantur. Difficul-
tas idcircò procedit quoad ſimpliciter ſuſpectos de hæ-
reſi. Et hos ad Immunitatem Eccleſiaſticam admitten-
dos eſſe cenſet Gambacur. *de immunit. lib.* 5. *cap.* 38.
num. 4. aſſerens id ſatis apertè elici ex verbis Bullæ Gre-
gorianæ §. 6. ubi excluduntur ſolùm rei hæreſis, ſuſpe-
cti autem de hæreſi non ſunt rei hæreſis; unde cùm
præfata Conſtitutio ſit pœnalis, reſtringenda eſt ad caſum
expreſſum, itaut nec verba illius extendi poſſint ad
caſus ſimiles, etiam ex paritate, vel identitate, aut
majoritate rationis, ut in terminis ejuſdem Bullæ no-
tant DD. communiter. Idem probat ex §. 8. præfatæ
Bullæ, ubi tunc ſolùm reos delictorum in ea excepto-
rum, tamquam immunitate carentes, extrahi jubet ab
Eccleſia, cùm Epiſcopus cognoverit hæc crimina expreſ-
ſa verè commiſiſſe; at non verè commiſit crimen hæ-
reſis is, qui ſolum ſuſpectus eſt de hæreſi: ergo extra-
hendus non eſt ab Eccleſia. Sed contrarium eſt commu-
niter receptum, & ſervatur in praxi: vel quia nomine 20
reorum hæreſis, quos excludit Bulla Gregoriana, veniunt
etiam ſuſpecti de hæreſi, ut cenſet Italia *cit. c.* 5. §. 6.
n. 140. *&* Card. Albit. *de inconſt. in fide cap.* 28. *nu.*
75. *ex textu in leg. omnes Cod. de hæret.* ibi: *Hæreti-
corum vocabulo continentur, & latis adverſus eos ſan-
ctionibus ſuccumbere debent, qui vel levi argumento à
Judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint
deviare.* Vel etiam ex ratione communiter adducta,
quia cùm hæreſis in animo conſiſtat, & niſi per ipſi-
uſmet rei confeſſionem declarari nequeat; ideò pro fi-
dei conſervatione, ſi ſuſpecti de hæreſi ad Eccleſiam
confugiant, extrahendi inde ſunt, & juxtà intentionis
declarationem ad abjurandum admittuntur; ut de anti-
quiſſimo ſtylo S. Officii teſtatur Farinac. *cit. cap.* 13.
num. 175. & tenent Peregrin. *de immunit. cap.* 8. *n.* 8.
Cutell. cit. lib. 1. *q.* 38. Del Bene *cit. c.* 16. *dubit.* 22.
n. 8. *&* 9. Souſa *in Aphoriſ. Inquiſ. lib.* 2. *q.* 26. *n.* 29.
Lezan. *q. Regul. tom.* 3. *verb. Immunitas num.* 14. Ca-
ſtropal. *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. unic. punct.* 9. *num.* 41.
R. P. D. Dandinus *de ſuſpectis de hæreſi c.* 1. *ſect.* 6. *n.*
99. ubi quòd Blaſphemus hæreticalis non gaudeat Immu-
nitate, etſi fruatur eadem ſimplex blaſphemus, Barb.
de jur. Eccl. l. 2. *c.* 5. *n.* 124. Ricciul. *de perſo. in ſta-
tu repr. exiſten. l.* 1. *capit.* 23. *per tot*, Ricc. *in praxi
var. reſol. tom.* 2. *reſol.* 9. *num.* 2. D. Raynald. *tom.* 1.
obſervat. Crim. c. 1. §. 1. *nu.* 137. Corziad. *dec.* 67. *n.*
23. Diana *par.* 4. *tr.* 1. *de Imm. reſol.* 51. atque ita plu-
ries reſolviſſe Supremam Inquiſitionem refert Pignatel.
tom. 8. *conſul.* 137. *nu.* 1. & Card. Albit. *cit. c.* 28. *n.*
76. ubi quod de anno 1638. reſcriptum fuerit Epiſco-
po Melitenſi, poſſe Inquiſitorem extrahere à loco im-
muni hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, certiorato ta-
men Epiſcopo ante, vel poſt extractionem, & Sac. Cong.
Immunitatis reſolvit, in cauſis S. Officii Immunitatem
Eccleſiaſticam nemini ſuffragari, ut dixi ſupra nume-
ro 12. His accedit, quòd cùm in hac Conſtitutione 21
Joannis XXII. permittatur Inquiſitoribus extrahere ab
Eccleſia tum hæreticos, tum de hæreſi ſuſpectos, ve-
riſimile eſt Gregorium XIV. eidem Conſtitutioni ſe
conformaſſe, nec eidem derogare voluiſſe. Enimve-
rò tantùm abeſt, ut Summi Pontifices Conſtitutio-
nibus contra hæreticam pravitatem à ſuis Prædeceſſo-
ribus

Digitized by Google

tibus latas unquam derogare voluerint, quin potiùs
eas pluries generaliter confirmaverint, innovaverint-
que, ut præ cæteris præſtiterunt Paulus IV. *Conſt.*
19. incip. *Cum ex apoſtolatus* §. 2. & S. Pius V.
Conſt. 22. incip. *Inter multiplices* §. 3. quod etiam
perſpectum eſt cuique intuenti Textum in *cap. ult.*
de heret. in 6. ubi cùm Bonifacius VIII. compilatio-
nis ſexti Libri Decretalium Auctor, in ejuſdem libri
proœmio expreſsè derogaſſet Conſtitutionibus Extra-
vagantibus in præfato ſexto volumine non inſertis,
exceptas tamen voluit Conſtitutiones contra hæreti-
cam pravitatem editas; quod etiam in collectione
Clementinarum ſervavit Clemens V. ut in *Clem.* 1.
§. *ult. de heret.* & dixi latius *tom. 1. in proemio ope-*
ris §. 4. *num.* 62. & 65. & *tom.* 3. *ad Conſtit.* 15. In-
noc. IV. *ſect. unic. num.* 32.

Quæ autem ſuperius diximus, hæreticos gaudere
22 immunitate, ſi fuerint Eccleſiæ reincorporati, pro-
cedere etiam dicendum eſt quoad ſuſpectos de hære-
ſi, cùm quoad hos eadem, & major procedat ratio.
Porrò Eccleſiæ reincorporati cenſentur, qui ad abju-
randum admiſſi, pœnitentiam acceptarunt, quam vel
jam perfecerunt, vel humiliter proſequutioni ejus in-
ſiſtunt, vel qui deceſſerint, dum parati erant ad pœ-
nitentiam recipiendam, ut habetur in *cap. ſtatutum*
de heret. in 6. & conſonat *Conſt.* 12. Alexand. IV. in-
cip. *Quod ſuper* §. 12. *Conſt.* 2. Honor. IV. incip. *Ex-*
hibita, in princip. Hinc dici poteſt, quòd delinquen-
23 tes, qui poſt abjurationem de formali, vel de vehe-
menti in carceribus Inquiſitionis pro pœnitentia pera-
genda permanent, gaudeant immunitate, ſi fractis
carceribus ad Eccleſiam confugiant, cùm hi per abju-
rationem, & pœnitentiam injunctam, reincorporati
ſint Eccleſiæ, nec cenſeantur amplius hæretici, aut
de hæreſi ſuſpecti; alioqui autem fracturam carcerum
non eſt delictum, ex quo quis Eccleſiaſtica immuni-
tate ſit privandus, Abbas *in cap. inter alia num.* 32.
de immun. Decian. *tract. crim. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 27.
num. 28. Ambroſin. *de immunit. cap.* 10. *num.* 11. Ni-
hilominùs dicendum eſt, quòd damnati in Tribunali
Inquiſitionis ob crimen hæreſis, quamvis illam de
vehementi, vel de formali abjuraverint, ſi è carceri-
bus aufugiant, & in Eccleſiam ſe recipiant non ex-
pleta pœnitentia injuncta, immunitate non gaudeant.
Etenim contrarium procedere poſſet in iis, qui ad Ec-
cleſiam è carceribus aufugiunt, dum ibi ob crimina
non excepta detinentur. Cæteroquin in criminibus ex-
24 ceptis, ſi quis fracto carcere ad Eccleſiam confugiat,
ab ea extrahi poteſt, ea quidem validâ ratione addu-
cta per Farinacc. *loc. citat. c.* 14. *nu.* 204. quia ſi quis
in caſibus exceptis extra carceres exiſtens, & ad Ec-
cleſiam confugiens, tutus non eſt; multò minus tutus
eſſe debet, qui ad crimen exceptum addit fractionem
carceris; alioqui enim eſſet melioris conditionis car-
ceres frangens, & idcircò magis delinquens, quàm il-
le, qui carceres non fregit, & minus deliquit, ut poſt
Farinac. *loc. cit. in praxi crim. p.* 1. *qu.* 28. *n.* 46. be-
nè dixerunt Ciarlin. *tom.* 1. *contr. forenſ. cap.* 14. *nu.*
9. Novar. *in ſumma Bullar. parte* 2. *comment.* 80. *nu.*
20. Del Bene *de immun. parte* 2. *cap.* 16. *dubit.* 10.
ſect. 7. *num.* 6. & 7. ubi aliam tradit rationem, quia
delictum quouſq; pœna purgatum non eſt, idem quoad
omnes effectus reputatur, & ex fuga non fit leviùs,
ſed potiùs augetur. Quò autem ad carceratos ob cri-
25 men hæreſis concurrit alia ratio urgentior; nam hi,
ſi poſt abjurationem è carceribus aufugiant, vel cen-
ſentur relapſi, vel ſaltem, juxta magis receptam ſen-
tentiam, ſunt de hæreſi ſuſpecti, cùm præſumantur
ficté tantùm abjuraſſe, ut latè apud Farinacc. *de hereſi*
quæſt. 193 *num.* 134. *cum ſeqq.* Carena *de offic. Inquiſ.*
part. 2. *tit.* 2. §. 4. *num.* 18. & *ſeq.* Card. Albit. *de in-*
conſt. in fide cap. 16. *num.* 43. unde ſaltem ob huju-
modi ſuſpicionem hæreſis de novo ſupervenientem,
deneganda eis eſt immunitas Eccleſiaſtica, & ita nu-
perrimè cenſuit Suprema Inquiſitio, die 30. Junii
1707. dum reſolvit, Eccleſiaſtica immunitate non gau-
dere reos, qui ob delicta ad S. Officium pertinentia,
condemnati erant ad carceres ejuſdem Tribunalis,
quibus effractis ad Eccleſiam confugerant.

Quamvis autem in præſenti Conſtitutione, facultas
reos hæreſis à loco immuni extrahendi ſolis inquiſi- 26
toribus conceſſa videatur; attamen id etiam Epiſco-
pis, utpotè inquiſitoribus natis permiſſum eſſe dicen-
dum eſt, ut notat Cherubin. Junior *ad hanc Bullar.*
ſchol. 2. cùm enim reos capere, ac carceribus ad cu-
ſtodiam mancipare ſint actus permiſſi Epiſcopo, etiam
non requiſito Inquiſitore, ut diſponitur in *Clem.* 1. §.
1. *de heret.* & dixi latè *tom.* 3. *ad Conſt.* 9. Alex. IV.
num. 6. Sequitur poſſe Epiſcopum, quemadmodum In-
quiſitor, reum ab Eccleſia extrahere, eumque de hæ-
reſi punire. Imò cùm hodie per Bullam Gregorianam,
delinquentes in caſibus exceptis non aliàs extrahi poſ-
ſint à loco immuni, niſi concurrente licentia Epiſcopi 27
dubitari poſſe videtur, an eadem Epiſcopi licentia re-
quiratur, dum Inquiſitores extrahunt ab Eccleſia hære-
ticos, aut vehementer de hæreſi ſuſpectos. Eò vel ma-
ximè, quia in eadem Bulla §. 2. derogatur quibuſcum-
que indultis, & privilegiis, quibus facultas reos ob cri-
mina etiam excepta ab Eccleſia extrahendi concedeba-
tur. Credimus tamen, hujuſmodi privilegium extra-
hendi reos hæreſis ab Eccleſia, Inquiſitoribus in præ-
ſenti Conſtitutione conceſſum, integrum permanere
quantum ex Bulla Gregoriana; hæc enim non genera-
liter omnia privilegia revocavit, ſed tantùm ea, quæ
Principibus laicis, eorumque Magiſtratibus conceſſa
erant, ut colligitur ex ejus proœmio, & ex §. 4. pro-
inde comprehendere non valet privilegio Inquiſitorum,
quæ utpotè pluries in aliis revocationibus per Summos
Pontifices præſervata, non ita de facili cenſeri debent
revocata, ut dixi ſupra *num.* 21. & quamvis d. Bulla
in delictis exceptis, inter quæ recenſuit crimen hæreſis
ſtatuat, extractionem ab Eccleſia non eſſe faciendam,
niſi cum licentia Epiſcopi, id tamen dixit reſpectu
Magiſtratuum laicorum; qua ratione infrà §. 6. expreſ-
ſit, quòd cognitio de crimine hæreſis tota pertineret
ad forum Eccleſiaſticum. Unde remanere videtur in-
tegrum privilegium Inquiſitorum extrahendi reos ab
Eccleſia ſine licentia Epiſcopi, prout etiam ſentire vi-
ſa eſt Suprema Inquiſitio apud Card. Albit. *de incoſt.*
in fide cap. 28. *num.* 76. dum ſub die 10. Junii 1630.
ſcripſit Epiſcopo Melitenſi, poſſe inquiſitorem extra-
here à loco immuni hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos;
certiorato tamen Epiſcopo ante, vel poſt extractionem, 28
quæ certioratio facienda ſolùm eſt, ut Epiſcopus, cujus
præcipua cura eſt tuendi immunitatem Eccleſiaſticam,
ſciat reum fuiſſe extractum ex cauſa hæreſis.

Quod de hæreticis hactenus dictum eſt, idem
quoad Judæos converſos à Fide apoſtatantes diſponitur 29
in hac Conſtitutione, ut ſcilicet immunitate Eccleſia-
ſtica non gaudeant, ſi evidenter, aut veroſimilibus in-
diciis à Fide apoſtatare comperiantur, qui nequiores
ſunt, quàm ipſi hæretici, ut dixi *to.* 3. *ad Conſt.* 14.
Clem. IV. *n.* 7. Cæteroquin an Judæi immunitate Ec-
cleſiaſtica gaudeant, quamvis aliqui aſſerant non gau- 30
dere, niſi ad Eccleſiam confugiant animo ſuſcipiendi
Baptiſmum, ut apud Farinacc. *in append. de immun.*
c. 5. *n.* 83. Del Bene *de Immun. t.* 2. *c.* 16. *dub.* 10. *ſect.*
4. *n.* 25. Veriùs tamen eſt, eos gaudere, cùm privile-
gium immunitatis non ſit conceſſum perſonæ, ſed lo-
co, ut communiter docent DD. apud Pignatell. *to.* 5.
conſ. 14. *num.* 306. & reſolvit Sac. Congr. Immunit.
in Piſauren. 26. Martii 1686. ubi, quòd Judæus captus
à Birruariis ſub tecto, ſeu ſtillicidio Eccleſiæ, gau-
deat immunitate, & in Anconitana 17. Novembris
1699. apud P. Riccium *in ſynopſi ver. Judæus*, de
qua re nos alibi forſan luculentiùs agemus.

Digitized by Google

CONSTITUTIO II.

JOANNIS XXII.

incipiens (*Sol Oriens.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, UNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS, & Epiſcopis &c.

INter SS. Confeſſores adſcribitur Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, ejuſque Canonizatio recenſetur, ac feſtivitatis dies deſignatur.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *S. Ludovici natales, & pietatis ſtudia recenſentur.*

2 *Fratrum Minorum Inſtitutum profitetur, & Epiſcopus Toloſanus conſecratur.*

3 *Ejus eximiæ virtutes, obitus, & Canonizatio referuntur.*

4 *Materia Canonizationis verſatur circa virtutes, & formam probatoriam earumdem.*

5 *Antiqua forma probatoria pro Canonizatione quare, & in quibus immutata ſit?*

Statuta immutari debent ex temporum varietate. Ibid.

Privilegium ceſſat, ſi evadat injuſtum. Ibidem.

6 *Cauſa Canonizationis cognoſcendæ ſunt coram Papa, vel cum ejus licentia in S. Congregatione Rituum.*

SS. D. N. CLEMENTIS XI. labor commendatur in hujuſmodi Congregationibus peragendis. Ibid.

7 *Indulgeri quandoque ſolet, ut dictæ cauſæ proponantur abſque interventu Conſultorum dictæ Congregationis.*

8 *Declaratio ſuper non cultu, aperitione proceſſus, & ſimilibus, poteſt fieri in Congregatione ordinaria Rituum.*

9 *Quid ſervandum in introductione cauſæ ſuper ſignatione commiſſionis?*

10 *Congregatio Rituum quas cauſas ordinariò cognoſcat, & quæ perſonæ eam componant.*

11 *Quæ perſonæ in ea adſint, dum Canonizationes tractantur.*

12 *Quæ ſint partes Promotoris Fidei in eiſdem cauſis?*

13 *Referuntur nonnulli viri eximii, qui id muneris hactenus exercuerunt.*

Proſper Lambertinus Promotor Fidei laudatur. Ibidem.

14 *Iuramentum de ſervando ſecreto in his cauſis præſtandum à Cardinalibus, eorumque ſtudiorum Auditoribus.*

15 *Cauſæ Canonizationis tractari non poſſunt, niſi poſt annos quinquaginta, & quatenus interim fieri valeant proceſſus.*

In quocumque actu citandus eſt Promotor Fidei, vel ejus Subpromotor extra Urbem. Ibidem.

16 *Eædem cauſæ exordiuntur ex Proceſſibus ſuper Sanctitate, aut Martyrio, & ſuper non cultu, & cujus auctoritate iidem Proceſſus fiant.*

17 *Epiſcopi quomodo, & quibus adhibitis perſonis facere debeant proceſſus in his cauſis?*

18 *Epiſcopo pro conficiendis his proceſſibus conſtituere debent Promotorem Fiſcalem, & tenentur examinare alios teſtes ultra inductos à Poſtulatoribus.*

19 *Introductionis cauſæ commiſſio non ſignatur, niſi poſt decem annos à præſentatione proceſſus, & quibus ex cauſis ſuper hoc tempus diſpenſetur.*

20 *Aperitio Proceſſuum quomodo, & à quibus perſonis ſit facienda.*

21 *Proceſſus, & Scripturæ ad cauſam facientes à quibus cuſtodiri debent.*

22 *Teſtes in his cauſis deponere debent in lingua materna.*

Interpretatio idiomatis materni teſtium à quibus facienda. Ibidem.

23 *Proceſſus ſuper non cultu non requiritur, quando ante Decretum Urbani VIII. aderat cultus immemorabilis.*

24 *Poſt aperitionem Proceſſuum, qui actus ordinatorii ſequantur.*

25 *Procuratores in his cauſis debent eſſe Collegiales, & quid hi ſervare debeant.*

26 *Admittuntur quandoque non Collegiales, & quomodo.*

27 *Advocati in his cauſis quales eſſe debeant.*

28 *Informationes Facti, & Juris quatenus valeant imprimi, & à quo debeant ſubſcribi.*

29 *In introductione cauſæ examinatur validitas Proceſſus facti ſuper fama, virtutibus, & miraculis, & quid quoad proceſſus ante decreta Urbani.*

30 *Subſcriptio depoſitionum teſtium à Judice facienda, quatenus ſit neceſſaria ad Proceſſus validitatem.*

31 *Dicta Teſtium qualiter concludere debeant in his cauſis.*

32 *Decreto de non cultu quatenus aliquando ſatisfiat ſine proceſſu.*

33 *Quatenus cognoſcatur de obſervantia decretorum ſuper non cultu.*

34 *Quando, & quibus attentis concedantur literæ remiſſoriales pro Proceſſu conficiendo ſuper virtutibus in genere, & quæ ſerventur in faciendo Proceſſu.*

35 *Examen teſtium faciendum in Eccleſia, & an fieri poſſit in Palatio Epiſcopali, & n. ſeq.*

36 *Palatium Epiſcopi gaudet immunitate, etiam abſente Epiſcopo.*

37 *Remiſſoriales pro examine teſtium quibus perſonis, & cum quibus inſtructionibus dirigantur.*

38 *Poſt cognitam validitatem Inquiſitionis in genere; proceditur ad Inquiſitionem in ſpecie, & quomodo.*

39 *Poſt inquiſitionem ſpecialem cauſa ſilet per 50. annos, quibus elapſis diſcutiuntur virtutes Canonizandi.*

40 *Probationes inſufficientes coadjuvari non poſſunt, niſi in aliis de novo emergentibus.*

Proceſſus in his cauſis factus, termino elapſo, eſt nullus. Ibidem.

41 *Pro cognoſcendis virtutibus, & miraculis, quæ Congregationes fiant.*

42 *Beatificatio qualiter, & quibus ſolemnitatibus fiat.*

43 *Canonizationem quæ præire debeant, & quatenus ad eam perveniatur.*

44 *De aliis ad hanc materiam pertinentibus. Remiſſivè.*

INter præclara lumina, quæ pium Regnum Neapolitanum fulgore ſanctitatis, & miraculorum totis irradiarunt, præcipuum eſt Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, qui in eo ortum habuit non quidem inter privatos cives, ſed Regalibus ortus parentibus; Patrem habuit Carolum Andegavenſem Siciliæ Regis natum, qui patri in Regno Neapolitano ſucceſſit, Matrem verò Mariam Regis Hungarorum filiam; natales habuit in Civitate Nuceriæ Saracenorum non longè à Neapoli illius Regni Metropoli diſtante; nomen Ludovici 1

in

Digitized by Google

in baptiſmate obtinuit intuitu S. Ludovici Galliarum
Regis ſui Patrui magni. Cœpit ineunte ætate pue-
riles luſus abhorrere, ad eam ſe Vitæ normam compo-
nens, quam ſemper ſervavit. Decimumquartum an-
num agens ductus eſt obſes in Catalauniam, Patris re-
dimendi cauſa; integro ſeptennio captivitatis diſcipli-
næ Fratrum Minorum S. Franciſci totum ſe adduxit,
ut ab illis literis, piiſque moribus inſtitueretur, hinc
evaſit quàm eloquentiſſimus in concionando, ac prom-
ptiſſimus in differendis rebus Theologicis. Graviſſimo
morbo correptus vovit inſtitutum Fratrum Minorum,
votumque ubi convaluit, in Æde Arcis, in qua deti-
nebatur, publicè renovavit. Inita pace inter Patrem,
& Aragoniæ Regem, præſentibus duobus Regibus, to-
tidemque Apoſtolicis Legatis, in magna Prælatorum
frequentia publicè inſignem habuit concionem in ſo-
lemni die omnium Sanctorum; inde Romam cum Pa-
tre, & Fratribus profectus honorificè exceptus è Boni-
facio VIII. Pontifice Subdiaconus ordinatus fuit, ſed
Curiæ ſtrepitus fugiens, Neapolim ſe contulit, ubi Dia-
conus, & Presbyter effectus eſt. Vacante poſtmodum
Sede Epiſcopali Toloſana, ab eodem Bonifacio R. Pon-
2 tifice ad eam deſignatus Antiſtes extitit Ludovicus in-
vitus ferè, nolens aſſentiri priùs quàm voto, quo tene-
batur, ſe liberaſſet. Itaque, Summo Pontifice annu-
ente, ſolemniter profeſſus eſt Inſtitutum S. Franciſci
Romæ in Conventu Aracæli, & ſub Veſpere diei Pro-
feſſionis declaratus eſt Epiſcopus Toloſanus. Præcipuè
in eo elucebat humilitas erga pauperes, & calamitati-
bus preſſos liberalem, & pium ſe exhibebat, in colla-
tione beneficiorum Eccleſiaſticorum mores tantùm, &
ſciencias promovendorum diſtinguebat; Plures peregri-
nationes pietatis cauſa explevit, totumque Orbem lu-
ce ſua illuſtravit, dumque ſororem Reginam inviſurus
3 Barchinonem petiit, ibi Eccleſiam Fratrum Minorum D.
Nicolao dicatam conſecravit, brevique vitæ curſu ex-
pleto, ſed operum magnalium præſtantiſſimus, tandem
obiit annos natus trigintaſex in loco, qui dicitur Brimo-
nia, Anno Domini 1297. Corpus ejus Maſſiliæ huma-
tum eſt in Eccleſia Fratrum Minorum, ubi per multis
claruit miraculis, quibus motus Joannes XXII. hac
Conſtitutione edita Avenione 7. Idus Aprilis Anno Do-
mini 1316. inter SS. Confeſſores eum adſcripſit, aſſi-
gnato feſtivitatis die 19. Auguſti.

Plures ſunt in Bullarum collectione, quas commen-
4 tari intendimus, Conſtitutiones, quibus Canoniza-
tiones Servorum Dei recenſentur per R. Pontifices ge-
ſtæ, unde curavi materiam hanc Canonizationis in plu-
ribus Commentariis dividere, pleraque jam tribus an-
tecedentibus tomis adduxi, aliaque inferiùs referre cu-
rabo. Cùm etenim requiſita Canonizationis verſentur
in virtutibus, & forma earum probatoria, de primis
plura colligere non omiſi, & de ſecundis plura re-
5 tuli juxtà varios ritus antiquos; Tamen cùm ex mul-
tiplicitate noviſſimorum Decretorum antiqua forma
probatoria, vel immutata, vel certè adaucta fuerit, ſta-
tui in hoc Commentario, aliiſque ad rem hanc perti-
nentibus in hoc quarto volumine formam probatoriam
modernam ſimul exponere, ut facilior ejus notitia red-
datur; Mirumque non ſit, quod in pleriſque forma iſta
probatoria rigoroſior ſit injuncta, quàm erat primævis
ſæculis; nam non ampliùs in antiqua populorum de-
vota ſimplicitate permanere licuit; oportet enim ali-
quando ritus, & ordinationes augeri, ac mutari pro
bono Eccleſiæ, ut optimè Boniſ. VIII. ait in *c. Alma
mater, de ſent. excomm. in 6.* ibi; *Alma mater Eccle-
ſia plerumq; nonnulla rationabiliter ordinat, & conſul-
tè, quæ ſuadente ſubjectorum utilitate, poſtmodum con-
ſultius, ac rationabiliùs revocat, ac in melius commu-
tat*; nam juxta varietatem temporum ſtatuta variari
expedit, *cap. non debet. de conſanguin. & affinit. can.
quia Sancta 29. §. verùm, diſt. 63.* ipſum enim Privi-
legium debet tolli, ſi evadat injuſtum, ut notat Gloſs.
ibid. verb. deſtruitur; unde opus fuit, ut forma Ca-
nonizationis rigoroſior adhiberetur, tum quoad lon-
gius tempus requiſitum poſt obitum Canonizandi,
tum circa abuſus irreptos quoad cultum non adhuc

Canonizatorum, ſeù Beatificatorum, ſuper quibus ad-
ſunt Decreta edita ſub Urbano VIII. regiſtrata in *Conſt.
41. ejuſdem t. 5. Bullar. & in Conſt.* 180. ubi alia præ-
ſcribuntur, de quibus ſuo loco Deo dante dicemus, &
interim quoad ritum hujuſmodi cauſarum Canonizatio-
nis infraſcripta ſubnectimus.

Primò etenim eſt præmittendum, hujuſmodi cauſas
regulariter agitari coram Summo Pontifice, ad quem 6
effectum fieri ſolent tres Congregationes coram eo,
nempè in menſibus Januarii, Maii, & Septembris, vel
alio tempore benè viſo, nec aliò valent dictæ cauſæ di-
ſcuti, ut præſcribitur in Decretis etiam editis ſub Ur-
bano VIII. poſt d. *Bullam* 180. emanatam, quæ per
extenſum ſunt apud *Matt. de Can. SS. par. 5. c. 2.* in
Bullario non adhuc impreſſa; ſolet autem Papa diſpen-
ſare, ut aliquando agatur de iſtis cauſis in S. C. Rituum
eo abſente, quæ licentia requiritur uti de eſſentia legi-
timitatis proceſſus in actis Notarii ejuſdem S. Congre-
gationis exhibenda, & ſolet à Papa dari aliquando,
prævio voto ejuſdem Sac. Congregationis, ut ſcilicèt in
ipſa ordinaria cum interventu Conſultorum proponatur
dubium aliquod Canonizationis, ſeù Beatificationis ali-
cujus Servi, vel Servæ Dei, ut fuit actum in *Hiſpal.
ſeù Marochitana* in dubio: *An conſtet de martyrio,
& cauſa martyrii, die 26. Januarii* 1686. & in *Japo-
nen. declarationis martirii plurium Servorum Dei*, in
dubio: *An conſtet de martyrio ex parte Tyranni, die
25. Januarii* 1687. tempore s. m. Innocentii XI. Cæ-
terum id concedi ſolet, vel denegari à Papa juxta mi-
nores, vel majores occupationes, vel etiam ætatem, &
ſalutem, cum in ſenibus non ita facilis ſit aditus pro
ipſis Congregationibus coram ipſis, ut etiam conſiderata
temporis majoris vel minoris neceſſitate juxta inſtantias
Principum pro Canonizatione exorantium; non tamen
ita facilè id permitti debet, ne privilegii, & diſpenſatio-
nis nomen amittat, dum continuò conceditur, & ul-
teriùs ne cauſæ hujuſmodi graviſſimæ à præſentia Sum-
mi Pontificis ſejungantur; ut enixo labore in pluribus
cauſis, hujuſmodi idæam recti, & fatigati Pontificis 7
Succeſſoribus præbens, Congregationes coram ipſo plu-
res habuit SS. D. N. CLEMENS XI. Prout aliquan-
do concedi ſolet Indultum, ut cauſæ proponantur abſque
interventu Conſultorum, ut in *Major. Sororis Catha-
rinæ Thomaſiæ 4. Auguſti 1696.* & ſuper introductione
cauſæ, ſeù ſignatione commiſſionis in *Lucana, ſeù Ro-
mana Joannis Leonardi Fundatoris Clericorum Matris
Dei, vulgo Lucenſium die 19. Julii 1687.* Unde juxtà
urgentiam dubiorum majorem, vel minorem, Indulta
prædicta dantur, vel denegantur, ſemper tamen reſer-
vata coram Papa ultima diſcuſſione in præliminatibus
Congregationibus, & ultima, uti parvo Conciſtorio
ante Canonizationem, de quibus infrà, & notat Card.
de Luca *diſc. 1. n. 16. in relat. Rom. Cur.* Quæcum-
que tamen reſolutio hujuſmodi cauſarum facta in Sac.
Congregatione Rituum ſemper importat in Decreto
verba *ſi placeat Sanctiſſimo*, & facta de reſolutis rela-
tione eidem per Secretarium ejuſdem Congregationis,
ſi Sanctiſſimus annuat, de quo idem Secretarius teſta- 8
tur, exequitur reſolutio. In his tandem, quæ concer-
nunt declarationem paritionis Decretorum ſuper non
cultu, neceſſariam ante cauſæ introductionem, necnon
aperitiones proceſſuum, deputationem, & ſubrogatio-
nem Judicum, & ſimilia, quæ non proponuntur ſub
dubiis, permiſſum eſt in dd. Decretis Urbani VIII. ut
expediantur in Congregatione ordinaria, facta tamen
relatione Sanctiſſimo, ut ſupra, per Secretarium. Sed
cùm fuerit introductum, ut dubium ſuper ſignatione 9
commiſſionis pro introductione cauſæ diſceptaretur in
Congregatione ordinaria Rituum, noviſſimè fuit dubita-
tum, an verè dictum dubium deberet diſcuti in Congrega-
tionibus faciendis coram Sanctiſſimo, & pluribus addu-
ctis hinc inde rationibus, & exemplis in S. C. Rituum de
mandato SS. D. N. Clem. XI. Regnantis, fuit recognitum
quod ſi agatur de ſimplici examine rerum conducentium
ad dictam ſignationem commiſſionis, nulla cadit difficul-
tas, ut fieri valeat, juxtà ejus facultates in S. C. Rituum;
ſed ſi agatur de reſolutione, quod ſit locus dictæ ſignatu-

ræ Commiſſionis, viſum fuit cauſæ reſolutionem dif-
ferre, & ſupplicandum Sanctiſſimo pro diſpenſatione
in tribus cauſis, de quibus tunc reſolutio urgebat, ut
ex reſolutione in dubio in cauſis Beatificationum, &
Canonizationum ſuper modo introductionis, & Si-
gnaturæ Commiſſionis ſub die 6. Martii 1705. unde
ex his elicitur potiùs inclinaſſe Congregationem pro
neceſſitate diſpenſationis; ſed non convenire, ut hu-
juſmodi introductiones tanta temporis jactura tractentur
coram Papa, cujus ſemper in omnibus exquiritur ora-
culum approbatorium.

Hæc ſanè Congregatio Sacrorum Rituum eſt qui-
10 dem inſtituta etiam pro aliis cauſis ordinariis, nempe
Præcedentiarum, & Eccleſiaſticorum Rituum, cum
certo numero Cardinalium arbitrio Summi Pontificis,
ſub Præfecto, qui eſt unus ex iiſdem Cardinalibus,
& exiſtente Secretario aliquo Prælato, intervenienti-
bus quoque Magiſtro Sacri Palatii, necnon Sacriſta
Pontificio, aliiſque certis Religioſis Theologis, qui
dicuntur Conſultores, necnon Magiſtro Cæremonia-
rum, dum agitur de aliquo actu cæremoniali, de
qua Congregatione ſuo loco iterum dicemus. Sed
11 in eadem, quatenus aguntur hujuſmodi cauſæ Cano-
nizationum, ſeù Beatificationum, quæ materia extra-
ordinaria eſt, ſolent quoque adeſſe tres antiquiores
Auditores S. Rotæ utì periti Canoniſtæ, & ex eo-
rum origine Capellani Papæ, eique aſſiſtentes; prout
intervenit unus Prothonotarius Apoſtolicus, aliique
Conſultores, Theologi, ſeù Canoniſtæ plures, qui
omnes, præter Cardinales, votum conſultivum ha-
bent, ſed quando Papa facit Congregationem ſole-
mnem, exquirit votum conſultivum Cardinalium qua-
12 ſi in parvo Conciſtorio, nec Epiſcoporum præſentium
in Curia, & in Congregatione aſſiſtit Promotor Fi-
dei, qui eſt unus ex Advocatis Conciſtorialibus, qui
ex frequentiori ſtylo, non autem neceſſariò ſolet eſſe
Advocatus Fiſcalis Cameræ, ut omnia colligit, *cit.*
Card. de Luca *diſc.* 18. *num.* 14. hinc videtur dictus
Promotor Fidei exercere munus Fiſci, ſeu Oppoſitoris,
proponendo ſcilicet ea, quæ Canonizationem impedi-
re poſſent, ut ita magis veritas eliciatur, & aurum
ſanctitatis veluti per ignem examinetur. Iſte autem
Promotor Fidei non intervenit in cauſis Fidei in San-
ctiſſimo Inquiſitionis Tribunali, cùm ibi adſit proprius
Fiſcalis, & in re tam maxima Canonizationum ſolet
eſſe Vir eximiæ doctrinæ, præſertim Eccleſiaſticæ, imò
deberet eſſe omniſcius, cùm debeat oppugnare præ-
tenſas virtutes, & miracula argumentis Theologicis, &
Medicis, aliiſque quaſcumque ſcientias concernenti-
bus, & quidem in materia tam gravi, cujus pericu-
lum, & dubietas Eccleſiæ candorem obumbrare poſſet;
13 Unde ſemper ad hujuſmodi munus aſciti fuerunt Viri
doctrina, & virtutibus inſignes, inter quos ævo noſtro
proximiores Antonius Cerrus Pater ultimi Cardinalis
ejuſdem nominis, doctrina præditus, Joannes Franciſ-
cus de Rubeis omni ævo commendandus, quem maxi-
mo ſuæ eximiæ doctrinæ elogio proſequitur Card. de
Luca *diſc.* 46. *n.* 96. *in relat. Rom. Curia*, licèt deplo-
ret Aulæ infortunium, ut ultrò octogenarius Vir tam
ſcientificus abſque eximiis promeritis honoribus è Vi-
vis deceſſerit; prout ſucceſſor fuit Proſper Bottinius,
Archiepiſcopus Miræ, vir ſummæ integritatis, cuique
utì coadjutor ſe adjunxit Joannes Baptiſta Bottinius Ne-
pos, toti Curiæ, & extraneis notus ob ejus perſpicuum
ingenium, virtuteſque illuſtres, quem præmatura mors
nuperrimè ipſi coadjuto ſupervivere denegavit; illud-
que munus coadjutoris obtinuit nuperrimè Proſper
Lambertinus Advocatus Conciſtorialis, cum ſepara-
tione tamen ab Advocatione Fiſcali, quique unà cum
propria nobilitate, maximam jure in Curia obtinet
æſtimationem, quam etiam in promordiis ſuæ Advo-
cationis prædixi, dum eum perorantem pluries audi-
vi coram me, cùm A. C. Locumtenentis munere
fungerer. quodq; agnovit Sanctiſſimus D. N. CLE-
MENS XI. qui ſolito zelo illum deputavit pro hujuſ-
modi gravioribus cauſis.

Ulterior modus, & diſtributionis methodus pro-
ponendi dd. cauſas regiſtratur in prædictis ultimis De- 14
cretis Urbani VIII. prout adeſt formula juramenti quod
præſtare debent S. R. E. Cardinales, aliiq; intervenien-
tes, imò per duos quoad Cardinales ſtudiorum Adju-
tores, & unum quoad reliquos; ſervandi ſcilicet ſecre-
tum, & revelandi Secretario, ſeù Congregationi om-
nes literas, inſtantias, ac hujuſmodi, ſingulis forſan
factas pro hujuſmodi re, ſub pœna in omnibus excom-
municationis Sanctiſſimo reſervatæ. Rurſus eſt præmit-
tendum, non poſſe tractari de hujuſmodi cauſis Beati-
ficationis, Canonizationis, ſeù declarationis Martyrii, 15
niſi poſt quinquaginta annos ab obitu Servi Dei, & de
proceſſibus tam factis tempore Urbani VIII. quàm fa-
ciendis agi idem vetuit, niſi poſt lapſum quinquagin-
ta, annorum, nec priùs niſi habita licentia expreſſa
Summi Pontificis pro tempore, quæ debet eſſe ſpecia-
lis in reſcripto directo dictæ S. Congregationi pro di-
ſcuſſione cauſæ, & ne probationes pereant, proceſſus
fieri valeant tàm auctoritate Ordinaria, quàm Sacr.
Congregationis intra quinquaginta annos. Et quòd
concedantur literæ remiſſoriales in genere, ac deinde,
ut cognoſcatur de proceſſuum prædictorum validitate,
& relevantia ad effectum concedendi literas remiſſoria-
les in ſpecie, ac ut proceſſibus in ſpecie compilatis, vi-
deatur tantùm de eorum validitate, & deinde claudan-
tur, obſignatis ſigillo Sac. Congregation. & non ape-
riantur, niſi poſt lapſum dicti temporis quinquaginta
annorum ab obitu. Debet etiam in quocunq; actu cita-
ri dictus Promotor Fidei, & extra Urbem Subpromo-
tor deputandus ab eodem Promotore Urbis juxta Bre-
ve Urbani VIII. in iiſdem Decretis regiſtratum.

Solent igitur primò incipere hæ cauſæ ab actibus
præparatoriis ex proceſſibus faciendis coram Ordina- 16
rio ſuper fama, ſanctitate vitæ, & virtutibus Servi
Dei, ſeù ſuper martyrio, ejuſque cauſa, & miraculis
necnon alio proceſſu ſuper non cultu pro paritione
Decretorum Urbani VIII. ſupra enunciatorum, & re-
latorum in *Conſtit.* 41. *ejuſdem*, ut ſcilicèt nullus cul-
tus Servo Dei tributus ſit, nec ullus actus geſtus con-
tra formam dd. Decretorum; aliquando etenim tales
proceſſus, vel eorum alter non fit ab Ordinario, ſed
auctoritate Apoſtolica, quæ quando apponit manus,
nullo modo poterit deinde Ordinarius in bis ſe intro-
mittere, prout numquam in eorum compilatione inge-
rere ſe poſſunt alii, nec etiam Superiores Regulares,
quibus tantùm permittitur miracula ſecretò recipere,
& tranſmittere Ordinariis notitiam, imò non debent
attendi eorum atteſtationes, nec poſſunt recipi in
proceſſibus, aut procurari, ut fuit ſtatutum in nono ex
decretis editis ſub Innoc. XI. infra adducendis. Prout
inhibitum eſt Nunciis Apoſtolicis, & Metropolitanis
hujuſmodi proceſſus facere auctoritate propria ex li-
teris circularibus inter Decreta prædicta generalia pro
Canonizatione Sanctorum, regiſtratis poſt Matt. *cit.*
par. 5. *c.* 2. *pag.* 446. & quod non deveniant Ordina-
rii ad Inquiſitionem cum proclivitate, ſeu celeritate,
ſed quando de alicujus virtutis eminenti gradu, aut
peculiari miraculo agitur, notitia prudentiæ eorum
cognoſcenda remittitur, quod in Martyris declaratio-
ne non requiritur, quia ipſum martyrium maxima
virtus eſt, nec requiruntur de jure neceſſario miracu-
la, ut dixi ſupra *Conſt.* 13. Innocentius IV. *ſect. unic.*
num. 21.

Ipſi verò Epiſcopi per ſe ipſos, vel in caſu infir-
mitatis, ſeù alterius gravis impedimenti per ejus Vi- 17
carios Generales, aut alterum in dignitate Eccleſiaſtica
conſtitutum, cum duobus Viris doctis, altero in Theo-
logia Magiſtro, & altero graduato, & licentiato in ju-
re Canonico proceſſus conficere debent, cum adnota-
tione eorum nominum ſub depoſitione cujuſcumque
Teſtis in loco ejuſdem examinis, recepto juramento à
Notario, & aliis non revelandi. Proceſſus deinde
tranſmittendi ſunt ad Sedem Apoſtolicam in copia ſi-
gillata, & authographa, relictis originalibus ſub clavi-
bus diverſis in Archivio Epiſcopali, ut præſcribitur in
dd. literis circularibus, in quibus nulla alia facultas da-
tur Ordinariis ultra eam, quam habent de jure, ſed
tantum

Digitized by Google

tantùm præſcriptus fuit modus in proceſſibus facien-
dis ab ipſis ſuper ſanctitate vitæ, & miraculis, & ſu-
per non cultu, ſeù paritione decretorum, quorum for-
ma cum ſententiæ tenore ſuper non cultu eſt impreſſa
apud *cit.* Mattam *p. 5. cap. 5.* ubi etiam habetur for-
18 mula, ſi fiant proceſſus auctoritate delegata; Similiter
debet conſtitui ſpecialiter ab Epiſcopo pro dictis proceſſi-
bus, auctoritate ordinaria fabricatis, Promotor Fiſca-
lis, qui debet citari in quolibet actu; imò conſiderans
S. Congregatio, quòd proceſſus prædictos maxima di-
ligentia confici oporteat, mandavit Ordinariis, ut ul-
tra Teſtes inductos à Poſtulatoribus, teneantur ipſi or-
dinarii quoque inquirere, ac examinare alios Teſtes
benè inſtructos ſuper vita, & moribus, & quatenus a-
liquid repererint in contrarium relevans, ſuperſedeant
in ulteriori inquiſitione, donec S. Congr. ab eis cer-
tioretur, & hæc per literas mandet quid ſit agendum,
ut fuit declaratum *die 15. Octobris* 1678. inter decre-
ta tunc lata, & approbata ab Innocentio XI. impreſſa
in liberculo ſpeciali, quod etiam Judices delegati ſer-
vare debent. Producuntur quoque pro cauſæ introdu-
ctione unà cum dictis proceſſibus preces, aut inſtan-
tiæ, ac litteræ Regum, Principum, aliorumque, ut ex
Decretis generalibus *pag.* 28. quas preces ex antiquo
ritu fuiſſe in more, dixi *tom.* 2. *ad Conſtit.* 2. Alex.
III. Sed animadvertendum, quòd cùm fuerit dubitatum
19 circa intelligentiam Decretorum, ubi præſcribitur, iſtas
inſtantias præcedere, imò diù per ipſas pulſari, decla-
ratum fuit ſub Innocentio XI. commiſſionem oon eſſe
ſignandam ſuper introductione cauſæ, niſi poſt decem
annos à die præſentationis Proceſſus, ordinaria au-
ctoritate fabricati, & habitis poſt decennium novis
litteris Epiſcoporum circa percrebreſcentiam famæ,
ſanctitatis, & miraculorum, ac devotionis populi, ni-
ſi tamen ex ſpeciali cauſa tempus à Papa fuerit abbre-
viatum, quod fieri ſolet in Martyribus, vel in aliis,
ſtantibus inſtantiis urgentioribus Principum, & popu-
lorum. Quæque inſtantiæ debent produci penes S.C.
Secretarium ante ſignationem commiſſionis, & pro-
ducuntur mandata procuræ eorum, quorum magis in-
tereſt Canonizatio, puta Religionis, Capituli, aut E-
piſcopi, juxta varietatem perſonæ Canonizandi, ut
apud Mattam *cit. par. 5. cap.* 3. n. 2.

His igitur præmiſſis, datur ſopplex libellus pro in-
20 troductione cauſæ, & juxta ordinarias facultates S. C.
Rituum procedere valet ad aperitionem dictorum pro-
ceſſuum; unde deputat Cardinalem Relatorem, ſeu Po-
nentem, quod tamen in præſenti fit à Papa, prout
ſubrogatio alterius in locum deputati; ut ex Decreto
Alexandri VII. apud Mattam *cit. p. 5. cap.* 3. *num.* 16.
ſed decreta, loco Ponentis in caſu ejus abſentiæ, ſub-
ſcribuntur à Cardinali Præfecto; Porrò hæc apertio
Proceſſuum fieri debet coram Cardinali Ponente, &
hoc abſente coram Cardinali Præfecto, citato D. Pro-
motore Fidei, & coram Notario conſignandorum à Se-
cretario, & Notarius illos exhibet Prothonotario de-
putato, per quem aperiantur, interimque debent di-
21 ligenter cuſtodiri io Archio S. Congr. in Palatio Vati-
cano, juxta formam præſcriptam in dictis Decretis ſub
Innocentio XI. §. 5. prout etiam interpretationes ori-
ginalium io loco clauſo, & ſeparato ab aliis ſcriptu-
ris, nec amovendi, niſi de mandato Cardinalis Po-
nentis, & ad inſtantiam Promotoris Fidei ad effectum
videndi, & reportandi, claveſque loci ſcripturarum re-
tinentur, videlicet ea Armarii retinetur per Prothono-
tarium, altera loci Archivii per Secretarium, nec non
eorumdem proceſſuum una copia eſt penes Secreta-
rium, alia penes Prothonotarium, tertia apud Promo-
torem Fidei, & quarta remanet in Archivio, & fide-
lis à prædictis fit cum originali collatio in quocumque
caſu opportuno. Quia verò, ut plurimùm proceſſus
22 ſunt in idiomate Ultramontano, cùm teſtes debeant
examinari materna lingua, ut meliùs exprimantur di-
cta, ut reprobando contrarium quemcumque uſum,
mandavit Alexander VII. apud Mattam *cit. par. 5. ca-
pit. 3. num. 5. &* 18. ubi etiam quòd Teſtium dicta re-
ferantur Notario ſcribente, noo à Subpromotore Fi-
dei, ſed Judice; dicta igitur interpretatio proceſſuum
fieri debet ab Interprete electo à Cardinali Ponente,
citato, & audito Promotore Fidei, & revidetur in-
terpretatio rurſus ab alio Perito probo ſecreto, aſſumen-
do per dictum Cardinalem, præſtito juramento per
illos omnes de fideli exercitio, & non fideles ſeverè
puniuntur à S. C. ut in Decreto 4. ſub Innocentio XI.
ubi aſſignatur certa merces pro tali interpretatione.

Animadvertendum quoque eſt, quòd ſi agatur de
Servo Dei, cui cultus deferatur immemorabilis ante 23
dicta Decreta Urbani VIII. anni 1625. dummodò ſit
completus, vel in aliis caſibus exceptuatis, ut fuit de-
claratum die 23. *Martii* 1652. poſt Matt. *cit. num.* 6.
& alibi dicemus, tunc loco proceſſus ſuper non cul-
tu, fit, & exhibetur ille ſuper cultu immemorabili an-
te dicta decreta, vel alio caſu exceptuato, & quatenus
ſit Beatus per Indultum Apoſtolicum, producitur Bre-
ve Pontificium, Matta *part. 5. cap.* 4. *num.* 30. & ſine
prædictis non eſt locus introductioni cauſæ.

Apertis Proceſſibus fit relatio contentorum per Car- 24
dinalem Ponentem, diſtributis informationibus omni-
bus in S. Congr. intervenientibus, proponitur cauſa
ſuper introductione cauſæ, ſeù ſignatione commiſſio-
nis, citato Promotore fidei; ſi autem agatur de cau-
ſis introductis ante Decretum Urbani, proponitur du-
bium, *An ſit locus reaſſumptioni*; reviſis tameo pro-
ceſſibus auctoritate Ordinaria confectis, vel Apoſtoli-
ca, ut in Decreto 8. Innocentii XI. in informationi-
bus verò facti, & Summariis, in quibus ſumma hujus
negotii poſita eſt, ſcribere ſolùm poſſunt Procuratores
Sac. Palatii Apoſtolici, juxta Decretum editum die 15.
Octobris 1678. ſub Innocentio XI. his verbis: *Et quia
materia gravitas expoſcit, ut pertractetur, ac diriga-
tur à viris nota probitatis, experientia, & peritia,
cenſuit Sac. Congregatio, quoad conficiendum tàm in-
formationes in facto, quàm Summaria, in quibus potiſ-
ſimùm conſiſtit cauſarum pondus, aſſumantur ſolùm
Procuratores Collegii Sac. Palatii Apoſtolici, tribuen-
do Poſtulatoribus libertatem eligendi ex dicto cœtu, quem
voluerint, dummodò quilibet ex eis non poſſit eodem
tempore patrocinari plures cauſas, quàm quatuor, ad
hoc ut eis faciliùs operam dare poſſint, ſub pœna in-
habilitatis ampliùs ſcribendi in caſu contraventionis;
& liceat partibus in quocumque ſtatu cauſa, rationabi-
liter tamen, & prævia licentia Eminentiſſimi Ponentis
mutare Procuratorem, dummodò alius in ejus locum ſub-
rogandus ſit de eodem Collegio, & non habeat in totum
plures cauſas, quàm quatuor; & Sanctitas ſua appro-
bavit, & ſervari mandavit*, ut per extenſum refertur
à R. P. D. de Zaulis *in obſerv. ad Stat. Favent. lib.
3. rubr.* 55. *num.* 8. & meminit Piazza *in Hierarch.
Cardin. Diacon.* 10. *pag.* 855. Rota *in Romana Juris
Honorifici* 24. *Martii* 1702. §. *accedentibus coram R.
P. D. Molina Decano*.

Ac cùm quandoque Procuratores non Collegiales aſ- 25
ſumpto nomine alicujus Procuratoris de Collegio io his
cauſis ſcriberent; eadem Sac. Congr. die 13. Auguſti
1701. decrevit, omninò ſervandum eſſe præfatum De-
cretum Innocentii XI. cauſaſque introductas proſequen-
das eſſe à Procuratoribus Collegii Sac. Palatii Apoſto-
lici dumtaxat, & quoad oumerum cauſarum ab uno-
quoque ex Procuratoribus patrocinandarum, dandam
eſſe notulam Secretario ejuſdem S. Cong. cui hujus De-
creti obſervantiam Sanctiſſimus D. N. Clemens XI. fe-
liciter regnans, impoſuit, dum illud approbavit die
27. Auguſti ejuſdem anni. Noviſſimè autem in *Roma-
na Confirmationis Patroni* 23. *Februarii* 1704. peten-
tibus Poſtulatoribus cujuſdam cauſæ, ut in ea ſcribere 26
permitteretur Procurator non Collegialis, remiſſa à
Sanctiſſimo inſtantia ad Sac. Congr. Rituum, hæc re-
ſcripſit pro gratia pro tribus cauſis tantùm; ex ea ra-
tione, quia ex tali privativa Procuratorum de Colle-
gio non tollitur Sac. Congregationi arbitrium eligendi
alios, ſi juſtæ cauſæ id ſuadeant, præſertim ſi Procu-
rator poſtulatus ſit in his cauſis peritus, aut ſpecialiter
informatus io ea cauſa, pro qua poſtulatur, ut erat in
præfato caſu, dum Procurator de Collegio ab initio
electus

Digitized by Google

electus obierat, ac Procurator non Collegialis à par-
tibus expetitus fuerat illius in ſtudiis adjutor, ac de
meritis cauſæ informatus; & quamvis Procuratores de
Collegio inſtetiſſent pro retentione præfati indulti,
Sac. Congregat. *ſub die* 23. *Auguſti* 1704. reſcripſit
pro relaxatione Decreti, ſeu gratiæ, ſi Sanctiſſimo
placuerit.

Scribunt quoque in his cauſis Advocati, & hi non-
27 niſi eximii nominis, ac probatæ doctrinæ, ultra Con-
ciſtoriales, etiam alii certo numero præfiniti, qui ſo-
lent eſſe duodecim eximii nominis, unde non benè di-
xerat Card. de Luca *cit. diſc.* 18. *numer.* 17. *in relat.
Rom. Curiæ*, quòd claſſici Advocati in ejuſmodi cau-
ſis non ſe immiſceant, quaſi hæc materia non requi-
rat peritiſſimos Oratores, nam contrarium eſt verius,
cùm debeant eſſe inſtructi in omnibus ſcientiis, nec ſufficit
pura legalis facultas, ut in aliis cauſis, ſed concurrere de-
bet peritia in Jure, præſertim Canonico ob actus pro-
batorios; in Sacra Theologia, præſertim Morali, pro
examinandis virtutibus, nec non lectione SS. Patrum,
& eruditione Eccleſiaſtica; itidemque in rebus Natura-
libus, ſeù Medicis ob perpendendam miraculorum na-
turam, an ſcilicet aliàs, quàm ex ſupernaturali cau-
ſa, contingere potuerint, & uno verbo, omnes ſcien-
tiæ in ſubjecto ad id muneris aſſumendo requiri de-
bent; Et ſic non omnia omnibus. Unde mirum non
eſt, ſi Cardinalis ille eximius, etſi in Jure peritiſſi-
mus, & verſatus in foro, his cauſis ſe non immiſcue-
rit, requirentibus totum hominem; idque dicimus ne
ab externis nationibus malè concipiatur Cardinalis aſ-
ſertum, aſſumi ſcilicet Advocatos infimæ notæ, cùm
praxis doceat aſſumi eximios quoſque, imò Advoca-
tos Conciſtoriales; præſertim cùm illis incumbat pe-
rorare ſuper vita alicujus Servi Dei in Conciſtorio pu-
blico, quod fieri ſolet à Papa, & in illo temporis ſpa-
tio, in quo Cardinalibus in cæremoniis explendis ad-
dicti, ipſe in ſolio abſque occupatione remanet, dum
olim eodem tempore ſolebat declamari cauſa crimina-
lis cujuſdam facinoroſi, imò aliquando caſus Ideales
horrendi proponebantur, ut teſtatur Gomes *de utraque
ſignatura*, quæ in piam relationem optimè fuit com-
mutata ab Urbano VIII. ut magis conveniret Clemen-
tiæ Summorum Pontificum hujuſmodi peroratio, quàm
delictorum, ut in Decretis generalibus anni 1642. ſu-
pracitatis, & teſtatur Card. de Luca *diſc.* 5. *num.* 4. *in
Relat. Rom. Cur.* Opportunum tamen cuidam eximio
Viro viſum fuit, quod ſicuti deputatur à Papa Promo-
tor Fidei, Vir quidem ex eximiis Curiæ, deputet etiam
duos, aut tres Advocatos, ac præſertim Conciſtoria-
les, qui privativè ſcribant in dd. cauſis ad favorem Po-
ſtulatorum, ut adſint Viri, qui, relicto forenſi ſtrepi-
tu, ſtudio omnigeno ad hanc tam gravem rem requi-
ſito incumbere valeant, ut tanti ponderis cauſæ ſem-
per pleniùs diſcuti valeant.

Hujuſmodi informationes Facti, & Juris, & Sum-
28 maria Typis demandari prohibuit Urban. VIII. in De-
cretis generalibus, niſi poſt terminatam cauſam; Ale-
xander verò VII. id permiſit ad vitandos errores Ama-
nuenſium, & expenſas graviores; conſignatis tamen
omnibus exemplaribus Secretario Congregationis: nec
ita impreſſæ Scripturæ ullam probationem faciunt, ni-
ſi ut ſimplices copiæ, & imprimi debent in quantita-
te neceſſaria tantùm, nec extra Urbem poſſe id fieri,
ſub pœnis inflictis ad Urbano VIII. contra imprimen-
tes libros miraculorum, & hujuſmodi, omneſque Scri-
pturæ debent ſubſcribi per Subpromotorem Fidei, ut
ex Decretis regiſtratis apud Mattam *cit. cap.* 2. *num.* 13.
21. *&* 22. Facta deinde relatione contentorum in Pro-
29 ceſſibus per Cardinalem Ponentem, diſcutitur an ſit
locus introductioni cauſæ, citato priùs Promotore Fi-
dei, ut ex Decreto apud Mattam *cit. cap.* 3. *num.* 2.
nec non ſolent ponderari pro favorabili reſolutione,
An proceſſus ſuper fama, virtutibus, & miraculis, Or-
dinaria, vel Apoſtolica auctoritate facti, ſint validi;
& quoad proceſſus ante Decreta Urbani; prout reſpe-
ctivè ante alia emanata, non debet videri de Decreto-
rum ſubſequentium obſervantia, ſed tantum de validi-
tate, juxtà terminos juris, cùm debeant eſſe legales per
Notarium habentem fide, nullatenus ſuſpectum. Sub-
ſcriptionem autem Judicis quoad examen, ante Decre- 30
ta noviſſima non fuiſſe neceſſariam, notat Pignatell.
conſult. 235. *tom.* 1. & fuit dictum in *Tullen. Servi
Dei Petri Ferreri, & in Mexicana Sebaſtiani de Ap-
pariſio*: ſed Teſtes debent ſubſcribere de jure, Gloſſ.
in c. poſt ceſſionem de probat. Ambroſin. *de proceſſ. in-
for. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 43. Scaccia *de jud. lib.* 1. *cap.*
87. *num.* 17. Rota *deciſ.* 3. *n.* 3. *coram Buratto*; Sed
numquid poſt Decreta noviſſima in proceſſibus, ubi
requiritur ſubſcriptio Judicis; imò & aliis, etiam in
literis circularibus Epiſcopis datis, proceſſus ſint nulli,
ſi non adſit eadem ſubſcriptio, vel alia deficiant ibi de-
mandata. Et eſt dicendum, quod quando non contineant
decretum irritans, ut quoad literas circulares anni 1631.
non adeſt, non ſunt actus nulli, Paſqualig. ad Laur. de
Franch. *q.* 24. *de cultu erga non Canonizatos n.* 1245.
in fine pag. 349. & generaliter Amat. *reſol.* 66. *n.* 22.
Manſius *conſ.* 184. *n.* 24. *to.* 2. Verricell. *de Apoſt. Miſſ.
qu.* 172. *n.* 4. *& qu.* 168. *n.* 4. Rota *deciſ.* 34. *n.* 2. *p.*
1. *deciſ.* 126. *n.* 35. *par.* 6. *& deciſ.* 482. *nu.* 7. *par.* 9.
rec. & in Relatione S. Iſidori Agricolæ art. 1. *§. ulte-
rius*, & aliquando admittuntur, ſeù tolerantur aliqui
defectus à Sac. Congregatione, ut in *Carthaginen.* Ser-
vi Dei Petri Claver, & in *Viennen.* Servi Dei Jo: Fran-
ciſci de Regiis, & in *Limana* Servi Dei Nicolai de
Aylon; iſtud autem arbitrium non conceditur paſſim,
ſed concurrente defectu non notabili, & aliquo tan-
tùm, cùm non facilè hujuſmodi ritibus derogari ſo-
leat; prout etiam ad rem inſpici debet, an Scripturæ
in Proceſſibus ſint legitimè compulſatæ, & hæc quoad
eorum legitimationem; quatenus autem præſcripta ſit
forma in literis remiſſorialibus, cum decreto irritanti,
tunc certa eſt nullitas, ſi non ſervetur præſcriptum.

Quoad relevantiam ſolent diſcuti dicta Teſtium, an
concludant famam, vitæ ſanctitatem, & virtutes in gra- 31
du heroico, & martyrium cum ejus cauſa: an inſtantiæ
Principum ſint in numero competenti; & demum an
obſtacula dicti, vel facti virtutes neceſſarias excludant,
ut ſi fuerit carceratus, exiliatus, aliquem librum com-
poſuerit, & præſertim ſcrutatur exitus vitæ, & fama
ſanctitatis præſertim in loco ſepulturæ, aliaque quæ vi-
tæ innocentiam; & qualitatem circumſtantiarum ſan-
ctitatis comprobent; imò aliquando datur, licèt rarò,
commiſſio ſine proceſſu Ordinarii, præviis inſtantiis
Regum, de quibus, aliiſque apud Mattam *cit. cap.* 4.
n. 32. prout quatenus non fuerit confectus proceſſus ſu-
per non cultu, ſolet committi Judici delegando aucto- 32
ritate Apoſtolica, qui ſententiam proferat ſuper non
cultu, vel de immemorabili cultu, ut ſatisfiat Decre-
tis Urbani. Poſt reſolutionem favorabilem introductio-
nis cauſæ, expeditur generalis commiſſio, juxtà for-
mulam in dd. Decretis cum plena ratione geſtorum,
Matta *cit. c.* 2. *n.* 47. & committitur facultas eidem S.
Congr. à Papa, ut procedat in cauſa Inquiſitionis in
genere, & deinde ad alia ibi expreſſa, & conſequuti-
va, quæ facultas ſignatur per ipſum Summum Pontifi-
cem verbo *Placet*, ut in tertio Decreto anni 1645. apud
Mattam *cit. c.* 3. quæque ſignatura commiſſionis nullum
argumentum cultus inducere valet, prout nec commiſ-
ſio reaſſumptionis cauſæ, ſeù alteriùs progreſſus, niſi
ad effectum dd. cauſarum tantùm reſpectivè, ut in De-
creto 11. Februarii 1658. apud Matt. *cit. cap.* 3. *n.* 9.
& expedita, ac præſentata commiſſione prædicta in
actis, antequam ad ulteriora procedatur in conceſſione
remiſſorialium pro conſtructione Proceſſum auctoritate 33
Apoſtolica pro inquiſitione in genere, debet videri, an
ſit ſervata forma Decretorum Urbani VIII. ſuper non
cultu, & quatenus non adſit in hoc proceſſus Ordina-
rii, ſit Auctoritate Apoſtolica, ut ſupra dixi; & in pri-
mo caſu proponitur dubium, An ſententia Ordinarii N.
ſuper non cultu, & paritione decreti ſit confirmanda,
vel infirmanda; & in ſecundo caſu, An ſententia Ju-
dicis delegati &c. & diſtributis Scripturis, & Summa-
rio diligenti, perpenditur validitas modo ſupradicto,
& an verè fuerit ſatisfactum decretis, necnon diſcuſſis op-
poſitio-

poſitionibus Promotoris Fidei, reſcribitur pro confir-
matione; & ſi agatur de obtinente cultum immemo-
rabilem ante decreta, diſcutitur validitas, & vigor pro-
ceſſus ſuper hoc facti cum dubiis prædictis, antequam
ad ulteriora procedatur. Si verò agatur de Beato, pro-
ducitur Breve Apoſtolicum, ut ad ulteriora procedi va-
leat, ut in quarto Decreto edito 27. Maii 1645. apud
Mattam *cit. cap.* 3. *num.* 2.

Conſtito de adimplemento Decretorum Urbani,
34 proponitur dubium, An ſint concedendæ literæ remiſ-
ſoriales, & compulſoriales ad effectum conficiendi pro-
ceſſum ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis
in genere; & diſcuſſa relevantia Teſtium, & ſcriptura-
rum, quoad geſta, à nativitate, uſque ad obitum, præ-
ſertim conſtito de Baptiſmo, & confirmatione, conce-
duntur dictæ literæ regiſtratæ à Matt. *cit. par.* 5. *cap.* 2.
num. 52. & noviſſimè in Decreti ſub Innocent. XI. §. 3.
injungitur, quod in his literis præſcribatur, interroga-
toria retineri ſemper clauſa, & ſigillata cum ſigillis Ju-
dicum remiſſorialium, non aperienda, niſi in actu exa-
minis, & claudenda in fine; prout depoſitiones poſt
quamlibet ſeſſionem, quæ diligenter fieri debent, e-
tiam in proceſſibus in Curia, ante quorum omnium in-
coationem Judices Notarii, & Teſtes, ac Subpromo-
tores, & Prothonotarius in Curia præſtent juramentum
de ſecreto ſervando ſub pœna excommunicationis, ta-
ctis Evangeliis, etiam per Sacerdotes, & Prælatos,
exceptis Epiſcopis, & Cardinalibus, qui jurant tacto
pectore.

Quod examen fieri debet in Eccleſia, ſeù loco Ec-
35 cleſiaſtico, niſi urgens neceſſitas, vel infirmitas impe-
diat, ut latè in Decretis generalibus Urbani, & Inno-
centii; Unde eſt, ut fieri etiam poſſit in Capella Pa-
larii Epiſcopalis, quæ verè poteſt dici publica; vel ſal-
tem locus Eccleſiaſticus, imò idem Palatium eſt locus
Religioſus, *Can. id conſtituimus* 17. *qu.* 4. Cortiada *de-*
36 *ciſ.* 58. *num.* 9. & gaudet Immunitate Eccleſiaſtica, ut
apud Del Bene *de Immunit. tom.* 2. *cupit.* 16. *dubit.* 9.
ſect. 14. *numer.* 16. quod in fortioribus terminis pro-
cedere, ſcilicet etiam ſi Epiſcopus non ſit præſens in
Palatio, reſpondit Sacr. Congreg. Immunitatis *die* 2.
Octobris 1691. ex voto impreſſo R. P. D. Maſſeni, &
alias apud Riccium *in Synopſi v. Palatium*, & in ter-
minis in *Majoricen. Servæ Dei Catharinæ Thomaſiæ*
fuit admiſſa pro loco examinis Capella Palatii Epiſco-
palis. Et quamvis Contelor. *de Canoniz. cap.* 25. *nu-
mer.* 18. *ad finem* aſſerat, locum parum referre ad eſ-
ſentiam, ſeù validitatem examinis; Nihilominus di-
cendum eſt id procedere, quatenus in literis remiſſo-
rialibus non adſit decretum irritans, & locus non de-
ſignetur in illis ſpecialiter.

Præfatæ literæ dirigi debent, ſi fieri poteſt, Epiſ-
37 copis non minus tribus, vel aliis ſaltem in dignitate
Eccleſiaſtica conſtitutis, quorum duo ſaltem interve-
nire debeant, qui priùs examinare debent Teſtes ſu-
per interrogatoriis, quæ maxima diligentia fieri debent
à Promotore Fidei in Curia, & tranſmittenda in iiſ-
dem literis remiſſorialibus, & deinde ſuper articulis,
quæ fiunt à Poſtulatoribus in Curia, inſerendis in di-
ctis literis; forma autem executionis dd. literarum da-
tur à Roſa *poſt tract. de execut. liter. Apoſtolic.* & Mat-
ta *cit. part.* 5. prout praxis actorum faciendorum in
Curia. Aliquando verò ſubrogantur Judices delegati à
S. Congr. in caſu obitus, vel impedimenti, non au-
tem caſualis, quo caſu expectatur.

Compilatis Proceſſibus prædictis ſuper Inquiſitione
38 generali, in quibus magnopere inſiſtitur, cùm ſint fun-
damentum totius cauſæ, & contineant præſertim fa-
mam ſanctitatis; & virtutes, aut miracula, proponi-
tur dubium (quod ſemper, prout in aliis, ſubſcribitur
à Cardinali Ponente, concordato coram eo facto, &
citato Promote Fidei) An conſtet de validitate proceſ-
ſus remiſſorialis, & compulſorialis in genere, itaut te-
ſtes integrè, & rectè examinati, & jura ſint ritè com-
pulſata; & an conſtet de relevantia ſuper fama ſancti-
tatis, virtutum, & miraculorum in genere in caſu,
& ad effectum dandi remiſſoriam in ſpecie; & reco-
gnitis novis inſtantiis, ſeù precibus, diſcuſſiſque meritis
dictorum Teſtium, conceduntur literæ remiſſoriales pro
Inquiſitione ſpeciali ſuper fama, vita, ſanctitate, &
miraculis, iiſdem, vel aliis Judicibus directæ cum ea-
dem forma, mutato tamen verbo *generaliter* ad ver-
bum in *ſpecie*; conceſſa tutius facultate viſitandi ſepul-
chrum, & recognoſcendi Corpus, necnon deſcribendi
cum omnibus circumſtantiis coram Subpromotore Fi-
dei, & Teſtibus idoneis, aliquid non extrahendo, vel
ponendo in dicto ſepulchro ſub pœna excommunica-
tionis, ut apud Mattam *cit. cap.* 2. *numer.* 58. Et in-
ſertis Interrogatoriis, & articulis, tranſmittuntur literæ.

Facta Proceſſuum in ſpecie relatione per Cardinalem
Ponentem, proponitur dubium: An conſtet de validi- 39
tate proceſsus in ſpecie, & an Teſtes ſint ritè exami-
nati, & jura legitimè compulſata. Quatenus hæc ad-
ſint, & reperiantur tales, Proceſsus clauduntur, do-
nec labantur 50. anni ab obitu Servi Dei, juxta ſupra
adducta. Hoc tempore elapſo proponitur dubium, an
conſtet de virtutibus Theologalibus, ſpe, fide, & cha-
ritate, & de Cardinalibus, eorumque annexis in caſu,
& ad effectum, &c. aliquando, etiam olim, diviſo du-
bio ſuper primis, & ſecundis virtutibus, & in his de-
bet ſcrutari, an fuerint in gradu heroico, deſcribendo
in poſitione eſſentiam cujuslibet virtutis tàm particula-
ris, quàm integralis, & ſingulis ſunt applicandi actus
dandi in Summario, nec poſsunt in hujuſmodi cauſis 40
cumulari probationes, ſed cum ſemel factis eſt proce-
dendum, itaut ſi non concludant, non ſit alia ſpes co-
adjuvandi probationes, ut declaravit Alex. VII. apud
Matt. *cit. part.* 5. *cap.* 3. *numer.* 11. quod tamen non
procedit in aliis de novo emergentibus, ſeù miraculis,
prout aſſignatur terminus in remiſsorialibus, poſt quem
non prorogatum, nullus eſt proceſsus; ſuper quo licèt
antiquitus dubitabatur, itaut curreret terminus legalis
in *l.* 1. *C. de dilation. & Can. induciæ §. ſpatium* 3. *q.*
3. tamen ita fuit declaratum ex altero Decreto apud
Matt. *loc. cit. numer.* 2. Si verò agatur de Martyre,
tunc loco diſcuſſionis virtutum, diſputatur dubium; an
conſtet de Martyrio, & ejus cauſa, & latè dixi *to.* 3.
ad Conſtitut. 11. Innocentii IV. *ſect. unicæ numer.* 7.
& ſeqq.

Hoc dubium ſuper relevantia proceſsus in ſpecie,
diſcutitur in Congregatione ante præparatoria coram 41
Cardinali ponente, & deinde in præparatoria coram
S. C. cum Voto Conſultorum, & quatenus viſum fue-
rit conſtare de virtutibus, fit Congregatio coram San-
ctiſſimo cum diſcuſſione dubii: An conſtet de virtuti-
bus, & deinde diſcutitur coram Papa dubium: An con-
ſtet, & de quibus miraculis in caſu, & ad effectum,
&c. & fit relatio omnium miraculorum diſtinctim, &
ſolent etiam in præparatoriis aliquando audiri Medico-
rum, & Peritorum relationes, qui deputantur ex offi-
cio à Cardinali Relatore, ut notat Card. de Luca *diſc.*
18. *numer.* 15. *in relat. Rom. Cur.* & dictæ Congrega-
tiones fiunt coram Summo Pontifice, & proferunt Vo-
ta conſultiva Cardinales, & tandem ſolus Papa; fa-
ctum autem miraculorum Cardinales approbare non ſo-
lent, niſi concurrant ſaltem duæ ex tribus partibus
Conſultorum, idemque ſervat Papa, niſi concurrant
ferè omnes Cardinales. Licèt autem poſt approbata 42
miracula poſſit deveniri de jure ad Canonizationem,
tamen procedente Romana Eccleſia, debita, ut par eſt,
maturitate, tunc ſolet Papa impartiri licentiam vene-
randi Servum Dei utì Beatum, expedito Brevi, & con-
vocatis Cardinalibus S. Congregationis, & Conſulto-
ribus in Baſilica Vaticana, illudque præſentatur, & ex
Ambone legitur, ac publicatur à Notario Capituli ejuſ-
dem Baſilicæ, præſente Notario S. Congregationis, &
tunc exponitur Imago Beatificati, & canitur Hymnus
Te Deum, cum Miſsa de eodem Beato, de quibus pu-
blicum fit Inſtrumentum, quod in Archivivus S. Con-
gregationis, & Capituli conſervatur.

Poſt conceſsam venerationem Beati non devenitur ad
Canonizationem, niſi percrebreſcente, & continuante 43
fama ſanctitatis, devotione, cultu, ac veneratione po-
pulorum & ſuperventis novis miraculis, ſaltem duo-
bus,

Digitized by Google

bus, & tunc facta relatione per Eminentiſſimum Relatorem omnium in cauſa geſtorum, ſignatur commiſſio à Papa, pro qua etiam requiruntur novæ inſtantiæ Principum, ac ſpeciale mandatum Procuræ, & ea reproducta in S. Congr. expediuntur literæ remiſſoriales ſuper novis Proceſſibus per Delegatos Apoſtolicos faciendis ſuper dictis noviter probandis, juxtà formam aliarum remiſſorialium indicatam; quibus proceſſibus productis, proponitur dubium, An conſtet de relevantia contentorum quoad ea, quæ ſupervenerunt poſt indultam venerationem, in caſu, &c. diſcutiuntur ea in duobus Congregationibus præparatoriis, ut ſupra, & tunc cenſetur cauſa eſse in ſtatu, & terminis, ut quandocumque Sanctiſſimo placuerit, ad ſolemnem Canonizationem deveniri poſſit, & etiam completa dicitur proceſsuum compilatio, & judicialis pars contentioſa in his cauſis, remanente in arbitrio Summi Pontificis actum ſolemnem ſententiæ diffinitivæ Canonizationis peragere, prout cæremonia actualis Canonizationis, quæ ut plurimùm ſolet differri, ut plurium Beatorum
44 Canonizatio ſimul fiat, ad parcendum expenſis, de qua forma actualis Canonizationis, relata etiam in Cæremoniali Leonis X. ſupra dicto, & apud Mattam *cit. par. 5, cap. 1. num. 9.* alibi dicemus.

CONSTITUTIO III.

JOANNIS XXII.

incipiens. (*Glorioſam.*)

EPITOME BULLÆ

JOANNES, PATRIARCHIS, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ad quos literæ iſtæ Pervenerint.

DAmnat iſte Pontifex ſectas Beguinorum, Bizochorum, & Fraticellorum, ſeù Pſeudofratrum S. Franciſci de Aſſiſio, ac eorum errores, aſſerentium inter alia, duas eſſe Eccleſias, carnalem, & ſpiritualem, ac nullatenus jurandum, jurantesque ſemper peccare.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Refertur vigilantia Joannis XXII. in hæreſibus extirpandis Fraticellorum, Beguinorum, & Bizochorum.*

2 *Aliquorum detegitur æquivocatio, à Fraticellorum nomine ſumpta.*

3 *Fraticellorum, ſeu Fraticulorum inter alios errores, aliqui recenſentur.*

4 *Ex Anabaptiſtarum labe prodierunt. Sacris, inſtar Sacerdotum, Mulieres initiantes, cum quibus Antiſtites coibant, ubi inaudita feritas in eorum Pontificis conſecratione narratur.*

5 *Alia claſſis Fraticellorum, cum Beguinis, ſeu Begardis confuſa, ſecernitur, in plures prolapſa errores, per Concilium Viennenſe proſcripta.*

6 *Refertur alia Fraticellorum claſſis, ſub nomine Fratrum de paupere vita, Bizochorum, ſeu Beguinorum.*

7 *Origo Beguinarum, ſine voto vitam Monaſticam affectantium, ac earum condemnatio.*

8 *Bzovii opinio ſuper Fraticellorum origine, necnon aliorum, refertur.*

9 *Laudantur aliæ Beguinæ, quæ modò in Belgio adſunt, ſub regula tradita à S. Begga, velut melius alii, à Lamberto Begghe.*

10 *Bizochæ aliquando, & Beguinæ dictæ, illæ ſunt, quæ ſub Regula Divi Franciſci vivunt.*

11 *Refertur Conſtitutio Joannis XXII. in* Extrav. Sancta Romana unica, de Relig. domib. *in qua damnantur Fraticelli, Beguinæ, & alii, ut & ſimiliter fecit Julius II.*

12 *Agitur de Fraticellis illis, de quibus Joannes XXII. in præſenti Conſtitutione diſſerit.*

13 *Plura dubia ad Regulæ D. Franciſci interpretationem, explicata fuere.*

14 *Aliqui ex Minoritis, ſub motivo ſtrictioris Regulæ obſervantiæ à Cœleſtino V. Congregationem ſpecialem erigerunt, ſub nomine Eremitarum in parva inſula Græciæ.*

15 *Bonifacius VIII. ad preces totius Ordinis Minorum, illos Miniſtro Generali ſubmiſit, omnibus indicendo eamdem vivendi formam.*

16 *Reformatores, mortuo Bonifacio, denuò inſurrexerunt, & Conventus etiam Minorum in Regno Neapolitano, Marchia, & Tuſcia occuparunt.*

17 *Minoritæ etiam ſub prætextu reformationis, inter illos tranſibant, ſed per Superiores, & Inquiſitores, ut Apoſtatæ, & de hæreſi ſuſpecti coercebantur.*

18 *Refertur eorum fuga in Siciliam, ac Proventiam, ubi novos ſemper ſodales recipiebant novitatis amatores.*

19 *Forma Habitus iſtorum Reformatorum; deſcribitur à Joanne XXII. in præſenti Bulla.*

20 *Reformatores in Concilio Viennenſi auditi fuerunt, & nova Conſtitutio emanatur in* Clem. exivi de verb. ſignif.

Declaratur in ea vita Minorum, juxtà Clem. exiit *eſſe verè Regulam Divi Franciſci. Ibidem.*

21 *Injungitur in d. Concilio, ut omnes vitam degant ſub corpore unius Religionis.*

22 *Sede vacante per obitum Clementis V. Reformatores denuò inſurrexere in Proventia, & Linguadoca finibus, ejectis Conventualibus, ſequentes Jo: Oliva.*

23 *Pſeudofratres renuebant parere reunioni à Clem. demandata, & à Joanne XXII. Clementis ſucceſſore citantur ad comparendum.*

24 *Joannes XXII. iis auditis,* Decretalem in capitul. Quorumdam de verb. ſignif. *promulgavit, in qua confirmavit Decretales Nicolai, & Clementis, & addidit in Regula plures declarationes.*

25 *Plurimi obtemperavere: reliqui Inquiſitionis metu Siciliam petiere, & Henricum de Ceva, Apoſtatam Minorum Ordinis, in Generalem elegerunt.*

26 *Reformatores eorum ſolummodo Regulam aſſerebant, Evangelio eſſe conformem, & ſic non potuiſſe in ea à Pontifice aut diſpenſari, aut declarari.*

27 *Duas Eccleſias admittebant, unam divitem, quæ carnalis eſt, alteram pauperem, quæ ſpiritualis dicitur. Caput illius Pontificem, cum Epiſcopis eſſe, iſtius eorum Ordinem.*

28 *In eorum Eccleſia nec Papa, nec Epiſcopi, aut alii Superiores juriſdictionem habere aſſerebant. ubi quod ab Inquiſitoribus contrà contumaces rigoroſè procedebatur, etiam pœna ignis.*

29 *Expulſi à Rege Siciliæ, & aliis Principibus, apud Ludovicum Bavarum Imperatorem refugium habuerunt.*

30 *Narratur aliud ſchiſma Minoritarum, aſſerentium Chriſtum, & Apoſtolos nihil poſſediſſe in communi, & particulari dominio.*

31 *Minoritæ non expectata illius propoſitionis reſolutione per Joannem XXII. facienda, illam in Capitulo Generali Caſenæ 1327. habito, Regulæ Evangelicæ conformem eſſe, & à Fratribus tenendam, ac docendam eſſe dixerunt.*

32 *Joannes XXII. edidit* Extravag. Ad Conditorem de verb.

verb. ſignif. *in qua Nicolai Decretalis declaratur.*

33 *Decretalis Nicolai, ſimplicem uſum omnium eleemoſynarum Minoritas habere expreſſit, dominium, & illarum proprietatem ad Sedem Apoſtolicam pertinere.*

34 *Decretalis cit. Joannis declaravit, in rebus, quæ uſu conſumuntur, non poſſe dominium ab uſu ſejungi, unde pro iſtis rebus prohibuit deputari Syndicos, & Procuratores.*

35 *Minoritæ dictam declarationem ægreferentes, Avenione Fratrem Bonagratiam miſerunt, qui in publico Conciſtorio coram Papa libellum appellationis produxit.*

Ubi Bonagratia mancipatus carceribus extitit. Ibidem.

36 *Narratur furor Guillelmi OKami, qui jactabat, Chriſtum, & Apoſtolos in communi, & particulari, nullum habuiſse dominium, & contrarium aſſerebat hæreticum eſſe.*

37 *Joannes XXII. OKam Avenione vocat, ubi ſe contulens, edidit* Extravag. Cum inter nonnullos de verb. ſignif. *in qua, aſſerere Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe in dominio in communi, abrogat.*

38 *Conciliantur Conſtitutiones Nicolai III. & Joannis XXII.*

39 *Refertur conciliatio illorum, aſſerentium Succeſſores Pontifices, Conſtitutiones Anteceſſorum emendare poſſe, exceptis iis, quæ ad Fidem, vel univerſalem Eccleſiæ ſtatum pertinent.*

40 *Aſſeritur ratio, cur nulla inter dictas Conſtitutiones adſit repugnantia.*

41 *In iis, quæ uſu conſumuntur poteſt aliquod conſiderari dominium.*

42 *Indicatur ratio, cur Minoritæ utantur Syndicis, & Procuratoribus extra Religionem, & quare Pontifices ſucceſſores à Minoritis ipſos eligi permiſerint.*

43 *Summa Minoritarum paupertas non ſinit eos poſſidere bona ſtabilia, & annuos redditus, neque Syndicorum nomine, iis exceptis rebus ad uſum neceſſariis, de qua re remiſſivè.*

44 *An Cenſus creatus favore Conventus Minorum, ſi non ſit validus pro iiſdem, ſaltem reſpectu Sedis Apoſtolicæ, vel Rev. Fabricæ ſit validus.*

Reſolvitur eſſe nullum in radice. Ibidem.

45 *Minoritæ differunt à Theatinis, & PP. Societatis Jeſu circa rerum acquiſitionem, & quomodo?*

46 *Minoritæ ſunt incapaces non ſolum acquirendi, verùm etiam faciendi cenſualos, contractus, ut exemplificatur in particulari Religioſo, & de ratione, remiſſivè.*

47 *Idem deſumitur argumentum ex contractibus à Minoritis factis in communi, & in particulari.*

48 *Refertur paritas Religioſorum alterius Religionis capacis, ſed refellitur.*

49 *Altiſſima Minorum paupertas operatur, ut etiam de iis rebus, quorum uſus ipſis permittitur, proprietas remaneat penès Eccleſiam Romanam.*

50 *Contractus, & acquiſitiones incompatibiles cum eorum paupertate, Minoritis nunquam fuere permiſſi, & conſequenter nec ſibimetipſis, nec Fabricæ acquirere poſſunt.*

51 *Aſſerere, Minoritas in contractibus Romanæ Eccleſiæ acquirere, eſt aſſerere Pontifices voluiſſe illos conſtituere negotiorum geſtores, & negotiatores dictæ Eccleſiæ, quod abſonum eſt.*

52 *Reverenda Fabrica intrat ſolùm in hæreditatibus, & legatis Minoritis relictis, & quâ ratione.*

53 *In contractibus Minoritarum, contrarium militat, utpote à principio nullis.*

54 *Refertur, & refellitur exemplum de Clerico negotiatore, in quo intrat ſpolium.*

55 *Sac. Congreg. Concilii cenſuit, venditionem cenſus non ſuſtineri ad favorem PP. Minorum, ubi de ratione.*

56 *Pecunia à Fratribus contrahentibus ſoluta, reſoluto contractu, debet Syndico Fratrum reſtitui, quæ pro eorum uſu eſt permiſſa.*

57 *Contractus annullatio, debet eſſe pro utraque parte.*

58 *Uſuræ perceptæ ex contractu nullo, compenſantur, & extenuant ſortem.*

59 *Refertur hiſtoria Minoritarum contra Decretalem Joannis, circa Chriſti paupertatem, duce OKamo, & Michaele Generalo reclamantium.*

60 *Joannes XXII. in* Extravag. Quod quorumdam de verb. ſignif. *contumaces mulctat, illos hæreticos declarando.*

61 *Schiſmatici Minoritarum reſpuentes Apoſtolicam juſſionem, Imperatorem Ludovicum Bavarum Schiſmaticum in auxilium contra Eccleſiam, & ipſum Pontificem petierunt.*

62 *Imperator Ludovicus impiè Joannem XXII. ut hæreticum, Anteceſſorum dogmatum perverſorem, in inſaniam raptus depoſuit, & Antipapam curavit eligere.*

63 *Epilogantur contenta in præſenti Conſtitutione generaliter, & in ſpecie diſponitur tractatio in Sectione ſequenti.*

QUàm diligenti, providaque vigilantia Romani
Pontifices uſi ſemper fuerint, ne eorum Sponſa Ec-
cleſia ulla macula, aut ruga obumbraretur, ſatis refe-
runt Eccleſiaſtici Annales, pleraque geſta in Bullarii
hujus compilatione recenſentur, cùm hæreſes, erro-
reſque plurium tot providis Conſtitutionibus profligare
curaverint, ut præſertim egit Joannes XXII. in præ-
ſenti Conſtitutione edita Avenione die 23. Januarii 1
Anno Domini 1315. in qua, etſi fiat mentio de Fra-
ticellis, ſeù Pſeudofratribus Sancti Franciſci, tamen
Cherubinus eam ſummat, ut ſupra in epitome adnota-
vi, faciendo mentionem etiam de Beguinis, & Bizo- 2
chis, cum verè Fraticellorum ſecta in tres claſses di-
vidi valeat; non enim omnes hæreſis errores Fraticel-
lis, impìcti, Minoritarum Pſeudofratribus attribui de-
bent, etſi æquivocatione quadam ab aliquibus facta, &
à nomine Fraticellorum ducta, illud aſſeratur.

Fuerunt itaque Fraticelli, ſeu Fraticuli nuncupati,
qui impuriſſimam ſectam compoſuerant pluribus erro- 3
ribus refertam, promiſcuos concubitus impuros per-
mittentem; omnia enim etiam in carnalibus ad com-
mune revocantem, præeſse imperio, rem facere, aut
civilia munera ſuſcipere, Chriſtiana pietate permiſſum
non reputabant; Illi enim ex labe Anabaptiſtarum pro-
deuntes, virgines nuptas, viduaſque lectiſſimas inſtar 4
Sacerdotum ſacris initiabant, quibuſcum Antiſtites ſi-
ne ullo diſcrimine coibant (ſceleſtum, atque inauditæ
feritatis commentum) partus primùm in lucem edi-
tus, ſtatim coacto cœtu in ſublime jactabatur, ſingu-
lis ab ſe ſe reiicientibus, quòad extremum ſpiritum
exhalaret; cujus in manus vertiſset in ipſo fugientis a-
nimulæ articulo, is Pontifex ſacrabatur, Raynald. *t.*
15 *annal. anno* 1317. *num.* [illegible] hujuſmodi impiam
ſectam fuiſse extinctam jam antea; nempe Anno Do-
mini 1301. refert. *t.* 14. *d. anno num.* 25.

Alia Claſſis Fraticellorum fuit ea, quæ confundi-
tur cum Beguinis, ſeù Beguardis, ut promiſcuo nomi- 5
ne uſus fuit etiam Jo: XXII. hujus Conſtitutionis con-
ditor in *Extravag. Sancta Romana Eccleſia* 1. *de Re-
lig. domib.* Erant enim Sarrabayti, ideſt Pſeudoeremiti,
vel Pſeudoreligioſi, qui religioſo quodam cultu eorum
impietatem velare ſatagebant; in plures tamen errores
lapſos fuiſse liquet, ut legere eſt penès Alvarum Pelag.
in planct. Eccl. lib. 2. *c.* 51. & fit mentio in *Clem. ad
noſtram de hæreticis*, relato Concili Viennenſis decre-
to, quo plures eorum errores proſcripti fuerunt.

Alia quoque claſſis recenſebatur, eorum nempe,
qui profanæ multitudinis viri erant, Fraticelli, ſeu 6
Fratres de paupere vita, Bizochi, ſeu Beguardi, aut
aliis hujuſmodi nomenclaturis nuncupati, ſatagente
diabolo hac multiplici denominatione, impias ſectas
condemnatas ſub certo nomine, ſub alio reviviſcere,
ut

Digitized by Google

ut contigiſſe liquet in ſectis Arianorum, Manetis, a-
7 liorumque. Beguinæ etiam mulieres ultra hos fuiſſe
conſtat, ſic nuncupatæ, propter originem, quam ha-
bebant à quodam Lamberto Begghe, qui primus in-
venit ordinem Begvinarum, & eis primùm caſtitatis
normam verbo, & exemplo prædicavit, uti legitur in
magno Belgii Chronico ad Annum 1168. quæ in Ale-
mania infideles, & perverſæ fœminæ ſine voto, & re-
gula Monaſticam vitam affectabant, ſequentes errores
Beguardorum, & Margaritæ Porrectæ Pariſiis damna-
8 tæ, ac combuſtæ circa annum ſalutis 1210. Hi omnes
Fraticellorum, ſeù Beguinarum aſſerebant, jactabant-
que ſe eſſe ex familia S. Franciſci, quod tamquam ve-
rum ſcripſit Bzovius; quem tamen redarguit Mercius
Thaddei *in Hitela Franciſcana Religionis cap. 1: con-
tra* 14. Bzov. & latè Bordon. *pro tuitione ſuæ Religio-
nis in hiſt. Tertii Ordinis S. Franciſci cap.* 39. & ſicu-
ti in plures errores prolapſos fuiſſe aliquos, qui ex di-
cto Ordine prodierunt, Fraticelli etiam dicti, ſine ve-
ri vulneratione negari non valet, ut conſtat ex con-
textu hujus Conſtitutionis Joannis XXII. in qua erro-
res Minoritarum Fraticellorum recenſentur, qui à
corpore Religionis illius aberraverant, & notat Ray-
nald. *citat. anno* 1318. *numer.* 53. ita dicendum eſt,
non omnes errores hæreſim ſapientes, Fratricellis im-
pictos, verificari in Minoritis Fraticellis dictis.

Dum enim de mulieribus Beguinis perverſis ſermo-
9 nem feci, etiam de altero pio earum genere dicam,
quod extat adhuc, earum ſcilicet fœminarum, quæ
adſtrictæ vinculo vivunt Conſtitutionum iis traditarum
à S. Begga, S. Gertrudis ſorore, vel ut alii melius o-
pinati fuere, à Lamberto Begghe, cujus generis ali-
qua ſunt Monaſteria, in quibus piè vivunt in Belgio,
ut teſtatur Annat. *lib.* 7. *pag.* 715. & de iis adſunt de-
ciſiones Rotæ Romanæ in *Leodien. Beghinagii deciſ.*
1257. 1308. & 1339. *coram Emerix Juniore*, ubi agi-
tur de juriſdictione competente Prælato inferiori in
excluſionum Epiſcopi in Monaſterio earum.

Sunt denique Bizochæ, quæ Beguinæ aliquando
10 ſolent nuncupari, quæ vivunt ſub regula D. Franci-
ſci, ut notat Gratian. *diſcept.* 413. *numer.* 32. Rota
deciſ. 8. *In fine de jurepatr. in antiquis*; ſed de his,
utpotè à Sede Apoſtolica approbatis, alibì dicam.

Omnes itaque illos, qui vivebant abſque regula,
11 & permiſſione Sedis Apoſtolicæ, Fraticellos, Begui-
nos, alioſque hujus generis tàm viros, quàm mulie-
res condemnavit Jo: XXII. in *cit. Extravag. Sancta
Romana tit. de relig. domib.* editæ ante editionem hu-
jus Bullæ, ſub pœna excommunicationis, interdicen-
do iis ſtatum religioſum uſurpatum, & Julius II. ite-
rum Beguinos condemnavit, quo tempore illius peſtis
reſiduum remanſerit, Barboſ. *in cit. Extravag. num.*
1. *& de poteſt. Ep. par.* 3. *alleg.* 50. *numer.* 239. Bo-
nacin. *de Cenſur. extra Bullam Cœnæ diſput.* 2. *quæſt.*
2. *punct.* 27. quænam autem fuerint hæreſes omnes Be-
guardorum, & Beguinorum hujuſmodi recenſentur à
Natale Alexandro *in Hiſtor. Eccleſiaſt. ſæculi* 13. *&*
14. *artic.* 11. *numer.* [illegible] *& in cit. Clement. ad noſtram
de hæreticis.*

Deveniendo itaque ad ſpeciem eam Fraticellorum,
12 qui Pſeudominoritæ, ſeù Pſeudofratres D. Franciſci
fuerunt, de quibus hæc Bulla diſſerit, ſciendum eſt,
poſt Inſtitutum Ordinem Minorum à Seraphico Fran-
ciſco Aſſiſiate, juxta adnotata *tom.* 2. *Conſt.* 5. *Hono-
13 rii III. in princ.* plura exurſiſſe dubia circa regulæ in-
terpretationem, unde nonnullæ emanarunt ad ejus ex-
plicationem Summorum Pontificum Decretales; inter
quas fuit famigerata Nicolai III. quam aliqui tribuunt
Nicolao IV. incip: *Exiit, regiſtrat. in tit. de verb. ſi-
14 gnif. in* 6. hinc aliqui ſub motivo integritatis Regulæ
obſervandæ, abſque Gloſſa, & interpretatione vivere
velle jactantes, corpus Religionis ſcindere curarunt,
& Papam Cœleſtinum V. tunc Sedem Romanam mo-
derantem adierunt, ut permitteret Congregationem
ſpecialem eorum ſub veræ regulæ obſervantia, neque
à Miniſtro Generali Minorum impedirentur, ſic ſub-
trahendo ſe à totius Ordinis corpore, & Superioris
obedientia, à qua recedentes, quis dubitet à vera Re-
ligione diſceſſiſſe; Magna quippe virtus eſt paupertas,
ſed major eſt integritas, & maxima obedientia illæſè
cuſtodita; nam prima rebus, ſecunda carni, tertia
verò menti dominatur, ut benè animadvertit *Textus
in c. quorumdam de verbor. ſignif.* Obtinuerunt itaque
Minoritæ illi rigoriſtæ permiſſionem, ut ſub nomine
Eremitarum vitam ducerent in parva Inſula Græciæ;
Sed tempore Bonifacii VIII. ad preces totius Ordinis 15
Minorum fuerunt illi Miniſtro Generali ſubmiſſi, ea-
demque vitæ forma omnibus indicta; poſt obitum ve-
rò Bonifacii denuò Reformatores illi novas turbationes 16
in Ordine induxerunt; Eremitoria antiqua repetentes,
& Conventus ipſos Minorum occupantes in Regno
Neapolitano, Marchia, & Tuſcia; cætero itaque eo- 17
rum numero, etiam per ipſos Minoritas, qui ſpecio-
ſo prætextu reformationis ad eos tranſibant; Superio-
res, imò Inquiſitores, uti Apoſtatas eos coercebant,
hæreſumque etiam ſuſpectos; itaut coacti fuerint in Si-
ciliam recedere, ac Proventiam, ſemper tamen novos 18
ſodales recipientes, quos ſæpè contigit non deeſſe, dum
ſub novis doctrinis, & vitæ aſperioris ſpecie malitia ſe
occultante, recens vivendi modos in orbe Chriſtiano
elucet; quoſdam etenim habitus, novi iſti Reformato-
res Seraphicæ Religionis, cum parvis Caputiis cur- 19
tis, ſtrictis, inuſitatis, & ſqualidis deferebant ſola tu-
nica contenti, ut eos deſcribit Jo: XXII. in hac Bul-
la. Verùm inſtantibus Carolo Rege Neapolitano; & 20
Comite Proventiæ, auditi fuerunt in Concilio Vien-
nenſi, in quo emanavit alia Conſtitutio relata in *c. exi-
vi inter Clem. de verb. ſignif.* in qua declaratur, vitam
præſcriptam in *citata Decretali exiit*, quam ſequun-
tur Minores Conventuales, eſſe juxtà regulam D. Fran-
ciſci, itaut Sodales ita viventes, veri Fratres dicti San-
cti dici deberent, injungendo inſuper, ut omnes vitam 21
gerant ſub corpore unius Religionis, relictis intenta-
tæ diviſionis inſignibus; cui Conſtitutioni in Concilio
Generali emanatæ, parere opus fuit, cenſuris, atque
pœnis pleriſque mulctatis; Sed iterum revixit hæc am-
bitioſa reformatio, occaſione Sedis Vacantis ſecutæ, 22
ſatis diù protractæ poſt obitum Clementis V. adque e-
venit in Proventiæ, ac Linguadocæ finibus, in quibus,
ejectis Conventualibus, plures Conventus iſti Pſeudo-
minoritæ occuparunt, Fratremque Petrum Jo: Oliva
aliqui ex iis ſecuti fuere, quos ab eo plures errores
hauſiſſe non dubitatur damnatos etiam in Concilio Vien-
nenſi, de quibus dixi *to.* 3. *ad Conſtit.* 1. Clem. V.

Hinc tenuentes Pſeudofratres iſti parere ſermoni de-
mandatæ in *cit. Clementina*, Jo: XXII. Clementis ſucceſ- 23
ſor eos citavit ad comparendum coram ipſo in Civitate
Avenione ſua reſidentia, in qua convenientes quam-
plures contumaces, nec etiam una nocte cum Con-
ventualibus convenire volentes, potiùs in aperto Pa-
latii Apoſtolici atrio tota nocte morari fuere; iiſque
auditis idem Papa aliam decretalem promulgavit regi- 24
ſtratam in *cap. quorumdam de verb. ſignif. inter ejus Ex-
trav.* in qua prævia confirmatione decretalium Nicolai,
& Clementis, aliquas declarationes in regula addidit,
ac plura remiſit Superioribus circa modum habitus, ac
conſervationem eleemoſynarum. Hinc evenit, ut quam-
plurimi obedientiæ totius Ordinis ſe ſubiicerent, ex- 25
ceptis aliquibus, qui metu Inquiſitionis Siciliam pe-
tierunt, ſe jungentes aliis ibi jam degentibus, Gene-
raleſque elegerunt Henricum de Ceva Minorum
Ordinis profugum, ac Apoſtatam ita in ſchiſmate Re-
ligionis, Pontificiorum mandatorum contemptu, hæ-
reſibus aliquibus perſeverantes; ut enim ait Jo: XXII.
*in cit. cap. quorumdam: Ut primum quidem infelix ani-
mus per ſuperbiam intumeſcat, & exinde in contentio-
nem, de contentione in ſchiſma, de ſchiſmate in hære-
ſim, de hæreſi in blaſphemias infelici gradatione, imò
præcipiti ruina deſcendunt.* Quare iſti reformatores cre-
dentes aſcendere uſque ad cœlos aſpera eorum vita, de-
ſcenderunt uſque ad abyſſum, errorum nempe, & vitio-
rum; ajebant enim eorum Regulam eſſe quodammodò con- 26
formem Evangelio, ſicque non potuiſſe in ea, aut diſpen-
ſari, aut declarari ab Eccleſia, & Romano Pontifice
circa

circa habitum, conſervationem frumenti, aliarumque
eleemoſynarum, ac peccaſſe nedum Fratres Regulam
ſic ſervantes, ſed Papam ipſum ita decernentem; In-
27 dè alius evenit error aſſerens, quod duæ eſſent Eccle-
ſiæ, una dives, quæ carnalis eſt, altera pauper, quæ
ſpiritualis dicitur: illius caput eſſe Summum Pontifi-
cem, unà cum Epiſcopis: iſtius eorum Ordinem, jux-
28 ta reformationem, in qua nec Papa, nec Epiſcopi,
aut alii Superiores Juriſdictionem habere valebant, a-
lioſque errores recenſet Papa Jo: in dicta decretali, &
in hac Conſtitutione; unde plures ex illis contumaci-
bus mulctari fuere ab Inquiſitoribus, etiam igne, imò
29 & à Rege Siciliæ, aliiſque Principibus ejecta, tandem
refugium obtinuerunt apud Ludovicum Bavarum Im-
peratorem malè erga Eccleſiam tunc ſe habentem.

Evenit etiam his temporibus ſchiſma inter Minori-
30 tas, ac quoque inter DD. in propoſitione illa, quod
Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli nihil poſſiderunt neque in
communi, neque in particulari dominio; quæ propo-
ſitio cùm videretur expreſsè regiſtrata in *cit. Conſtitu-
tione Nicolai Exiit*, videbatur non potuiſſe aliter de-
cerni, eò magis, quia fuit ea confirmata in Concilio
Viennenſi ſub Clemente V. in *Clem. citata Exivi*, &
ab eodem Jo: XXII. in *cit. cap. quorundam*; & cùm
31 veritas hujus propoſitionis diſceptabatur coram eodem
Jo: eam irrefragabilem aſſeruerunt Minoritæ in Capi-
tulo Generali totius Ordinis habito Cæſenæ Anno 1327.
conformem Regulæ Evangelicæ, demandato inſuper
ita ab omnibus Fratribus teneri, ac doceri, quo tem-
32 pore idem Papa Jo: edidit decretalem, regiſtratam in
Extravag. comm. Ad Conditorem de verb. ſignif. in
qua declaravit, quod cùm Nicolaus expreſſerit in ſua
decretali, quod ex eo, quod Fratres Minores non ha-
33 bent, niſi ſimplicem uſum omnium rerum, quæ eis
pro eleemoſyna præſtantur, totumque dominium, &
34 proprietas ſit penes Sanctam Sedem Apoſtolicam, ne-
quit intelligi id de rebus, quæ uſu conſumuntur, quia
in his rebus nequit dominium ab uſu ſejungi, & per-
mitti in communi uti rebus, in communi etiam re-
rum ipſarum dominium permiſſum dici; hinc prohi-
buit pro iſtis rebus deputari Syndicos, & Procurato-
res ea conſervantes nomine Sedis Apoſtolicæ. Qua de-
35 claratione Minoritæ exarſerunt, ſed rationabiliùs, ju-
ſtoque zelo evenit in Pontifice, dum illi loco humi-
lium precum, quibus rationes, quas haberant R. Pon-
tifici exhibere potuerant, miſerunt Avenionem è Ca-
pitulo Generali Fratrem quemdam Bergomenſem, Bo-
nagratia dictum, qui in publico Conciſtorio, mala
gratia potiùs utens, libellum appellationis à dicta De-
cretali coram Papa produxit, quo auctoritatem Roma-
ni Pontificis labefactare non erubuit, quodque ea,
quæ à Prædeceſſoribus ſtatuta fuere immutare non po-
tuiſſet; hinc meritò Avenione carceribus mancipatus
extitit; imò Guillelmus OKam Anglus, in inſaniam
36 ſe protrahens, publicè jactavit, Chriſtum Dominum,
& Apoſtolos in communi, & particulari aliquid non
habuiſſe dominium, contrariomque aſſerere hæreticum
declarando; Quare citatus à Papa Jo: Avenionem ſe
37 contulit, hincque Papa promulgavit decretalem *Cum
inter nonnullos*, regiſtratam inter ejus *Extravag. de
verb. ſignif.* in qua declaravit, hæreticum eſſe aſſere-
re, Chriſtum Dominum, & Apoſtolos nihil habuiſſe
in dominio in communi, de quo potuiſſent ad libi-
tum diſponere, cùm contrarium eliciatur ex pluribus
locis novi Teſtamenti; Quapropter certant DD. quo-
38 modo conciliari valeant hujuſmodi doctrinæ Nicolai
III. ſeu IV. & Jo: XXII. quæ videntur inter ipſas con-
trariæ; Alii enim dicunt, non fuiſſe inconſonum, ut
39 ſucceſſor Anteceſſoris aliquid emendet de re non ſpe-
ctante ad Fidem, vel ad univerſalem ſtatum Eccleſiæ;
unde videmus in pluribus fuiſſe immutatos Eccleſiæ
mores, ac ritus, & ad rem benè dixit Bonifacius VIII.
in *cap. Alma mater de ſent. excomm. in 6.* aliquando
debere fieri iſtas mutationes. Sed alii meliùs authu-
40 mant, nullam contrarietatem eſſe inter dictas decreta-
les; illa nempè Nicolai procedit quoad perfectionem
Evangelicam, quàm Chriſtus indicavit iis, qui eam
ſequi volebant; non exinde deficiens uti bonus Legiſla-
tor aliam viam indicare minus perfectis, quod nedum
verbo, ſed exemplo comprobavit, loculos habendo, qui-
bus informaret Eccleſiam, & pauperibus ſubvenire poſ-
ſet, ita divitibus uſum pecuniæ oſtendens, ac dominii
permiſſionem; & verè ſi non habuiſſet uſum ſimul, &
dominium, non potuiſſet de illis diſponere, neque ad
uſus pios, ex qua ſanè ratione infertur, quod etiam in 41
iis, quæ uſu conſumuntur, poteſt conſiderari aliquod
dominium, ſi de illis utens poteſt diſponere donando,
permutando, vendendo, ac alios actus exercendo,
præciſè ab uſu proprio; proindeque nullam conſide-
rari contrarietatem in adductis Decretalibus, docue-
runt Molin. *de juſt. & jur. lib. 4. de Summ. Pontif. cap.
14.* Leſs. *eodem tract. lib. 2. cap. 3.* Barb. *ad extravag.
ad Conditorem*. Sed quia tutius eſt pro paupertate Re- 42
ligioſa Minoritarum, ut haberet Syndicos, & Procu-
ratores extra Religionem, ideò Romani Pontifices ſuc-
ceſſores, Syndicos, Procuratoreſque à Minoritis eligi
permiſerunt; de quibus ſuo loco; qui nomine Sedis
Apoſtolicæ res recipiunt, ac conſervant relicto Fratri-
bus ſolo uſu.

Horum igitur Minoritarum ſumma paupertas, ſum-
ma Religione eſt ſervanda, uti principale fundamen- 43
tum, ac ſtabilitas hujus eximiæ Religionis, itaut ne-
queant poſſidere ſtabilia, aut annuos introitus, neque
nomine Syndicorum deputatorum, exceptis iis, quo-
rum uſus eſt illis neceſſarius; de qua ſumma pauperta-
te, & incapacitate bonorum, dixi latè *cit. tom. 2. Con-
ſtit. 5.* Honorii II. *in prin. & ſect. 4.* Sed ad rem poſ-
ſet dubitari; an ſi crearetur cenſus ad favorem Con- 44
ventus Minorum, ſi non ſuſtineatur pro iis, ut certum
eſt ex dictis loco citato, ſaltem ſit validus reſpectu Se-
dis Apoſtolicæ, vel Rev. Fabricæ S. Petri, quæ ſucce-
dit in iis, quibus capax non eſt dicta Religio, ut ibi
retuli; & verè dicendum eſt, cenſum eſſe nullum in
radice, tamquam creatum favorem dominium non ha-
bentis, & incapacis ad contractus; Fratres enim iſti
ob eorum maximam paupertatem, expertes ſunt ac-
quiſitionis, nedum ſtabilium, prædiorum ſcilicet; ſed
etiam annuorum redditũum, ac præſertim cenſuum,
ut ultra adductos *cit. ſect. 4. num. 29. & 30. pag. 454.*
docuerunt Fagn. *cap. nimis prava nu. 56. de exceſſ. Præ-
lat.* P. Matthæuccius *in Official. cap. 30. num. 12. &
13.* Rota *deciſ. 1219. in initio coram Emerix. Jun.* ob-
ſtat enim iſtis Fratribus, nè dum retentio prædiorum, 45
ſed initium acquiſitionis, in quibus differunt à PP.
Theatinis, & Societatis Jeſu, qui poſſunt ex regula
acquirere, ut vendant. Poſita igitur tali incapacitate 46
etiam acquirendi, ſequitur eſſe incapaces faciendi con-
tractus acquiſitionis hujuſmodi, prout in particulari Re-
ligioſo, qui ratione voti paupertatis eſt incapax ſibi
acquirendi, ſed tantùm Religioni capaci, itaut nullo
modo obligetur, cùm ſit actus Voto contrarius, *Can.
non dicatis 12. qu. 1.* Caſtropal. *tom. 3. op. mor. tr.
16. diſput. 3. punct. 15. num. 3.* Gibalin. *de negotiat.
to. 1. lib. 3. cap. 1. art. 3. conſect. 4. numer. 2.* Sed de
hoc alibi erit ſermo. Unde à pari contractus, quia fit 47
à Minoribus in communi eſt nullus, qui incapacitas eſt
in communi, prout eſt incapax religioſus particularis
acquirendi pro ſe, prout eos æquiparare videtur Nico-
laus *in cit. cap. exiit §. nec talium de verb. ſignif. in 6.* 48
Quin obſtet, quod ſicuti ſingulares Religioſi, non
contradicente voto, valent cum licentia Superioris con-
tractus inire, præſertim lucrativos, itaut acquiſitio fiat
in Monaſterii favorem, utpotè capacis; Ita etiam Mi-
nores Fratres in communi contrahentes acquirere va-
leant pro Eccleſia Romana, ac Rev. Fabrica Sancti
Petri, quæ in his ſuccedit; etenim id intelligendum
eſt, ut Fratres iſti poſſideant uſu ea, quæ ſunt proprie-
tatis Eccleſiæ Romanæ quoad neceſſaria ſibi, non au-
tem quoad alia eorum regulæ adverſantia, etſic de
iis, quorum uſus iis eſt licitus, prout non ſunt ſtabilia,
& annui redditus; aliud enim eſt, quod cùm ob altiſ- 49
ſimam paupertatem, quam profitentur, etiam eorum,
quorum uſus iis permittitur, remaneat proprietas penes
Eccleſiam Romanam, quod permiſerunt Romani Pon-
tifices

tifices ad conſervandam puritatem Regulæ, *cit. capit.*
exiit §. *ne talium de verb. ſign. in* 6. *Extravag. Ad*
30 *conditorem eodem tit.* Aliud eſt, quod dicitur permiſ-
ſum Minoribus facere contractus, & acquiſitiones in-
compatibiles cum eorum paupertate, ut acquirantur
31 bona Eccleſiæ Romanæ; id enim tàm alienum à vero
videtur, quàm abſonum eſt aſſerere, Summos Pontifi-
ces voluiſſe Fratres Minores conſtituere negotiorum ge-
ſtores Eccleſiæ Romanæ, àc prorſus dicam negotiato-
res; cùm alioquin eorum paupertatem fovere tam an-
xiè voluerint; facultates itaque Rev. Fabricæ intrant
32 quidem in hæreditatibus, ac legatis relictis iſtis Fratri-
bus, qui actus non dependent ab aliquo actu eorum-
dem, ſed ex præſumpta mente teſtatorum, ut ſtante
incapacitate Fratrum voluntas eo modo, quo fieri po-
teſt adimpleatur ad favorem Eccleſiæ Romanæ, Rota
deciſ. 1326. *num.* 19. & 20. *coram Emerix jun.* & di-
xi *cit. tom.* 2. *num.* 17. & 18. *pag.* 451. quod quidem
33 non habet locum in contractibus, qui fiunt à Fratribus
incapacibus acquirendi, quia ſunt nulli in initio, ac ſi
facti non ſint, ſi agitur de re quorum ipſi ſunt incapaces
34 in communi; nec conſideratione eſt dignum exemplum
de Clerico negotiatore, in quo intrat ſpolium, ſeu Ca-
mera Apoſtolica in contractibus ab eo initis, quia ta-
les contractus ſunt validi ab initio, & tantum illiciti,
& ob pœnam intrat Camera, Rota *deciſ.* 15. *num.* 6.
poſt Novar. *in ſum. Bullar.* & alibi dicam; Sed contra-
ctus Minorum ſunt nulli ab initio ex defectu facultatis
contrahendi, & acquirendi dominium, Paſſerin. *de*
ſtat. hom. to. 2. *qu.* 187. *n.* 258. *verſ. in religioſis pag.*
357. & maximum quidem ſcandalum eſſet, ut iſti Fra-
tres fundati in altiſſima paupertate eorum Inſtituti,
permittantur à Sede Apoſtolica contractus facere ad
35 ejus favorem; hinc iſtis conſideratis, propoſito dubio
in S. C. Concilii in una *Oppiden. Cenſus: An Cenſus*
creatus ab Eliſabetha, & Franciſco Sforzia ad favo-
rem PP. Minorum Obſervantium S. Franciſci Terræ
Novæ ſuſtineatur. S. C. *die* 7. *Decembris* 1709. cen-
ſuit: *Venditionem Cenſus non ſuſtineri*; quia Cenſus
etſi fuiſſet validè creatus ad favorem certarum perſo-
narum, tamen venditio cenſus ab illis facta dictis Fra-
tribus, nulla fuit meritò declarata; dicerem tamen,
36 quod ſi fuerit à Fratribus data pecunia contrahenti,
reſoluto contractu, debet pecunia reſtitui Syndico Fra-
trum, quia ea eſt permiſſa pro uſu Fratrum, cùm an-
37 nullatio contractus debeat eſſe pro utraque parte, & li-
cèt in dicto caſu *Oppiden.* id non fuerit demandatum,
quia dubium id non complectebatur, & rurſus quia
38 Fratres ex tali contractu nullo, uſuras per plures an-
nos receperant, qui potuerant ſortem extenuare.

Redeundo tamen ad hiſtoriam Minoritarum, con-
39 tra Decretalem Joannis recalcitrantium circa Chriſti
paupertatem, reclamarunt illi ducibus Guillelmo O-
Kam prædicto, & Generale Ordinis Michaele Cæſena
linguas acuentes contra R. Pontificem, Imperatori
60 tunc Sciſmatico adhærentes; Unde Joannes Papa a-
liam publicavit Decretalem, relatam inter *Extravag.*
c. quod quorumd. de verb. ſign. in qua contumaces mul-
ctat, hæreticum declarando, qui contra ipſius Decre-
talem quoad Chriſti Domini paupertatem aliter ſen-
61 tiret. Occaſione itaque hujus Minoritarum Schiſma-
tis, plura evenerunt mala; nam aliqui eorum Apoſto-
licæ juſſioni non ſe ſubmittentes, Ludovici Bavari,
Imperatoris Schiſmatici, auxilio contra Eccleſiam, &
R. Pontificem Joannem venenum emoverunt, quibus
62 fretus Ludovicus, impiè Joannem hæreticum, uti An-
teceſſorum dogmatum perverſorem vocitavit, ac ita
inſanuit, ut eo depoſito Antipapam eligi curaverit, ut
63 dixi in vita hujus Pontificis. In hac igitur Conſtitutio-
ne dictas ſectas, & Conventicula Fraticellorum aber-
rantium à vera Religione, ac toto Ordine Minorita-
rum D. Franciſci, Jo: Papa condemnavit, in eaque
recenſuit, ac confutavit errores, in quos plerique ex
iis Pſeudominoribus prolapſerant occaſione Schiſmatis
à propria eorum matre, ac Religione, de quibus er-
roribus in ſpecie aliqua agam ſequenti Sectione.

SECTIO UNICA.

Referuntur, ac refelluntur quinque præcipui errores Pſeudo Minoritarum.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur deliria Pſeudominoritarum.*
2 *Pontifex eorum errores damnat, ſed non omnia refert, quæ ſomniabant.*
3 *Referuntur quinque errores in præſenti Conſtitutione damnata.*
4 *Eccleſias duas eſſe aſſerebant, Carnalis una, in qua Pontifex præeſt, Spiritualis alia, & pauper, in qua ſe ſolos ponebant.*
5 *Eccleſias duas admittere, deſtruere eſt illius unitatem, & à legitimo Paſtore ſe ſubtrahere.*
6 *Nota præcipua Eccleſiæ eſt unitas.*
7 *Eccleſias plures, verè hæretici non multiplicant, cùm impiè potiùs diſcerpant.*
8 *Eccleſiæ unitatem ſcindunt, qui ſe ſubtrahunt ab ejus viſibili Capite Summo Pontifice.*
9 *Eccleſia quid ſit, definitur.*
10 *Eccleſia ex quibus conſtituatur.*
11 *Juriſdictionem omnem illi in Eccleſia Miniſtris negabant, & penes ipſos ſolos reſidere jactabant.*
12 *Notæ Eccleſiæ tantùm in Catholica, non in hæreticorum Synagogis verificantur.*
13 *Juramento in nullo eventu præſtandum, & jurantes ſemper lethaliter peccare, affirmabant.*
Vviclef, & Calviniſtæ in eodem errore, per Concilium Conſtantienſe damnantur. Ibidem.
14 *Juramentum interdictum ex Chriſti verbis jactabant.*
15 *Ethnici Chriſtianos ex neceſſitate jurantes, tamquam Evangelii violatores accuſabant.*
16 *Juramentum non eſt ex ſe malum, imò juſta cauſa, aut neceſſitate urgente, permiſſum.*
17 *Juramentum ex ſe Deo honorificum, & Divini cultus eſt ſpecies.*
18 *Juramentum inter ea ex ſe bona non ponendum; ſed inter ea, quæ aliàs bona non ſunt, niſi aliqua poſita neceſſitate.*
19 *Juramentum, ſicut medicina, & tortura, in neceſſitate adhibendum.*
20 *Evangelii loci citati explicantur.*
21 *Juramentum eſt licitum, quando non falsò, leviter, & temerè, ſine neceſſitate juratur.*
David, Propheta, & Apoſtolus juravere. Ibidem.
22 *Sciens aliquem perjuraturum, ſi juramentum ab eo exigat, crimine non caret.*
23 *In privata, ſecùs in publica perſona ex officio juramentum exigente, ſuperiùs dicta procedunt.*
D. Auguſtinus, ex D. Thoma, & aliis explicatur. Ibidem.
24 *Juramentum, reis à Judice deferendum, abſque ſcrupulo pejerationis reorum.*
25 *Juramentum exigere licitum eſt ab eo, quem Judex ſcit perjuraturum.*
26 *Juramentum exigere poteſt Judex in cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis.*
27 *Juramentum de veritate dicenda in criminalibus à reis exigere licitum eſt ex jure, & conſuetudine.*
28 *Veritas apud Romanos, ut à ſervis per tormenta, ab hominibus liberis per juramenta extorquebatur.*
29 *Juramentum in cauſa hæreſis præcipitur, quod in Suprema Inquiſitione ſervatur.*
30 *Sententia Scacciæ refellitur, & laudatur praxis exigendi juramentum de veritate dicenda.*

31 *Præ*

31 *Praxis citata ſervatur non ſolùm in Eccleſiaſtico foro, ſed ferè ubique locorum.*

32 *Comprobatur etiam ex Apoſtolo.*
Praxi citata jurandi ſublata, impii deſiderium adimpleretur, regendi proprias iniquitates. Ibidem,

33 *Praxis prædicta introducta eſt, ut à reis ipſis veritas per juramentum detegatur.*

34 *Juramentum non minùs reorum urget mentem ad veritatem dicendam, ſicut & tortura corpus.*

35 *Juramentum efficaciorem eſſe quibuſcumque tormentis experientia compertum.*

36 *Juramentum eſt medium neceſſarium, & unicum pro elicienda reorum veritate.*
Rei jurare renuentes, per torturam ad id compelluntur. Ibidem.

37 *Reus quoad ſe principalis, & teſtis quoad alios, neceſſariò jurare debet ad probandum.*

38 *Judex juramentum exigere poteſt à reo, etiam ſub ſuſpicione perjurii.*
Delatio juramenti in Civilibus, non Judici, ſed Actori, & in Criminalibus Juri imputatur. Ibidem.

39 *Interrogatio legitima reorum tunc expletur, cùm indicia ſufficientia prius illis manifeſtantur.*

40 *Sed quid de conſuetudine nunc ſervatur.*

41 *An Judices poſſint ſequi conſuetudinem exigendi à reis juramentum de veritate dicenda.*

42 *Communis opinio affirmat, ſed abrogandam eſſe aliqui cenſent.*

43 *Innocentius XII. exquiſito voto Sacræ Congr. Concilii ſuper abrogatione d. Conſuetudinis, nihil determinavit.*

44 *Conſuetudo, & praxis citata, evidentem pejerandi occaſionem præbet.*
Et ubi periculum pejerandi ſubeſt, abſtinendum à juramenti delatione. Ibid.

45 *Olim Epiſcopi in Synodo ſeptem, aut pluribus viris convocatis juramentum de criminibus revelandis ab eis exigebant.*
Refertur Sac. Congr. Concilii declaratio, ſuper juramento in Viſitatione, in Inquiſitionibus non exigendo pro detegendis Viſitandorum peccatis. Ibid.

46 *Juſtinianus abrogavit* l. Matres C. quando mulier tut. *cogentem Matres ad jurandum, ut ad ſecunda non tranſirent vota.*

47 *Miniſtri Cenſitoris in cenſu peragendo, ad jurandum Colonos adigebant, quod improbatur.*

48 *Celebre Platonis conſilium adfertur ſuper juramenti delatione.*

49 *Inutilitas delationis juramenti in criminalibus eruitur ex propriæ vitæ amore, & humanæ conditionis imbecillitate, ad pejerandum inducens.*
Martyres, non rarò vitæ amor, tormentis cedere cogit. Ibidem.

50 *Reus in criminalibus, ut vitam evadat, non ſemel, ſed millies pejerabit, ubi de experientia.*

51 *Principes, qui talem jurandi conſuetudinem abrogavere, an eorum expleverint in hoc partes, dubitatur.*

52 *Conſilium Panormitani, quod Clerici continere nolentes, matrimonium contrahere ſinantur, refellitur.*

53 *Panormitani conſilium tangit ferè omnes Divinas, & humanas leges, & Conſuetudines, ubi remiſſivè.*

54 *Commendatur Conſuetudo exigendi à Reis juramentum de veritate dicenda, ubi de ratione.*
Conſuetudo hæc jurandi in primis Eccleſiæ ſæculis viguit. Ibid.

55 *Juriſjurandi religio in primis Eccleſiæ ſæculis magis fervidè vigebat.*

56 *Perjurium in judiciis criminalibus, tàm frequenter non ſupponendum.*
Juriſjurandi reverentia, magis quàm tortura, ſæpè eruit veritatem. Ibid.
Petra Comment. Tom. IV.
Conſuetudo jurandi, multos à patrandis delictis removet. Ibid.

57 *Periculum mendacii, & periculum perjurii æquiparantur.*
Interrogare reos ob periculum mendacii an ſit licitum. Ibid.

58 *Abrogatio juramenti de veritate dicenda, non tollit ſuſpicionem illaqueandi animam.*
Imò evitat mendacium in interrogatione dicendum. Ibid.
Congregatio Concilii nihil in hac materia reſolvit. Ibid.

59 *Pejerantes in judiciis civilibus excluduntur à conſequutione petiti, & non admittuntur.*
Perjurium concludenter probandum, & quælibet cauſa, etiam levis excuſat. Ibid.

60 *Quarta hæreſis à Joanne in præſenti damnata, quòd non conficerentur Sacramenta per Sacerdotes peccatores.*

61 *Epiſcopi, & Sacerdotes in conficiendis Sacramentis, quomodo ſe habeant. Ibid.*
Valor, & efficacia Sacramentorum non eſt ex opere operantis, ſed ex opere operato. Ibid.
Sacerdos malus Corvo Eliæ aſſimilatur. Ibid.

62 *Meritum conſecrantis non attenditur in confectione Sacramentorum, ſed verbum Creatoris.*
Miniſtri probitas ad Sacramenti valorem non neceſſaria, ſed ſolum ut licitè fiat. Ibid.

63 *Quinta Novatorum hæreſis, Chriſti Evangelium in ſe ſolos eorum tempore eſſe completum, nunc verò extinctum aſſerebat.*
Quod fuit à Joanne hic damnatum. Ibid.

64 *Spiritus ſancti virtus Sanctam Eccleſiam ſicut ab initio, ita uſque ad ſæculi finem, ſemper nova prole fecundat.*

ERrores, ac hæreſes, quas Pſeudo-minoritæ fermè 1
inſanientes diſſeminarunt, faciliùs improbantur,
quàm quæ ſingillatim enumerari queant; adeò enim
ſtultè, fabulosè, ac vanitate tumidi loquuti ſunt, ut
delirare potiùs, quàm errare videantur. Unde Pontifex omnes quidem eorum errores damnat, ſed non
omnia refert, quæ iſti præſumptuoſi homines contrà 2
conjugii venerabile Sacramentum garriebant, quæque
ſomniabant de fine ſæculi, ac de Antichriſti adventu, quem jamjam inſtare flebili vanitate divulgabant;
hujuſmodi enim mendoſa commenta corruunt mole
ſua, dum nec ratione vigent, nec auctoritate conſtant,
nec aliqua veroſimilitudine fulciuntur. Vide, ſi libet,
Eymericum in directer. Inquiſit. par. 2. *quæſt.* 17. ubi fusè
eorum errores recenſet. Nobis autem ſatis erit brevi- 3
ter expungere quinque hæreſes eorumdem, in præſenti Conſtitutione damnatas.

Delirabant enim primò, aſſerentes, duas eſſe Eccle- 4
ſias: unam carnalem, divitiis affluentem, ſceleribus
maculatam, cui Romanum Præſulem, alioſque inferiores Prælatos dominari dicebant: aliàm ſpiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate ſuccinctam, in qua ſe ſolos, eorumque complices ponebant.
Hæc ſanè hæreſis eatenus Pſeudominoritarum propria
eſt, ut quoſcumque hæreticos comitetur; omnes enim
impii, dum de fide pravè ſentiunt, dum ab Eccleſiæ
unitate, ac obedientia per contumaciam deſciſcunt,
univerſitatem fidelium carni, ſe ipſos verò ſpiritui ſervire jactitant; miſeri non agnoſcentes, quòd dum ſe
ſolos ſpiritui deſervire volunt, verè ſpiritui ſuperbiæ
famulantur, & dum ſe, ſuumque cætum Eccleſiam
ſpiritualem eſſe credunt, verè extra Eccleſiam ſunt,
ac in conſortio Sathanæ. Præterea hæc aſſertio plures 5
in ſe continet hæreſes; derogat enim Eccleſiæ unitati,
tùm admittendo duas Eccleſias, tùm ſe ſubtrahendo
à legitimo Paſtore Romano Pontifice, tùm excludendo Eccleſiam carnalem à ſpirituali, quæ videtur eſſe
antiqua hæreſis Novatianorum, & Donatiſtarum aſſerentium, Eccleſiam eſſe congregationem juſtorum,
& excludentium ab ea peccatores, ut notant S. Auguſt. *de hæreſ. cap.* 69. Cyprian. *lib.* 4. *epiſt.* 2. Etenim

Digitized by Google

6 inter præcipuas Eccleſiæ proprietates eſt, quod ſit una,
cap. 1. §. *una vero de Summa Trinit.* de qua unitate lo-
quens D. Paul. *ad Epheſ.* 4. inquit: *Unum corpus, unus*
ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis ve-
ſtræ, unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Quic-
quid enim (ait *Clem. lib. 7. Stromat.*) magni æſtima-
tur, maximè propter unitatem commendatur, quia
unitas eſt imitatio unius principii, cùm unus Deus,
unuſque tantùm Dominus exiſtat; atque ea de cauſa,
Eccleſiam, quam in plures partes diſcindere conantur
hæreſes, unam eſſe ſecundùm hypoſtaſim, ſecundùm
conſiderationem, ſecundùm principium, ſecundùm
excellentiam, in unitatem unius Fidei. Hinc profe-
7 ctò eſt, ut quicumque plures, quàm unam Eccleſiam
agnoſcunt, verè eam non multiplicent, ſed potiùs im-
piè diſcerpant, ut notat S. Cyprian. *in lib. de unit. Ca-*
thol. Eccleſ. ibi: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, Ec-*
cleſia ejus una, Fides una; & plebs in ſolidam corporis
unitatem concordia glutino copulata, ſcindi unitas non
poteſt, nec corpus unum diſſidio compaginis ſeparari,
nec divulſis laceratione viſceribus in fruſtra diſcerpi.
8 Porrò hanc unitatem ſcindunt non ſolùm, qui duas,
vel plures Eccleſias admittunt, ſed etiam, qui à viſibili
Eccleſiæ capite Summo Pontifice ſe ſubtrahunt; Unitas
enim Eccleſiæ conſiſtit in profeſſione unius, & ejuſdem
fide, Baptiſmi, & Sacramentorum, ſub uno capite vi-
ſibili, ſcilicet Romano Pontifice, Turrecrem. *de Eccleſ.*
lib. 1. cap. 6. cum ſeqq. Suarez *adverſ. Regem Angliæ in*
princ. Cotiolan. *in ſumma Concil. prælud. 9.* Azor. *tom.*
2. Inſtit. moral. lib. 5. cap. 21. quæſ. 1. Perez *in Pentatheu-*
co fidei cap. 1. dub. 19. Unde communiter definitur Ec-
9 cleſia, quòd ſit cætus hominum ejuſdem Chriſtianæ
Fidei profeſſorum, & eorumdem Sacramentorum com-
munione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſto-
rum, & præcipuè unius Chriſti in Terris Vicarii Ro-
mani Pontificis, Bellarmin. *de Eccleſ. lib. 3. cap. 2. verſ.*
noſtra, Giballin. *de ſcient. Canon. lib. 2. cap. 1. quæſt. 1.*
a. 3. Ex quibus etiam expungitur error, quod ſcilicet
10 ſoli juſti ſint in Eccleſia, excluſis peccatoribus; nam
vinculum, quo Eccleſiæ unitas conflatur, & ejus
partes inter ſe colligantur, non eſt prædeſtinatio,
aut ſanctitas, ut malè ſentiebant Pelagiani, Jo: Vvi-
cleſ, Calvinus, aliique, ſed vocatio ad fidem, per
quam Judas, quamvis præſcitus, de Eccleſia erat, &
excludebatur ante ejus vocationem Saulus, quamvis
eſſet ad gloriam electus; inquit enim *Apoſtol. ad Ga-*
lat. 3. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem in Chriſto
Jeſu; quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chri-
ſtum induiſtis; proindeque idem oſtendit *1. ad Thimot.*
2. ubi dicit, Eccleſiam magnam domum eſſe, in qua
multa ſunt vaſa aurea, argentea, lignea, & fictilia,
ex quibus quædam ad gloriam, quædam ad contu-
meliam ſunt deſtinata. Unde dicendum eſt, verita-
tem Catholicam eſſe, non ſolùm juſtos, & prædeſti-
natos, ſed etiam peccatores, & malos in Eccleſia eſ-
ſe, dummodò per fidem in ea ſint, ut latè probat
Bellarmin. *cit. lib. 3. cap. 9.*

11 Secundò errabant Pſeudominoritæ aſſerentes, Vene-
rabiles Eccleſiæ Sacerdotes, alioſque Miniſtros omni
Eccleſiaſtica juriſdictione privatos eſſe, proindeque
Sacramenta conficere, ſententias ferre, ac ſubjectum
ſibi Populum inſtruere non valere; omnemque Eccle-
ſiaſticam juriſdictionem penes ipſos, eorumque aſſe-
clas eſſe; Ita Donatiſtarum hæreſi adhærentes, qui,
ut refert D. Aug. *contr. Gaudent. lib. 2. in fine*, volebant
Eccleſiam ob hominum peccata defeciſſe, ac tantùm
apud ipſos permanere. At hanc impietatem facilè
12 ſemper fuit confutare, attendendo veræ Eccleſiæ no-
tas, ſeu characteres, qui ſunt, quòd ſit una, ſancta,
Catholica, Apoſtolica, juxtà illud Symboli: *Credo in*
unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccle-
ſiam, quas ſanè notas in Eccleſia Catholica tantùm,
non autem in hæreticorum Synagogis, ac conventiculis
Sathanæ erit invenire; Etenim inquit Tertull. *de præſcr.*
cap. 31. Edant hæretici origines Eccleſiarum ſuarum,
evolvant ordines Epiſcoporum ſuorum. Reſpondeant
ſanè eidem Tertulliano interroganti: *Quis eſtis? Quan-*
do, & unde veniſtis: reſpondeant *Optato Milevitano*
adverſ. Parmen. lib. 1. Veſtræ Cathedræ vos originem
oſtendite, qui vultis vobis Sanctam Eccleſiam vindi-
care. Reſpondeant item D. Hieronym. *ep. 65. ad Ocean.*
& Pammac. Cur poſt quadringentos annos docetis nos,
quos ante neſcivimus? uſque in hanc diem ſine iſta do-
ctrina Mundus Chriſtianus fuit. At his tantorum Vi-
rorum poſtulationibus nihil habent, quod reſpondeant
hæretici; Audiant idcircò S. Hieronymum *contr. Par-*
men. docentem: *In illa eſſe Eccleſia permanendum,*
quæ ab Apoſtolis fundata, uſque ad hanc diem du-
rat.

Tertius Pſeudominoritarum error erat, quòd dicerent, 13
in nullo eventu eſſe jurandum, ac mortaliter pecca-
re contrafacientes; quod etiam priùs docuerunt Vval-
denſes, Albigenſes, & Gerardus Segarellus, de quo
dixi *tom. 3. ad Conſt.* 1. Honorii IV. idemque poſt eos
tenuerunt Jo: Vvicleph, Calviniſtæ, & Anabaptiſtæ, qui
error præſertim fuit damnatus in Concilio Conſtantien-
ſi, & refertur in *Conſt.* 1. Martini V. Ducebantur au- 14
tem ad ita ſentiendum ex verbis Chriſti, *Matth.* 5. 34.
ibi: *Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque*
per Cælum, neque per Terram, neque per Hieroſolymam,
neque per caput tuum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt,
non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt;
& concinunt verba D. Jacob. *in Ep. Cathol. cap.* 5. 12. ex
quibus inferebant, Chriſtum juſjurandum in univerſum
interdixiſſe, adeòut olim quidam Ethnici, Chriſtianos 15
aliquando ex neceſſitate jurare ſolitos, tamquam Evan-
gelii violatores objurgarent, & accuſarent, ut refert
Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 2. qu. 3.* Nihilominùs veritas Ca-
tholica eſt, juſjurandum ex ſe malum non eſſe, qui-
nimò permiſſum cenſeri neceſſitate, aut juſta cauſa
concurrente, ac ceſſantibus iis, quæ juramentum illi-
citum faciunt, ut latè probat D. Aug. *relatus in can. 1.*
cum ſeqq. 22. qu. 1. D. Th. 2. 2. *qu. 89. art.* 2. Innocent.
III. *in cap. etſi Chriſtus de jurejuran.* ubi Cujacius, &
DD. communiter. Quandoquidem tantùm abeſt, jura- 16
mentum ex ſe malum eſſe, ut potiùs ſit Deo valdè ho-
norificum, dum per illud Deus, uti ſuprema, & in-
fallibilis veritas aſſumitur, eumque in teſtem eorum,
quæ aſſerimus, invocamus, D. Thom. *loc. cit. art.* 1. Spe-
ciemque eſſe Cultus Divini, qui utique non eſt dandus
Creaturæ, ſed Creatori, ut Apulejus de Deo Socratis,
loquens de jurejurando: *Summo Deorum hic honor pro-*
prius eſt, nam & juſjurandum dicitur, ut ait Ennius,
ubi juſjurandum quaſi Jovis juſjurandum ſignificat, ut
alibi, *Fides alma apta pennis juſjurandum Jovis*, dixit.
Et *Nevius apud Nonium: Jus Sacratum Jovis jurandum*
ſanguine. Et Tertullianus *lib. de Idolis: Quis per quos*
dejerat, non honorat? (verba ſunt interrogantis) ſi-
gnificans honore affici eum, per quem juratur. Unde 17
multoties in Sacris Literis, dare gloriam Deo, idem
eſt, ac jurare de veritate dicenda, Joſue *cap. 7.* Jo: *cap.*
9. & notant Cornel. à Lapide *in Joſue pag.* 36. Menoch.
ibid. in Bibl. max. tom. 3. pag. 627. Gonzalez *in cap. Et ſi*
Chriſtus nu. 12. de jurejur. Porrò quamvis juramentum 18
ex ſe licitum ſit, ac Deo honorificum; non tamen in-
ter ea eſt ponendum, quæ ex ſe bona ſunt, & appe-
tenda, uti eſt juſtitia, caſtitas, & ſimilia; ſed inter ea,
quæ non aliàs bona ſunt, niſi poſita aliqua neceſſita-
te, quo ſenſu medicinam bonam dicimus, cùm tamen
ea, niſi infirmitate præmente, non utamur, ut rectè ad-
vertit D. Thom. *loc. cit. art.* 5. Leſſius *de juſt. lib. 2. cap.*
31. dub. 3. n. 15. ubi juramentum aſſimilat torturæ, illud-
que vocat torturam ſpiritualem; quemadmodum au-
tem medicina non utimur, & torturam non adhibe- 19
mus, niſi adſit neceſſitas, vel notabilis utilitas; ita
cùm juramentum ſit remedium aſſumptum ad ſupplen-
dum fidei humanæ defectum, ex quo multoties unus
homo alteri non credit; uſurpandum non eſt, niſi ra-
rò, & aliqua neceſſitate urgente, ne aliàs nomen Dei
in vanum aſſumatur; Atque in hoc ſenſu intelligenda 20
ſunt adducta verba Evangelii, ubi non dicitur, jura-
mentum eſſe malum, ſed eſſe à malo; nec totaliter
uſus juramenti prohibetur, ſed tantùm ut illud non uſur-
pemus, niſi ex neceſſitate, & in defectum fidei huma-
næ;

næ; Unde D. Aug. *in Can. 7. 22. qu. 1.* inquit: *Tu malum non facis, qui benè uteris juratione, quæ etſi non bona, tamen neceſſaria eſt, ut alteri perſuadeas, quod utiliter perſuades; ſed à malo eſt illius, cujus auctoritate jurare cogeris.* Et rectè concludit Pontifex in præſenti, bonum eſſe juramentum, per quod veritas rerum Divino teſtimonio confirmatur, ſed malum eſſe illi, qui eo malè utitur, & à malo infirmitatis humanæ eſt, ut aliquis verum proferens jurare cogatur. Jurari enim ideò prohibet Evangelium, ut ne falsò, aut leviter ſeù temerè, ac citra neceſſitatem juretur. Liberum ergo,
21 licitumque juramentum eſt, ubi procul ſunt hæc jurandi vitia, ac conditiones ad religiosè, & ſanctè jurandum concurrant, quas DD. communiter eliciunt ex illo *Hierem. 4. Jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Quaſi dixiſſet: Quiſquis es juraturus, cogitandum ſibi ſeriò proponas, qualis, & quanta ſit jurisjurandi religio, quibus te obnoxium facias, dum in tuæ aſſertionis comprobationem, teſtem Deum ultorem invocas, quæque te expectent mala, ſi Deum in teſtem, & judicem falſitatis invocas; proinde non aliàs te jurare debere ſcias, niſi pro veritate, & ad veritatem comprobandam; nec niſi pro re ſeria, & gravi, pro re juſta, & debita comprobanda, & ex *Pſ. 62. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, ſicut & David, & reliqui Prophetæ uſi fuerunt frequenter his verbis: *Vivit Dominus*, quæ continent ſpeciem juramenti; Imò & D. Paulum pro auditorum diffidentia juraſſe, refert Zoeſius *in comment. lib. 2. decretal. tit. 24. de jurejurando n. 3.*

22 Quinimò non ſolùm, qui jurat, hæc una ſe cum penſitare debet, ſed etiam quiſquis ab altero juramentum exigit, ſeù ad jurandum provocat; hìc enim non eſt criminis expers, ſi ſciens, aut vehementer ſuſpicans quem eſſe falsò juraturum, jusjurandum ab eo exigat, ut inquit S. Aug. *in can. ille qui, & can. qui exigit 22. qu. 5.* ibi: *Ille qui hominem provocat ad jurationem, & ſcit eum falſum juraturum eſſe, vincit homicidam, quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam: imo duas animas, & ejus animam, quem jurare provocat, & ſuam*, & conſonat *Gelaſius Papa in can. ſi quis ead. cauſ. & qu.* ubi æquè pœnitentiam ſeptem annorum injungendam dicit ei, qui pejerat, & ei, qui alios ſciens in perjurium inducit. Unde eſt, ut abſtinendum ſit à deferendo juramentum illi, quem ſcimus, aut probabiliter putamus eſſe perjuraturum, Eſtius *in comment. ſent. tom. 1. lib. 3. diſt. 39. §. 5.* Fagn. *in cap. conſtitutis il 2. de appellat. n. 7.*

23 Quòd ſanè abſolutè procedit ſi his, qui ad jurandum provocat ſit perſona privata, ſecùs ſi ſit perſona publica, & juramentum exigat ex officio; Etenim quamvis D. Aug. *loc. cit.* indiſtinctè loquatur, & nihil exceptum cenſeatur, dum diſtinguitur nihil, ut inquit D. Bernard. *de conſid. lib. 2. cap.* 8. Nihilominus S. Thom. 2. 2. *qu.* 98. *art.* 4. S. Bonavent. *in 3. ſent. diſt. 39. in expoſit. lit. dub.* 5. S. Antonin. 2. *p. ſummæ tit.* 10. *cap.* 7. §. 3. Alenſis 3. *p. ſummæ q. 31. art.* 6. §. 1. Zoeſius *in comment. lib. 2. Decret. tit. 24. de jurejur. n.* 12. proponentes quæſtionem, an fas ſit exigere juramentum ab eo, quem ſcimus eſſe perjuraturum, diſtinguunt inter perſonam privatam, & publicam, intelligentes D. Auguſt. de perſona privata, jure privato juramentum exigente, non autem de publica, quæ illud exigit ex debito juſtitiæ, & uti perſona publica, quo caſu non ipſe Judex videretur exigere, ſed jus, ſeù ille, ad cujus inſtantiam juramentum exigit, ut etiam notat Gloſſ. *in can. Presbyter 15. qu. 5. verſ. Sacramento*, ibi: *Non potes dicere, quod eum Epiſcopus cogat ad perjurium, ſed potiùs Canon cogit ipſum jurare*; accedente etiam, quia Judex exigendo à reo juramentum, utitur jure ſuo, & per ſe, ac ratione officii habet legitimam cauſam, & tale juramentum publicè datum habet ſuum finem, & efficaciam in ordine ad ſcientiam publicam, quam Judex ſequi tenetur, nec abſtinere debet à petendo actum cum gravi da-
24 mno, quem quis benè, aut malè præſtare poteſt, quamvis ex ſua malitia ſit malè præſtiturus, ut ratiocinantur Suarez *de relig. tom. 2. lib. 3. tit. de juram. cap. 23. n. 10. & 17.* Sanchez *in ſumma lib. 3. cap. 8. num. 7.* Leſſius *de juſtitia lib. 2. cap. 42. tit. de juram. dub. 10. n. 49.* Pax Jordan. *tom. 3. lib. 14. tit. 22. n. 55.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 11. q. 2.* Richard. Mediavill. *in 3. ſentent. diſt. 39. art. 3. quæſt. 3.* Bonacin. *tom. 2. ad 2. precept. Decal. diſp. 4. qu. 1. pun. 11.* Matth. Rentius *lib. 2. tract. 2. c. 1. ſect. 2. q. 13.* ubi quòd ſicuti licitum eſt exigere ab altero
id, quod licitè facere poteſt, etiam ſi ſciam illum in ea 25
actione peccaturum, dummodò neceſſitas cogat, & non petatur ipſa actio peccaminoſa; ita licitum erit juramentum exigere ab eo, quem ſcio perjuraturum, nam juramentum licitum eſt, nec tali caſu exquiritur perjurium, ſed tantùm permittitur.

Porrò quamvis ex dictis ſequi videatur, poſſe Judi- 26
cem nedum in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus, aut mixtis exigere juramentum à perjuraturo, cùm D. Thomas communiter receptus indiſtinctè loquatur, ac proinde utraſque cauſas comprehendat; Nihilominus cùm quoad cauſas criminales peculiares ſubſint conſiderationes, ac diverſa occurrant conſideranda; ideò hìc diutiùs inſiſtere oportet. Etenim quoad cauſas criminales tria quæri poſſunt. Primùm an in eis licitum ſit juramentum de veritate dicenda à reis exigere: Secundò an licitum ſit exigere idem juramentum à reis perjuraturis: Tertiò an expediat abrogari uſum exigendi à reis hujuſmodi juramentum.

Quoad primum, quamvis nonnulli, inter quos Na- 27
tal. Alexan. *to. 9. Theol. dogmat. cap. 4. reg. 22.* voluerint, à reis juramentum exigi non poſſe in cauſis criminalibus, in quibus cùm imponatur pœna mortis, aut alia gravis, vix eſt, qui pro ea vitanda non perjuret. Contrarium tamen probatur tum ex jure, tum ex recepta conſuetudine. Et quidem in Lege veteri id pluries cautum eſt, ut ex *lib. Exodi cap. 22. Numeror. cap. 5. Deutron. cap. 21. Joſue cap. 7.* in quibus locis quamvis ageretur de criminibus etiam graviſſimis, uti ſunt furtum, adulterium, homicidium, pro quibus reo inſtabat maxima pœna, proindeque prudenter timeri poterat ipſum eſſe perjuraturum, attamen pro veritate comperienda Deus ibi præcipit exigi à reo juramentum de veritate dicenda. Idemque cautum eſt Jure Canonico in *cap. ex literis de jurejur.* ubi pro comperienda veritate in cauſa uſurarum, jubet Pontifex cogi partes per cenſuras ad præſtandum hujuſmodi juramentum; ſimiliter in *cap. cum dilect: de accuſat.* ubi agebatur de graviſſimis criminibus dilapidationis Eccleſiæ, ſimoniæ, & aliorum. Conſonat etiam Jus Civile in *l. ſi duo patroni §. item ff. de jurejur. l. furti §. qui juſſu ff. de his qui notantur infam.* ubi ſupponitur, in cauſis criminalibus juramen-
tum reis deferri; Etenim apud Romanos quemadmo- 28
dum à ſervis per tormenta veritas extorquebatur, ita ab homine libero per juramentum, ut refert Plutarchus apud Saleron. *in comment. Evang. tom. 5. tract. 4. §. in primis igitur, fol. mihi* 244. inquiens: *Juramentum pro tormento homini libero eſſe, Romani etiam dicerent, à ſervis veritatem per tormenta extorquendam, à cive juramento, à Sacerdote ſolo verbo.* Ulteriùs inter cauſas criminales maxima eſt cauſa hæreſis, & tamen in ea
defertur reis hujuſmodi juramentum, ad normam *Con-* 29
cilii Biterren. cap. 4. ut refert Salced. ad Diaz *cap. 127. verſ. quamvis opinionem*; quod etiam colligitur ex *Conſtit. 1.* Martini V. ubi præcipitur, ut Epiſcopi, & Inquiſitores omnes infamatos, & ſuſpectos de hæreſi jurare compellant ſuper interrogatoriis ad articulos ibi propoſitos; & his conformis eſt moderna praxis Supremæ Inquiſitionis, ut referunt Lupus *in Edicto Inquiſit. p. 1. lib. 2. art. 2. diffic. 2. verſ. octavo*, & modernus D. Paſqualon. *in Sac. Arſenal. p. 2. pag. 130. & 136.* Cùm igitur hujuſmodi juramenti delatio comprobetur Jure tum Divino, tum Canonico, tum Civili, patet quàm leviter Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 12. n. 9.* aſſeruerit,
non reperiri lege cautum, quod reo ſit deferendum hu- 30
juſmodi juramentum. Patet etiam, ſolidiſſimis fundamentis fulciri in omnibus Tribunalibus receptam praxim exigendi à reis in eorum conſtituto juramentum de veritate dicenda; Quæquidem praxis antiquiſſima eſt, & de ea teſtantur ferè omnes hac de re ſcribentes, inter quos Bartol. *in l. 1. ſub num. 6. Cod. de juram.*

Digitized by Google

calum. & *in l. Marcellus* §. 1. *num.* 1. *ff. rerum amotar.*
Angl. *de maleſic. pag.* 204. *verb. comparuerunt*, Gomez
de delict. cap. 1. *num.* 65. Bertrand. *lib.* 3. *conſ.* 321. *nu.* 3.
Farinac. *qu.* 160. *nu.* 297. Valer. *de differ. utriuſque fori
ver. juramentum differ.* 2. *num.* 2. Bobadill. *in polit. tom.*
1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 61. & 62. & quod ita ſervetur in
31 Statu Eccleſiaſtico, & ferè ubique locorum, tradunt
Carthar. *pract. interrog. reor. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 15. Triviſan.
de modo crimin. proced. cap. 13. *n.* 3. Guazzin. *ad defenſ.
anim. defenſ.* 4. *cap.* 28. *num.* 24. Idemque in Gallia, &
Hiſpania ſervari referunt Franc. Marc. *deciſ. Delphin.*
672. Diaz. *cit. cap.* 127. *n.* 4. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 12.
nu. 5. ubi plures Hiſpaniæ leges id ſtatuentes affert;
Eademque praxis nedum in Tribunalibus Sæcularibus,
ſed etiam Eccleſiaſticis, & Regularium recepta eſt,
ut apud Villagut. *in pract. crim. canon. lib.* 4. *tit. de de-
lat. juram. cap.* 1. & *tit. de forma jur. cap. unico*, Suarex
de Paz *in praxi Eccleſ. tom.* 1. *p.* 5. *cap.* 3. §. 4. *n.* 4. & 8.
Pellegr. *in praxi Vicar. p.* 4. *ſect.* 9. *numer.* 46. Bordon. *in
prax. crim. Regular. cap.* 67. *n.* 3. Paſſerin. *in Trib. Regul.
quæſt.* 11. *art.* 2. *n.* 32. *in fin.* & *quæſt.* 22. *nu.* 4. Idemque
comprobatur ex verbis *Apoſtoli* 6. *ad Hebræos* 16. ibi:
32 *Omnis controverſiæ finis eſt juramentum*, ubi nulla con-
troverſia excipitur, adeòque etiam comprehenduntur
cauſæ criminales; & quidem majori ratione, nam in
eis urgentior ratio concurrit, pro juramento à reis
exigendo; dum impii, quibus præcipua cura eſt pro-
prias iniquitates obtegere, ut plurimùm ita delin-
quunt, ut delictorum probationem impoſſibilem, vel
valdè difficilem reddant, adeòut rari ſint caſus, in
quibus ex aliis probationibus reus plenè convictus di-
ci valeat pro pœna ordinaria infligenda. Ne igitur
difficultas delicta probandi, incentivum præbeat de-
linquendi, ampliandæ fuerunt viæ pro delictis dete-
gendis; unde jure meritò ſtatutum, ac uſu receptum
33 eſt, ut ab ipſis reis per juramentum veritas extorque-
retur; accedente etiam, quod ſecuritati Reipublicæ
intereſt, ne delicta maneant impunita; *leg. congruit ff.
de offic. Præſid. leg. ſi à reo §. finali ff. de fidejuſſorib.* in
Reipublicæ enim corpore quidquid peſtiferum eſt,
amputandum eſt, ut totum corpus ſanum ſit, ut in-
quit Plato *lib.* 9. *de legibus*.
34 Quinimò à reis veritas per juramentum æquè, ac
per torturam extorquetur; nam ultraquod juramentum
ex ſe eſt medium ad veritatem eliciendam, *cap. cæte-
rum de juram. calumniæ*, congruè etiam comparatum
eſt torturæ, cum non peſſimam mentem non minus ur-
geat ad veritatem dicendam, quàm tortura, ut inquit
Leſſ. *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 3. *n.* 15. ea enim eſt jura-
menti vis, ut ad inſtar ſpiritualis torturæ jurantis ani-
mum angat, ac veritatem fateri compellat, dum enim
ſpiritus torquetur, ſpiritus confitebitur, Abb. *in cap.
per tuas n.* 11. *de probat.* Vveſembec. *conſ.* 23. *n.* 25. Vi-
vius *comm. opin.* 903. *n.* 4. Navarr. *in rubr. de judic. num.*
52. & *in can. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concl.* 6. *coroll.* 65.
n. 348. ubi aſſerit, experientia compertum eſſe, jura-
35 mentum efficaciorem quibuscumque tormentis, dum
multoties veri Chriſtiani ob juramenti reverentiam
faſſi ſunt id, quod fateri noluerunt metu tormento-
rum, eligentes potius amittere vitam, quàm ad ſuum
mendacium colorandum divinam veritatem adducere.
Cùm igitur jusjurandum torturæ ſpeciem præſeferat,
ac medium ſit ad veritatem comperiendam, jure ad-
hibitum eſt pro veritate ab ipſis rei extorquenda;
36 imò quandoque eſt medium neceſſarium, & unicum
pro elicienda ab eiſdem veritate; contigit enim non
raro, reos ob infirmitatem torqueri corporaliter non
poſſe, vel ob dignitatem non debere; quo caſu jura-
mentum unicum eſt remedium pro veritate elicienda.
Hinc non ſine ratione receptum eſt, quod ſi rei ju-
rare renuant, per torturam ad id compelluntur, ut
ſervari in praxi referunt Claris *in praxi §. finali quæſt.*
45. *n.* 6. ubi Bajard. *n.* 5. qui teſtantur, ita fuiſſe ſerva-
tum in Senatu Mediolanenſi, Villagut. *in praxi crim.
lib.* 4. *tit. de delat. juram. cap.* 1. *concl.* 11. Lucarell. *qu.
crimin. inſpect.* 5. *n.* 106. *cum ſeqq.* Cavalcan. *de Brach.*
Reg. *p.* 3. *n.* 69. Guazzin. *ad defenſ. reor. defenſ.* 20. *cap.*
1. *in fin.* Farinacc. *quæſt.* 160. *n.* 297. Quòd ſanè procul-
dubio procedit, ſi agatur de reo, qui quoad ſe ſit 37
principalis, & teſtis quoad alios, quo caſu omninò
neceſſaria eſt hujuſmodi juramenti delatio, aliàs ejus
depoſitio non jurata nullam probationem faceret, ut
ex *Textu in leg. jurisjurandi, l. teſtium Cod. de teſtib.
cap. nuper eod. tit.* communiter tenent DD. apud Fari-
nac. *quæſt.* 74. *n.* 1. idemque practicatur etiam in locis,
ubi juramentum reis alias non defertur, ut de Statu
Sabaudiæ tradit Sola *ad conſuetud.* Sabaud. *tit. de jurejur.
gloſſ.* 13. *nu.* 8. & de Hetruria Sabell. *in ſumma §. jura-
mentum n.* 59.
Poſito igitur poſſe à reis in cauſis criminalibus ju- 38
ramentum de veritate dicenda exigi, ſequitur reſolu-
tio affirmativa ad ſecundum propoſitum dubium, poſ-
ſe ſcilicet Judicem juramentum exigere à reo, etiam
ſi vehementer ſuſpicetur ipſum eſſe perjuraturum, ut
apud Scacc. *cit. lib.* 1. *cap.* 86. *n.* 27. Chartar. *de interrog.
reis lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 15. & *ſeq.* Scappus *de jure non ſcript.
lib.* 5. *cap.* 65. *nu.* 5. *verſ. licet hæc practica*, quia ex ha-
ctenus firmatis, juxta ſententiam D. Thomæ commu-
niter receptam, delatio juramenti facta perjuraturo per
Judicem, non imputatur ipſi, ſed actori, ſi cauſa ſit
civilis; vel juri, ſi criminalis, ut ſuperiùs dixi; Et qui-
dem ſi nemo negat, exigi poſſe in cauſis civilibus jura-
mentum à perjuraturo; majori ratione idem dicendum
erit in criminalibus, tum quia criminum probationes
longè difficiliores ſunt, tùm etiam quia maximè expedit
Reipublicæ ne delicta maneant impunita, ut diximus.
Nec credo faciendam eſſe magnam vim in eo, an ſci-
licèt Judex reum interroget, eique juramentum defe-
rat, dum reo non adhuc conſtat ſe juridicè interroga-
ri, ad quem effectum requiritur, ut in proceſſu ſit ſe- 39
miplena probatio, vel infamia, aut indicia ſufficientia;
quòdque hæc ipſi reo manifeſtata ſint una cùm capi-
tulis inquiſitionis, atteſtationibus, & nominibus te-
ſtium, ut ex *Textu in cap. qualiter*, & *quando el* 2.
de accuſat. tradunt fusè Buccaron. *differ.* 23. *verſ. quini-
mo*, Valaſc. *de judic. rubr.* 14. *annot.* 4. *nu.* 13. & *annot.*
5. *n.* 29. *cum ſeq.* & alii apud Diana *parte* 3. *tract.* 5. *re-
ſol.* 91. & *par.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 43. Del Bene *de juramen.
dub.* 17. *nu.* 3. Raynal. *obſervat. crim. tom.* 2. *cap.* 20. *ſup-
plet.* 1. *n.* 12. & 13. Etenim quidquid ſit de jure, aliud 40
certè eſt ex conſuetudine, ut notat Clarus *quæſt.* 45.
verſ. ſed quid ſi reus, Paſſerin. *in cap. poſtquam nu.* 88.
de accuſat. quæ quidem conſuetudo ſatis rationabilis
eſt, aliàs dare reis ante eorum conſtitutum copiam in-
formationum, eſſet eos inſtruere pro veritate occul-
tanda in grave præjudicium Fiſci, & boni publici,
quod bono privato ipſius rei præponderare debet;
ideòque neceſſarium videtur, ut ante publicationem
reo non pandantur depoſitiones, & nomina teſtium,
ne hæc ſecreta pandendo, informationis opus deſtrua-
tur, ut ad rem obſervat Matth. Sanc. *de re crimin. contr.*
25. *num.* 6.
Quamvis autem forſan non ſit, qui inficietur, de- 41
bere, aut poſſe Judices ſequi conſuetudinem exigendi
à reis juramentum de veritate dicenda; non tamen de-
ſunt, qui aſſerant, hunc uſum habere ſecum manife-
ſtam occaſionem pejerandi, proindeque expedire, ut à
Summo Principe aboleatur, Clarus *in praxi §. Finali
quæſt.* 45. *n.* 9. *in fin.* Scaccia *cit. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 9. Hy-
polith. de Marſil. *in l. quæſtionis habendæ n.* 73. *ff. de quæ-
ſtion.* Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *nu.* 5. Jo. Valer. *de
differ. utriuſque fori ver. Juramentum differ.* 2. Bruneman.
de Inquiſit. cap. 8. *ſect.* 1. *n.* 77. Leſſ. *de juſtit. lib.* 2. *cap.* 3.
dub. 3. *num.* 21. Gaill. *obſervat. pract. lib.* 1. *obſerv.* 85.
num. 4. Scapp. *cit. cap.* 65. *num.* 5. Sarn. *in prax. crim.
formula* 50. *num.* 25. Del Bene *de juram. dub.* 17. Fari-
nacc. *cit. quæſt.* 160. *num.* 297. & alii paſſim, qui licèt
aſſerant, Judices non poſſe, aut non debere propria
auctoritate ab hac conſuetudine recedere; omnes ta-
men eam, utpotè perjuriorum januam vituperant, &
damnant, ac Principibus abolendam proponunt. Nec
eorum vota omninò vacua fere, nam ſenſim in nonnul-
lis Italiæ locis dicta conſuetudo abrogata eſt, ut de
Ducatu Sabaudiæ teſtatur Sola *loc. cit. gloſ.* 13. *num.* 8.
de Du-

Digitized by Google

de Ducatu Mantuæ Cyriac. *contr.* 322. *n.* 35. & de Du-
catu Hetruriæ, Sabell. *in ſumma verb. Juramentum nu.*
59. ubi quòd de Anno 1679. ex mandato Magni Du-
cis fuit abrogata conſuetudo deferendi juramenta reis
de veritate dicenda in cauſis quibuſcumque crimina-
libus, & mixtis, excepto ſi uti teſtes in caput alie-
num, vel quoad alios examinantur; idemque Decre-
tum refert Terentius Fantonus in calce particularis
diſcurſus ſuper hac controverſia editi. Tandem hæc
43 exempla probantes nonnulli religioſiſſimi viri, eam-
dem conſuetudinem, tamquam animarum illaqueati-
vam, generaliter abrogandam propoſuerunt fa: me: In-
nocentio XII. qui in re adeò gravi exquiri voluit vo-
tum Sac. Congregat. Concilii; in qua ſub die 6. Ju-
lii 1697. propoſito dubio, an expediret præfatum uſum
per Summum Pontificem abrogari, demandatum fuit,
ut ſcriberent Theologi, & Canoniſtæ; nec, quod vi-
derim, res ulteriorem habuit progreſſum, forſan quia
doctiſſimi, ac peritiſſimi viri, qui à Sac. Congrega-
tione requiſiti hac in re ſcripſerunt, frequentius ab-
rogationem diſſuadebant.

44 Negari non poteſt, magna eſſe, & urgentiſſima
motiva abrogationem ſuadentia, quæ quidem ad duo
præcipua capita reduci poſſunt. Unum eſt, quòd hæc
praxis inutilis ſit, & aliundè evidentem pejerandi oc-
caſionem præbeat. Alterum, quòd aliàs Summi Pon-
tifices deferri juramentum prohibuerint, quotieſcum-
que perjurii periculum ſubſit; quod ſecundum evinci-
tur primò ex *cap. Clericos de cohabit. cleric.* ubi Ale-
xander III. Archiepiſcopo Salernitano reſcribens, in-
quit, ſe nolle Clericos, qui Concubinas publicè reti-
nent, ad eas abjurandas compelli, ne in eamdem for-
nicationem diabolico inſtinctu redeuntes, periurii rea-
tum incurrant. Ex quibus Gloſſa *ibidem ver. redeun-
tes* colligit, quod non eſt injungendum alicui per ju-
ramentum, quod veroſimile eſt, quòd non debeat ob-
ſervare, & generaliter ibi Abbas *nu.* 2. Gonzal. *nu.* 5. &
alii notant, non eſſe deferendum juramentum illi, con-
tra quem vehementer præſumitur de tranſgreſſione. Si-
45 militer olim permiſſum erat Epiſcopo in Synodo, ſe-
ptem, aut plures veraciores viros advocare, & ab eis
juramentum de criminibus revelandis exigere, ut ex
can. Epiſcopus 25. *qu.* 6. dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 13. Clem.
IV. *n.* 4. Et tamen id in Viſitatione illicitum pluries
declaravit S. Congr. Concilii, ut in *Burgen.* 26. *Au-
guſti* 1594. *lib.* 8. *Decr. fol.* 56. *à ter.* ubi, quòd in Viſi-
tatione, quando fit inquiſitio, quæ præparatoria voca-
tur, non liceat Epiſcopo, ad detegenda viſitandorum
peccata, per edicta publica monere homines ſub excom-
municationis pœna ad revelandum; neque in ea exigere
juramentum à viſitatis; ac aliud ſimile decretum refert
Epiſcopus Chriſpin. *in Viſit. Paſtor. part.* 1. §. 11. *nu.* 4.
Genuen. *in praxi cap.* 33. *nu.* 6. Hac etiam ratione Juſti-
46 nianus *in novell.* 94. *tit.* 4. abrogavit vetuſtiſſimam le-
gem, contentam *in leg. Matres Cod. quando mulier tut.
offic.* quæ Matres, liberorum tutelam ſuſcipientes, co-
gebat ad jurandum quod ad ſecunda vota non tran-
ſirent: *Quia*, inquit, *multam habemus formidinem,
ne facile jusjurandum per magnum Deum detur, & hoc
prævaricetur: propterea credimus oportere, & hanc
emendare legem, quæ vult matres, dum ſuorum filiorum
curam geſturæ ſunt, jusjurandum jurare, quod ad ſecun-
das nuptias non venient: & toties ſcimus prævarica-
tam legem, & jusjurandum periurio datum, quoties pe-
nè datum eſt, ut peccatum apertiſſimum eſſet, quia hoc
intulimus jusjurandum ad prævaricandum: non enim eò
quod aliquæ ſervaverunt jusjurandum, propterea opor-
tet, & eas, quæ exhonorant eum, habere occaſionem im-
pietatis in Deum; nam quod rarò fit (ſicut etiam vetus
ſapientia docet) non obſervant Legislatores, ſed quod fit
47 plerumque & reſpiciunt, & moderantur:* Eumdem uſum
improbat D. Baſilius Magnus *ep.* 305. qui cùm cerneret,
ab Imperii Romani Cenſitore, ſivè Cenſore ejuſque
Miniſtris in cenſu peragendo, colonos ad juramentum
præſtandum adigi, in qua re obvium erat periculum
pejerandi, præſertim quoad homines idiotas, & pau-
peres; paſtorali zelo æſtuans exclamat: *Per omnes uſ-
que Synodos, & Conventus publicos conteſtari non in-
termitto: per omnes omninò privatos congreſſus de ea-
dem re diſſerere non deſiſto: Juramenta non eſſe in pu-
blicis exactionibus à colonis exigenda per Reductores:
Reliquum eſt de iis, & per litteras coram Deo, & ho-
minibus proteſtari, non eſſe vobis illi inſtituto inſiſten-
dum adhuc ulteriùs, quo mortem animabus inferatis: alias
vobis eſſe ineundas, excogitandaſque rationes exactionum,
& nequaquam vulnerandas hominum animas eſſe:* Quod
etiam agnoſcens Divinus Plato *lib.* 12. *de legib. ait:* 48
*Prudens legislator in Judiciorum executione jusjurandum
litigantium prohibebit, ut tàm accuſatoris intentio, quàm
defenſoris deprecatio ſine jurejurando in judiciis conſcri-
batur; nam ſi jurandi licentia in Civitate cuique dabi-
tur, ubi plura quotidie ad Judices deferuntur, omnes pe-
nè periuri erunt.*

Inutilitas autem delationis juramenti in cauſis cri- 49
minalibus, præſertim capitalibus, & manifeſta in hoc
actu occaſio pejerandi, obvia eſt, ſivè humanæ con-
ditionis imbecillitatem penſemus, ſivè reorum nequi-
tiam attendamus. Propriæ enim vitæ amor cuique à
natura inſitus, tantus eſt, ut vix ſit, qui mortem, cùm
poſſit, non declinet, quamvis non ſine peccato. Vo-
luiſſe enim quandoque, veritatem fatendo, morti ob-
viam ire, tamquam Divinæ gratiæ, ac eximiæ virtutis
opus in Martyribus admiramur, ac colimus; & tamen
hos Chriſti Athletas non rarò vitæ amor tormentis ce-
dere coegit. Quod igitur expectandum eſt à flagitioſiſ-
ſimis hominibus, qui parum, aut nihil curantes æter-
na, terrenis tantùm adhærent. Fatebuntur forſan veri-
tatem ob juramenti religionem? *Sed cui dubium* (*inquit
Marſil in prax. crim.* §. *Poſtquam num.* 4.) *quòd Reus* 50
*in criminalibus, ut evadat vitam, jurabit falſum, non
dicam ſemel, ſed millies, & centum millies, niſi eſſet
talis ſanctus homo, ita bona conſcientiæ, & ſanctæ vi-
tæ, qui potiùs mori vellet, quam falſum jurare. Sed
profectò tales homines receſſerunt ab aula, & ſemen eo-
rum in totum eſt eradicatum:* Quod etiam fatentur om-
nes practici Criminaliſtæ ſupra relati, præſertim Te-
rent. Fantonus *in cit. diſcur. n.* 28. qui fatetur, hodiernis
temporibus non vidiſſe reum, qui maluerit ſui corpo-
ris ſaluti præferre juramentum: *Unde* (ſubdit) *in explen-
do munere Judicis, & in cura defendendi reos, quibus
operam dedi per annos quadraginta, & ultra, hic Flo-
rentiæ, & quandoque Romæ licet præ manibus habuerim
ingentem quantitatem reorum, & ut verè credo, non
infra numerum vigintimillium, unum non inveni, qui
horruerit jurare ad tuendam vitam, honorem, vel ſub-
ſtantias in cauſis criminalibus. Et hoc non ſolùm hujuſ-
ce noſtræ ætatis eſt vitium, nam Scriptores ultra cen-
tum, & quinquaginta annos elapſos, ſic factum fuiſſe eo-
rum temporibus teſtantur.*

Hæc quidem excuſabilem, ac etiam commendabi- 51
lem reddunt illorum Principum pietatem, qui pro pe-
rjurii periculo ſubmovendo hanc conſuetudinem abro-
garunt. Sed an ſatis prudenter Principis partes exple-
verint, cui proprium eſt non tàm privatam utilitatem,
quàm publicum commodum, & quid Reipublicæ inter-
ſit attendere, non ſanè facile eſt pronunciare. Nemo
enim laudat, imò omnes contemnunt conſilium Abba-
tis Panormitani, qui in *cap. cum olim* 5. *de Cleric. conjug.*
animarum bono, & ſaluti expedire, ac ſalubre ſtatu-
tum fore, inquit, quòd Clerici continere nolentes,
matrimonium contrahere ſinantur, *experientia*, (ut
ipſe ait) *docente, contrarium prorſus ſequi ex lege con-
tinentiæ, cùm quotidie non vivant ſpiritualiter Sacerdo-
tes, nec ſint mundi, ſed maculentur illicito coitu. Unde,
ſubdit, Eccleſiam imitari debere bonum Medicum, ut
ſi medicina, experientia Magiſtra, potiùs officit, quàm
proſit, eam tollat.* Nemo inquam hoc conſilium laudat,
ut apud Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 13. *cap.* 13. *quæſt.*
5. Sanchez *de Matr. lib.* 8. *diſp.* 8. *n.* 3. quamvis dubitari
non poſſit, ſaltem ex parte vera eſſe animarum in-
commoda, & pericula, quæ ex hac lege oriri teſta-
tur Abbas. Ratio autem eſt, quàm contra Petrum Sua-
vem idem aſtruentem, affert Card. Pallav. *lib.* 24. *hi-
ſtor. Concil. Trid. cap.* 12. *num.* 9. quia ſcilicet majus

Digitized by Google

incommodum eſſet, hanc legem ob incontinentiæ pe-
riculum antiquare, quàm eam ſartam tectam ſervare;
quòd enim eadem lex multorum peccatis occaſionem
53 præbeat, ſatis infirma oppoſitio eſt, tangens ferè om-
nes divinas, humanaſque leges, ac laudabiles con-
ſuetudines, de quibus actum eſſet, ſi ob malorum
hominum inobſervantiam abrogandæ forent, ut in ſi-
mili divi *tom. 2. ad Conſt.* 1. Honor. III. *ſect.* 3. *num.* 45.
Nec igitur excipiendi videntur ii, qui abrogari vo-
54 lunt antiquiſſimam, ac ferè in omnibus Tribunalibus,
præſertim Romanæ Curiæ, ac ſupremæ Inquiſitionis
receptam conſuetudinem exigendi à reis juramentum
de veritate dicenda; cùm ea laudabilis ſit, ac adin-
venta pro comperiendis, delictis adeò tranquillitati
Reipublicæ perniciosis. At, inquiunt, hæc praxis ha-
bet evidentem occaſionem pejerandi, ac inutilis eſt,
dum experientia docet, non eatenus apud malos ho-
mines jurisjurandi religionem valere, ut ea adacti, ve-
ritatem fateri, ac à natura inſitum vitæ amorem vin-
cere velint. Sed primò, hic propriæ vitæ amor fuit in
hominibus ſemper ac fuerunt homines, & tamen tum
in Lege veteri, tum in nova pluries ſtatutum fuit, hu-
juſmodi juramentum à reis exigi, ut ſuperius diximus;
nec deſunt, qui aſſerant, conſuetudinem hanc viguiſſe
uſque à primis Eccleſiæ Sæculis, in quibus vitæ ſtudium
non minus ac hodie homines præmebat. Quòd ſi di-
55 cas, in primis ſæculis majorem jurisjurandi religio-
nem homines tenuiſſe, proindeque tunc efficacius
medium ad veritatem à reis eruendam illud fuiſſe;
quòd hodie non contingit, cùm certum ſit ex hac
conſuetudine innumerabilia periuria oriri, prout ad-
ducti Auctores teſtantur. Reſpondetur non eſſe adeò
56 certam in Judiciis criminalibus perjuriorum frequen-
tiam, ut tam abſolutè ſupponi poſſit; etenim, ut lo-
quit Mancin. *de Juram. par.* 2. *nu.* 48. etſi adſint mali,
credendum eſt adeſſe etiam bonos, qui cum omni ti-
more jurant; & multos ob juramenti reverentiam ve-
ritatem faſſos fuiſſe, quòd non fecerant ob torturam,
teſtantur Navarr. *in rubr. de Judic. n.* 56. *& in cap. inter
verba concl.* 6. *Corol.* 64. *nu.* 745. D. Raynald. *obſervat.
crim. tom.* 3. *cap.* 34. §. 12. *nu.* 28. de qua re etiam inſi-
gne habemus exemplum Joſue *cit. cap.* 7. *verſ.* 19. *&
ſequenti*. Quòd ſi admittamus, rariſſimos eſſe reos,
qui ob religionem juramenti veritatem faſſi ſint; ad-
huc ſtante hac conſuetudine plurimi à delictis patran-
dis arceri poſſunt, quibus probè conſtat, vel pœnam
eſſe ſubituros, ſi fateantur; vel majorem ultionem à
Deo expectaturos, ſi periurent. At juramento ſubla-
to, jam amplior ſternitur via ad delinquendum, ac
quos periurii timor à flagitiis retinebat, poſtea abo-
litio juramenti invitabit. His accedit, quod ſi addu-
ctæ rationes probarent, ob periculum periurii expedire
aboleri conſuetudinem deferendi reis juramentum;
probarent etiam, reos non eſſe examinandos, nec qui-
dem ſimpliciter, & ſine juramento interrogandos ob
periculum mendacii, quod ſanè non levius eſt periu-
rio, nam dominus inter juramentum, & loquelam
57 noſtram nullam vult eſſe diſtantiam, & quiſquis ve-
rum loquitur, jurat, ut habetur in *can. juramenti* 22.
quæſt. 5. Gloſſ. *in can. humana* §. *diſtantiam eadem cauſa,
& quæſt.* reus enim legitimè interrogatus, veritatem
fateri tenetur etiam in foro conſcientiæ, & ſub rea-
tu peccati mortalis, ut poſt D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.*
1. tenent communiter DD. apud Azor. *tom.* 3. *lib.* 13.
cap. 25. *quæſt.* 3. Sanchez *in decal. lib.* 3. *cap.* 27. *nu.* 3. *&*
4. Tolet. *lib.* 5. *ſumma cap.* 68. Diana *part.* 2. *tract.* 15.
58 *reſ.* 27. Unde ſequitur, quòd per abrogationem con-
ſuetudinis deferendi reis juramentum, non ſolùm non
conſulitur eorum animabus, ſed amplior eis ſternitur
via ad mendacium; nam ſi ſtante delatione juramen-
ti vix eſt, qui veritatem fateatur, certè ſublato timo-
re periurii quiſque mendax erit, quod argumentum
pro excludenda hujus conſuetudinis abrogatione urgen-
tiſſimum reputat D. Canon. Raynald. *obſer. crim. tom.*
2. *cap.* 20. *ſupplet.* 1. *num.* 6. *cum ſeqq.* D. Advoc. Urſa-
ya *Inſtit. crim. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 33. *cum ſeqq.* hinc cum fue-
rit pluries hinc inde ſcriptum à Theologis, aliiſque ſu-
per abolitione Juramenti Judicialis, ut dubium propo-
neretur in Sac. Congregatione Concilii tempore S.
M. Innocentii XII. dubium non fuit unquam propo-
ſitum. Inter alias pænas periurantium ad rem Judicio- 59
rum Civilium ea eſt, ut non ſit admittendus, & ex-
cludatur à conſequutione petiti, Gloſ. *in can. parvuli
verbo cauſam* 22. *quæſt.* 5. Alex. *in l. ſi quis major nu.* 15.
C. de tranſact. Butr. *in cap. intelleximus n.* 15. *in fine de
Judic.* Honded. *conſ.* 18. *nu.* 5. *lib.* 1. Ridolphin. *in praxi
par.* 1. *cap.* 8. *nu.* 88. *& ſeqq.* Rota *in dec.* 24. *nu.* 11. *par.*
10. *rec.* quod tamen periurium debet concludenter pro-
bari, nec attenditur imperfecta, & æquivoca proba-
tio, *l. ſciant cuncti C. de prob.* Rota *deciſ.* 46. *num.* 8.
coram Merlin. & quælibet cauſa, licèt levis, excuſat
à periurio, cùm requiratur dolus, & perfidia, ut
quoad reſpondentem in poſitionibus *dictis cit.* Ridol-
phin. *n.* 90. Rota *in dec.* 221. *nu.* 5. *coram Mantica, cit.
dec.* 46. *n.* 11. *coram Merlin. dec.* 367. *nu.* 7. *par.* 4. *tom.*
1. *rec. & dec.* 198. *nu.* 17. *par.* 12. & ad illud evitandum
omnis capienda favorabilis interpretatio, itaut quæli-
bet cauſa excuſat, ad tradita ultra prædictos DD. per
Bertazz. *in l. ſi quis major n.* 33. *& ſeqq. & n.* 47. *& ſeqq.
C. de tranſac.* & plenè in omnibus prædictis Rota *in
Romana pecuniaria ſuper neg. principali* 1. *Decembris*
1698. *coram D. Scotto* §. *Prout, confirmata cor. D. Prio-
lo* §. *Sublata*, ubi fuiſſe excuſatam Mulierem octuage-
nariam, & etiam advertitur ad rem *in Romana nul-
litatis contractus ſuper poſitionibus* 29. *Martii* 1694.
§. *Idque Clarius coram Muto*.

Redeundo ad Pſeudominoritarum hæreſes in hac 60
Conſtitutione damnatas: quartus eorum error erat,
Sacerdotes ritè etiam, & legitimè ſecundùm formam
Eccleſiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus preſ-
ſos, non poſſe conficere vel conferre Eccleſiaſtica Sa-
cramenta. In qua hæreſi prius fuerant Vvaldenſes, ut
referunt Prateol. *in Elencho lib.* 14. *ver. Pauperes de
Lugduno nu.* 13. Gualter. *cap.* 15. *ſæculi* 12. & poſtcà eam
ſequutus eſt Joannes Hus, ut refertur in *Conſtitutio-
ne* 1. Martini V. In contrarium eſt Catholica veri- 61
tas; Epiſcopi enim, & Sacerdotes in Sacramentis con-
ficiendis, aut miniſtrandis ſe habent uti inſtrumenta,
quæ non agunt ſecundùm propriam virtutem, ſed ſe-
cundùm virtutem ejus, à quo moventur: Chriſtus au-
tem Dominus ſuorum Sacramentorum valorem, & effi-
caciam, non ex Miniſtrorum probitate, ſeù opere ope-
rantis, ſed ex opere operato pendere voluit; Unde ſi-
cut aqua tranſiens per lapideos canales non coinquina-
tur, nec contaminatur lux tranſiens per loca immun-
da; ita nec aliquid efficaciæ amittit ſpiritualis virtus
Sacramenti, dum per Miniſtros peccatorum labe fæ-
datos nobis communicatur, ut exemplicant S. Augu-
ſtinus *relatus in can. ſi juſtus* 1. *quæſt.* 1. S. Thom. 3. *p.
quæſt.* 64. *art.* 5. S. Iſidor. Peluſ. *lib.* 1. *epiſt.* 340. ubi quòd
Sacerdos malus ſe habet, ut Corvus, qui Eliæ eſcas
deferebat, & S. Gregor. Nanzianz. *orat. de Baptiſmo*
illum comparat ſigillo ferreo, quòd imaginem Re-
giam non minus, ac ſi ſit aureum inſculpit. Intra
enim Catholicam Eccleſiam nihil à bono majùs, nihil
à malo minùs perficitur Sacerdote: quia non in me- 62
rito conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris,
& in virtute Spiritus Sancti, *can. intra* 1. *quæſt.* 1. Nec
poteſt quis quantumcumque pollutus, Divina Sacra-
menta polluere, quæ purgatoria cunctarum pollutionum
exiſtunt; qualiſcumque enim Sacerdos ſit, quæ ſan-
cta ſunt, coinquinare non poteſt, *cap. veſtra de coha-
bit. Cleric. cap. ſciſcitantibus* 15. *quæſt.* 8. concinat *Concil.
Triden. ſeſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſæ*, ubi loquens de inef-
fabili Euchariſtiæ Sacramento, ait: *Hæc quidem mun-
da illa oblatio eſt, quæ nulla indignitate, vel malitia
offerentium inquinari poteſt*. Unde communiter Theo-
logi concludunt, probitatem Miniſtri non eſſe condi-
tionem ad Sacramenti valorem neceſſariam, quamvis
neceſſaria ſit quoad licitum ipſius uſum, adeò ut Mi-
niſter pollutus, quantùm in ſe eſt, polluat Sacramen-
ta, ſeù veriùs polluat ſeipſum, *cit. can. ſciſcitantibus,
& can. omnia* 1. *qu.* 1. D. Thom. *cit. quæſt.* 64. *art.* 6. *&
quæſt.* 82. *art.* 6.

Damnat

63 Damnat tandem hìc Pontifex quintum, eumque impiiſſimum Pſeudominoritarum errorem, in quo aſſerebant, Chriſti Evangelium in ſe ſolos eorum tempore eſſe completum, atque uſque tunc obtectum fuiſſe, imò prorius extinctum. In qua, aut ſimili hæreſi jampridem fuerunt Montanus, & Manichæorum auctor Manes, aſſerentes, promiſſionem Domini de Spiritu Sancto non in Apoſtolis, ſed in ſe ipſis completam eſſe, ut referunt S. Epiph. *hæreſ. 58. S. Auguſt. de hæreſ. c. 26.* Hæc delirantium figmenta abſumit Catholica veritas, quæ firmiſſimè tenet, Spiritum ſanctum, juxta fidele Salvatoris promiſſum, in Apoſtolos die Pentecoſtes pleniſſimè fuiſſe refuſum, ut habetur in *Actis Apoſt. c. 2.* adeout illos omnem veritatem, quæ ad ſalutem pertinet, perfectè docuerit, ac ad amorem Dei mirabiliter inflammaverit. Cujus Spi-
64 ritus virtus ita Sanctam Eccleſiam uſque ad finem ſæculi nova ſemper prole fecundat, ut renatis fonte baptiſmatis una ſit fides mentium, & pietas actionum; quod profectò non eſſet; ſi Evangelium non omnibus fidelibus, ſed paucis de ſynagoga Sathanæ apertum eſſet, ut de ſe prætendebant Pſeudominoritæ, quos mirum non eſt in tàm claris Catholicæ veritatis luminibus cæcutire voluiſſe, nam, *qui ex patre Diabolo ſunt; malunt clauſis oculis offendere in montem, quàm in eum aſcendere*, ut inquit *S. Aug. de unit. Eccleſ. cap. 16.*

CONSTITUTIO IV.

JOANNIS XXII.

, Incipiens (*Paternum.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, CHRISTIANISSIMO FILIO, Eduardo Regi Angliæ Illuſtri.

COmmonet hìc Papa Eduardum II. Regem Angliæ, ut corrigat gravamina Populis Hyberniæ illata, contra formam conceſſionis habitæ à Sede Apoſtolica.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Poteſtas Romani Pontificis recenſetur, ac ejus charitas, populis à Regibus oppreſſis conſulendo.*
Jo. XXII. Papa Conſtitutionem edidit ad favorem populi Hyberniæ, Regis poteſtate preſſi. Ibidem.
2 *Regnum Hyberniæ fuit feudatarium Sedis Apoſtolicæ, & n. ſeqq.*
3 *Sedes Apoſtolica debet tueri populos feudatarios.*
Quod comprobatur ex Capitulis Honorii IV. Papæ pro inveſtitura Regni Neapoli. Ibidem.
4 *Henricus II. Rex Angliæ obtinuit inveſtituram Regni Hyberniæ.*
5 *Regnum Angliæ denarium S. Petro ſolvebat.*
6 *Hetherodoxi in denarium illum declamantes confutantur.*
7 *Plura Regna dedititia ſe fecerunt erga Sedem Apoſtolicam.*
8 *Hyberniæ Regnum, imò & Angliæ, S. Sedi dono dedit Rex Joannes.*
9 *De Cenſu ſolvendo à Rege Angliæ Romanæ Sedi,*
10 *Cauſa, & motivum hujus Conſtitutionis refertur, pro relevando populo Hyberniæ edita.*

1 ABſit, quod ex præſenti Conſtitutione, edita Avenione anno 1317. in qua Joannes XXII. Eduardum Regem Angliæ de gravaminibus, quibus Populum Hyberniæ opprimebat, commonet, & objurgat, iniqua contra Summos Pontifices ſumantur argumenta, quaſi quod ſupremo Regnum juri, & poteſtati ſint ſubinfeſti, ut ex ſimilibus ſanctionibus, nulla facti, & juris circumſtantia conſiderata, ſed perturbatione peſſima obcæcatus egit Lutherus in Gloſſemat. *ad donat. Conſtantini.* Verùm inde animadvertendi occaſio ingenuè eſt ſumenda, quàm latè pateat Apoſtolicæ Sedis charitas, cùm in præſenti non ſolùm Populum Hyberniæ in ſua afflictione piè compatitur, ejuſdem indemnitati conſulendo; ſed principaliter quietem, & proſperitatem Eduardi Regis proſpicit, flexibilem in hac commonitione eundem exoptando; ne Deus, qui gemitus afflictorum minimè deſpicit, ad ultionem provocetur; & Hyberniei, qui à ſuo dominio ſe ſubducere jamjam moliebantur, ſaniore ducti conſilio in priſtina devotione conquieſcerent, aut ſi in cæpta rebellione manere voluiſſent, cauſam ſuam in apertam injuſtitiam apud Deum, & homines converterent, ut latiùs in præſenti Conſtitutione, ad amorem, & timorem ſimul conciliandum, ſedula equidem animadverſione digna.

Porrò autem Joannes Papa, hac edita Conſtitutio- 2
ne, in alienam meſſem nequidem manum impoſuit, cùm pro comperto ſit, Regnum Hyberniæ tributarium, ſed meliùs dicam, feudatarium eſſe Sedis Apoſtolicæ; partes enim ſupremi Principis ſunt, Vaſallis 3
à Feudatario oppreſſis ſuam ferre opem, ut aliis omiſſis ex Marta *de juriſdict.* probat Genitor meus *ad Rit. Magnæ Curiæ tom. 1. rit. 46. num. 8. & 16.* & Proſper Petra Abavus *in addit. ad dec. 30.* Grammat. *n. 3.* Qua pariter ratione, Summi Pontifices, dum Regibus Neapolitanis Regnum in feudum conceſſerunt, in Capitulis inveſtituram Regni continentibus, & in iis, quæ vulgò Capitula Papæ Honorii IV. à DD. Regnicolis appellantur, expreſsè caverunt, ne Reges gabellis, & impoſitionibus indebitè Vaſallos gravarent, ut tradunt Afflict. *in Conſtit. Regni in præludio quæſt. 17. n. 9.* Iſernia *in proemio Conſtit. Regni, & in cap. 1. §. Sed nec alia, quæ ſit prima cauſa benefic. amitten.* Avellus *in opuſc. de jure Adohæ num. 7. & 16.* Capyc. *in cap. imperialem §. firmiter de prohib. feudi alienatione, Conſtantius in l. unica n. 156. Cod. de Claſſic. lib. 11. Regens Sanfelic. in diſcept. de Donativo tempore Belli n. 30. & ſeqq.* quæ habetur poſt *lib. 1. dec. ejuſdem*, & latè de Capitulis Papæ Honorii tractat Ageta *ad dec. Moles ad tit. de collect. tom. 1. pag. 148. n. 23.*

Quòd autem Hybernia ad jus pertineat S. Petri, plura hìc certè poſſent congeri teſtimonia; verùm ſufficiat afferre auctoritatem Hadriani IV. Cùm enim Henricus II. Rex Angliæ poſſeſſionem ejuſdem Inſulæ affe- 4
ctaret, ita ab eodem Pontifice inveſtituram obtinuit: *Sanè Hyberniam, & omnes inſulas, quibus Sol Juſtitiæ Chriſtus illuxit, & quæ documenta Fidei Chriſtianæ ceperunt, ad Jus B. Petri, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (quod & tua Nobilitas recognoſcit) non eſt dubium pertinere.* Et infra: *Significaſti ſiquidem Nobis, Fili chariſſime, te Hyberniæ inſulam, ad ſubdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, & de ſingulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle ſolvere penſionem, & jura Eccleſiarum illius Terræ illibata, & integra conſervare; Nos itaque pium, & laudabile deſiderium tuum cum favore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, acceptum habemus, ut pro vitiorum reſtringendo decurſu &c. inſulam illam ingrediaris, & illius terræ Populus honorificè te recipiat, & ſicut Dominum veneretur; Jure nimirum Eccleſiaſtico illibato, & integro permanente, & ſalva B. Petro, & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ de ſingulis domibus annua unius denarii penſione*, ut apud Baronium *ad ann. 1159. n. 21. & 22.* Hoc etiam teſtatur ipſemet Populus Hyberniæ apud Polydorum *lib. 13. Hiſtor. Anglic.* ibi: De Henrico II. *Angliæ Rege, qui Hyberniam occuparat. Dublinum proficiſcitur, ubi convocatis Regulis, ac Epiſcopis, agitat de Imperio Inſulæ ſibi, ac ſuis Poſteris perpetrando; id Hyberni poſſe fieri, niſi auctoritate Romani Pontifi-*

Digitized by Google

eis, negabant, quod jam inde ab initio poſt Chriſtia-nam Religionem recepiam ſeſe, ac omnia ſua in ejus ditionem dediſſent, atque conſtanter affirmabant (pro-ut nunc aſſeverant) non alium habere ſe dominum præter ipſum Pontificem. His auditis Rex per Legatos quamprimum Alex. III. ſucceſſorem Hadriani oravit, ut Hyberniam, quam ipſe nuper domuerat, ad Regnum Angliæ ſua auctoritate adjungeret, & ipſe Pontifex auctoritate Apoſtolica confirmavit illi, & heredibus ſuis dictum Regnum Hyberniæ.

5 Exſcriptum eſt autem hic à me Teſtimonium Polydori in rebus Angliæ apprimè verſati, ut palam fiat à vero errare, qui cum Thomaſino *de Beneſ. par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 5. §. *necnos*, putant, Hadrianum Papam, cùm ſcripſerit, omnes Inſulas, quibus Chriſti Fides illuxit, ad Eccleſiam Romanam pertinere, de filiali ſubjectione, & religioſa obedientia loqui; Certum eſt enim, quòd multò ante tempora Hadriani, denarium Sancti Petri ex Regno Angliæ pendebatur. Ina Saxonum Occidentalium in Anglia Rex primus fuit, qui Regnum ſuum Romano Pontifici vectigal fecit, ſingulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in ſingulas domos impoſitis; hujuſmodi exemplum ſequutus eſt Offa Rex Merciorum anno 740. dum Romam ſe contulit, veniæ conſequendæ cauſa; fertur etiam hujuſmodi denarium auxiſſe Ethelvolphum Regem, ut apud eumdem Polydor. *loc. cit. lib.* 4. & 5. *de Ethelvolpho Rege.*

6 In hunc denarium S. Petri, ab Anglis pendi ſolitum, declamitant Hetherodoxi cum Luthero, qui mentitur, in ſingula capita fuiſſe ſtatutum, & confeciſſe quotannis novem auri tonnas, ſcilicet novies centena millia aureorum, quæ quidem ſumma ſua magnitudine improbabilitatem non obſcurè demonſtrat, ut utar ſenſibus Gretſeri *infra cit. cap.* 15. *in fine.* Nil tamen mi-

7 rum, quod Hybernici à prima eorumdem converſione ſe dediſſent Apoſtolicæ Sedi, cùm ultra plura hujuſmodi Religionis documenta, quæ adduximus *tom.* 2. *ad Conſt.* 8. Innoc. III. *pag.* 259. hoc etiam fecerunt Demetrius Rex Ruſciæ, qui poſt receptum Baptiſma, Regnum ſuum dono S. Petri per manus Gregorii VII. voluit obtinere; & Poloni, qui ab exordio converſionis Vectigales provincias ſuas Apoſtolicæ Sedi fecerunt, ut commemorat Gretſerus *in ſuo libello de Imperatorum Regum, ac Principum Chriſtianorum in Sedem Apoſtolicam munificentia*, ubi ultra viginti ſimilia diplomata per extenſum exſcribit.

8 Non inconſultò quidem ſupradixi, Regnum Hyberniæ non tantùm tributarium, ſed propriè feudatarium Apoſtolicæ Sedis eſſe, fundamento ſumpto ex pia donatione Joannis dicti Sine-terra, Angliæ, & Hyberniæ Regis in *Conſt.* 1213. apud Matthæum Vveſtmonſterienſem *in floribus*, quam etiam recenſet idem Gretſerus *cap.* 15. Non me pigebit autem hic eamdem retexere, nam ejuſdem Regis pietas utrique meretur, ut ſemel, & iterum commemoretur: *Notum facimus, quòd cum Dominum, & Matrem Sanctam Eccleſiam in multis offenderimus, & propter hoc Divina Miſericordia indigere noſcamur, nec quid dignè offerre poſſumus pro ſatisfactione, Deo, & Eccleſia debita facienda, niſi noſmetipſos, & regna noſtra &c. Ideo offerimus, & liberè concedimus Deo. & Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & S. Romanæ Eccleſia Matri noſtra, ac D. Papæ Innocentio III. & Succeſſoribus ejus omne Juſpatronatus, quod habemus in Eccleſiis Anglicanis, totumque Regnum Angliæ, & Regnum Hyberniæ, cum omni Jure, & pertinentiis ſuis, pro remiſſione peccatorum noſtrorum, & totius generis noſtri tam vivis, quàm defunctis; & amodo illa à Deo, & Eccleſia Romana tanquam feudatarius recipientes, & tenentes, fidelitatem exinde Innocentio Papæ, ejuſque Succeſſoribus, & Romana Eccleſia facientes; Succeſſores noſtros in perpetuum obligantes, ut ſimili modo Summo Pontifici, qui pro tempore præfuerit Eccleſiæ ſine contradictione dictam fidelitatem præſtent, & Homagium recognoſcant, & nos inſuper vacantium Eccleſiarum cuſtodiam perpetuò amittamus. Ad judicium autem noſtræ perpetua oblationis volumus, ut de propriis redditibus prædictorum Regnorum, ſalvo per omnia denario S. Petri, mille marcas ſterlingorum Eccleſia Romana percipiat annuatim; Quæ omnia, ſicut prædicta ſunt, rata eſſe volentes, & obligamus nos, & Succeſſores noſtros contra non venire, & ſi nos, & aliquis noſtrorum Succeſſorum hoc attentare præſumpſerit, niſi admonitus reſipuerit, cadat à jure Regni.* Et de Cenſu ſolvendo à Rege Angliæ Sedi Apoſtolicæ Epiſtolam ſcripſit Urbanus 9 V. Eduardo Regi, ut Cenſum, quem pro aliquibus annis non ſolvit, debitum Romanæ Eccleſiæ pro Regno Hyberniæ, ſolvere non omitteret pro præterito, & in futurum eum illius ſolutionem retardare Papa permiſit ob indigentias, & bella, in quibus Rex verſabatur, ſed reddita pace Regno ſolutionem dictus Pontifex urget, ut quàm citiùs ſequatur, ex Epiſtola ſcripta Avenione Id. Junii, tertio Pontificatus, apud Raynald. *tom.* 16. *anno* 1365. *n.* 13.

Ad noſtram autem Conſtitutionem redeundo, jam 10 diximus non alio ſtudio à Joanne XXII. editam eſſe, quàm ſublevandi cauſa Populum Hyberniæ oppreſſum, necnon conſulendi rebus Eduardi Regis ob ejuſdem tyrannidem in pejora labentibus. Cùm enim Robertus Bruſius, à fide ipſius Eduardi deficiendo, Regnum Scotiæ invaſiſſet, occaſione ſumpta, Populi Vvalliæ, Angliæ, & Hiberniæ tyrannicum ipſius Eduardi jugum excutere tentabant, advocando d. Robertum, eidemque omnia eorundem ſtudia, & favorem ſpondendo; at Hybernici ſcientes ſe dominio Sedis Apoſtolicæ ſubeſſe, literas ad Cardinales Legatos miſere, quibus exponebant, quod ſola intolerabilis Eduardi tyrannis ſe ad arma corripienda coegiſſet; de quibus ab eiſdem Legatis noſter Pontifex certior factus, præſenti commonitione, prout in Epitome, Eduardum eſt adhortatus, ut apud Raynaldum *ad ann.* 1317. *n.* 43. Quantum autem profecerint officia Joannis Papæ, rerum eventus optimè teſtatur; Eduardus enim ab eiſdem excitatus Hybernos clementia ſibi conciliavit, & iterum ſuæ devotioni devinxit, ut apud *cit.* Raynald. *num.* 45.

CONSTITUTIO V.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Exhibita.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, MAGISTRO, ET FRATRIBUS Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani.

Decernit hic Pontifex, quòd fructus beneficiorum, in quibus Religio Militum S. Joannis Hieroſolymitani habet Annalia, ob non reſidentiam Beneficiatorum eidem Religioni accreſcant.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Decretalis Jo: XXII. in* Extravag. *ſuſcepti* de elect. *quoad Annalia in beneficiis explicatur.*

2 *Fructus Beneficiatorum non reſidentium Annaliſtis accreſcere debent.*

3 *Quid ſervandum quoad beneficia Religionis Hieroſolymitanæ, in hac Conſtitutione indicatur.*

4 *Ratio quare fructus prædicti Annaliſtis accreſcant, & non Capitulo, & Eccleſiæ.*

5 *Annalia, in quo differunt ab Annatis.*

6 *Be-*

Digitized by Google

6 *Beneficia ſine diminutione conferri debent.*
7 *Quare nuncupentur Annalia.*
8 *Qua ratione Annalia redacta fuerint à jure ad mediam annatam, relicta altera medietate Beneficiato? & num. ſeqq.*
9 *Annaliſtæ curare debebant, ut ſervitium Eccleſiæ peragerettur.*
Sed avaritia eorum id non ſequebatur. Ibid.
10 *Aliqui exclamarunt contra Annaliſtas.*
11 *Cauſa tamen nunc ceſſat ex proviſione dictæ Extravagantis.*
12 *Annalia jure conſtitui poſſunt à Papa privilegio, ſtatuto, & Conſuetudine.*
13 *Id procedit, tàm in beneficiis liberæ collationis, quàm Juriſpatronatus Eccleſiaſticis.*
14 *Quid autem dicendum in beneficiis Juriſpatronatus Laicalis.*
15 *Concluditur affirmativè, & contrariis ſatisfit.*
16 *Quod magis procedit in Jurepatronatus mixto.*
17 *Annalia ſolent limitari, dummodò non ſint in majore Eccleſia.*
18 *Annalium privilegia ſolent expediri cum Veto Sacr. Congregationis Concilii.*
Exempla adducuntur. Ibid.
Et cum quibus clauſulis. Ibid.
19 *An Epiſcopus poſſit reſervare Annalia, tàm Eccleſiaſticis, quàm Laicis, & quomodo?*
20 *Epiſcopus non poteſt annalia reſervare in beneficiis affectis, & reſervatis Sedi Apoſtolicæ, vel aliis, in quibus Camera, vel alii jus habent.*
21 *Quid dicendum quoad beneficia Juriſpatronatus.*
22 *Non poteſt tamen ſibi, & ſuæ menſæ annalia appropiare.*
Vel pro ſolvendo ære alieno ſuo, vel Eccleſiæ. Ibidem.
23 *Juſta tamen cauſa eſt æs alienum Eccleſiæ, ut petantur Annalia à Romano Pontifice.*
24 *Conſuetudine an acquiri poſſit jus Annalium, & quæ requiratur.*
Non autem in diſtributionibus quotidianis. Ibid.
25 *Reſervatio Annalium Laicis, vel ad uſum profanum non ſuſtinetur conſuetudine.*
Quid in immemorabili. Ibid.
26 *Quæ cauſa dicatur juſta, ut Annalia pro certo tempore reſerventur.*
Quid ad favorem hæredis defuncti Beneficiati pro funeralibus, vel debitis ſolvendis? Ibid.
27 *Annalia omninò prohibita à Concilio Tridentino, & Bulla S. Pii V. non ſunt ea conſtituta ad favorem Eccleſiarum, & cultus Divini.*
Quæ prohibita fuerunt. Ibid.
Plures caſus adducuntur. Ibid.
28 *Privilegium Annalium an, & quanto tempore amittatur per non uſum.*

1 JOannes XXII. cathedram præeminentiæ paſtoralis implens, anno 1318. Decretalem promulgavit, qua providè diſpoſuit, ut vacantibus Beneficiis, quorum fructus ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto ad certum tempus defuncto, Eccleſiæ, vel Perſonis habentibus annalia in totum applicabantur, de cætero, ſi agatur de beneficiis, quæ in decimæ ſolutionem taxari conſueverunt, eorumdem annalium collectores omninò contenti eſſe deberent ea ſumma, pro qua conſuevit dari Decima, totali reſiduo obtinentibus beneficia remanſuro, niſi maluerint, dimiſſa eiſdem prædicta ſumma decimali, reſiduum ſibi aſſumere; dummodò tamen iidem Annaliſtæ intra decem dies, quam partem elegerint, declarent; aliàs hujuſmodi optio poſt decem dies in Beneficiatum ipſo jure tranſeat; In beneficiis autem non taxatis fructus decimabiles dividi deberent per medium, & utrique eorum medietas tribuatur; quòd ſi alter hujuſmodi dimidia noluerit contentari, ipſa volenti illicò accreſcat; Et tandem ſi quicquam aliquis ultra præmiſſa acciperet, & intra menſem non reſtitueret; ſi fuerit Prælatus, eſſet ab Eccleſiæ ingreſſu ſuſpenſus; ſi Congregatio, vel Univerſitas, interdicti pœnæ ſubjiceretur, ſi particularis perſona, eſſet ipſo facto excommunicata, ut latiùs in *Extravag.* Joann. XXII. *ſuſcepti, de electione*, replicata in *Extravag. commun. ne Sede Vacante*, & colligunt Guillelmus de Monte Lauduco, & ex Vivian. *in ration. lib.* 3. *pag.* 144. & Alagona *in compen. pag.* 418. Barboſa *ibid.*

Cùmque rurſus idem Pontifex, alia edita Conſtitu- 2
tione, caverit, quòd ſi obtinentes hujuſmodi beneficia, in quibus annalia ſunt conſtituta, reſidere, ſive debitum ſervitium præſtare neglexerint, Capitulum, & Eccleſia nihil exinde lucri retrahere poſſet, ſicque habentibus annalia fructus non reſidentium accreſcere deberent, ut commemorat noſter Pontifex in præſenti Conſtitutione. Milites verò S. Joannis Hieroſoly- 3
mitani annalia beneficiorum ex privilegio poſſidentes, plerumque eorumdem fructibus ob non reſidentiam fraudarentur, ea forſan attenta opinione, quod hujuſmodi Milites in diſpoſitionibus non comprehendantur, niſi expreſsè nominentur, ut dixi in *Conſt.* 2. *Anaſtaſii IV. ſect.* 2. *n.* 6. Quamobrem idemmet Jo: XXII. hac promulgata Conſtitutione Avenione anno 1318. ad eorumdem militum petitionem expreſsè declaravit, quòd fructus beneficiorum, in quibus eiſdem ſunt reſervata annalia, qui ob pœnam non reſidentium accreſcere deberent Capitulo, de cætero eiſdem Militibus applicentur juxtà intentionem, & mentem præfatæ declaratoriæ, *citat. Extravag. ſuſcepti*; Et maxima quidem ſuadente ra- 4
tione. cùm hujuſmodi Annalium moderatio edita ſit, ut Beneficiati commodiùs cultui Divino incumbant, ut inferiùs dicam; dum itaque Beneficiati non reſident in Eccleſiis ſuis, ceſſante ratione hujus Conſtitutionis, ceſſare etiam debet ipſa diſpoſitio, ad Textum *in leg. quod dictum, ff. de pactis, cap. etſi Chriſtus de jurejur.* & conſequenter Beneficiorum fructus ipſis Annaliſtis accreſcere debent, ſicut anteà integrè debebantur, ut in paribus terminis conſiderat Cherubin. *ad hanc Conſtitut. ſchol.* 2.

Exigit porrò hujus Conſtitutionis ratio ad plenio- 5
rem intelligentiam, de hujuſmodi Annalibus adnotare, quod licèt paſſim etiam Annatæ nuncupentur; attamen ab iis toto Cœlo diſtant, quas Camera Apoſtolica percipit ex beneficiorum redditibus; ideòque pari jure non ſunt metienda; potiſſima quippe differentia, à qua innumeræ protrahi poſſunt, in eo conſtituitur, quòd Annatæ, quæ Cameræ debentur, favorabiles undique reputantur, & omni juri conformes, adeòut non deſunt, qui à jure naturæ earumdem retexunt originem, ut latiùs, favente Deo, in propria ſede dicemus; Annalia verò, de quibus agimus, vel ex conſuetudine, vel ex privilegio conſtituuntur favore alterius, & titulo merè lucrativo debentur, quinimò à jure communi, quaſi dicam, exorbitant, cùm beneficia ſine diminutione conferri debeant, *cap. uni-* 6
co, ut Eccleſ. benef. ſine dimin. confer. & latiùs Lotter. *de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 20. *num.* 2. *cum ſeqq.* Rota *in deciſ.* 1410. *num.* 11. *cum ſeqq. coram Seraph.* Dicuntur verò communiter Annalia, quia ex privilegio, vel 7
conſuetudine per annum emolumenta, fructus beneficiorum vacantium favore certæ Perſonæ in totum reſervabantur, ut ſunt verba Gloſſ. *in cit. Extravag. ſuſcepti verbo annalia de electione.*

Quàm verò proinde hujuſmodi privilegia, & con- 8
ſuetudines ad media annalia, in recenti *Extravag. ſuſcepti* redacta ſint, ſatis ſuperque apparet; cùm enim beneficium vacans, non obſtante, quòd primi, vel ulterioris anni fructus ſint hujuſmodi privilegiatis conceſſi; attamen ſuo tempore ſit conferendum, & ſi beneficium ſit juriſpatronatus, Patroni tempore à jure ſtatuto præſentare debent, ut ex *cap. unico, ut Eccl. benef.* latè colligunt DD. & Paſſerin. *in cap. ſi propter num.* 10. *de reſcript. in* 6. in magnum quidem cultus Divini detrimentum vergebat, quod noviter de hujuſmodi beneficiis proviſi, fructibus primi anni in totum fruſtrarentur; ſublata enim ſufficientia victus ipſis Miniſtris, neceſſe eſt ſubmoveri cultum Divinum, cùm corporalis Eccleſia ſine rebus corporalibus proficere

nequeat,

Digitized by Google

nequeat, *Can. ſi quis objecerit* 1. *qu.* 4. & notat Gloſs.
ibidem, *verbo Cultus*; Neque prævalet, quod de jure
hujuſmodi Privilegiati curare debent; ut interim, quo
fruuntur Beneficii fructibus, divina obſequia pera-
9 gantur, neceſſaria Beneficiato ſubminiſtrando, ut pro-
ſequitur Paſſerin. *cit. loc.* Guttierez *Canon. quæſt. lib.* 1.
cap. 1. *n.* 127. & Copi *de fructibus tit.* 3. *cap.* 3. *n.* 3.
cum ſeqq. inter tract. magn. volum. 8. *pag.* 146. nam
quidquid ſit de jure, ex eorumdem negligentia, ne
10 dicam avaritia, non penitùs injurioſè nonnuli Do-
ctores occaſionem captarunt contra hujuſmodi privi-
legia, & conſuetudines exclamandi, tamquam contra
corruptelas, & violentias in grave damnum, & præju-
dicium novorum reſidentium, qui maxima paupertate
primis annis laborant; Omnis autem amaritudo in præ-
11 ſenti ceſſat, cùm per dictam *Extravag.* congruè hujuſ-
modi annalia moderentur, ut Beneficiati onus ſervitii
abſque portione fructuum, & emolumento ſubire non
cogantur, ut proſequitur Gloſſ. *ibid. verbo volentes*,
& rationabile ſtatutum dicit Paſſerinus *loc. cit. in fine*.
12 Abſque igitur condigna improbatione, Annalia be-
neficiorum ad favorem alterius hodie conſtitui poſſunt
ad formam dictæ *Extravagantis*; tàm ex privilegio,
vel ſtatuto, quàm ex conſuetudine, ut innuitur in no-
ſtra Conſtitutione in principio; Quis enim dubitabit,
quod Papa, qui pleniſſima poteſtate, & diſpoſitione
in Beneficialibus potitur, ut ex *cap. Propoſuit de con-
ceſſ. præb.* in hujuſmodi Annalium conſtitutione ma-
num abbreviatam non habeat, ut non ſolùm in benefi-
ciis Eccleſiaſticis reſervare eadem poſſit perſonis Ec-
cleſiaſticis, verùm etiam in beneficiis de jurepatrona-
tus Eccleſiaſtico, de quo nullum eſt dubium; ſed etiam
13 mixto, & Laicorum, quinimo etiam ipſius Laicis re-
ſervando, ut notat Gloſſ. *in cit. Extravag. verb. vel
perſonis*, & *verbo privilegio de elect.* ubi teſtatur,
Regibus, & Principibus ſimilia privilegia frequenter
fuiſſe conceſſa.
14 Cùm itaque de Papæ poteſtate, neque ſit ambigen-
dum, quæſtio exoriri facilè poteſt circa ejuſdem volun-
tatem, an videlicèt in generali Apoſtolica reſervatione
Annalium comprehendantur beneficia jurispatronatus
Laicorum, non expreſsè nominata. Et quidem pro ne-
gativa generales illæ regulæ faciunt, quòd Papa nun-
quam præſumitur in dubio, velle ſua uti poteſtate in
præjudicium Laici patroni, *cap. Cum dilectus de ju-
repatr. Can. decernimus* 16. *quæſt.* 1. ut Laici animoſiùs
ad Eccleſiarum ædificationes, & dotationes ſe indu-
cant, *ex gloſſ. in cap. Cum dilectus verbo conſtitutus
de conſuet.* & ibi DD. quapropter cùm difficilius bene-
ficiis juriſpatronatus Laicorum Papa deroget, ut in diſ-
poſitionibus comprehendantur, ſpecificè nominari de-
beant, latiſſimè Felin. *in tract. quando Litteræ Apoſto-
licæ noceant Patronis, in fine ejuſdem lectura ad De-*
15 *cretal.* Verumtamen contrarium ex Innocent. notabili-
ter firmat Lambertin. *de jurepatr. lib.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 8.
num. 6. *verſ. ex qua pag.* 9. quod ſcilicet in generali
privilegio reſervationis annalium includantur fructus
beneficiorum patronalium Laicorum, quamvis non ex-
primantur, pro limitatione prælibatarum regularum
adducendo, quòd militent, cùm de diſpoſitione totius
beneficii agitur, non verò cùm de fructibus primi an-
ni vacationis diſponitur; Et quidem ceſſant in præſen-
ti caſu congruentiæ illæ, ne patronis Laicis ex gene-
rali reſcripto præjudicetur, cùm in hujuſmodi Anna-
lium reſervatione, nec minimum Patronorum conſide-
rari poteſt præjudicium quippè præſentatio ad benefi-
cium eiſdem præſervatur integra, & illibata, ſed ſo-
lummodò ad tempus portio fructuum proviſo detrahi-
tur; ideò jure in hypoteſi militare non debent, quæ
ad favorem Patronorum Laicorum ſunt inducta, ex
notiſſimo conſilio Geminian. 96. *num.* 9. Proculdubio
autem hæc concluſio procedit, cum privilegia hujuſ-
modi Annalium generaliter loquantur de omnibus, &
quibuſcumque beneficiis qualitercumque qualificatis,
ut firmat Rota *in deciſ.* 320. *num.* 1. *cum ſeqq. coram*
16 *Mantica*, quæ parum refert, ſi loquatur de jurepa-
tronatus mixto, nam ad hujuſmodi effectum deroga-
tionum, & comprehenſionum in Apoſtolicis diſpoſi-
tionibus, juſpatronatus mixtum laicale cenſetur, ut
communiter docent DD. Lambertin. *de jurepatr. lib.* 2.
par. 3. *quæſt.* 9. *art.* 9. *per tot.* Vivian. *de jurepatr. lib.* 14.
14. *cap.* 1. *num.* 110. *cum ſeqq.* Garzia *part.* 5. *cap.* 1.
numer. 578. & *numer.* 582. *cum ſeqq. aliique paſſim*, &
Rota *loc. cit.* licèt enunciet juſpatronatus eſſe ex pri-
vilegio, tamen id egit pro majori ratione, nec exin-
de firmaſſe dicendum eſt contrarium in patronatu
laicali ex fundatione; Verùm debet voluntas Papæ ex
verbis ſaltem efferenatis elici, & ſemper patronus habet
aliquid jus opponendi non cauſam, & poteſtatem, ſed
voluntatem Papæ non adfuiſſe, ut *cit.* Lamb. videtur
ſentire *cit. loc. in fine*.
Solent autem Summi Pontifices, cùm generaliter 17
annalia beneficiorum favore certæ perſonæ, vel loci
elargiuntur, clauſulam reſtrictivam apponere: *non ta-
men in majore Eccleſia exiſtentium*, ad ipſius majori-
tatis Eccleſiæ decorem, ut notat Lotter. *de re benef.
cit. quæſt.* 20. *num.* 17. & 18. & eſt caſus in *Seguntina
dimidia annata*, impreſſa inter *recent. dec.* 199. *par.* 2.
quæ in terminis magiſtraliter firmat, quænam benefi-
cia dicantur in majori Eccleſia conſiſtere, anve dican-
tur præſervata beneficia eidem Eccleſiæ annexa, & uni-
ta. Noviſſimè tamen hujuſmodi Annalium privilegia 18
peti, & expediri ſolent cum Voto Sacr. Congregatio-
nis Concilii, cum clauſula, *ſi Sanctiſſimo Domino No-
ſtro placuerit*, ad favorem fabricæ, vel Sacriſtiæ, aut
alterius pii uſus, ut præſertim in *Colimbricn.* 30. *Au-
guſti* 1698. in qua ſupplicante Capitulo pro confirma-
tione ſtatuti, ut fructus primi anni poſt obitum reſer-
varentur hæredibus Beneficiati pro ſolvendis debitis, ſi
adeſſent, expenſis funeris, & aliis piis cauſis favore
animæ ipſius Beneficiati defuncti; Sacra Congregatio
cenſuit, ut præfatum ſtatutum, ſi Sanctiſſimo placue-
rit, per ſuas Litteras Apoſtolicas in forma Brevis con-
firmari poſſet; & non abſimiliter cenſuit in *Portugal-
len.* 11. *Septembris* 1705. & in alia *Portugallen.* 11.
Septembris 1706. itemque in alia *Portugallen.* 17. *De-
cembris* 1707. & noviſſimè in *Leodien.* 7. *Decembris*
1709. ſupplicante Capitulo inſignis Collegiatæ B. Ma-
riæ Oppidi Huvienſis pro reſervatione hujuſmodi be-
neficiorum vacantium pro ſecundo, & tertio anno fa-
vore Fabricæ Eccleſiæ ruinam minitantis, cùm primi
anni fructus applicarentur hæredibus Canonici defun-
cti; reſcriptum fuit pro gratia ad quinquennium, de-
inde prorogata ad decennium; Conſideratum quippe
fuit, quòd licèt beneficia abſque diminutione conferri
debeant, *cap. Unic. ut Eccleſ. benef.* attamen ex Apo-
ſtolica benignitate hujuſmodi annalia pro locorum pio-
rum indigentiis, & potiſsimè ad uſum fabricæ conſue-
viſſe reſervari, *cap. ſi propter de reſcript. in* 6. & ibi
notat Paſſerin. *num.* 3. & 22. & Barboſa *num.* 2. quam-
vis verò petitio in eo exorbitans videretur, quod fru-
ctus beneficiorum vacantium, non ſolùm pro primo,
ſed pro ſecundo, & tertio anno fabricæ applicentur,
cùm regulariter hujuſmodi privilegia, Annalia dican-
tur, quia per annum tantùm ſolent fructus reſervari,
ut ſupra notavi *num.* 7. Verumtamen attenta Eccleſia-
rum indigentia, & urgentia periculi ſæpè, & faciliter
ad plures annos extenduntur, ex littera Text. *in cit.
cap. ſi propter de reſcript. in* 6. & *Extravag. ſuſcepti
de elect.* & faciunt, quæ mox dicam infra; itaut ſem-
per, vel media annata tantùm reſervetur, vel ſi major
ſumma, relicta ſemper medietate pro Beneficiato ad
plurimum, *cit. Extravag. ſuſcepti*, & expreſsè innuitur
in *Bulla Durum* 104. S. Pii V. § 4. *tom.* 2. *Bullarii*.
Non ita equidem indiſtinctè procedendum eſt, ſi 19
quæratur, an Epiſcopus valeat hujuſmodi Annalia re-
ſervare; Quamvis enim ab Innocent. *in cap. unico ut
Eccleſ. benef. abſque dim.* lata aſſeratur poteſtas Epiſ-
copis circa beneficia ſibi ſubjecta; attamen ea uti de-
bent ſecundùm Sacr. Canones, conſulendo utilitati,
& neceſsitati Eccleſiæ; argumento ſumpto ex *cap. cum
inferior de major. & obed.* Quamobrem in terminis de-
cidendum eſt, quòd Epiſcopus abſque cauſa, & qui-
dem idonea, nequeat Eccleſiaſticis hujuſmodi Anna-
lium

lium privilegia concedere; neque ullo modo perſonis ſæcularibus, cùm laici diſpoſitionem de rebus Eccleſiaſticis habere non poſſint, ex Text. *in cap. Eccleſia de conſtit.* & Gloſſ. *in cap. ſecundum verbo neque Laici, ne Clerici, vel Monachi*, & in puncto, quòd ſæcularibus nonniſi ex privilegio Papæ valeant hujuſmodi Annalia reſervari, firmat Gloſſ. *in cit. Extravag. ſuſcepti, verbo vel perſonis, & verbo privilegio de Electione?* Cæterùm juſta, vel neceſſaria urgente cauſa, poterit quidem Epiſcopus ſtatuere, requiſito ſaltem conſenſu Capituli, ut redditus Beneficii vacantis ſibi ſubjecti deputentur ad pium, vel laudabilem uſum, etiam in præjudicium noviter inſtituti, dummodò tamen hujuſmodi conceſſio ſit ad tempus, neque vergat in propriam utilitatem Epiſcopi, ut infrà, neque fiat poſt beneficii collationem, ut aſſeruerunt Gloſſ. *in cit. Extravag. verbo privilegio, ne Sed. Vacant. inter communes;* Abbas *in cit. cap. ut noſtrum num.* 15. & 20. Paſſerin. *in cit. cap. ſi propter num.*22. *de reſcriptis in* 6. Lotter. *cit. quæſt.*20. *num.*6. Bott. *de Synodo part.*3. *art.*1 *num.* 288. Lambertin. *cit. loc.* & punctualiter loquendo de ſimili ſtatuto edito ab Archiepiſcopo Valentino in Synodo Diœceſana, firmat Rota *in deciſ.*471. *num.*1. *cum ſeqq. part.*14. *recent.* ubi etiam aſſerit, hanc opinionem eſſe de mente Sacr. Congr. Concilii.

20 Non inconſultò dixi, *beneficii ſibi ſubjecti*, etenim ad limitationem hujus regulæ planum eſt, quod ſi beneficia ſint aliquo modo affecta, vel reſervata Sedi Apoſtolicæ, vel quia vigeat Jus ſpoliorum favore Cameræ Apoſtolicæ, tunc Epiſcopus in eiſdem manus apponere nequit, & ſtatutum ab ipſo editum ad eadem non ſe extendit, ut conſiderat Paſſerin. *loc. cit. num.* 22. *in fine*. Et idem eſt dicendum de Beneficiis pleno Jure ſpectantibus ad inferiores Prælatos, juxtà generales regulas Tex. *in cap. grave de officio Ordinarii, & cap. ex parte de privil.* & in terminis firmat Gloſſ. *in cit. Extravag. verbo*
21 *privileg. in fine*. Porrò autem Beneficia Juriſpatronatus Laicorum ad noſtrum intentum dicuntur eſſe ſubjecta Epiſcopo, juxta theoricam Innocent. *in cit. cap. ut noſtrum, ut Eccleſ. benef.* ex qua concludunt Abbas *ibid. num.* 20. & Lambertin. *in cit. art.* 2 *num.* 6. quod in generali ſtatuto Epiſcopi ex cauſa juſta, vel neceſſaria edito, quod fructus primi anni beneficiorum vacantium convertantur ad certum pium uſum, includerentur etiam patronata Laicorum abſque eorum conſenſu; niſi aliter in fundatione fuerit cautum; vel quia cùm Epiſcopus in eiſdem habeat inſtitutionem, & collationem, videtur quod poſſit in caſu ſicut de propriis diſponere, juxta ſenſum Gloſſ. *cit. verbo privilegio in fine*, vel quia neceſſitas non habet legem, ut meliùs ſenſit Lambertinus *loc. cit.* De honeſtate tamen proſequitur idem Innocent. fore requirendum conſenſum Patronorum, qui tamen niſi ex cauſa nequirent contradicere, ſed poterunt ſe opponere, quod Epiſcopus ſine cauſa proceſſerit, & ſic annalia non ſuſtineri, Lambert. *loc. cit.*

22 Pro comperto autem eſt, quod Epiſcopus ad ſua diſſolvenda debita, hujuſmodi annalia ſibi reſervare non poteſt, vel quomodolibet fructus etiam alicujus certi beneficii ad ſui commodum applicare, obſtante *cap præſenti de Offic. Ordin. in* 6. aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, *ex cit. Conſtit.* S. Pii V. ne Collator aliquid in Beneficii collatione ſibi appropriet, vel magis conſentaneè in caſu, ex quo ſequeretur inconveniens, quod Epiſcopus auctorizaret in facto ſuo, ad Text. *in leg.* 1. *& leg. pupillus de auctor. tut.* & principalem concluſionem probat Gloſſ. *in ſæpè cit. Extravag. verbo privileg. ne Sede Vacante* Paſſerin. *in cit. cap. ſi propter num.* 4. *de reſcriptis*, Lotter. *de re benef. lib.* 3. *cap.*20. *num.*7. *cum ſeqq.* Lambertin. *in cit. art.* 2. *num.*2. *cum ſeqq.* Neque attendenda eſt auctoritas Innocent. *in cit. cap. Ut noſtrum*, ex qua nonnulli DD. deduxerunt, quod pro diſſolvendo ære alieno, nomine Eccleſiæ contracto, poſſit Epiſcopus retinere ad tempus fructus beneficiorum vacantium, nam ſemper idem recurrit inconveniens, ut notant citati DD. & mirificè probatur ex *cap. ſi propter ſua debita de reſcriptis in* 6. in quo Bonifacius VIII. de gratia ſpeciali concedit cuidam Epiſcopo, ut per quinquennium frui poſſit fructibus primi anni beneficiorum vacantium in ſua diœceſi pro diſſolvendo ære alieno, quo premebatur, & tamen non agebatur de debito Epiſcopi aliter contracto, quàm intuitu ſuæ Eccleſiæ, ut notat Cujac. *in cap. Tua nobis de verb. ſignific.* & refert Lotter. *loc. cit.* Si enim Epiſcopus hoc ſua auctoritate expedire poſſet, fruſtra gratiam à S. Sede flagitaſſet, ſuperfluum eſt enim precibus poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt, ut dixit Imperator *in leg. nemo C. de Theſaur. lib.* 10. Ex eodem autem Text. in 23
cap. ſi propter adnotare non piget, quod debita Eccleſiæ, rationabilem præbent cauſam Epiſcopo impetrandi facultatem, ut ex fructibus beneficiorum vacantium dimittantur; & faciliter favor Apoſtolicus in concedendis hujuſmodi annalibus ſe extendit, dummodò tamen alio meliori modo Epiſcopus conſulere nequeat, ut notant Paſſerin. *in cit. cap. ſi propter num.* 2. *&* 3. Lotter. *loc. cit. num.*5. Cœterùm quænam Beneficia in hujuſmodi generalibus indultis comprehendantur, conſule eumdem Paſſerin. *art.* 1. *&* 2. Et aliquando conceditur demandante Papa unio alicujus Eccleſiæ menſæ Epiſcopali ad certum tempus, reſervata congrua beneficiato, quia ſuccurrendum eſt Eccleſiis Epiſcopalibus indigentibus, ut novis proventibus augeantur, Sacr. Concilii Tridentini *cap.* 13. *ſeſſ.*24. *de reform.* Gonzal. *in cap. unic. num.* 3. *de exceſſib. Prælat.* Turricel. *de Union. benef. cap.*8. *num.* 4. *&* 5. Rota *deciſ.*449. *num.*3. *coram Cavaler. deciſ.*337. *num.*35. *par.*9. *rec.* & Sacr. Congregat. Concilii apud Card. Alciatum *in manuſcriptis* reſpondit, poſſe applicari Eccleſiæ Epiſcopali reliquos redditus Eccleſiæ, relicta ſumma annua ſcut. 100. Rectori, quod Papa approbavit, Verùm in *Conſtantien.* petente Epiſcopo hujuſmodi indultum ob æs alienum Eccleſiæ, S. C. *die* 23. *Julii* 1707. *&* 19. *Maii* 1708. reſpondit, *Inſtet tempore Vacationis Beneficii*, de qua tamen cauſa æris alieni alibi dicam ad *Conſtitut. cit.* S. Pii V.

Ad vim tandem Conſuetudinis, in hujuſmodi Annalibus conſtituendis, pertranſeundo, quidquid ſit de conſuetudine immemorabili, quam, ſi legitimè probetur, ex præſuppoſitione privilegii Apoſtolici in hac materia tantum valere dicimus, quantum ipſa poteſtas Papæ, ex notiſſimis; Cæterùm in aliis conſuetudinibus inferioris generis modificatè procedendum eſt, ut ſcilicet juſta, vel neceſſaria concurrente Cauſa, validè per eamdem induci poſſit, ut fructus beneficiorum vacantium ad certum tempus applicentur ad pium uſum, cum aliis modificationibus, & limitationibus ſupra adductis, loquendo de poteſtate Epiſcopi, & principalem concluſionem firmant Gloſſ. *in cit. Extrav. verbo vel perſonis de elect.* Lambertin. *cit. art.*2. *num.*1. Azor. *inſtit. moral. part.*2. *lib.*7. *cap.*7. *quæſt.*5. §. *quæres*, ubi ulterius notabiliter firmat, nunquam tamen tolerandum eſſe uſum, quo etiam diſtributiones quotidianæ hujuſmodi Annaliſtis reſervantur, quem ſequitur Barboſa *in cit. Extrav. num.*2. *in fin. de elect.* Non enim ambigendum eſt, quod de irratio- 25 24
nabilitate non poſſet ſalvari, & tamquam corruptela abroganda eſſet ea conſuetudo, qua hujuſmodi annalia reſervarentur Perſonis Laicis, vel ad uſum profanum, ut tenet Gloſſ. *ibid.* & latè Navarr. *in Apologia in tract. de reddit. Eccleſ. quæſt.*1. *monit.*48. *& monit.*52. *num.*7. Lotter. *cit. lib.*3. *quæſt.*20. *num.*3. *&* 4. Quidquid contra dicat Barboſa *in cit. Extravag. ſuſcepti nu.*3. *de elect.* ſequens opinionem Sarmien. *in Defenſor. poſt tract. de reddit. part.*1. *monit.*48. *num.*2. qui de conſuetudine aliquarum Eccleſiarum Hiſpaniæ teſtatur, deferente hujuſmodi annalia ad hæredes mortui Beneficiati, ſivè Eccleſiaſticos, ſivè Laicos, ſivè Divites, ſivè pauperes, abſque ulla reſtrictione ad cauſas pias; Nam poteſt non improbabiliter dici, quod benè loquatur, ſed de immemorabili conſuetudine importante privilegium Apoſtolicum.

Rationabilis verò in noſtris terminis canonizata eſt 26
conſuetudo, ut fructus beneficiorum vacantium ad tempus applicentur Fabricæ Eccleſiæ, vel etiam defuncto, ſivè ejuſdem hæredibus, ut ſcilicet ii perſolvant funeralia, & quòd ſupereſt impendant in eleemoſynas pro ſalute

lute

Digitized by Google

lute animæ defuncti, ut generaliter viget in Hiſpania teſte Covaruvia *in cap. cum in efficiis num. 9. ver. caterum de teſtam.* Guttierez *Canonicar. quaſt. lib.1. cap. 29. numer. 29. & 30.* & firmant Barboſa *in cit. Extravag. numer. 2. de Elect. inter communes, ne Sede Vacante*, Lotret. *cit. quaſt.* 20. *num.* 3. Lambertin. *in cit. artic.* 8. *lib.* 3. *num.* 1. *pag.* 8. *à ter.* & magiſtraliter firmat Rota *in decis.* 660. *per tot. part.* 4. *diverſ.* rationabiliter quidem hujuſmodi conſuetudines induci poſſunt, cùm multoties decedentibus Beneficiatis ære alieno onuſtis, & in tali egeſtate, ut non ſolùm eorum animæ piis ſuffragiis ſublevari non poſſint, verùm etiam careant debitis exequiis, & funetalibus magno Ordinis Eccleſiaſtici dedecore, & maximè in partibus Hiſpaniæ, ut innuit Rota *in citat. deciſ.* potiſſimè quia nullum fit præjudicium noviter Proviſo, nam ſi in primo anno medietatem tantùm fructuum Beneficii percipiat, poſt ejuſdem mortem ex vi ejuſdem conſuetudinis eadem medietas eidem reſtituitur; quamobrem nihil amittit, ſivè tantùm differtur, non aufertur ſolutio, ut etiam ex mente Sac. Congregationis Concilii videtur animadvertere Garzias *de Benefic. part.* 11. *cap.* 5. §. 1. *num.* 137. *cum ſeqq.* & facit Abbas *in cap. cum in efficiis num.* 5. *verſ. valet tamen de teſtament.* ubi firmat, conſuetudine induci poſſe, quòd Canonicus teſtari valeat de redditibus percipiendis anno ſequenti poſt mortem, quia potiùs præjudicat ſucceſſori, quàm Eccleſiæ, & ſæpè à Sacr. Congregat. Concilii conceſſa fuerunt hujuſmodi Indulta, ut ſupra indicavi; cum animadverſione tamen, ſi in aliis vicinis Regionibus, ut in Hiſpania, id conſueviſſe liqueret.

27 Quamvis autem antiquitùs Rota hujuſmodi privilegia, & conſuetudines, quibus Annalia reſervantur non admiſerit, tamquam adverſantia præfatæ Conſtitutioni S. Pii V. incipiens *Durum*, *in ordine* 104. in qua ad promovendum Decretum Sac. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 14. *de reform.* ſtatuitur, quòd, non obſtantibus privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, noviter proviſi non fraudentur fructibus primi anni quocumque quæſito colore; etenim deinde ea approbavit, ut apparet in *deciſ.* 320. *coram Mantica in fine*, ubi adducit reſolutionem Sacri Concilii Trident. & *cit. deciſ.* 471. *part.* 14. *recent. & in cit. deciſ.* 660. *part.* 4. *diverſ.* & advertit Garzias *loc. cit. num.* 143. & maxima quidem ſuadente ratione cùm Concilium Tridentinum, & Conſtitutio S. Pii V. loquantur de illa conſuetudine, vel privilegio, ex quibus fructus beneficiorum vacantium applicantur eidem menſæ Epiſcopali, vel Capitulari, ut in communes uſus cedant, ſeù inter Canonicos dividantur, ut notat Rota *in cit. deciſ.* 660. *num.* 2. Lotter. *citat. quaſt.* 20. *num.* 12. & 13. Quinimò etiam dato, quòd in eiſdem Conſtitutionibus generaliter hujuſmodi annalia revocarentur (quod tantum à vero abeſt, cùm ſpecialiter in ipſa præſerventur) attamen, quæ in Divini Cultus augmentum, vel neceſſitate ſuadente reſervantur, nunquam intelligerentur revocata, ut punctualiter firmat Rota *in dec.* 320. *n.* 8. *cor. Mantica*, ubi nec conceſſione Annalium integrorum, vel dimidiorum ad favorem Eccleſiarum Hiſpaniæ, & etiam reſolvit S. C. C. pro Eccleſia Burgen. quę habet ſimile Indultum *die ... Julii* 1583. Quibus quidem rationibus attentis perpetuus fuit ſenſus S C. C. quod neque ex Decreto Concil. Trident. *cap.* 14. *ſeſſ.* 24. *de reform.* nec ex Bulla S. Pii V. comprehendantur legitima ſtatuta Eccleſiarum deſerviendo per annum, & nihil percipiendo interim de maſſa groſſa, niſi peracto integro dicto ſervitio, quod poſt obitum hæredibus debeatur, cùm ſit potius differre, quàm auferre; Et quoad conſuetudinem in una Mediolanen. cenſuit, ſi in aliqua Eccleſia ſit conſuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus, fructus Canonicatus ſint hæredum Anteceſſoris, iſte caſus non comprehenditur in Decreto *cap.* 14. *ſeſſ.* 24. nec in Bulla S. Pii V. ut refert Garzia *in cit.* §. 1. *num.* 138. *cum ſeqq.* & alia Decreta ſimilia hujus Sac. Congreg. refert Guttierez *Cano. quaſt. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 30. Panimoll. *deciſ.* 31. *adnot.* 1. *num.* 17. & 18 Barboſa *ad Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 14. *num.* 3. & 4. & *de Canonicis cap.* 15. *num.* 24. & Rota *in cit. deciſ.* 660. *num.* 2. *in fine*.

28 Non eſt tamen prætereundum, quòd hujuſmodi conſuetudines, & privilègia Annalium abrogari ſolent ex non uſu per decennium, ut innixa regulæ generali, quod quæ conſiſtunt in faciendo, videlicet in exigendo dimidias annatas, per non decennalem uſum amittuntur *leg.* 1. *ff. de nundin.* firmat Rota *in deciſ.* 139. *num.* 10. & 11. *part.* 2. *diverſ.* De uſu tamen ſatis conſtare dicitur ex quaſi poſſeſſione exigendi dimidias annatas alicujus ex beneficiis in privilegio comprehenſis, ut ex concludenti ratione, quia dum cauſa utentis eſt univerſalis, tunc per unicum actum particularem acquiritur generalis poſſeſſio, proſequitur Rota *in cit. deciſ.* 139. *num.* 11. & 12.

Pro coronide tandem hujuſce Commentarii operæ pretium eſſet etiam hìc diſquirere, de Annalibus in præbendis Canonicalibus vacantibus reſervatis, ut favore menſæ Capitularis, & in communes uſus cedant, vel inter antiquos Canonicos dividantur, ſeù favore Sacriſtiæ, adeòut noviter proviſi præbendarum fructibus primi anni, vel certi determinati temporis fraudentur; Verùm quia propria hujus materiæ ſedes habetur in Conſtitutione memorata S. Pii V. incipiens *Durum in ordine* 104. ideò hìc conſultò aliam tractationem omittimus.

CONSTITUTIO VI.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Inter Cæteras.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES AD PERPETUAM REI Memoriam.

EPiſcopo Peruſino, ejuſque Succeſſoribus facultatem concedit, impartiendi Perſonis idoneis docendi licentiam in Studio Civitatis Peruſiæ, & Scholares ad Doctoratum promovendi, certo præſcripto modo.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Conceſſit Jo: XXII. Papa facultatem Epiſcopo Peruſino impartiendi licentiam docendi perſonis idoneis in Studio Peruſino.*

2 *Nec non doctoralem lauream Scholaribus tradendi certo modo.*

3 *Nemo poteſt magiſter dici, ac docere ſine Superioris licentia.*

4 *Quæ requiruntur, ut quis poſſit docere, ac legere ſcientias, ac Magiſter eſſe.*

5 *Lectores, & ludi Magiſtri examinari debent ab Epiſcopo, & quomodo?*

An teneantur emittere profeſſionem Fidei. Ibid.

6 *Licentia docendi debet dari cuicumque idoneo gratis, & num. ſeqq.*

An ſit ſimoniacum aliquid recipere. Ibidem.

7 *Nequit prohiberi idoneo petenti licentiam docendi.*

Imò poteſt compelli à Superiore inferior, qui licentiam concedit, ut eam præbeat. Ibidem.

8 *Poteſt tamen dicta licentia denegari, ſi concurrat juſta cauſa denegandi, & quæ ſit?*

Ita ſi concurrerent plures in eadem ſcientia. Ibidem.

9 *Quid dicendum, ſi quis peteret licentiam docendi in loco, ubi adeſt publica Univerſitas, & num. ſeqq.*

10 *Deciſiones Rotæ adducuntur, & conciliantur in hac re.*

Ratio-

Rationes hinc inde adducuntur. Ibidem.

11 *Opinio comprobatur, quod ſit remiſſum arbitrio ejus, qui eſt deputatus ad diſtribuendam licentiam docendi.*

12 *Declarantur deciſiones Rotæ* in Cracovien. juris legendi, & Romam juris legendi.

Ubi quatenus PP. Societatis Jeſu non poſſint legere Canones ex profeſſo in Urbe, & in Cathedra diſtincta. Ibid. & num. antecedent.

13 *Refertur Breve, & Edicta ne Lectores in Urbe legant extra ſtudium Sapientiæ.*

14 *Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Joannes Baptiſta Spinula laudatur. Ibidem.*

1 UT Perúſinæ Civitatis ſtudium ſupra *tom.* 3. *in Conſtit.* 2. à Clemente V. erectum, ſcientiarum elo-
quio exornaret Joannes XXII. in præſenti Conſtitutione
edita Avenione anno 1328. benignè Epiſcopis Peruſinis
eſt elargitus facultatem impertiendi licentiam Perſonis
idoneis, ut in ipſo legere, & docere liberales artes,
& ſcientias liberè poſſent, prævio tamen examine de
ſcientia, facundia, modo legendi, aliiſque ad magiſtri
2 munus congruentibus; atque etiam ſtudioſos ad Docto-
ratus gradum promovendi, certis præfixis legibus, &
conditionibus; Nunc itaque inſiſtere opere pretium eſt
in prima, & principali noſtræ Conſtitutionis parte, in
qua, ut licentiam docendi concedere poſſit, Epiſcopo
Peruſino, ejuſque Succeſſoribus Joannes elargitur, ad
alteram Conſtitutionem huic ſimilem rejecto Commen-
tario quoad jus doctorandi, & doctorum privilegia, ut
opportuna diſtributione materiæ, ſæpius aliàs replican-
dæ, in opere collocentur.

3 Impertitus itaque fuit Joannes XXII. facultatem Peru-
ſinæ Civitatis Epiſcopis, concedendi perſonis idoneis
docendi licentiam in ejuſdem Academia, cùm cætero-
qui compertum ſit, neminem quantavis ſcientia pollen-
tem Magiſtri nomen temerè, & repentè abſque ſuperio-
rum judicio uſurpare poſſe, & publicè collectos Diſci-
pulos docere, ex Textu expreſſo in *leg. univerſos C. de
ſtudiis liberal. Urbis Romæ libr.*11. *leg. Magiſtros Cod.
de profeſſ. & medic.* & ſupponitur in *cap.*1. 2. & 3. *de
Magiſtris*, quoquidem jure communi inſpecto, neceſ-
ſariò requiri Superioris licentiam ad Magiſtri, ſivè Le-
ctoris officium exercendum, advertit Rota *in deciſ.*
1672. *num.*5. *coram Coccin.* Plura ſiquidem, & quæ in
omnibus non obvia ſunt deſiderantur, ut quis idoneus
4 Magiſter dici, & approbari valeat, videlicet, quod ſit
honeſtus, pius, diſcretus, manſuetudinem, & humi-
litatem colat, ſit in ſermone verax, in judicando juſtus,
in conſilio providus, in commiſſo fidelis, conſtans in
vultu, opportunè rigidus, habeat peritiam docendi,
facundiam dicendi, ſubtilitatem interpretandi, copiam
diſſerendi, ex adnotatis ab Hoſtienſi *in ſumma de Ma-
giſtris num.*2. Abbas *in cap. quoniam num.*4. *de Magi-
ſtris*, Frances *de Eccleſ. Cathed. cap.*28. *num.* 255. *cum
ſeqq.* Fuſc. *de viſit. cap.*29. *ex nu.*19. quibus tamen pen-
ſatis ſcitiſſimè Gloſſ. *in cap. quanto verb. idonei de Magi-
ſtris*, omnia boni Magiſtri requiſita concluſit brevi hujus
periodi circulo: Magiſtros ſtudiorum, doctoreſque ex-
cellere oportet moribus primùm, deindè facundia, ex
*leg. Magiſtros Cod. de profeſſ. & medic. lib.*10. Quapro-
5 pter publicæ Univerſitatis Sacræ Scripturæ Lectores,
de vita, moribus, & ſcientia ab Epiſcopo examinari,
& approbari debere ſtatuit *Sacr. Concil. Trident. ſeſſ.*5.
*cap.*1. *de reform.* Atque in terminis ludi litterarii Magi-
ſtri, quod examinari ab Epiſcopo poſſint in iis, quæ ad
Fidem Catholicam, doctrinam, & bonos mores ſpe-
ctant, ex oraculo ejuſdem Sacr. Concil. Trident. Con-
greg. firmat Fagnan. *in cap. quia nonnullis num.*4. *de
Magiſtris*; Neque ſanè aliunde, quàm ad demonſtran-
dam omninò neceſſariam in Magiſtris cum ſcientia reli-
gionem, & pietatem, collimat Pii IV. intentio, dum
ſtatuit, ut omnes, qui ad alios in liberalibus artibus eru-
diendos aſſumpti fuerunt, prævio proceſſu, vel debita
informatione ſuper Religione, Fideque Catholica, ejuſ-
dem Fidei profeſſionem palam, & ſolemniter emittere
teneantur, in *Conſtit.* 88. *incip. In Sacroſancta* §. 4. *cum
ſeqq.* de qua quidem Fidei profeſſione, Deo favente, in
propria ſede erit ſermo.

Profectò autem his attentis, & ſervatis, ad eligen- 6
dum, qui dignè Magiſterii officio fungantur, quicumque
facultatem habentes licentiarum docendi impartienda-
rum, ſivè de jure, vel ex conſuetudine, aut ex privile-
gio, vel tandem omnibus his non apparentibus, Epiſ-
copus cum Capitulo, ad quod hæc prærogativa ſpectat,
Hoſtienſ. *in ſumma de Magiſtris num.*8. cuicumque Ido-
neo legere volenti gratis hujuſmodi licentias concedere
debent, non obſtante alicujus conſuetudinis pretextu,
ut certis pœnis in contrafacientes fulminatis expreſsè
ſancitur in *cap. quoniam, cap. prohibeat, cap. quanto,
cap. quia nonnullis de Magiſtris*; Gratis quidem, &
abſque pretii exactione, quæ tamquam ſimoniaca cano-
nizatur à Gloſſ. *in cit. cap. quoniam verbo conſuetudinis*;
cæterùm ſimoniæ vocabulo in ſui eſſe inſpecto, eviden-
tiſſimum eſt malè aptari in hujuſmodi exactionibus,
cùm nec res ſpiritualis, nec ſpirituali annexum emator,
& vendatur, ut hac vulgata opinione reprobata, fir-
mant Hoſtien. Abb. Barboſa, Felin. Gonzalez, Fagnan.
cæterique Repetentes in tit. de Magiſtris, cæteroqui
hujuſmodi extorſiones ſpecialem involvunt iniquitatem,
atque ad ſimoniæ crimen accedunt, cùm pro licentia do-
cendi temporale extorquetur à doctis viris, quos decet
potiùs precibus, & muneribus ad docendum invitari, ut
bonarum artium, & ſcientiarum ſitientibus aditum pa-
tefaciant, Gonzalez *in cap.* 4. *num.* 6. *eodem tit.* Quod
ſi verò aliquod pro hujuſmodi licentiis docendi promiſ-
ſum, vel ſolutum fuerit, appellatione quacumque re-
mota, promiſſum remitti, & ſolutum reſtitui omninò
debet, ex Text. *in cap. prohibeas eodem tit.*

Cuicumque, inquam, idoneo legere, ſivè docere vo- 7
lenti, hujuſmodi licentiæ elargiri debent, nec prohibe-
ri jure poteſt, quominus aliis docendo quis juvare poſ-
ſit, ſub excommunicationis anathemate aliiſque pœnis
fulminatis in ſupra *cit. Text. & expreſsè in cap. quoniam*
ibi: *Nec docere quemquam, qui ſit idoneus, petita licen-
tia interdicat*: & in *cap. quanto* ibi: *Diſtrictè præci-
pientes, ut quicumque viri idonei, & litterati volue-
rint regere ſtudia litterarum ſine moleſtia, & exactio-
ne qualibet Scholas regere permittantur.* Adeòquod in-
ferior, cui id Juris competit, ad hujuſmodi licentias ido-
neis concedendas compelli poteſt, etiamſi ipſe Cathe-
dras moderetur, quippe alios docere volentes impedire
nequit, Gloſſ. *in cap. quanto verſ. permittantur de Ma-
giſtris*, & Hoſtien. *loc. cit. in fine*. Optima quidem ſua-
dente ratione; nam qui idoneus eſt, ſi alios inſtruere; &
docere velit, juſtum eſt quod requirit, quapropter inju-
ſtè ei refragatur, & licentia denegatur, ut arguit Ho-
ſtien. *in cit. ſumma de Magiſtris num.*8. & rurſus, qui
idoneo denegat docendi licentiam, iniquè præcludit
viam addiſcendi ignorantibus, *can. revertimini diſt.*65.
necnon Scientiarum profectum damno Reipublicæ niti-
tur impedire, ut facit Gloſſ. *in cap.*1. *verſ. idoneus de
Magiſtris*; meritò igitur conſuetudinibus denegandi hu-
juſmodi licentias tamquam iniquis, & irrationabilibus
etiam derogatur in cit. Text. ob idque nulla præſcriptio-
ne in hujuſmodi jure quis confoveri poterit, quia titu-
lus præſcriptionis erit ſemper injuſtus, & à Canonibus
reprobatus, Abb. *in cap. cum ex officiis nu.*4. *de præſcript.*
Felin. *in cap. accedentes num.*6. *fall.*3. *de reſcript.* Covar.
*in cap. poſſeſſor par.*2. §. 8. *num.*4. & 6. *de reg. Jur. in* 6.
Menoch. *præſ.*131. *lib.*3. & latiùs proſequitur Rota in fa-
migerata *Cracovien. Juris legendi* contra Univerſitatem
ejuſdem Civitatis prohibere ſatagentem PP. Societatis
Jeſu, ne in eorumdem Collegio humaniores litteras,
liberaleſque artes publicè legerent, in *deciſ.* 1650. 1659.
1672. & 1703. *cor. Coccin.* & *in deciſ. cor. Card. Ubal-
do* repetita in *deciſ.*265. *par.*5. *tom.*1. *recent.* atque poſt
Poſthium *de manut. deciſ.* 321. & *in deciſ.* 325. *eadem
part.*5. *coram Chiſlerio*.

Quamvis autem ex ſuprafirmatis cuicumque idoneo 8
non ſit deneganda licentia docendi; verumtamen ra-
tionabili concurrente cauſa ad eas elargiendas, qui eſt
ad id daputatus, cogi non poteſt, prout exemplificat

Abbas

Digitized by Google

Abbas *in cap. quoniam num. 2. de Magiſtris*, quando adeſt magna copia Magiſtrorum, & unus impeditur per alium; plures namque Magiſtri in eadem Scientia extra neceſſitatem ſibimetipſis ſunt impedimenti, Text. *in leg. unic. C. de ſtud. liber. lib.* 11. proptereàque ſtante copia Magiſtrorum, denegandam eſſe licentiam docendi cuicumque quantumvis idoneo, cum Abbate conſentiunt Gonzalez *in cap. 4. num. 5. verſ. & licet eodem tit.* Excobar *de Juriſdictione in ſtud. generalib. cap. 32. num. 10.* Pereira *de Academia lib. 1. quæſt. 2. num. 14. in fine*, & hanc concluſionem ornando firmat Rota *in Romana juris legendi deciſ. 26. num. 12. cum ſeqq. poſt* Antonell. *de Jur. & oner. Cler.* Occaſione itaque ſumpta non incongruum
9 hic eſt quærere, Nunquid hujuſmodi debita licentia cuicumque idoneo concedi Jure debeat, qui velit in Civitate publicè docere, & legere, in qua litterarum ſtudium in publica Academia, ſivè Univerſitate florentiſſimè viget? In hac quidem hypoteſi ſibi ipſis contrariæ
10 videntur Romanæ Rotæ deciſiones in famigerata *Cracovien. Juris legendi*, & in altera *Romana Juris legendi ſuper bono Jure*; Quippè *in Cracovien.* bonarum artium propagationem, & ſtudioſorum profectum cordi habens, diſertè firmavit, PP. Societatis Jeſu publicè docere poſſe Sacr. Theologiam, & bonas artes etiam in Univerſitatis Cracovii concurrentia, tum quia licèt ibi Idonei profeſſores Magiſtri Officio fungerentur, expedit tamen ut Collegas habeant, ex Jo: Andr. *in cap. quanto num. 3. de Magiſtris*, ut ſit locus diſputationi, qua Scientiæ, & Doctrinæ veritas magis eluceſcit, *leg. ultim. §. mixta ff. de muner. & honor.* Verùm etiam cùm Sacr. Canones atteſtentur, integrum eſſe judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur, *cap. prudentiam 21. de Offic. & poteſt. Jud. deleg.* & per ampliores homines perfectiſſima veritas revelatur, *leg. fin. C. de fideicom. cap. extra conſcientiam diſt. 64.* & tandem quia multum valet amor Magiſtri, & acceptus modus legendi, cùm aliquis cum uno proficeret, qui cum altero nec addiſceret; quapropter expedit, ut ſtudioſi in plurium Magiſtrorum commoditate, quem ſibi ipſis eligant, habeant, ut poſt Hoſtienſ. *facit* Jo: Andreas *in cap. quanto in fine de Magiſtris*; ad cujus quidem obtentum in ſola Athenarum Civitate ſeptem publica extiterunt Gymnaſia, referente Caſſan. *in Cathalog. gloriæ Mundi 5. part. conſid. 21.* & latiùs proſequitur Rota *in deciſ. 1659. n. 4. cor. Coccin. & in deciſ. 265. n. 1. cum ſeqq. & in deciſ. 325. n. 7. par. 5. rec.*

Verumtamen in *Romana Juris legendi*, Univerſitatum decorem propugnans eadem Rota favore Archigymnaſii Urbis reſolvit, PP. Societatis Jeſu publicè Cathedram Sacrorum Canonum in Collegio Romano erigere non poſſe, deciſionem exornando; Etenim docendi, & interpretandi munus extra loca, quæ facultatem hujuſmodi ex privilegio meruerunt, exerceri non poteſt, juxta ſanctionem *Conſtit. proœmial. ff. ff. in §. hæc autem tria*; cùm igitur Academiæ à Principe conſtitutæ ſint ſpecialiter legendi, docendive cauſa, jure meritoque earumdem Rectores prohibere poſſunt, quominus alius quamvis idoneus in eadem Civitate, ubi vigent, docere, & legere valeat, ex Text. expreſſo in *leg. unic. C. de ſtud. liber. Urbis Romæ lib.* 11. regulare namque eſt, ut qui ad proprium decorem, vel utilitatem privilegium à Principe obtinuit, conſequutivè habeat jus prohibendi, ne quod ſibi conceſſum fuit alter in ſui præjudicium etiam uſurpet, Gob. *tract. var. tit. de aquis quæſt. 13. num. 22.* Maſcard. *de probat. concl. 123. num. 4.* Venturin. *conſ. 20. num. 74. & 76.* Calcan. *conſ. 55.* Vileſceret autem Univerſitas à Principe conſtituta, ſi alii Scholas etiam aperirent; nam Univerſitatum ſplendor præcipuè reſidet in ſtudioſorum frequentia, à Tex. *in leg. 3. §. penult. ff. de decurion. leg. magiſtros C. de profeſſ. & Medic. lib.* 10. Eſcobar *de Juriſd. cap. 32. num. 10.* Pereira *in Academ. liter. lib. 1. quæſt. 3. num. 14.* proptereàque ſcitè adnotavit Gregor. Tholoſan. *de Republ. lib. 18. cap. 1. numer. 27. verſ. neque: Prout enim placuit iis, qui inſtituerunt, & exercuerunt, & privilegiarunt ſtudia, ſcientia, & artes ibidem legi publicè tantum debere, &c.* ut in ſimilibus terminis firmavit Rota *in cit. Romana Juris legendi deciſ. 26.* poſt Antonel. *de Juribus Cleric. & in ejuſdem Confirmator. 9. Januarii 1699. coram Muto*, ubi fuit dictum, conſtare de bono Jure Univerſitatis, ſeù Archigymnaſii, prohibendi Collegio Romano lecturam, ſeù explicationem Juris Canonici in univerſum, eo modo, quo fuerat in ſeparata Cathedra incœptum, poſſe tamen PP. Societatis dicti Collegii, Sac. Canones, forum contentioſum non reſpicientes docere in cathedra Theologiæ poſitivæ. Num verò pro Canonibus permiſſis, hunc contentioſum forum non reſpicientibus, erigi potuerit, vel poſſit particularis, & ſeparata Cathedra; DD. non fuerunt concordes, unde reſolutionem ſuper hoc puncto ad aliam propoſitionem diſtulerunt, ut infra.

Ut itaque in hac quæſtionis ambiguitate quid ſentio, 11
aperiam? mihi certè videtur, quòd indefinitè, & per generalem theoricam, nec affirmari, neque negari poſſit, in publicæ Univerſitatis concurrentia omnes liberalium artium ſcholas claudi debere, & alibi Magiſtros docere non poſſe; ſed in prudenti arbitrio ejus, qui ad diſtribuendas docendi licentias, eſt deputatus, hujuſmodi definitionem repoſitam eſſe, juxta ſupra traditam Doctrinam Abb. *in cap. quoniam de Magiſtris*. Siquidem levioribus argumentis poſthabitis, convincendi cauſa, quod etiam coram Univerſitate licentiæ legendi, & docendi concedi debeant, aliiſque adductis pro hac ſententia à Rota *in cit. Cracovien.* potiſſimè in *deciſ. 265. num. 1. par. 5. recent.* animadverſionem planè eſt dignus Textus à Rota non perpenſus in *cap. quanto de Magiſtris*, ubi Alexander III. ſcribens Cancellario Univerſitatis Pariſien. advertente Gonzalez *ibidem* ex Ant. Auguſtino *ad hunc Textum* juſſit: *Sub anathematis ergo interminatione curetis, ne quis dignitatem, ſi dignitas dici poteſt, fingentes pro præſtanda licentia docendi alios, ab aliquo amodò exigere aliquid, præſumant, ſed eis diſtrictè præcipiatis, ut quicumque Viri Idonei, & litterati volunt regere ſtudia litterarum, eos ſine moleſtia, & exactione qualicumque ſcholas regere patiantur*; Itaque Alexander III. decidit, quod licentiæ docendi gratis cuicumque Idoneo petenti elargiri debeant etiam in Civitatibus, ubi publicæ Academiæ vigent, & quidem florentiſſimè, ut merita laude affirmari poteſt de antiquiſſima Univerſitate Pariſienſi à temporibus uſque Ludovici Pii, ex Thomaſſin. *de Eccleſ. diſcipl. par. 2. lib. 1. cap. 97. num. 10.* & alibi paſſim. Et quidem huic ſententiæ adſtipulatur inconcuſſa praxis Eccleſiaſticæ diſciplinæ; videmus namque non minùs in Civitatibus publica Academia decoratis ex diſpoſitione Sac. Concil. Tridentini erecta Seminaria florere, Regulares, & potiſſimè Societatis Jeſu ex Summorum Pontificum privilegiis ſcholas in illis aperire, in quibus liberales artes, & Theologia publicè traduntur; in nihilo attento, an Univerſitatis ſplendori ſic derogetur; quippè præponderat, & Religionis, & Scientiarum favor perpenſus in Concil. Lateranenſi, dum ſancitum eſt, quod nullus omninò docere quemquam, qui ſit idoneus, expetita licentia interdicat; Nec tandem his refragatur Text. *in leg. unic. C. de ſtud. liberal. Urbis Romæ, & Conſtit. proœmial. ff. ff. in §. hæc autem tria*, in quibus ſancitur, neminem Magiſtri officium in locis, ubi vigent litterarum ſtudia, uſurpare poſſe; etenim hujuſmodi diſpoſitiones intelligendæ ſunt conditionatæ, *abſque legitima Superiorum licentia*, ex rationibus ſupra latè adductis, & optimè notat Rota *in cit. deciſ. 1672. num. 5. & 6. coram Coccino*.

Neque tamen ex his animadverſis detractum volu- 12
mus fundatiſſimis Rotæ Romanæ deciſionibus; Etenim ſicut in *Cracovien. Juris legendi* contra Univerſitatem, privativè liberales artes docere prætendentem, favore PP. Societatis Jeſu reſolvit, quominus ejuſdem Præceptores in liberalium artium, & Theologiæ lectione impediri poſſint, potiſſimè eiſdem ſuffragantibus privilegiis Pauli III. Julii III. Pii IV. & expreſſè Breve S. Pii V. ut in *deciſ. 1650. num. 3. cor. Coccin.* & in aliis confirmatoriis; Ita in *Romana Juris legendi* contra PP. ejuſdem Societatis Jeſu, in Collegio Romano Cathedram Sac. Canonum moderari volentes, Archigymnaſium Sapientiæ confovit in Jure prohibendi Juris Canonici explicationem,

nem, cùm de ipſius Univerſitatis immemorabili poſſeſſione, vel quaſi conſtaret privativè docendi in Urbe Jus Canonicum io *deciſ.25.* poſt Antonell. *de Juribus Clericorum*, & in *ejuſdem Confirmatoria 9. Januarii 1699. ſuper manutentione, cor. Muto*, atque è converſo Patribus Societatis Jeſu inter alia ſuaſmet Conſtitutiones obſtare compertum fuerit, ne ex profeſſo Jus Canonicum tradere valeant, eiſdem ſolùm permiſſa eorum Canonum explicatione ad Theologiam poſitivam pertinentium, ut in ſæpè *cit. deciſ.26. num.33. cum ſeqq.* poſt Antonell. & in ejuſdem *confirmatoria die 9. Januarii 1699. ſuper bono Jure §. eoque, cor. eod. Muto*. Quapropter ad novam trutinam revocato dubio, ob Suffragiorum paritatem indeciſo, *die 16. Martii 1699.* An Patribus ejuſdem Societatis Jeſu licitum fuerit pro his Canonibus permiſſis particularem, & diſtinctam Cathedram erigere; Conſtitutiones Societatis eidem erectioni obſtare, Rotæ viſum fuit in *Romana Juris legendi 22. Junii 1699. coram eodem Muto*.

13 Quare ut magis confoveretur Jus Nobilis, & præexcelſæ Univerſitatis Urbis, etiam ex immemorabili obſervantia deductum, prohibendi publicis edictis, ne aliquis lector, tàm publicus, quàm non talis, privatim in propriis domibus, vel aliis locis extra dictam Univerſitatem legeret Inſtitutiones Civiles, Canonicas, & Criminales, S. M. Innocentius XII. ejus ſpeciali Chirographo exarato 10. Februarii 1700. directo Cardinali Camerario, tales lectiones omninò prohibuit, exceptis locis Seminariorum, vel Collegiorum pro Convictoribus, & alumnis eorumdem; & in executionem prædicti Brevis, Eminentiſſimus, & Reverendiſs. D. Jo: Baptiſta Spinula, S. R. E. Cardinalis, & Camerarius, cujus natalium nobilitas, juſtitiæ illibatæ amor, ac animi prudentia in tot muneribus Præceptoriæ S. Spiritus, Secretariæ Sacr. Conſultæ, & Urbis Gubernatoris Romanorum Pontificum exiſtimationem meruit ſemper obtinere, edidit plura Edicta prohibitiva, ne fieret lectio cujuſcumque, Facultatis extra Scholas Sapientiæ, & reſpectivè quoad ſtudentes, ne auderent ad eaſdem Scholas privatas accedere, ſub pœnis in illis contentis, quæque Edicta promulgavit etiam tempore Regnantis Pontificis Clementis XI. cujus amor erga bonarum litterarum ſtudium, à nemine unquam vinci poterit.

CONSTITUTIO VII.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Unigenitus.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS.

IN Sanctorum Cathalogo adſcribit Thomam Epiſcopum Herfordienſem.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Anglia plures Sanctos peperit.*
2 *Infelix nunc eſt in ſtatu pertinacia in hæreſi.*
3 *Natales, & parentes Thomæ Epiſcopi Herfordienſis recenſentur.*
4 *Ejus virtutes, ac opera enarrantur.*
5 *Munus Cancellarii exercuit apud Regem Angliæ.*
6 *Epiſcopus Herfordienſis deinde deſignatus extitit.*
7 *Urbem adit pro negotiis Eccleſiæ, & in reditu obiit in Oppido Montis Faliſci.*
8 *Canonizatur à Jo: XXII. in hac Conſtitutione.*
Ejus Corporis ſepultura, ac miracula referuntur. Ibidem.

ANgliam nunc exhibeo, quæ Præſulem, tàm mirandum Superis tranſmiſit, cum quo lætatur Pontifex 1
noſter Joannes, quia Anglicum, Angelicum inquiens
hominem Eccleſiæ faſtis dedit; ſed nec in hoc tantùm
Eccleſia tunc Anglicana lætari potuit, cùm ſæpè ſæpiùs
ex ſui ſinu Cœleſti Hieruſalem cives mutuavit; Felix 2
quidem fuit, prout infelix nunc cernitur in tanto pertinaci ſchiſmate, ac hæreſi perſiſtens; itaut ſicuti cum
exultatione antiquum ſanctitate referimus ſtatum hujus
Regni nunc retulimus; ita ſubſequentem lacrymabilem
referre ſuo loco non omittemus. In Britannia igitur ma- 3
jori, quam poſtea Angliam vocarunt, natus eſt Thomas,
de quo in hac Conſtitutione, Patre Vvillelmo de Cantilupo, Matre Milicenta Comitiſſa Ebroicenſi; Moribus
ætatem ſuperans à teneris annis, & Deum timere, ac 4
colere cœpit; Quotidie horas Canonicas recitare, &
Miſſæ intereſſe non deſinebat. Primò Academiæ Oxonienſis ſtudia coluit, inde Lutheriam ſe contulit, ubi
Logicæ, & Philoſophiæ arcana compenetrans, magiſterii titulum promeruit; exinde Oxoniam reverſus ejus
Academiæ Juris Pontificii doctor, & Cancellarius creatus eſt; ſubindeque invitus, coactus eſt eſſe Henrici III. 5
Angliæ Regis Cancellarius, in cujus muneris adminiſtratione, conſilio providus, & ſermone verax ſemper
ad meliora proficiebat. Poſt Henrici obitum Thomas
Oxoniam rediens, Theologiæ ſtudiis animum adjecit,
unde doctor talis facultatis factus eſt. Orbata deinde
Paſtore Eccleſia Herfordienſi, omnium Votis Epiſcopus
factus eſt. Io hoc munere magnum virtutum cumulum 6
fuit nactus, & in eam præcipuam curam incubuit, ut
Eccleſiaſtica jura tueretur, atque ab injuſtis poſſeſſoribus ablata bona, Eccleſiæ reſtituerentur. Ea de cauſa 7
Romam venit, ubi honorificè exceptus, ac negotiis pro
voto expeditis, dum in Patriam iter aggreſſus eſſet juxta
Montem Faliſcum morbo oppreſſus occubuit Anno
1287. ideòque Papa §. 11. *hujus Conſtitutionis* dixit,
obiiſſe, dum ad Romanam Curiam perveniſſet, non
quia Romæ obierit, ut in margine adnotavit *Cherubinus*.
Ejus Corpus ſepultum in Eccleſia S. Severi, aſportatum 8
deinde fuit in Angliam ad ejus Sedem: Cùmque ei obviam iviſſet Gilbertus de Clara Comes Glovernıæ, qui
ob Eccleſiæ jura Sanctum Epiſcopum divexaverat, mox
à cadavere ſanguis copioſiſſimus manavit, adeòut Comes horrore concuſſus, Eccleſiæ jura ablata reſtituit.
Hujus viri ſanctitatem innumeris miraculis Deus patere
voluit, in quibus fertur ſexaginta mortuos reſuſcitaſſe,
apud Surium *tom. 5. hiſt. SS. die 2. Octobris*, ac plura
Jo: commemorat in hac Conſtitutione, qua eum inter
SS. Confeſſores adſcripſit Avenione 15. Kal. Maii Ann.
1320. aſſignata feſtivitate colenda die 2. Octobris, ac
indulſit certas Indulgentias ſepulchrum ejuſdem viſitantibus. His relatis, aliqua quoad Canonizationem Sanctorum addam.

SECTIO UNICA.

De Pluribus concernentibus cauſas Canonizationum, earumque Poſtulatoribus, ſeù Procuratoribus, & expenſis.

SUMMARIUM.

1 *Plura quoad Canonizationem Servorum Dei continuativè explicari ſtatuuntur.*
2 *Cauſæ Canonizationum an ſint civiles, vel criminales?*
Dicuntur promiſcuè civiles, & criminales, & quomodo. Ibidem, & num. ſeq.
3 *In cauſis Canonizationum non ſervantur termini ſubſtantiales, quæ nullitates attenduntur.*
4 *Cauſæ Canonizationum an dici poſſint contentioſæ, & qua de cauſa?*
5 *Verè dictæ cauſæ dici nequeunt contentioſæ.*
Quomodo antiquo tempore canonizabantur Servi Dei abſque formali judicio contentioſo. Ibidem.
6 *Dictæ cauſæ, in quo ſenſu dici valent contentioſæ.*

7 Ex-

Digitized by Google

7 *Explicatur deciſio Rotæ circa hunc articulum.*

8 *Procurator, ſeù poſtulator conſtitutus pro hujuſmodi cauſis, an validè obliget principalem pro cambio contracto pro ſolvendis expenſis dd. cauſarum, & num. ſeqq.*

9 *Cenſetur procuratori conceſſa poteſtas neceſſaria ad actum.*

10 *Poteſt recipere pecuniam mutuo, etiam ſub uſuris, & quando.*

11 *Procurator conſtitutus ab aliquo Conventu ad faciendum eremum, validè obligavit Conventum pro debito cum uſuris neceſſario pro dicta fundatione.*

12 *Idque eò magis procedit, ſi in mandato procuræ adſint clauſulæ ſpeciales, & quæ?*

Ita ſi concurrat in mandato procuræ obligatio omnium bonorum. Ibidem.

13 *Quid ſi in mandato procuræ ſit quis conſtitutus ad litem Canonizationis?*

14 *Plures Procuratores in eodem mandato pro eadem cauſa Canonizationis à diverſis conſtituti, an obligent principales in ſolidum? & num ſeqq.*

15 *Obligatio in ſolidum non intrat, niſi expreſſe caveatur, præſertim in re dividua, & num. ſeqq.*

16 *Quid dicendum, ſi agatur de procuratore conſtituto per mandata diverſorum? & num. ſeqq.*

17 *Obligatio in ſolidum non datur, niſi explicetur, & quid dicendum ſi concurrant conjectura, & verba aliqua, & quæ?*

18 *Quæ ſunt conſideranda in his mandatis pro Canonizatione, ut inducatur obligatio ſolidalis.*

19 *Si verò agatur de tertio contrahente cum Procuratore in vim unius mandati, obligantur tantùm conſtituentes illum.*

20 *Sed ſi tertius contrahit cum Procuratore in vim mandatorum diverſorum, an tunc intret obligatio ſolidalis, diſcutitur.*

An res tradita duobus, obliget eos, quibus traditur, in ſolidum? Ibidem.

21 *Expenſæ neceſſariæ plures in Canonizationum cauſis referuntur, & ab hæterodoxorum calumniis vindicantur.*

22 *An requiratur beneplacitum Apoſtolicum pro hujuſmodi expenſis, ut obligent ſucceſſores?*

Quid in alienatione ſtabilium Eccleſiæ, vel obligatione bonorum illius? Ibidem.

1 CONtinuando materiam Canonizationis quoad partem forenſem, ſeù contentioſam, juxtà adducta
ſupra in *Conſtit.* 2. hujus Pontificis, plura ſubnectere
pro præſenti Commentario ſtatui, & præcisè an hujuſmodi
cauſæ Canonizationum ſint civiles, vel cri-
2 minales, in quo diſputant DD. apud Roccam de *Canoniz. num.* 22. & *ſeq.* Roſam *in eodem tract. poſt exe-
cut. litt. Apoſt. num.* 22. Contilor *eod. tract. cap.* 18. *numer.* 25. Matt. *eod. tract. par.* 4. *cap.* 5. *num.* 10. Sed ve-
rè dicuntur tertia ſpecies, nam certè nequeunt dici ri-
goroſè criminales, quia non agitur ad pœnam, & vin-
dictam, ſed ad præmium, & retributionem; nec etiam
dici poſſunt civiles, cùm ſe opponat Fiſcus, ſeù Pro-
motor Fidei, qui aſſiſtit pro cauſa univerſali, & tamen
cauſa civilis procedit tantùm inter partes; ita nec pro-
ceditur in contumaciam unquam in his, prout procedi-
tur aliquando in aliis, cùm debeant ſemper decreta fieri
præſente ipſo Promotore, vel Subpromotore, Matta *cit.*
3 *cap.* 5. *num.* 73. & 74. ubi quod non ſervantur termini
ſubſtantiales, ſed tantùm attenduntur tres nullitate, juriſ-
dictionis nempè, mandati, & citationis dicti Promoto-
ris, cùm in his cauſis major vis ſit in veritate indaganda,
& non in leguleicis formalitatibus tantùm; & ſic con-
cluditur eſſe civiles, vel criminales, prout refert eas
eſſe pro veritate elicienda, & habet ſervari tantùm for-
4 ma præſcripta à decretis in his cauſis. Ita poſſent dici
ex una parte hujuſmodi cauſæ contentioſæ, quia adeſt
pars actrix, nempè Poſtulatores, ac Promotor Fidei
opponens, ut apud Pignatell. *conſult.* 249. *num.* 20. *poſt
med. tom.* 1. & *conſult.* 42. *num.* 61. *tom.* 4. Sed tamen re
vera non eſſe contentioſas in effectu dici poſſet, cùm 5
Papa non teneatur ſequi neceſſariò acta, aliquem cano-
nizando, prout tenetur Judex; ſed ductus Spiritu-ſan-
cto ipſe ſolus devenit, audito voto conſultivo Cardina-
lium tantùm, ad judicium ferendum Canonizationis;
unde videmus in Bullis antiquioribus, fuiſſe canoniza-
tos aliquos Servos Dei per ſolam relationem aliquorum
piorum Virorum, & proinde eſſe cauſas extrajudiciales,
& non contentioſas, ut dixerunt Jacob. Caſtellin. *de Ca-
noniz. quæſt.* 8. *propè finem, verſ. ſed Canonizatio*, Con-
tilor. *eod. tract. cap.* 25. *à num.* 39. *ad* 41. Rota *in Ro-
mana, ſeu Limana Cambiorum* 12. *Januarii* 1699. §.
quoniam, & ſequenti coram D. Anſaldo.

Sed eo ſenſu in præſenti tales cauſæ dici valent conten- 6
tioſæ, poſt datam nempe certam formam probationum,
donec ſcilicet agatur de actibus probatoriis; ſed his pe-
ractis ceſſat contentioſa qualitas, cùm remaneat dein-
de totum in poteſtate Summi Pontificis, & licèt Papa
valeat abſque alio conſilio canonizare, ut dixi *tom.* 1. *ad
Conſtit.* 1. Eugenii III. *ſectio unica num.* 34. & 42 *cum
ſeqq.* Tamen non debet, nec ſolet hodie, niſi prius di-
cta forma probatoria adhibita Canonizatio fieri, Mat-
ta *de Canoniz. part.* 4. *cap.* 1. Roſa *cit. num.* 20. & 21.
Nec obſtat *cit. deciſio in Romana, ſeu Limana*, quia 7
procedit in eo, quòd Procurator conſtitutus pro hujuſ-
modi Canonizationibus non dicitur ſimpliciter ad lites,
cùm contineant hujuſmodi cauſæ nedum partem conten-
tioſam in actibus probatoriis, ſed aliam dependentem
à pura voluntate Papæ, & in aliis functionibus extraju-
dicialibus pro actu Canonizationis neceſſariis, pro qui-
bus omnibus Procurator conſtitutus dicitur.

Hinc optimo jure fundatur in *cit. deciſ.* & in aliis an- 8
tecedentibus, nempe *diebus* 14. *Maii* 1696. *cor. Eme-
rix Jun.* inter ejus impreſſas *deciſ.* 1332. & 20. *Decem-
bris dicti anni coram Eminentiſſimo Tremoville*, & 26.
Februarii, & 4. *Julii* 1699. *coram Urſino*, quòd ſcili-
cet validè contractum fuerit cambium paſſivum, obli-
gando Capitulum Limanum, à Procuratore, ſeù Po-
ſtulatore in Urbem ab eodem miſſo pro cauſa Beatifica-
tionis Venerabilis Servi Dei Toribii, olim Archiepiſ-
copi Limani, cujus fuit celebrata Beatificatio à Sancta
Memoria Innoc. XI. ejuſque cambii pecunia fuit verſa
pro pluribus expenſis, ne dum in examine, & aliis acti-
bus judiciariis in S. C. Rituum, & pro manutentione
Procuratoris, & Sollicitatoris, elicita validitate obliga-
tionis Capituli per Procuratorem obligati, quia cùm
fuerit conſtitutus Procurator pro negotio Canonizatio-
nis, hujuſmodi actus important dictas expenſas in pa-
randis omnibus neceſſariis longo tempore triginta anno-
rum, & ſic cenſetur Capitulum tribuiſſe ei, uti neceſ-
ſariam conſequentiam, poteſtatem etiam procurandi
omnia, quæ neceſſaria eſſent pro negotio explicando,
ad textum *in leg. mobile* 56. *ubi gloſſ. litt. D.* & *leg. ad* 9
legatum 62. *ff. de Procuratoribus*, Golin. *eod. tit. par.* 2.
cap. 4. *num.* 20. & *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 56. ubi Add. *nu.* 7.
Rota *deciſ.* 463. *num.* 18. *coram Merlino*, *deciſ.* 21. *nu.* 3.
coram Dunozz. Jun. deciſ. 231. *num.* 6. *coram Pamphilio*,
deciſ. 461. *num.* 12. *part.* 14. *recent.* & *in cit. deciſ.* 1332.
num. 1. & 2. *coram Emerix jun.* Hinc poteſt recipere pe- 10
cuniam mutuo, etiam ſub uſuris, Bald. *conſ.* 383. *nu.* 5.
libr. 3. Ruinus *conſ.* 93. *num.* 2. *libr.* 5. Staiban. *de inte-
reſſe libr.* 2. *tit. de inter. Societ. quæſt.* 2. *num.* 50. §. *pri-
mus fuit cum ſeqq.* & *tit. de intereſſe mandat. quæſt. unic.
verſ. tertius caſus num.* 34. Sanſelic. *deciſ.* 181. *num.* 2.
quia ſufficit conjectura, quod ita egiſſet principalis,
prout quod id fecerit Capitulum in dicto caſu liquet,
cùm tàm anxiè Canonizationem deſideraverit, atque
promoverit aliis ingentibus expenſis, Maſtrill. *deciſ.* 204.
num. 2. §. *Et proptereà*, & in ſimilibus, quòd conceſſa
facultate à Patribus Conventus Religioſo faciendi Ere- 11
mum, potuiſſe ipſum contrahere debitum ſub uſuris,
juxtà id quod arbitrio boni Viri requirebatur pro dicta
conſtructione, dixit Rota *in Romana Cenſus* 9. *Maii*
1689. §. *Et quidem*, *coram Card. Caccia*, & 16. *Janua-
rii* 1693. §. *minus* & 16. *Maii ejuſdem anni* §. *minuſ-
que*, *coram Manuel Epiſcopo Zamoren*, & latè in ter-
minis Canonizationis in *cit. deciſ. Romana, ſeù Lima-
na*,

Digitized by Google

na, præſertim *cor. Eminent. Tremoville*, *§. quot autem*, *& cor. Urſino*, *§. totum autem in fine*.

12 Hæcque eò fortiùs procedunt, ſi in mandato procuræ adeſſent generales, & amplæ clauſulæ, ſuper omnibus incidentibus, & dependentibus, quæ comprehendere valent in ſubjecta materia ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum, accedente præſertim obligatione omnium bonorum, & de rato, Maſtrill. *cit. dec. n. 3. & ſeq. dec. 57. n. 7. cor. Merlino*, *& dec. 58. n. 6. part. 16. rec. & in cit. dec. Romana*, *ſeu Limana*, & præſertim latiùs in ea *coram Urſino*, *§. ab initio*, *ad §. majorem autem*, quam theoricam approbavit Rota *in Piſauren. ſeu Fanen. Emphyteuſis* 3. *Junii* 1697. *§. ſupervent.s*, *cor. D. Molines Decano*; imò etſi in conſti-
13 tutione Procuratoris hujuſmodi fuerit dictum ad litem, tamen quia agitur de Canonizatione, quæ unà importat, ut dixi, partem contentioſam, & extrajudicialem, ſufficit habuiſſe finem totius actus, quòd comprehendit ambas partes illius, & verificatur qualitas litis in parte, & ſic talis enunciativa non reſtringit facultatem, quæ reſultat ex natura actus, ut benè perpendit *cit. dec. Romana*, *ſeù Limana cor. D. Anſaldo*, *§. incongrua*, *& ſeq.*

14 Sed ſi plures ſint Procurationem facientes pro hujuſmodi cauſis, an intret obligatio inſolidum, quæ expreſsè non ſit poſita in mandato? Et quatenus conſtitutio plurium Procuratorum fiat in eodem mandato, per plures de re diviſibili, regula generalis eſt, ut non intret obligatio in ſolidum, niſi expreſsè cavea-
15 tur, promiſſores eſſe correos debendi, Cyriac. *contr.* 198. *n. 4. & ſeq.* Poſth. *reſol.* 59. *n.* 1. *& ſeq.* Rot. *dec.* 79. *n.* 14. *&* 15. *par. 6. rec.* & in his cauſis poſſet dici res dividua, nam etſi fuerit factum mandatum pro procuranda Canonizatione, quæ eſt actus individuus; tamen ex identitate actus, vel unica verborum conceptione non intrat obligatio ſolidalis; ſi res in ſubjecta materia ſit diviſibilis, quæ mentem contrahentium declarat, Cyriac. *contr. cit. n.* 13. *&* 14. & ſic cùm hujuſmodi mandatum reſolvatur in obligationem pro expenſis neceſſariis in actu volito, pro expenſis tantùm intelligitur facta obligatio, quæ ſunt res diviſibiles; ita ſi mandatum eſſet ad aliquam litem individuam, tamen adhuc expenſæ debent refici pro virili;
16 Si tamen agatur de duplici mandato ſeparato, dato ad Canonizationem pluribus, vel uni Procuratori; licèt poſſet dici, quod cùm non agatur de eadem ſcriptura, intelligi debet obligatio inſolidum, tamen reſpectu Procuratoris, & ſubjectæ materiæ in contrahentibus, elicitur obligationis diviſio, cùm obligatio in ſolidum,
17 quidquid ſit de jure antiquo, de jure quidem novo non detur, niſi explicetur, *leg. reos* 11. *§. cum Tabulis*, *ff. de duobus reis*, Grat. *diſcept.* 682. *n* 5.

Et quamvis etiam ex verbis, & conjecturis exprimentibus mentem contrahentium, elici poſſit obligatio ſolidalis, Pacion. *de Locat. c.* 26. *num.* 5. Rot. *dec.* 1621. *n. fin. cor. Pania*, tamen in dicto caſu talis voluntas non elicitur, imò potius diviſio obligationis juri
18 communi conformis. Verùm etiam in præfato caſu debet Judex inſpicere, in cujus utilitatem majorem actus Canonizationis cedat, tum ex oblationibus, quæ ſolent eſſe maximæ utilitatis, tum ex aliis, quia in hoc caſu ille, cui emolumentum majus accedit; debet reficere majores expenſas, ut ponderat *cit. dec. cor. D. Anſaldo §. Domini*, *in fine*, aliàs regulariter voluntas Procuratoris recipientis mandatum à pluribus in re diviſibili, habet finem ad obligationem, quæ eſt in relevatione expenſarum, cùm in effectu eadem utilitas ſit reſpectu ſolutionis partis expenſarum, quàm totius; ideò cenſetur, Procuratorem ipſum acceptare obligationem pro diviſo; eoque fortiùs, quia hujuſmodi negotia ejus ſint indolis, ut plures concurrere ſoleant in mandato, qui intendunt individuum honorem, ac decus, necnon agitur de ingentibus expenſis, quæ ab uno ſolo regulariter fieri non valent.

19 Si demum agatur cum tertio, qui contraxit cum ipſo Procuratore, conſtituto intuitu unius mandati conſtituentis illum Procuratorem, & non alterius, & tunc reſpectu ipſius tertii intrat totalis obligatio conſtituentis Procuratorem, quia talis tertius contraxit, fidem ſequutus mandati ſibi oſtenſi, & ſibi imputet conſtituens, ſi ſibi non conſuluit, cùm non debuerit contrahens cum dicto Procuratore divinare; ita ſi mandatum fuiſſet duorum, hi ambo obligarentur; Si verò 20
quis contraxerit cum Procuratore hujuſmodi in vim mandatorum diverſorum plurium conſtituentium, in quibus non adeſt clauſula in ſolidum obligandi, nequit elici obligatio in ſolidum ad favorem dicti tertii, ut dixit Rota *cit. dec.* 79. *n.* 14. *&* 15. *par. 6. rec.* Verùm ſi agatur de contractu tertii cum Procuratore in vim plurium mandatorum, tunc poſſe obligari principales in ſolidum, dixit Rota *in cit. Romana*, *ſeu Limana cor. D. Anſal. §. profectò*, adducens Textum *in l. eamdem 9. ff. de duobus reis*, quòd ſcilicet ſufficiat rem tradi duobus; quia id procedit, quatenus adſit voluntas dantis, utriuſque fidem in ſolidum ſequentis, itant non ſufficiat idem dare duobus, ſed ex aliis elici, ut utriuſque in ſolidum fides ſit ſecuta, ut ſunt verba ejuſdem Textus, & benè notat Gloſſ. *ibid. ver. danto*, Pacion. *cit. nu.* 4. *&* 5. conciliando dictam legem cum aliis: aliàs ſequeretur, quod contrahendo cum duobus, reſultet ſtatim obligatio in ſolidum, & ſic deſtrueretur regula requirens expreſſam obligationem ſolidalem: ídcireò in caſu debet ſcrutari an id reſultet ex eo, quod voluerit tantùm fidem plurium in ſolidum, vel diviſim, cùm potiùs cenſeri debeat ſequi eo modo, quo Procurator eos habeat cum effectu obligatos.

In re expenſarum pro hujuſmodi Canonizationibus 21
benè vindicari poteſt Eccleſiæ Romanæ ab Etherodoxis labefactata dignitas, cùm obloquatur contra eam pro expenſis ingentibus, quæ fiunt in hujuſmodi actibus: Etenim cùm illi malignantis naturæ contra infallibilitatem Canonizationum irruerent, ex ordinata actorum ſcire in præteritis Commentariis indicata, præſertim ſupra *Conſtitut.* 6. Bonifacii VIII. qua procedit Sedes Apoſtolica, remanent convicti. Contra expenſas proclamant, & tamen ſi diligentiæ neceſſariæ ſunt, quomodo expenſæ evitari valet? Nunquid non in quacumque re, ratione laboris permittitur aliquod ſtipendium, ut etiam in Sanctiſſimo Sacrificio Miſſæ eleemoſyna toleratur, non quidem ratione ejus valoris, quod nefas eſſet, ſed ut, qui Altari ſervit, Altaris opera vivere valeat, *Os enim bovi trituranti claudi non debet*. Levit. *cap.* 35. Nonnè in hujuſmodi cauſis innumeri ferè ſunt operarii, Amanuenſes, Curiales, Typographi, Notarii, Periti, aliique, in quorum debitum ſtipendium majores expenſæ pro dicto actu debentur, nam pro Cardinalibus datur tantùm propina ſcutorum centum, necnon Secretario S. Cong. quæ datur eorum ſtudii Auditoribus, nam ut inquit Liv. *lib.* 5. *Nuſquam operari ſine emolumento*, *nec emolumentum ſine impenſa opera eſſe*, & ad rem dixerunt Amoſtaz *de cauſis piis tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 34. & in ſimili de congrua debita Epiſcopo ex *cap. extirpandæ* 30. *de prebend.* docuit Rota *dec.* 342. *n.* 14. *par.* 14. *recent.* & in terminis expenſarum pro hujuſmodi cauſis Canonizationis *in Romana ſeu Limana Cambiorum* 11. *Januarii* 1699. *§.* 1. *in fine*, *cor. D. Anſald.*

An autem requiratur Beneplacitum Apoſtolicum 22
pro hujuſmodi expenſis, ſi fiant à Capitulis, Eccleſiis, aliiſque locis piis, & an obligent Succeſſores, opportunè poſſet quæri: Et certè quod ſi fiant ex pecuniis propriis ſibi ſpectantibus, & non deſtinatis pro Inveſtimento, aut Capitalibus, poſſunt eorum vita durante de eis ad libitum diſponere, imò etiam Adminiſtratores locorum piorum, quia verè actus eſt laudabilis ob decus, nedum Univerſalis Eccleſiæ, ſed illius ſpecialis imò etiam utilis ob oblationes, quòd ſi deberent obligari Succeſſores, etiam adeſt cauſa ex dictis ſufficiens: ſed videtur neceſſarium beneplacitum Apoſtolicum, ut ſucceſſores obliget, Gonzal. *cap.* 9. *nu.* 3. *de ſolut.* Turricel. *de reb. Eccleſ. non alien. cap.* 25. *n.* 2. Rota *dec.* 633. *n.* 3. *par.* 4. *to.* 3. *rec.* & dixi latè quoad tranſactiones, quatenus afficiant ſucceſſores *to.* 1. *ad Conſt.* 1. Paſch. II. *ſett.* 2. *n.* 15. & in his terminis Canonizationis dixit

Rota *cit. deciſ. Romana, ſeu Limana cor. Anſaldo*, §. *ejuſdem*, *& ſeq.* quæ obligatio Succeſſorum in tali caſu eò magis reſultat, ſi taciam, vel expreſſam proſecutionem Canonizationis rati fuerint. Demùm ſi agatur de obligando bona Eccleſiæ, vel alienando ſtabilia, tunc etiam requiruntur ſolemnitates *Extravag. ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienandis*, & licèt Rota *in cit. dec. cor. Anſaldo* §. *Domini parum*, videatur contrarium dixiſſe ex eo, quòd actus ſit utilis tàm in Spiritualibus, quàm etiam in temporalibus ob oblationes, imò etiam laudabilis; tamen non ex eo, quòd concurrat Cauſa legitima, alienatio fieri valet, niſi pariter copulativè concurrat quoque Beneplacitum Apoſtolicum, itaut alterum ſine altero non ſuffragetur, ut latè firmavi *tom.* 1. *Conſt.* 1. D. Leonis Magni, *Sect.* 3. *pag.* 88. *nu.* 60. & benè Rota id agnovit in *eadem dec.* §. *Vel in omnem caſum*, quia ſe fundavit rurſus in conſenſu Papæ ſaltem tacito, qui ſciens, & videns ex ejus munere neceſſario pro Cauſis canonizationum actus geſtos per Procuratorem Capituli, qui fieri nequibant ſine ſolitis expenſis; ſcit enim Papa hujuſmodi Cauſas expenſas requirere, & ſic admittendo Poſtulatorem certarum perſonarum, videtur canonizare factum, conſequenter neceſſarium actui demandato, qui conſenſus Papæ poteſt deſervire pro Beneplacito, Abbas *Conſ.* 41. *num.* 3. *ver. item omnis ſolemnitas*, *lib.* 1. Decius *Conſil.* 341. *num.* 12. *verſ. & quod conceſſio*, Gratian. *diſcept.* 473. *num.* 19. Franceſ. *de Eccleſ. Cathed.* *c.* 10. *num.* 11. Rota *dec.* 1307. *numer.* 1. *coram Seraph. & in Ferrarien. Decimarum ſuper Jure univerſali* 8. *Junii* 1696. §. *comprobatur in fine coram Urſino*, *& in Romana Cenſus* 14. *Februarii* 1689. *cor. Hervault*, & dixi etiam *cit. tom.* 1. *Conſt.* 1. D. Leonis *Sect.* 3. *n.* 67. *&* 68.

CONSTITUTIO VIII.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Inter Cætera.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, GUITTONI EPISCOPO Urbevetano, Patrimonii B. Petri in Tuſcia Rectori.

QUia Officiales aliqui, & Ditionis Sedis Apoſtolicæ Rectores quædam minora Caſtra, Civitates, & Terras majoribus Civitatibus, & Baronibus coactè alienarunt, locarunt, & ſubmiſerunt: quibuſdam verò voluntariè eiſdem ſe ſubiicientibus, & ſubmittentibus auctoritatem præſtarunt; In præſenti Joannes Papa eaſdem Terras, & minores Civitates ad plenum Jus, & dominium Eccleſiæ revocat, ſubmiſſiones hujuſmodi, & alienationes irritas, & nullas declarando.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Indicantur erumnæ, quæ ob Sedem Apoſtolicam in Gallias translatam Ditioni Eccleſiaſticæ obvenerunt.*

Diſpoſita in præſenti Conſtitutione referuntur.

3 *Jus concedendi in Feudum eſt inter regalia, nec venit ſub generali Juriſdictionis conceſſione.*

4 *Sub generali conceſſione adminiſtrationis non cadit jus alienandi, aut donandi.*

5 *Legatus à Latere nequit ſubiicere Eccleſiam Eccleſiæ, ſive Epiſcopum Epiſcopo.*

6 *Legatus à Latere, aut Prorex non habent facultatem infeudandi.*

7 *Civitates feudatariæ non valent ſe ſubmittere dominio alterius Principis.*

R. P. D. Fatinellus de Fatinellis laudatur. Ibidem.

QUod de occaſu Romani Imperii commemorant 1
hiſtoriæ, quòd etſi Roma ſola ad totius Orbis terrarum regendas habenas apta nata videretur, ſumma tamen rerum tunc in Orientem translata fuit; hoc idem Patrimonio D. Petri ferè contigit, dum Pontificia Curia Avenionem tranſmigravit. Statimatque enim Roma Clemens V. diſceſſit, numquam ſatis deplorandis perturbationibus tota Eccleſiaſtica ditio agitata fuit; Tunc magno Legum pudore, & humanæ converſationis damno privatæ diſcordiæ ferro, & incendiis definiebantur, & Jus ſuum quiſque effrenis conatibus proſequebatur, adeòquod more Principum ab armis juſtitia pendebat; Tunc priſcis Gibellinorum factionibus reſuſcitatis, bella pluſquam Civilia intra muros non ſolùm ejuſdem Civitatis, ſed etiam Domus graſſabantur; Tunc quibus major erat potentia, & pecuniæ vis omnia plana erant, & aperta; ut tandem, præludendo ad caſum noſtræ Conſtitutionis, Officiales ipſi, & Rectores Status Eccleſiaſtici pleraſque minores Civitates, & Terras, quæ parum virium habebant, aliis majoribus, ſivè perſonis potentibus vi alienabant, & infeudabant; nonnulla etiam Oppida, & Caſtra ſpontè ſua ſe dabant, & ſubmittebant, vel pecunia empta, ſeù aucupandi cauſa ab externis incurſionibus potentiorum tutamen; hiſque, & aliis modis tota Eccleſiaſtica ditio fœdiſſimè dilaniabatur; quas quidem pernicies, & calamitates diſtinctè recenſent D. Antonin. *Chronicon. part.* 3. *tit.* 21. Villan. *Hiſt. lib.* 9. *&* 11. Rub. *Hiſt. Ravennæ lib.* 6. Raynald. *ad ann.* 1321. *numer.* 39. Tanta, inquam, his temporibus erat rei Eccleſiaſticæ in præceps converſio, quæ diù permanere nequibat, quin, ut caſus fuit Imperii, in totum rueret; niſi Joannes, ſuæ providentiæ oculis in Italiam converſus, ſolicitè incubuiſſet ad Eccleſiæ Principatum ſic nutantem confirmandum, Notabimus namque in ejuſdem *Conſtitut.* 10. *incip. Ad hoc*, ſub ſpiritualibus, & temporalibus pœnis ſtatuiſſe, quòd quilibet Jus ſuum viis pacificis, & judiciali ordine ſervato proſequeretur, ut fidelium ſtragibus, & bonorum dilapidationibus temperaretur, & Juſtitiæ ſarta recta eſſent; In præſenti autem Conſti- 2
tutione edita Avenione anno 1321. indemnitati Jurium Sanctæ Sedis conſulendo, ad ejuſdem Dominium, & plenum Jus Caſtra, & Civitates alienatas, & aliis ſubmiſſas revocavit, temerè geſta ab Officialibus, & Rectoribus reſcindendo, prout in Epitome; quam quidem Conſtitutionem innovarunt plerique Summi Pontifices, & nominatim Clemens VI. *in ejuſdem Conſtit.* 3. incip. *Etſi*, & S. Pius V. *in Conſtit.* 35. incip. *Admonet.* §. 3. earumque meminerunt R. P. D. Fattinellus *lib.* 1. *reſponſ.* 8. *num.* 8. *& reſponſ.* 9. *num.* 24. Cohell. *ad Bull. Boni regim. c.* 19. *n.* 43.

Quàm quidem injuſtè Officiales, & Rectores in 3
præjudicium pleni dominii Sedis Apoſtolicæ alienarunt, & ſubmiſerunt ejuſdem Terras, & Civitates, inde argui poteſt, quòd feudi conceſſio eſt Jus Regale, quòd tantummodò in Supremo Principe radicatur, ut eſt Textus *in Conſtit. ſcire volumus*; & concordant omnes Feudaliſtæ, quos refert Affl. *ad Conſt. Regni in rubr. quæ ſint regalia numer.* 110. Maſtrill. *de Magiſt. lib.* 3. *c.* 10. *num.* 423. & latè Petrus Gregorius *de conceſſ. feud. par.* 1. *qu.* 2. Sanfelic. *lib.* 2. *dec.* 189. *n.* 17. adeòut generaliter data, ſeù mandata quacumque juriſdictione; hujuſmodi facultas, quæ in ſignum privilegii ſpecialis eſt reſervata Principi, per inferiorem explicari non poteſt, *capit. quod translationem de off. leg. l. Imperii*, *& leg. quæcumque*, *ff. de Juriſdict. omn. Judic.* majora enim non committuntur abſque ſpeciali mandato, *leg. mandato*, *l. Pomponius*, *ff. de Pro-*

Digitized by Google

de Procurat. Hinc ad propoſitum alludendo, conceſſa generali adminiſtratione, non transfertur liberum jus alienandi, *l. contra Juris Civilis* §. *ult. ff. de pactis*, *leg. ſi pater*, *ff. de his, quæ in fraudem*, eoque minùs poteſtas donandi, *leg. filius famil. ff. de donat.* Itemque
5 Legatus de Latere etiam cum generaliſſima facultate Eccleſiam Eccleſiæ, ſivè Epiſcopum Epiſcopo ſubjicere nequit, conceſſo privilegio Primatiæ, ex Textu expreſſo in *cap. quod translationem, de Offic. Legat.* ibique omnes repetentes, inter quos Barboſa, & Abbas, Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap. 3. num. 24.* Gambar. *de Legato à Latere lib. 2. de ordinariis num. 159. & 166.* Solorzan. *de Jure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 5. n. 1.* Barboſa *de Epiſcopo part. 3. alleg. 50. num. 5.* Rota *in dec. 324. num. 2. par. 1. rec.* & in noſtris terminis, quòd neque Legatus de Latere, neque Prorex cum generaliſſi-
6 ma juriſdictione à Principe tranſmiſſi, valeant de novo infeudare, ſeù quomodolibet Terras ſuæ Juriſdictioni commiſſas alienare, firmaot de Legato ex Bart. *l. 3. §. 2. ff. quod vi aut clam.* Gondiſ. *de Legat. quæſt. 11. num. 3.* Cherubin. Jun. *ad hanc Conſtit. Schol. 2.* & de Prorege Afflict. *in cap. 1. de controv. feudal.* A Ponte *de poteſt. Proreg. tit. de his qui feud. dare poſſunt lect. 4. cum ſeqq.* Maſtrill. *de Magiſtr. lib. 5. c. 6. numer. 76. & 130.* Si itaque Legatus de Latere, & Prorex, quorum auctoritas ſecunda eſt poſt Principem, infeudare, & alienare nequeunt, numquid alii Officiales, & Rectores poſſint? quiſque deducet; nec ſanè minori injuſtitia parvæ Civitates, & Oppida ſe dabant, & ſubmittebant potentioribus Perſonis, & majoribus Civitatibus, dominium namque, de quo diſponere, nequiverant in præjudicium Apoſtolicæ Sedis, transferre nitebantur; ſubmittere enim nil aliud importat, quàm transferre directum dominium ejus rei, quæ ſubmittitur, in eum, cui ſubmittitur, ex Redoan. *de Reb. Eccleſ. non alien. qu. 2. c. 41.* firmat R. P. D. Fatinellus *cit. reſp. 8. num. 9.* in propoſito noſtræ Conſtitutionis, qui ſanè Auctor in pluribus muneribus verſatus, meus Collega fuit in Signatura Juſtitiæ, & nunc eſt in Signatura Sanctiſſimi, ac inter Clericos Cameræ Apoſtolicæ maxima ſedet laude.

CONSTITUTIO IX.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Exigit.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, INQUISITORIBUS HÆRETICÆ Pravitatis in Provincia Lombardia.

MAndat Inquiſitoribus, quatenùs neminem Familiarem, niſi ejuſdem Eccleſiæ fidelem, ac devotum, & laudabilis converſationis, & vitæ habere præſumant. Itemque ne de cętero alicui extra eorum familiam, arma deferendi licentiam concedant, & aliàs conceſſam revocent.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Inquiſitoribus cur conceſſa fuerit facultas habendi familiam armatam.*

2 *Conceſſa Juriſdictione, conceſſa cenſentur media ad eam explicandam.*

3 *Facultas deferendi arma quibus perſonis & quo moderamine ab Inquiſitoribus concedenda, & n. ſeqq.*

Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione. Ibid.

4 *De familia Inquiſitorum quinam eſſe cenſeantur ad effectum fruendi facultate delationis armorum, & n. ſeqq.*

5 *Familiares Inquiſitorum quibus armis quibuſque in locis iis uti poſſint.*

6 *Miniſtri Inquiſitionis, ſi viri nobiles ſint, unum, aut duos famulos armatos habere poſſunt.*

7 *Quænam arma permiſſa, aut prohibita cenſeantur familiæ Inquiſitorum.*

8 *Familiares Inquiſitorum deferentes arma prohibita, aut alias in uſu armorum delinquentes, non poſſunt puniri, niſi ab Inquiſitore.*

9 *Quid ſi iidem familiares, dum arma gerunt, litteras patentes ſecum non habeant.*

10 *Edicta Magiſtratus ſæcularis prohibentia delationem armorum, non comprehendunt familiares Inquiſitorum.*

UNO eodemque tempore hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & juriſdictionem coercendi hæreticos, & facultatem habendi familiam armatam obtinuiſſe fatendum eſt. Utrumque ſanè providè, ac cum maximo Catholicæ Fidei commodo Summi Pontifices ſtatuerunt. Inquiſitoribus enim juriſdictionem in hæreticos delegarunt ex rationibus adductis *tom. 3. ad Conſtit. 16.* Innoc. IV. *n. 1. cum ſeqq.* Itemque eis privilegium officiales armatos habendi largiti ſunt, ne aliàs injuriis, ac hæreticorum violentiis cedere cogeretur ea juriſdictio, quæ mediis ad ſe explicandam neceſſariis deſtitueretur; adeò enim duo hæc inter ſe connexa 1
ſunt, ac invicem cohærentia, ut cui juriſdictio mandata eſt, ea quoque conceſſa eſſe videantur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt, ut inquit Textus *in leg. 2. ff. de juriſdict. omn. judic.* Oportuit etenim Inquiſitoribus familiam armatam permittere ad propriæ perſonæ tuitionem; cùm enim hujuſmodi Inquiſitionis officium uſque ab initio demandatum fuerit pauperibus Regularibus, ex Ordinibus Prædicatorum, & Minorum aſſumptis: Hi ſanè imbelles nec hæreticos coercere, nec ſe ab hæreticorum violentiis tutos reddere valuiſſent, quemadmodum contigit B. Petro Martyri, qui hæreticorum opera immaniſſimè trucidatus occubuit, ut retuli *tom. 3. ad Conſtit. 11.* Innocent. IV. Opportunè igitur ad propriæ perſonæ tuitionem, ac pro capiendis hæreticis familiam armatam habere Inquiſitoribus permiſſum fuit. At quoniam, ut ſæpè fit, ſub hujus privilegii velamine abuſus irrepere inceperant, ut tradit Vitalin. *in clement. nolentes num. 126. de hæret.* his obviam ire Summi Pontifices ſtuduerunt. Hinc primò Clemens V. in Generali Concil. Viennen. relato in *cit.* Clement. *nolentes*, §. *porrò*, idem privilegium confirmans, diſtrictè Inquiſitoribus inhibuit, ne conceſſione portationis Armorum quomodolibet abuterentur, nec Officiales, niſi ſibi neceſſarios haberent. Huic ſucceſſit præſens Conſtitutio edita Avenione 6. Nonas Maii An. 1321. in qua duo ſtatuuntur: unum reſpiciens qualitates, quas Inquiſitores in ſuis familiaribus requirere debent, & de his latè dixi *tom. 3. ad Conſt. 2.* Alexand. IV. prout de origine, progreſſu, privilegiis, ac aliis pertinentibus ad Cruceſignatos, alioſque familiares Inquiſitorum, dixi *cit. tom. ad Conſtit. 17. & 19.* Innoc. IV. Alterum præſcribens Inquiſitoribus modum in concedendis licentiis deferendi arma; & quoad hoc ſtatuit Pontifex, ne Inquiſitores iis, qui de eorum familia non ſunt, arma deferendi licentiam concedant, excepto caſu, quo ipſos de terra ad terram pro negotiis ad Inquiſitionem pertinentibus ire, vel redire contingeret; id enim Inquiſitorum perſonæ ſecuritati indulgendum erat; quo etiam fine Alexander IV. Epiſcopis, & Magiſtratibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus injunxerat, ut Inquiſitores de loco ad locum tranſire debentes, de ſecuro conductu providere tenerentur, ut dixi *tom. 3. ad Conſt. 19. & 20.* Alexand. IV.

Suppoſito igitur; Inquiſitores familiam armatam habere poſſe, quod nemo inficiari audebit, & notant communiter DD. mox citandi; Inquiſitorum par-
4 tes hac in re erunt, arma deferendi facultatem non facere, niſi perſonis eorum familiæ adſcriptis, qui vel ſint Apparitores, ſeù ſatellites, vel ſint familiares, ſeù Cruce ſignati, vel quicumque alii, qui ex Sacri Tribunalis inſtituto, ipſius Tribunalis, vel propriis expenſis, Inquiſitoribus preſtò eſſe tenentur, hæreticos, eorumque fautores denuntiare, ac capere, aliaque exequi, quæ pro Inquiſitionis munere ei demandantur; hi enim omnes, cùm de Inquiſitoris familia eſſe cenſeantur, facultatem arma diu noctuque deferendi obtinent, ut tradunt DD. apud Farinaec. *de hereſi q.* 182. *§. 6. num. 91.* Pegna *in director. Inquiſit. part. 3. comment.* 105. *verſ. rurſus*, Bellet. *diſquiſ. clerical. part. 1. de favore Cleric. reali §. 1. num.* 20. & dixi ad *cit. Conſtit.* 19. Innoc. IV. *num.* 4. ſub qua ſa-
5 nè facultate comprehenditur quodcumque armorum genus etiam prohibitorum, & omnia ea, quæ permittuntur Miniſtris Curiæ Sæcularis illius loci, in quo Inquiſitores juriſdictionem exercent, ut à Suprema Inquiſitione reſolutum refert Cardin. Albit. *de inconſtant. in fide cap.* 29. *num.* 7. ubi *num.* 8. inquit, hujuſmodi privilegium, utpotè conceſſum perſonæ ratione officii, non reſtringi ad loca, in quibus Inquiſitores juriſdictionem obtinent, *ad Textum in cap. privilegium, de regul. jur. in 6.* Cùm autem in præſenti Conſtitutione permittatur Inquiſitoribus, uſum armorum concedere iis perſonis, quæ de eorum familia ſunt; dicendum pariter eſt, id privilegium competere aliis Inquiſitionis Miniſtris, qui ejus expenſis vivunt, vel ab ea ſalarium recipiunt, uti ſunt Advocati, Notarii, Cuſtodes, Carcerum, Fiſcales, Scriptores, Vicarii Foranei, Curſores, Mandatarii, & ſimiles, ut advertit Pegna *cit. commentar.* 105. *verſ. rurſus*, Farinac. *loco cit. n.* 91. Bordon. *in Tribun. cap.* 40. *num.* 24. Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 179. *num.* 3. Salzed. ad Diaz *pract. crimin. cap.* 151. *numer.* 26. hujuſmodi enim perſonis, ultraquam quod ſunt de Inquiſitorum familia, armorum uſus permittendus erat, eùm ratione miniſterii ſint exoſi hæreticis, blaſphemis, aliiſque Inquiſitioni obnoxiis; Ex qua etiam ratione non quidem improbabiliter cenſuit Pegna *loc. cit. v. idem*, hoc privilegium competere, aut ſaltem extendendum eſſe ad illos, qui publicè ſcribunt adverſus hæreticos; cùm non minùs ac primi hæreticis inſenſi ſint, ac poſſint Sacri Tribunalis Miniſtri accenſeri. Portò quamvis
6 Pegna *loc. cit.* hoc Privilegium extendat, ut vel ipſi Miniſtri Inquiſitionis, vel eorum famuli armati incedere poſſint; Nihilominùs id intelligendum eſt de iis Miniſtris, qui ſunt viri nobiles, & quos dedecet arma per ſe ipſos deferre. Unde eùm ad munus Conſultoris ut plurimum adſcribi ſoleant viri togati, & Doctores, Suprema Inquiſitio eis indulſit, ut famulum habere poſſent, cui permiſſa cenſeretur delatio omnium armorum, quæ alii familiares geſtare ſolent, ut refert Card. Albit. *cit. cap.* 29. *num.* 20. ubi de more plura exempla adducit, & *num.* 21. ſubdit, Mediolani ob ſpeciale privilegium Conſultores duos famulos armatos, familiares unum habere poſſe; hi tamen famuli Inquiſitorum licentiam obtinere debent, nec ſatis eſt illam ab ipſis Conſultoribus concedi, ut aliàs Inquiſitori Mediolanenſi eadem Suprema Inquiſitio reſpondit.

7 At quoniam Inquiſitoribus curæ eſſe debet, ne ex hujuſmodi facultate delationis armorum, abuſus ſeſe inſinuent, aut ſcandala ſuboriantur: Hinc quamvis in hujuſmodi conceſſione Inquiſitores nulla arma excipiant, & exinde cenſeatur conceſſum omne armorum genus, quod Miniſtri Curiæ ſæcularis deferri ſolent, ut mox dixi; Nihilominus iidem Inquiſitores familiaribus ſuis oretenus præſcribere ſolent arma, quibus uti debent; hoc pacto ſe conformando menti Supremæ Inquiſitionis, quæ pluries vetuit, ne iiſdem familiares deferant pugiones breviores, vulgò ſtylettos; itemque ſclopos brevioris menſuræ, quos mazzagatos vocitant, ut apud Cardinal. Albit. *cit. cap.* 29. *numer.* 9. adeò ut ſi iidem familiares huic præcepto contraire audeant, deferendo arma prohibita, poſſint Inquiſitores eos punire, cùm cenſeantur delinquere in officio, ut dixi ad *cit. Conſtitut.* 19. *Innoc.*
IV. num. 10. Omni autem caſu, ſi iidem familiares 8
arma prohibita deferant, aut alias uſu armorum abutantur, permiſſum non cenſetur Curiæ Sæculari, ſi laici fuerint, aut Curiæ Epiſcopali, ſi ſint Clerici, eos arreſtare, aut punire; nam cùm certum ſit, familiares Inquiſitionis delinquentes in iis, quæ ad eorum munus pertinent, ſubjacere juriſdictioni Inquiſitorum privativè quoad quoſcumque alios Judices, ſequitur quòd ſi iidem armis abutantur, quo caſu in pertinentibus ad eorum officium delinquere cenſentur, à ſolis Inquiſitoribus puniendi ſint, ut latè dixi ad *cit. Conſtit.* 19. *num.* 10. *& ſeq.* Improbandi idcircò ſunt Souſa *in Aphor. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 28. *numer.* 6. & Sallel. *de mater. Tribun. fidei, libr.* 1. *cap.* 20. *regula* 147. *num.* 55. aſſerentes, poſſe Dominos temporales impedire armorum uſum familiaribus Inquiſitorum, ſi iiſdem armis abutantur, vel ſi Inquiſitores ipſi facultate conceſſionis armorum non cum debita moderatione utantur. Etenim adducta Jura ſtatuentia, ne Inquiſitores, eorumque familiares armorum conceſſione abutantur, in caſu abuſus non privant Inquiſitores, vel familiares hoc privilegio, ut advertit Card. Zabar. *ad cit. clem. nolentes, §. porro in primo notab.* Farinac. *cit. quæſt.* 182. *§. 6. num.* 92. ſed familiares ab Inquiſitoribus, & Inquiſitores à Suprema Inquiſitione puniendi erunt, ſi armorum conceſſione abuti comperiantur, Paſſerin. *in cap. ut Inquiſitionis num.* 253. *de hæretic. in 6.* Pignatell. *cit. conſult.* 179. *num.* 4. hoc enim privilegium eſt conceſſum Inquiſitoribus, eorumque familiaribus non intuitu perſonæ, ſed muneris, quod exercent; adeòque ſi perſona eo abutatur, non debet in officii detrimentum privilegio ſpoliari; quamvis alioqui privilegium amittere mereatur, qui eo abutitur, *cap. ſuggeſtum de decim. cap. decet de regul. Jur.*
in 6. Monendi nihilominùs ſunt Familiares, aliique 9
Inquiſitionis Miniſtri, qui privilegio delationis armorum fruuntur, ut pro evitandis juſtis moleſtiis Curiæ Sæcularis, ſuas litteras patentes ſecum deferre curent; aliàs ſi cum armis, & ſine iiſdem litteris à Curiæ Sæcularis Miniſtris comprehendantur, poſſent, & quidem impunè arreſtari, & in carcerem conjici, ut reſolutum refert Card. Albit. *cit. cap.* 29. *num.* 24. Fermoſin. *in cap. Eccleſ. S. Mariæ quæſt.* 58. *num.* 14. *de Conſtitut.* cùm enim ceſſante exemptione, aut privilegio à Tribunali Inquiſitionis conceſſo, quiſque cenſeatur ſubjectus juriſdictioni ordinariæ, quæ erga laicos reſidet penès Judicem ſæcularem, & erga Clericos penès Epiſcopum, ut etiam notat Fermoſin. *de confiſc. part.* 2. *alleg.* 7. *num.* 15. conſequens eſt, ut ſi iidem familiares, dum arma deferunt, litteras patentes ſecum non habeant, poſſint carcerari ab iis, quibus, exemptione ceſſante, ſubjecti eſſent.

Ex his ſequitur, Familiares Inquiſitorum arma et- 10
iam prohibita deferre poſſe, non obſtantibus Edictis Principum ſæcularium, eorumque Magiſtratuum cuicumque perſonarum generi arma prohibentium; nam in his, vel non exprimuntur iidem Familiares, & certè ſub iis non comprehenduntur, Fermoſin. *cit. qu.* 58. *numer.* 29. vel exprimuntur, & tunc inanis prorſus eſt conatus comprehendendi eos, qui ratione exemptionis ſub edicto cadere non poſſunt; imò Magiſtratus hujuſmodi edicta condentes, poſſunt ab Inquiſitoribus puniri, tamquam perturbatores, & impedientes Officium Inquiſitionis, eorumque ſtatuta ſunt ipſo Jure nulla; ut dixi *tom.* 3. *ad Conſtitut.* 10. Alexand. IV. *num.* 4.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO X.

JOANNIS XXII.

INCIPIENS (*Ad hoc.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES AD CERTITUDINEM Præſentium, & memoriam futurorum.

PRohibet omnibus in Provincia Marchiæ Calvacatas, & Incurſiones facere, vel ad vindictam proſilire, ſivè Jus ſibi dicere, abſque licentia Rectoris Provinciæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Bella privata quid olim fuerint, quamque originem habuerint.*

2 *Ea ſuſtulerunt Summi Pontifices primò indicendo treguas, poſtcà omnino ea prohibendo.*

3 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*

4 *Jure Civili prohibentur convocationes hominum ad privatam ulciſcendam injuriam, vel privata auctoritate ſibi jus dicere.*

5 *Pœna rebellionis puniuntur facientes Cavalcatas cum contra Principem, tum contra perſonas privatas.*

6 *Quænam concurrere debeant, ut Cavalcata contra perſonas privatas facta, inducat pœnam rebellionis.*

7 *Confœderationes quatenus de Jure ſint punibiles, ſi abſque dolo, & malo animo fiant.*

8 *Ex Conſtitutione Sixti V. ſemper prohibentur, etiam ſi fiant ad bonum finem.*

9 *Si ex eis nullum malum ſequatur, quid obſervetur quoad pœnas.*

10 *Quid dicendum de facientibus Cavalcatas contra latrones, aut ex alia juſta cauſa.*

11 *Quidque de convocantibus homines armatos pro defenſione perſonæ, aut bonorum, pro controverſia finium, & ſimilibus.*

12 *De Cavalcatis à jure permiſſis, remiſſivè.*

1 INoleverant, Legum pudore, media currente ætate, bella privata, vulgò *Faida* dicta; in his, magno Reipublicæ, & humanæ converſationis damno, cuique libitum erat ſibi Jus facere, & privatis vindictis ſuam ſuorumque injuriam ferro, deprædationibus, & incendiis fœdiſſimè proſequi. Adeò autem hujuſmodi bella moribus inveterata erant, ut quamvis à Longobardorum Legibus expreſsè non approbarentur; attamen ſi diffidatio, ſeu provocatio præceſſiſſet, pro jure conſtituto habebantur, ut in Adverſarium impunè graſſari liceret, ut colligitur ex Glaber. *lib. 5. capit.* 1. Ivo. Carnoten. *Epiſt.* 173. & reaſſumunt Marcha *lib.* 4. *concord. Sacerd. & Imper. c.* 14. Gonzal. *in c.* 1. *n.* 9. *de tregua, & pace;* Eccleſia autem proſpiciens, quam
2 fœdiſſimè, & animarum damno diſcordias privatorum incendiis, & duello definiri, enixè ſe convertit ad hujuſmodi nefarium abuſum extinguendum; & primò falcem ad radicem ponere deſperans, per inducias, & treguas certis temporibus ſtatutas eundem reprimere intentavit, ut eſt Text. *in c.* 1. & 2. *de tregua, & pace*, in quo Summus Pontifex in Concilio Lateranenſi ſtatuit, pacem, & treguam ab omnibus ſervari à quarta poſt occaſum Solis ad ſecundam feriam in ortu Solis; ab Adventu uſque ad octavam Epiphaniæ, & à Septuageſima uſque ad octavam Paſchæ, adeout his diebus ſub titulo treguæ, & pacis Domino Sacratis, nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, & priùs ſtatuit Nicolaus Papa in *canon. illi* 24. *quæſt.* 3. deinde verò nulla temporum, & perſonarum diſtinctione habita, hujuſmodi privatas vindictas penitus eradicavit, adeòut ſi fortè alter adverſùs alterum aliquid competere ſibi præſumeret, nonniſi viis pacificis, & Juris ordine proſequeretur, ut cooperantibus populo, & Clero ſtatuit Alexander III. in Ruthenenſi Diœceſi, in litteris,
quas refert Gonzal. *loc. cit.* & aliis omiſſis, cùm in 3
Provincia Marchiæ hujuſmodi abuſus repullulaſſent, vel penitùs eradicati non eſſent, Joannes XXII. hac edita Conſtitutione Avenione anno 1321. optimè conſuluit, ut in eadem Provincia, ſemper ſingulari affectione à Sede Apoſtolica dilecta, tamquam ſuæ recreationis pomœrio, ut utar ſenſibus ejuſdem Pontificis, bonum pacis, & Juſtitiæ privatis vindictis non læderetur, ſtatuendo ſub pœnis excommunicationis, interdicti, & privationis cujuſvis dignitatis, officii, & beneficii, ne quiſque præſumat contra alium ſibi jus dicere, aut guerram, vel cavalcatam per ſe, vel alium facere, ſivè ad vindictam, ſeù ultionem aliquam proſilire, niſi in caſibus à Jure permiſſis, ſed quilibet jus ſuum coram competenti Judice proſequeretur. Hanc autem Conſtitutionem innovavit, & ad totum Statum Eccleſiaſticum extendit Alexand. VI. in *Conſt.* 1. *incip. Inter*, & Julius II. *in Conſt.* 6. *incip. Cum homines*, Paulus II. *in Conſt.* 4. & in Urbe adeſt Statutum *lib.* 2. *cap.* 34. ac bannimenta generalia Status Eccleſiaſtici, ut apud Raynald. *obſerv. Crim. tom.* 3. *c.* 25. §. 2. *n.* 16. plenè Sixtus V. *in Conſt.* 75. *incip. Dum pro.*

Quamvis autem ante has Conſtitutiones incognita 4
prorsùs, & impunita hujuſmodi facinora non pertranſirent; nam Jure Civili reſpectu expreſsè prohibentur, tam convocationes vulgò *Cavalcatura* dictæ, ad inſequendos inimicos, & propriam ulciſcendam injuriam, in *l.* 1. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* quàm privata auctoritate Jus ſibi dicere, juxta vulgatum axioma in *l. generali, Cod. ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat;* acriori tamen nota ex recenſitis Extravagantibus, & ſpecialiter ex Conſtitutione Sixti V. qualifi-
cata remanent, dum ſub pœna rebellionis, & crimi- 5
nis læſæ Majeſtatis compeſcuntur, Cavalcatas, & cœtus hominum concitantes, non ſolùm contra Principem, verùm etiam contra alios ex quacumque privata cauſa, ut advertunt Guazzin. *de confiſc. bonorum concluſ.* 13. *ampliat.* 80. *in princip.* Farinacc. *de crimine læſæ Majeſt. quæſt.* 113. *inſpect.* 4. *nu.* 122. & 130. qui etiam concordantes Conſtitutiones referunt; Pro comperto enim eſt, quòd de Jure ex tumultuoſis hominum collectionibus non incurritur crimen læſæ Majeſtatis, niſi probentur hoſtiliter dictæ contra Principem, ſivè in ejus ſtatum, ut diſtinguendo firmant Decian. *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 19. Farinacc. *de crim. læſæ Majeſt. quæſt.* 113. *inſp.* 4. *num.* 128. *cum ſeq.* Vermigliol. *conſil. crim.* 356. *num.* 8. Anna *conſil.* 67. *per tot.* Hinc in terminis noſtrarum Conſtitutionum non, ut
loquitur indiſtinctè, intelligendus eſt Cherubin. Jun. 6
Schol. 2. *ad hanc Conſtitutionem*, quòd ſi incidenter facta ſit Cavalcata, ex quo verbi gratia Petrus interfecerit Antonium, tunc non intrant termini noſtræ Bullæ, quia homicidium non fuit ordinatum ad Cavalcatam incidenter ſubſequutam, ex Felin. *in rubr. de Tregua, & Pace*, *numer.* 6. Cataldin. *de Synd. numer.* 124. Marſil. *conſ.* 67. *numer.* 21. ubi firmant, quòd ſi ex diſſenſione privatorum contingat ſecundariò caſualis turbatio reipublicæ, non tamen ipſi privati ex hoc puniuntur, ut ſeditioſi, vel reipublicæ turbatores, cùm ad hoc principaliter non intenderint, ex Textu notabili *in leg. ſi quis ingenuam*, §. *in civilibus*, *ff. de capit. diminut.* & concordant Grammat. *vot.* 19. *n.* 1. *cum ſeq.* Decian. *cit. c.* 19. *n.* 40. Nam in noſtris terminis, in quibus debuit conſiderari effectus ſecundarius, cùm æquali pœna puniantur tam turbantes ſtatum reipublicæ, quàm privatos, ſivè accidentaliter, ſivè data opera homines fuerint coadunati; dummodo juxta terminos potiſſimè Conſtitutionis

Digitized by Google

Sixti V. ſit ſequuta conclamatio, & concitatio, pro-
culdubio intraor pœnæ in eadem fulminatæ; Cęterùm
ſi ex homicidio plures, putà unus poſt alium conve-
nerint armati abſque Duce, ſi nulla ſequatur concita-
tio, tunc equidem nequit dici, quòd facta ſit cavalca-
ta, ut in terminis conventiculæ firmat Farinac. *de
Crim. læſæ Majeſt. quæſt.* 113. *inſp.* 4. *num.* 137. Ulte-
riùs cavendum à DD. quamvis optimo jure firman-
tibus, confœderationes, conſpirationes; & Congrega-
7 tiones tunc eſſe prohibitas, & punibiles, cùm ſuper
re mala, & ad malum excitantur, ſecus antem ſi abſ-
que dolo, & malo animo fiant; eoque magis ſi ſuper
re licita, & ad bonum conducente, tunc enim po-
tiùs concordiæ; quàm conventiculæ dici debent, Car.
in Clem. paſtoralis de ſent. & re Judic. Felin. *in c. ex-
hibita n.* 4. *in fine de Judic.* Farin. *cit. q.* 113. *inſp.* 4. *n.*
141. 143. *&* 158. *cum ſeq.* Decian. *tract. Crim. lib.* 7. *c.*
7. *n.* 8. Pariſ. *conſ.* 171. *n.* 11. *lib.* 4. ubi notabiliter fir-
mat, quòd ut Confœderatio ſit punibilis, pro parte
Fiſci probari debet, quòd fuerit facta in damnum,
8 & injuriam alterius; Quamvis enim in præſenti Con-
ſtitutione non comprehendantur caſus à Jure permiſ-
ſi, attamen ex ſæpedicta Bulla Sixti V. quæcumque ar-
matorum manus, ſeù conventus prohibentur ex qua-
libet urgentiſſima, & à conſuetudine approbata cau-
ſa, ſicque etiam ad bonum finem, ut interpretantur
Farinac. *ibid. num.* 159. 160. *& n. fin.* Chocll. *ad Bull.
boni regim. c.* 14. *n.* 75. Guazzin. *de confiſc. cit. ampl.* 86.
num. 2. Cœterùm quidquid ſit de rigore Juris, ſaltem
9 de conſuetudine, quando ex Proceſſu informativo ple-
nè conſtat, quòd hujuſmodi uniones factæ fuerint ad
bonum finem, & alio malo non ſequuto, numquam
hujuſmodi pœnæ irrogantur, quinimò ſi clarè non
conſtaret de bono fine, attamen alia mitiori pœna
hujuſmodi coadunantes punitos vidit Cherubin. Jun.
ut teſtatur in *Schol.* 2. *ad Conſtit.* 1. *Alexand. VI.* &
ſequitur Cohell. *loco cit. n.* 78. Farinac. *in addit. ad q.*
113. *n.* 174. *poſt tom.* 3. *conſil.* Guazzin. *de confiſc. citat.
ampliat.* 86. *n.* 4.

10 Procul autem dubio à cenſura prædictarum Con-
ſtitutionum immunes ſunt, Cavalcatas, & hominum
collectionem facientes contra Latrones, Graſſatores,
& Bannitos, & ad tuenda, & propugnanda loca ma-
ritima, necnon etiam in auxilium Curiæ, & Mini-
ſtrorum Juſtitiæ; tum quia Jure Civili inſpecto non
ſolum hujuſmodi collectiones ſunt impunibiles, verùm
etiam laudantur, ut ex Text. *in l.* 1. *§. non fuit autem
ff. de dolo*; Latrones enim, & Banniti hoſtes publici
reputantur, ut latè probat Bald. *conſ.* 319. *lib.* 2. adeò
ut etiam ſtatuto prohibente præfatas conventiculas, &
uniones, attamen non comprehendi Cavalcatas factas
in perniciem malefactorum hominum, voluerunt DD.
citati ab incerto in *conſ.* 65. *n.* 58. penès *Conſil.* Farin.
lib. 1. & idem Farinacc. *de crim. læſa majeſt. cit. q.* 113.
inſpect. 4. *num.* 153. Decian. *tract. crim. lib.* 7. *c.* 19. *n.*
49. Conciol. *reſol. crim. verbo Bulla reſ.* 1. *n.* 1. *&* 2.
Verùm etiam hujuſmodi caſus ſunt de expreſsè exce-
ptuatis in eadem Conſtitutione Sixti V. §. 2. ut adver-
tunt Vermigliol. *conſ.* 356. *n.* 6. Farinacc. *conſ.* 65. *n.* 48.
Guazzin. *loco cit. n.* 4.

Ad ornatum tandem noſtræ Conſtitutionis viden-
11 dum eſſet, an pro defenſione Perſonæ, & rerum ſua-
rum, necnon etiam cauſa adipiſcendæ, retinendæ, &
recuperandæ poſſeſſionis, vel ob finium controverſiam
abſque metu adductarum Conſtitutionum convocari
valeant homines armati. Verùm, ut ſupra enumeravi-
mus, cum plures reperiantur Conſtitutiones hujuſmodi
materiam præſtantes, ideò in eiſdem hæc, & alia, quę
conſultò hic exciderunt, Deo dante, latè dicam, inte-
rim tamen conſule Farinacc. *q.* 113. *nu.* 148. *& ſeqq. &
in addit. ad dictam quæſt.* 113. *poſt lib.* 3. *conſil. & q.*
175. *n.* 86. *& conſ.* 65. *lib.* 1. *& conſil.* 195. *lib.* 3. Guaz-
zin. *de confiſc. concl.* 13. *ampliat.* 86. Cohell. *ad Bullam
boni regimin. c.* 13. Conciol. *reſol. crim. verbo Bulla*,
Poſth. *de manut. obſer.* 1. *num.* 78. Menoch. *de recuper.
rem.* 9. Vermigliol. *conſ.* 134. *n.* 9. *conſ.* 154. *n.* 7. *conſ.*
356. *num.* 2. Spada penès Farin. *conſ.* 229. *lib.* 3. D. Ray-
nald. *obſer. crim. tom.* 3. *cap.* 25. *§.* 2. *num.* 12. *& ſeqq. &
numer.* 16.

Nec tandem prætereundum eſt, quod aliæ dantur 12
Cavalcatæ licitæ, ſed prorsùs diverſæ ſpeciei ab his e-
numeratis, quæ ſcilicet à Judicibus ſupremis mittun-
tur pro cognitione delictorum, & exterminatione de-
linquentium, qui pœnis Triremium, & Capitis obno-
xii ſunt; Verùm quia quamplures, & graves in his
Cavalcatis ſuboriri poſſunt quæſtiones, quæ latam tra-
ctationem exquirunt, ideò ad opportuniorem locum reii-
cimus diſſertationem.

CONSTITUTIO XI.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Redemptionem.*)

EPITOME BULLÆ.

*JOANNES, UNIVERSIS PATRIARCHIS,
Archiepiſcopis Epiſcopis, &c.*

SAnctorum Confeſſorum Cathalogo adſcri-
bit Thomam de Aquino Ordinis Prædi-
catorum, qui nobilis generis fuit, ſed
nobilioris Converſationis, & Vitæ, qui-
que Opera multa in Dei laudem, & Fi-
dei propagationem ſcripſit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *D. Thomæ Aquinatis parentes, & natales refe-
runtur.*
2 *Ejus virtutes recenſentur, ac ſtudia.*
3 *Religionem Prædicatorum ingreſſus fuit.*
4 *Ejus fuga, & carceribus mancipatio enunciatur.*
5 *Cingulum caſtitatis qua de cauſa promeruit.*
6 *A carceribus liberatus plures gradus Magiſterii ob-
tinuit, & libros exaravit.*
7 *Ejus obitus refertur, ac Canonizatio.*
8 *Plura, quæ apud Auctores in diſſentione ponun-
tur circa nativitatem, & originem familiæ hu-
jus Sancti.*
*Miraculum tempore puerilis ætatis ab eo patratum.
Ibid.*
9 *Civem Neapolitanum Clemens VIII. nuncupavit
illum in Brevi, quo Patronus Civitatis Neapo-
lis admittitur.*
10 *Reliquiæ ejus, quæ aſſervantur in Conventu San-
cti Domini majoris Neapolis.*
11 *Eccleſia, & Studium Collegii D. Thomæ Aquina-
tis Neapolis recenſentur.*
12 *D. Thoma declaratus fuit Doctor militantis Eccle-
ſiæ à S. Pio V.*
13 *Corpus ejus quo tempore translatum fuerit Toloſam.*
14 *Summa D. Thomæ ab aliquibus ipſi non adſcribitur.
Sed ab aliis hoc vindicatur. Ibid.*
15 *Alia opera ejuſdem refelluntur, vel comprobantur.*
16 *S. Pius V. Romanus Pontifex Ordinis Prædicatorum
fuit, dum in minoribus erat.*
*Ejus decretum Canonizationis nuper editum fuit à
SS. D. N. CLEMENTE XI. Ibidem.*
*Ejus Corpus requieſcit in Capella SS. Præſepis in
Baſilica S. Mariæ Majoris Urbis, de jurepatro-
natus Principis Sabelli, & ejus Præpoſitus eſt
Auctor. Ibid.*

THomas, cognomento, de Aquino, Patrem agno-
vit Landulphum Comitem Aquinatem, agnatum 1
Lon-

Longobardis Principibus Capoæ reſidentibus; Matrem
Verò Theodoram, filiam Comitis Theatis ex præclariſ-
ſima Caracciolorum gente in Regno Neapolitano. Na-
tus eſt Caſtro Rocchæ Siccæ, quod tunc erat ſub do-
minio Comitum Aquinatenſium, quodque hodiè eſt
ſub Diœceſi Aquinatenſi præfato Regno adſcripta. Quin-
quennis mittitur à Parentibus ad Monaſterium Mon-
tis Caſſini inſtruendus, ubi eo tempore nobiliores Pue-
ri in bonis moribus nutriebantur. Erat autem Tho-
mas non vagus, & diſſolutus diſcurſibus, ſed tacitur-
2 nus, & ab omni puerili levitate quietus. De conſi-
lio Abbatis prædicti Monaſterii mittitur Neapolim
ſtudiorum cauſa, ubi ſub Magiſtro Martino Gramma-
ticæ, & Logicæ ſtudia confecit, & ſub Magiſtro Pe-
tro de Ibernia, naturalia ſtudia edocetur, ſub quo-
rum Auditorio tàm feſtinus erat profectus ſcientiæ, ut
Magiſtros, & alios in admirationem adduceret, & per
Scholas celebris ejus fama volitaret. Contigit quadam
die, ut Thomas incideret in colloquium Fr. Joannis de
S. Juliano, tunc Prioris Ordinis Prædicatorum in Civi-
tate Neapolis, cujus admodum celebris erat opinio.
Hic Thomam, cæteroqui mente diſpoſitum, adhorta-
3 ri cœpit ad ingreſſum dicti Ordinis, quod citra labo-
rem ullum aſſequutus fuit. Admirati ſunt Primores Ci-
vitatis, quod jam nobilis Juvenis Paternum Domum
deſereret, & ſub habitu Pauperis avita Stemmata oc-
cultaret.

Prævidentes autem Patres Ordinis Prædicatorum,
Matrem Thomæ ægrè laturam id filii propoſitum,
4 eum Romam ad Conventum S. Sabinæ miſerunt, ut
inde Pariſios perduceretur. Eo tempore germani fra-
tres S. Thomæ, Landulphus, & Arnoldus Viri ſtrenui
militabant in Caſtris Friderici II. Imperatoris, qui præ-
miſſorum notitia accepta, adjunctaque ſibi multorum
militum cohorte, relictis Caſtris abierunt, ut Thomam
invenirent, quem juxta Irriguum Fontem adinvene-
runt, cùmque non poſſent illum neque minis, neque
blanditiis inducere ad habitum deponendum, detruſe-
5 runt in arctam cuſtodiam Montis S. Joannis, ad quem
mittunt mulierem venuſta ſpecie, ut lenociniis pudi-
ciſſimum Adoleſcentem ad turpitudinem impelleret;
ſed Thomas fortiſſimus pugil, accepto de camino ti-
tione, Crucis ſigno cum ejus ſummitate in pariete
impreſſo, procacem fœminam fugavit, ex quo, ſta-
tim ſomno correptus, meruit, ut ab Angelis renes
ejus Caſtitatis cingulo conſtringerentur. Tandem duo-
bus poſt annis è cuſtodia delapſus, à Fratribus Do-
minicanis Neapolim reducitur, indeque Romam miſ-
ſus, fuit Pariſios abductus à Joanne Theutonico Or-
6 dinis Prædicatorum Magiſtro, exindeque miſſus eſt
Coloniam Agrippinam, ubi florebat Studium Genera-
le, & ſub Magiſtro Alberto Magni nominis Theolo-
go, multiplici doctrina, immenſum ſcientiarum the-
ſaurum hauſit. Poſt abſoluta omnium ſcientiarum ſtu-
dia, Magiſterii gradum fuit aſſequutus, tantaque erat
multitudo Auditorum, ut vix Scholarum locus eos ca-
peret. Manifeſtavit propè innumeris lucubrationibus
magnam doctrinam, quæ hujus Doctoris in corde la-
tebat, non ſolùm ad concernentia veritatem utriuſque
Teſtamenti, ſed etiam ad confutationem hæreticæ pra-
vitatis. Inter alios errores confutavit illum Averrois,
qui blaterabat unum eſſe in omnibus intellectum; nec-
non errorem Guillelmi de Sancto Amore, & ſequa-
cium, Fraticellorum, & Græcorum ſchiſmata. In ha-
bendis Populo Concionibus maximè excelluit, in qui-
bus tamen vitare ſolebat, quæ ad curioſitatem potiùs,
7 quam ad Auditorum utilitatem pertinere videbantur.
Reverſus Neapolim, ibique aliquandiù commoratus,
cùm acceſſiſſet tempus, quo Concilium Generale
Lugduni haberetur, ad quod adſcitus à Gregorio X.
Vir ſanctus diceſſit; ſed poſtquam pervenit ad Mo-
naſterium Foſſæ Novæ Ordinis Ciſtercienſis, quæ eſt
in Diœceſi Terracinæ, lecto decubuit, exindeque per
paucos dies, exponendo Cantica Canticorum Salo-
monis, feliciſſimus ad Cœlos evolavit, Nonis Maii
Anno 1274. ætatis ſuæ annorum quinquaginta. Mul-
ta, & inſigniora patravit miracula, quæ recenſentur

in hac Bulla Joannis XXII. edita Avenione die 15.
Kal. Auguſti 1323. in qua eum Sanctorum Cathalogo
adſcripſit.

Non me tamen latet, quòd de origine hujus Servi 8
Dei, ac de ejus operibus diſſentio fuerit inter Litera-
tos Viros; ajunt eum aliqui quoad Patriam, hanc fuiſ-
ſe Urbem Belcaſtri in Calabria, Landulpho Patre, qui
hujus Urbis, & vicinorum Oppidorum Regulus erat,
& quidem memoriam adeſſe fertur inter Cives Belca-
ſtri de hac nativitate in quadam ædicula, in qua pictu-
ra eſt venuſtiſſima, qua exprimitur D. Thomas pueri-
li forma aperto ſinu Roſas recentes Patri oſtendens, 9
quod factum tunc evenit, cùm Thomas puerulus pie-
tate incenſus quidquid habere poterat erogabat egenis;
at cùm ipſum pater hyberno tempore inveniret ita lar-
gientem, & percunctaret quidnam in ſinu geſtaret?
ipſe ſe roſas geſtare reſpondit, illicòque ſinum ape-
ruit, & veræ recentes roſæ viſæ ſunt. Attamen à con- 10
troverſia procul eſt, quod in Regno Neapolitano or-
tum habuerit, imò Civem Neapolitanum fuiſſe ex fa-
milia patritia Apoſtolico Teſtimonio expreſſit Clem.
VIII. in diplomate ad Neapolitanos, quo patronus
idem S. Thomas admittitur religioſe illius Civitatis, ita
enim ait: *Piè prudenter cogitaſtis de novo Civitati Pa-
trono adſciſcendo Cive veſtro, Divinæ voluntatis An-
gelico interprete, vita Sanctitate, & Miraculis claro,
Thoma Aquinate, cujus doctrinæ fuit tantum tributum,
ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ, divinum etiam illud habeat
teſtimonium: Benè de me Thoma ſcripſiſti*: & certè fuit
ſemper, ac eſt nobilis familia de Aquino in Regno
Neapolitano in pluribus feudis dominans. Equidem mi-
raculoſa Imago Crucifixi, hæc verba Thomæ ipſi ex-
primens, religioſè aſſervatur in Conventu S. Dominici
Majoris Neapolis, ibique veneratur cellula redacta in
Capellam ejuſdem Sancti; ac liber ejuſdem de cœleſti
Hierarchia, & maximè brachium illius, juſta compen-
ſatione à Magiſtro Raymundo Pictagoricenſi Ordinis
Prædicatorum Generali, & Pœnitentiario Romani Pon-
tificis, propriæ patriæ reſtitutum potiùs quàm dona-
tum. In eodem Conventu D. Dominici Neapolis eſt in-
ſcriptio in Janua Scholæ Theologiæ. *Viator huc ingre-
diens ſiſte gradum, atque venerare hanc Imaginem, &
Cathedram, in qua ſedens Magiſter ille Thomas de
Neapoli cum frequente, ut par erat, Auditorum con-
curſu, & illius ſæculi fœlicitate, cæteroſque quampluri-
mos admirabili doctrina Theologiam docebat: An.* 1702. 11
F. F. ut apud Engenium *in Neapoli Sacra pagin.* 268.
Et demum erectum fuit in eadem Civitate nobilis Baſi-
lica cum ſtudio præclariſſimo PP. Prædicatorum, ſub
titulo D. Thomæ Aquinatis; Prout conſtans eſt veritas,
D. Thomæ formalem originem pervetuſtam fuiſſe, &
aliqui à Francipana prænobili Romana familia, ex qua
& D. Gregorium Papam fuiſſe autumarunt, eam du-
cunt; Sed Aquinatis denominationem ob Oppido A-
quini, in quo dominabatur familia, ſumpſit, ut etiam
mos Romæ fuit; alii autem à Normannia Originem
tradunt, & de ejus natalibus, aliiſque ſcripſere Baro-
nius *tom. 4. fol. 298. cum ſeq.* Natal. ab Alexand. *in hiſt.
Eccleſ. Sæcul.* 12. & 14. *art.* 4. *num.* 3. Jacobus Echard.
in ſumm. vindic. §. 3. Engenius *in Neapol. Sacr. in Ec-
cleſ. D. Dominici pag.* 369. & noviſſimè Bolland. Ipſum-
que D. Thomam S. Pius V. An. 1567. Eccleſiæ Docto- 12
rem dixit, ac feſtum ejus, ſicuti & cæterorum Docto-
rum Eccleſiæ, celebrari juſſit, ut in ejus *Conſtitutione*
36. *tom.* 2. *Bullar.* Tempore Urbani V. Sacrum Corpus
ex monaſterio Foſſæ Novæ, in quo ut dixi decubuit, 13
translatum fuit Ann. 1368. Toloſam penes PP. Prædi-
catores, proindeque circa idem corpus gravi ſuborto
diſſidio inter Dominicanos, & Ciſtercienſes; tandem
anno 1398. ſedata fuit hæc controverſia, atque ſacrum
pignus adjudicatum Eliæ Raymundo Generali Prædi-
catorum, qui Toloſam tranſtulit, ubi etiam nunc re-
ligioſè colitur.

De auctore Summæ Theologicæ S. Thomæ, pri- 14
mus dubium excitavit Magiſter Joannes Launojus, in
Sacra facultate Pariſienſi Doctor Theologus, in ope-
re, quod inſcribitur, *Veneranda Romana Eccleſia*

Digitized by Google

circa Simoniam traditio, *obſervatione* 8. ocgans illam eſſe D. Thomæ. Alii dixerunt, ea, quæ in ſecunda ſecundæ parte Summæ leguntur, non eſſe D. Thomæ; nam iiſdem verbis reperiuntur in tertio libro ſpeculi Moralis Vincentii Bellovacenſis, qui deceſſit anno Domini 1256. & D. Thomas, qui in extrema ætate ſummam ſcripſiſſe dicitur, obiit anno Domini 1274.

Omnes verò refelluntur ex Annato *in Methodico apparatu ad Theologiam lib.* 4. *art.* 43. Natal. ab Alexandro *in hiſt. Eccleſ. Sæcul.* 13. *&* 14. *diſſert.* 6. *artic.* 13. Echrad. *in Summa Vindicata*, & alii, aſſerentes, Summam Div. Thomæ citra ſcrupulum eſse: Sicuti omnes etiam Pariſienſis Academiæ, & Salmaticenſis, cæteriquæ eruditi id ipſum profitentur in confutationem Launoii.

15 Commentarium in S. Joannem, aliumque in S. Matthæum, tribuuntur S. Thomæ, non quia ab ipſo ſcripta fuerunt, ſed quia ejus cootinent doctrinaio, quæ à ſuis Diſcipulis collecta fuit, ut teſtantur Nicolaus Trivettus, & S. Antoninus *in Chronitis*. Non in omnibus D. Pauli Epiſtolis Thomas ſcripſit, ſed in Epiſtola dumtaxat ad Romanos, & in decem capitibus Epiſtolæ ad Corinthios; cętera verò ex ejus lectionibus fuiſse collecta habetur ex Nicolao Trivetto, auctore D. Thomæ Coævo, & Guillelmo de Thoco in ipſius vita apud Bollandum *ad diem* 7. *Mart. de Angelici Doctoris Operibus c.* 4. Commentaria in Geneſim, & Eccleſiaſten ex numero ſcriptorum S. Thomæ expunſit S. Antoninus. Poſtillæ etiam in Apocalypſim indignæ ſunt S. Thomæ ingenio, oec ioter ejus opera ab Antiquioribus recenſentur. Commentariorum io Epiſtolas Canooicas, pariter Antiquiores non meminere, quamvis eo non indigna, teſtatur Natalis ab Alexandro *in hiſtor. Sæculi* 13. *&* 14. *diſſert.* 6. *artic.* 1. Officium de Corpore Chriſti de mandato Urbani Papæ Thomas ſcripſit, ut conſtat ex laudato de Thoco *loco cit.* Tholomæo Lucenſi, & S. Antonino 3. *parte Chronit. lit.* 19. *cap.* 13. §. 1. Negant hoc Patres Henſchenius, & Papebrochius Societatis Jeſu in *Actis Sanctorum Menſis Aprilis in Appendic. ad diem quintam*, voluntque à Fratre Joanne Leodienſi Clerico, ex directione S. Juſtinæ Virginis compoſitum. Sed horum Patrum Sententia poſt Natal. ab Alexandro *in hiſtor. Eccleſ. Sæcul.* 13. *&* 14. *diſſert.* 6. *art.* 1. refelli *tom.* 3. *ad Conſt.* 1. *Urbani IV. in princ. n.* 10.

16 Hæc breviter delibavi de hujus Sancti Doctoris Thomæ Aquinatis rebus geſtis, ac libris editis, cujus præclari nominis ſplendor præcipuum ornamentum addidit Fratrum Prædicatorum Familiæ, quæ omni ævo uber Parens extitit. multiplici palma Sanctorum in Cœlo gaudentium; Eluxit in ea præ cęteris in minoribus conſtitutus S. Pius V. Romanus Pootifex, cujus Canonizatiooís Decretum, ut tutò deveniri poſſit ad ejuſdem S. Pii Solemnem Canonizationem, dum ſcribimus, S. D. N. Clem. XI. qui in amore Religionis Catholicæ propagandæ numquam defatigatus viſus fuit, edidit 4. Auguſti currentis Anni 1710. die ſacrato, Divo Dominico ejuſdem Ordinis Fundatori, humiliter petente Reverendiſſimo P. Antonino Cloche, pręfati Ordinis Magiſtro Generalis, cujus virtus, & pietas in Ordine illo adminiſtrando omoibus teſtata eſt, ejuſque opera, & zelo promovente S. Pii ſolemnis Canonizatio brevi futura ſperatur, cujus quidem Beati Corpus piè veneratur in Capella SS. Præſepis in Baſilica Sanctæ Mariæ Majoris Urbis, de Jurepatronatus pręnobilis, & pii Principis Julii Sabelli, oti ſucceſsoris, & conjuncti Familiæ Perettæ, de qua extitit Sixtus Papa V. illius Capellæ fundatur, in eaque nunc extat Collegium Capellanorum, cujus ego Prępoſituram, quæ eſt prima dignitas poſt Archipreſbyteralem, in eadem Baſilica teneo, de qua habetur in Bulla 58. ejuſdem Sixti V. *incipit Glorioſæ tomo* 2. *Bullar.*

CONSTITUTIO XII.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Cum nonnulli.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, LAMBERTO DE ORDINE Fratrum Prædicatorum, Inquiſitori, &c.

Mandat inquiſitoribus, ut juxta Canonicas Sanctiones procedant contra ineuntes confœderationes, ligas, & Societates cum hæreticis; eiſque conſilium, auxilium, aut favorem præſtantes.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
2 *Confœderatio quid ſit, & quàm exitioſa Catholicis, ſi cum hæreticis fiat.*
3 *Ex confœderatione cum hæreticis oritur vehemens hæreſis ſuſpitio.*
4 *Similiter ex matrimonio cum eiſdem inito.*
5 *Quibus ex cauſis, Catholicos matrimonia cum hæreticis vitare oporteat.*
6 *Sponſalia Catholicorum cum hæreticis illicita ſunt, itemque invalida.*
7 *Matrimonia porro valida ſunt, quamvis illicita.*
8 *Nec Parochis iis aſſiſtere integrum eſt, ſivè ambo, ſivè alter coniugum ſit hæreticus.*
9 *Quanti ponderis ſit conſuetudo contrahendi matrimonia cum hæretitis in locis, ubi hæreſes graſſantur impunè.*
10 *Quatenùs eadem matrimonia cenſeantur ab Eccleſia tolerata.*
11 *Tolerantiam Eccleſiæ in hoc caſu non ſuffragari, niſi & juſta cauſa concurrant, alsaque conditiones.*
12 *Mala orientia ex conjugio cum hæretitis ſunt ferè inevitabilia.*
13 *Improbantur Auctores aſſerentes, conſuetudinem abrogaſſe leges Eccleſiæ probibentes matrimonia cum hæretitis.*
14 *Papa in his matrimoniis non diſpenſat, niſi præmiſſa abjuratione hæreſis.*
15 *Quanta ſit vis conſuetudinis contra leges Pontificias.*
16 *Itali in partibus hæreticorum degentes, omni caſu prohibentur contrahere conjugium cum hæreticis.*
17 *Itemque Reges, & magni Principes, & qua ratione.*
18 *Cum his quatenus Papa diſpenſare ſoleat, quibuſque conditionibus.*
19 *Matrimonia hæreticorum ſubduntur Eccleſiæ legibus irritantibus.*
20 *Decretum Concilii Tridentini, novam formam in matrimoniis contrahendis inducens, obligat hæretitos.*
21 *Limita in locis, ubi præfatum Decretum non fuit publicatum.*
Refertur praxis Sac. Congregationis Concilii, dum in ea diſputari contingit de matrimoniis in locis hæreticorum contractis, ibid.
22 *Indicantur nonnulla loca, in quibus idem decretum publicatum non fuit.*

23 *Pu-*

23 *Publicatum fuit in Belgio, ubi nulla ſunt matrimonia contra formam dicti decreti inita.*

24 *Quid quoad matrimonia in iis locis inita Sedes Apoſtolica toleret, aut tolerari expediat.*

25 *Matrimonia coram Miniſtro hæretico inita, renovanda ſunt coram Parocho Catholico, & quatenus aliàs fieri ab Eccleſia toleretur.*

26 *Invalidum eſt matrimonium coram Parocho hæretico initum, & n. ſeqq.*

27 *Parochus in hæreſim incidens privatur beneficio, prout quiſque Clericus beneficiatus.*

28 *An, & quatenus Hæretici, & Schiſmatici priventur poteſtate ordinis, & juriſdictionis ſpiritualis, remiſſivè.*

29 *Matrimonia Catholicorum celebrari non debent coram Parocho Schiſmatico, ſi adſit Parochus Catholicus.*

Catholici prohibentur inire matrimonia cum Græcis Schiſmaticis, ibid.

30 *Quatenus valida ſint matrimonia contra formam Concilii celebrata, ſi impoſſibile ſit illam ſervari ob defectum Parochi.*

31 *Quæ Juris humani ſunt, non obligant, data impoſſibilitate ea ſervandi.*

32 *Matrimonio coram Parocho Catholico celebrato, renovandus non eſt conſenſus coram Miniſtro Acatholico.*

33 *Decretum Concilii non obligat, niſi publicetur in Parochia, nec ſatis eſt publicari in Regno Provincia, aut in Synodo Provinciali, vel Diœceſana.*

34 *Itemque publicari debet uti decretum Concilii Tridentini, & quatenus id ſervetur.*

35 *Publicatio hujus decreti præſumitur ex obſervantia.*

36 *Matrimonia hæreticorum ſubjacent legibus Eccleſiæ quoad impedimenta dirimentia.*

37 *Nec contrarius uſus ab iiſdem legibus eos ſubtrahere valet.*

38 *Hæretici ad fidem converſi permanere non poſſunt in matrimonio cum impedimento dirimente contracto, niſi adſit licentia Papæ.*

Et poſſunt, ſi velint, ad ſecundas nuptias tranſire, ibid.

39 *Sedes Apoſtolica non diſpenſat cum hæreticis poſſe contrahere in gradu prohibito, niſi prius hæreſim abjuraverint.*

40 *Ignorantia impedimentorum irritantium non ſuffragatur hæreticis quoad validitatem matrimonii.*

41 *Statuta, & conſuetudines hæreticorum, quoad matrimonia, ſi Eccleſiæ legibus contraria ſint, nullatenùs attendenda.*

Referuntur, & improbantur nonnullæ cauſæ, ex quibus hæretici diſſolvere ſolent matrimonium, ibid.

42 *Expenditur caſus in contrarium à* Gobat. *reſolutus.*

43 *In matrimonio an ſit ſeparabilis ratio contractus à ratione Sacramenti.*

44 *Matrimonium conſummatum inter Fideles eſt indiſſolubile. Inter Infideles non item, & aſſignatur ratio diverſitatis.*

INnumeris fermè anguſtiis Italia circa hæc tempora
premebatur, dum pluribus factionibus diſtracta, ac
fœdè dilaniata, ſuam ſibi videbatur moliri perniciem.
Qui enim his malis præſentia ſua mederi poterat Summus
Pontifex; jam propriæ Sedis oblitus, Avenionem
tenet, maximo ſanè Status Eccleſiaſtici, & Eccleſiæ
univerſalis detrimento. Pro cæteris autem execranda
tunc hæreſis lues graſſabatur, ut dixi ad *Conſt.* 3. hu-
1 jus Pontificis; cùmque in Provincia Romandiolæ nonnulli
improbi homines adeò damnatis hæreticis faverent,
ut cum eis confœderationes, ligas, & ſocietates
inire; itemque eos receptare, auxilium, conſilium,
& favorem præſtare non vererentur; Ideò Pontifex
in præſenti Conſtitutione edita Avenione 12. Kal. Septembris
Anni 1325. injungit Car nberto Inquiſitori;
ut contra hos ad Sacrorum Canonum præſcriptum procedat.
Plures enim à Sacr. Canonibus, & Conſtitutionibus
Apoſtolicis ſtatutæ ſunt pœnæ contra hæreticorum
fautores, quas paſſim expoſuimus in precedenti
tomo. Qui autem ſint hæreticorum fautores, & quot
modis favor hæreticis exhiberi cenſeatur, dixi latè *cit.
tomo ad Conſt.* 15. *Alex. IV. per tot.*

Porrò hæreticorum fautoribus accenſeri eos, qui
cum hæreticis confœderationes, ligas, & ſocietates
ineunt, dubio procul eſt; Confœderatio enim eſt ad- 2
hærentia plurium, qui ſunt ejuſdem velle, ſeu voluntatis,
Card. Tuſcus *to.* 2. *lit. C. concluſ.* 628. Grammat.
dec. 65. *num.* 38. Arias de Meſa *var. reſol. lib.* 2. *c.*
21. *num.* 9. & confœderati dicuntur eſſe unum idemque
corpus, Bart. *in leg.* 1. *nu.* 2. *Cod. de excuſ. muner.
lib.* 10. Alex. *conſ.* 84. *vol.* 2. Proſper Petra Proavus meus
ad cit. dec. Grammat. *nu.* 14. Cùm igitur Catholici hæreticos
cane pejus, & angue odiſſe, & execrari debeant,
debent etiam ab eorum ſocietate, & confœderatione
abhorrere; qua ratione Exod. 31. prohibitum fuit Machabæis
confœderationes, & amicitias inire cum Populis
Syriæ, & Perſarum, ut notat Jo: Lupus *de confœderat.
§. antequam num.* 1. *& §. minor*, ubi latè diſſerit, quàm
exitioſæ ſint Catholicis Confœderationes cum hæreticis.
Hinc meritò in hac Conſtitutione præcipitur In- 3
quiſitoribus, ut contra hujuſmodi perſonas, tamquam
contra hæreticorum fautores procedant; & quamvis
DD. de hac Conſtitutione non meminerint, communiter
tamen aſſerunt, ex confœderatione, & ſocietate
inita cum hæreticis oriri vehementem hæreſis ſuſpicionem,
Locat. *in Judicial. verb. ſuſpicio num.* 20. Pegna
par. 2. *director. comm.* 81. *verſ. jam ut uno*, Piſtach. *de
ſuperſtitione part.* 2. *cap.* 3. Farinacc. *de hæreſi qu.* 182.
§. 10. *num.* 176. Card. Albir. *de inconſt. in fide cap.* 30.
num. 88. R. P. D. Dandinus *de ſuſpect. de hæreſi c.* 5. *ſect.*
1. *num.* 12. Quatenus autem Principibus Catholicis prohibitum
ſit inire confœderationem cum hæreticis, alibi dicam.

Non abſimiliter hæreticorum fautores, & de hæreſi 4
vehementer ſuſpecti cenſentur ii, qui cum hæreticis
matrimonia contrahunt; nulla enim major confœderatio,
& ſocietas ea, quæ ex matrimonio oritur, cùm
matrimonium ſit conſortium omnis vitæ, divini, &
humani juris communicatio, *leg.* 1. *ff. de ritu nuptiar.*
Hinc ſano conſilio hujuſmodi conjugia cum Acatholicis
Eccleſia perpetuò improbavit, ut in *Concil. Laodicen.
ſub Damaſo canon.* 10. ibi: *Non oportet eos, qui
ſunt Eccleſiæ, indifferenter ſuos filios, filiaſque cum hæreticis
nuptiarum fœdere conjungere:* Itemque in *Conc.
Agatenſi can.* 67. quod refertur in *can. non oportet, &
can. cave* 28. *qu.* 1. Quod ſanè ſancitum eſt, tum in 5
odium hæreticæ pravitatis, tum ob periculum ſubverſionis
alterutrius conjugum, & malæ æducationis liberorum,
ex qua ratione prohibentur matrimonia cum
Gentilibus Deuteronom. cap. 7. ibi: *Non inibis cum eis
fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia. Filiam tuam
non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo;
quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & ut magis
ſerviat diis alienis:* Majus enim periculum imminet,
magiſque exitioſa ſunt conſortia cum hæreticis, quàm
cum Gentilibus, ut latè comprobat Duſſeldorp. *in tr.
de non ineundo matrim. cum his, qui extra Eccleſ. ſunt
par.* 4. *cap.* 1. *§.* 2. tum etiam quia, cùm matrimonium,
ut inquit Apoſtolus, magnum ſit Sacramentum, præſignans
unionem Chriſti cum Eccleſia; non eſt profanandum
commixtione eorum, quos ipſe Chriſtus,
& Eccleſia execratur, ut conſiderat Cabaſſut. *in not.
Eccl. ad cit. Concil. Laodicen. n.* 8. tum demum quia,
ut ait Zonaras *in notis ad can.* 72. *Concil. Trullani*, qui
ſimul ita vivunt, ut eorum animi in iis, quæ ad fidem
pertinent, contrario modo affecti ſint, quo pacto eos
in aliis rebus convenire poſſe quiſpiam arbitretur,
quorum ſenſus in iis, quæ ſunt fidei, quorum prima
eſt, atque præcipua ratio, minimè congruunt; quo
pacto inter ſe æquis animis in reliqua vitæ ſocietate
communicabunt. Unde eſt, ut Catholici matrimonia cum

Digitized by Google

nia cùm hæreticis contrahentes, de hæreſi vehementer ſuſpecti præſumantur, Geminian. *in cap. decrevit de hæretic. in 6. numer.* 2. Sanctarell. *de hæreſi cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 1. Canter. *quæſt. crimin. cap.* 1. *de hæret. n.* 1. Traſmiera *de poligam. lib.* 1. *qu.* 17. *num.* 31. Diana *tom.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 5. *in fine*, Pegna *loc. cit.* eò vel maximè, quia hujuſmodi matrimonia contrahentes non ſunt multum ab hæreſi alieni; nam ſi, ut viros Catholicos decet, eam vel maximè exhorruiſſent, non petiiſſent tam arcto fœdere perſonæ hæreticæ vinciri.

6 Improbavit igitur antiquitùs Eccleſia, improbatque modò matrimonia Catholicorum cum hæreticis; Unde eſt, ut ſponſalia inter eoſdem inita, utpotè promiſſiones de re turpi, nedum illicita, ſed prorſus irrita ſint, & invalida, nullamque ſponſalium obligationem inducant, ut poſt Navarr. tenent Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 72. *num.* 3. Corrad. *in praxi diſpenſ. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 99. *verſ. verum*, Rota *dec.* 374. *num.* 6. *coram Card. Celſo*; Matrimonia autem ipſa illicita quidem
7 ſunt; at Eccleſia Latina numquam ea irrita declaravit, ut notat Vaneſpen. *Juris Eccleſ. univerſ. par.* 2. *tit.* 13. *cap.* 8. *n.* 8. & valida eſſe ſupponitur in *cap. decrevit de hæret. in* 6. & ita ſentiunt communiter Theologi, & Canoniſtæ apud D. Antonin. *in ſumma par.* 3. *tit.* 1. *c.* 6. Sanchez *loc. cit. n.* 2. Card. de Lugo *de virtut. Fidei, diſp.* 22. *ſect.* 2. *num.* 13. Tancred. *de matr. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 72. *num.* 1. & colligitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. can.* 5. eò præſertim quia ad validitatem matrimonii, uti Sacramentum eſt, non requiritur paritas religionis, ſed ſatis eſt ambo conjuges eſſe Baptiſmo initiatos. Nihilominùs quamvis hujuſmodi matrimonia valida ſint, peccant tamen graviter Catholici ea ineuntes, & uti de hæreſi ſuſpecti puniendi ſunt, ut dixi, & tenent Genett. *Theol. moral. tom.* 5. *tr.* 9. *cap.* 6. *qu.* 18. Natal. Alexand. *Theol. Dogmat. tom.* 6. *de matrim. cap.* 4. *art.* 8. *regula* 8. & 9. Un-
8 de Parochis permiſſum non eſt iis aſſiſtere, ut pluries reſpondit Sac. Congr. Concilii, præſertim ſub die 22. Junii 1624. *lib.* 12. *decret. fol.* 183. dum cenſuit, quòd ſivè alter tantùm ex conjugibus ſit hæreticus, ſivè ambo, nullatenùs debeat Parochus hujuſmodi matrimoniis aſſiſtere. Cùm enim ea Jure Canonico prohibita ſit, & illicita, permiſſum non erit Parochis eis aſſiſtere, & ſua præſentia auctorizare, niſi pro tali contractu ineundo Summi Pontificis diſpenſatio concurrat, Pontius *de matrim. in append. cap.* 8. *in fine*, ut etiam reſpondit eadem Sacr. Congregat. in *Dubio Juriſdictionis Capellanorum Exercitus die* 6. *Mart.* 1694. *lib.* 44. *Decr. fol.* 79. ubi cùm dubitaretur, An milites Acatholici, contrahentes cum Mulieribus Catholicis teneantur ſervare formam à Concilio præſcriptam; S. Congreg. reſpondit: *Affirmativè, ſed ulterius indigere diſpenſatione, ut prædicta matrimonia licitè contrahantur.*

Quod autem aliqui aſſerunt, hanc prohibitionem
9 non procedere iis in locis, ubi impunè graſſantur hæreſes, ac Catholici hæreticis permiſti vivunt, non eſt indiſtinctè admittendum, imò potiùs dicendum eſt, prohibitionem eſſe abſolutam, & comprehendere etiam Catholicos apud hæreticos degentes, ut ſentire viſa eſt Sac. Congr. Concilii in *Gneſnen. Februar.* 1590. *lib.* 6. *Decr. fol.* 111. ibi: *In partibus Ruſſiæ, & Pomeraniæ ferè omnes ſunt hæretici. Nunc quæritur, an liceat Presbyteris Virum Catholicum cum hæretica muliere, & è converſo, matrimonio conjungere.* Sac. Congregatio reſpondit: *Non licere conjungere.* Si autem id abſolutè in partibus hæreticorum permiſſum eſſet, certè Parochi iis aſſiſtere poſſent, nec ab Eccleſia prohiberentur. In partibus igitur, ubi impunè graſſantur hæreſes, procedit eadem prohibitio ineundi matrimonia cum hæreticis, & licèt Sedes Apoſtolica ea tole-
10 ret, ut mox dicemus, numquam tamen expreſsè, ac poſitivo actu eadem approbat, ſed quantum in ſe eſt impedit, nec ſuper eis licentias concedit, niſi vitentur mala ſuperius indicata, ex quibus Catholici matrimonium cum hæreticis contrahere prohibentur, ut refert Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 139. *n.* 3. & *conſult.* 188. *tor.* quod etiam ſervare debent Epiſcopi, Nuncii Apoſtolici, & Parochi, ſivè Miſſionarii, ut eadem matrimonia contrahi non permittant, niſi pars hæretica ad Catholicam Fidem redire velit; quamvis iis in locis hortationibus, ac monitionibus potius quam cenſuris procedere expediat, ut ex ſenſu Sacr. Congr. de Propaganda Fide tradit Nicol. *inſtit. Civil. lib.* 1. *tit.* 10. *numer.* 42.

Quippe etſi ex tacita tolerantia Eccleſiæ permiſſa 11
cenſeantur matrimonia cum hæreticis in Regionibus, ubi impunè graſſantur hæreſes, ut apud Azot. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 8. *cap.* 11. *qu.* 5. Sanch. *cit. cap.* 72. *n.* 6. Pont. *loc. cit. cap.* 1. *num.* 1. Card. de Lugo *cit. ſect.* 2. *numer.* 13. Card. Laurea *in* 4. *ſent. tom.* 3. *diſp.* 22. *art.* 30. *num.* 60. Del Bene *de Offic. Inquiſ. par.* 1. *dub.* 153. *ſect.* 5. *coroll.* 1. *num.* 6. & tenuit Rota *in Monaſterien. Matrimonii* 5. *Decemb.* 1696. §. *nec ex eo, coram Eminentiſſimo D. Card. Caprara*, ubi rata habuit ſponſalia inita ab hæretico cum muliere Catholica apud hæreticos degente, decrevitque in eorum vim teneri ſponſum matrimonium contrahere. Attamen quamvis id toleretur, ſivè pro bono pacis, quo attento, matrimonia etiam non ritè celebrata quandoque ſuſtinentur, ut notant communiter DD. in *cap.* 2. *de diſpenſ. impub.* ſivè etiam quia, ut ait Rota *loc. cit.* in his Regionibus Catholici permixtim cum hæreticis vivunt, ſibique invicem non infeſtantur, ſed familiariter agunt, & ideò ad inſtar aliorum contractuum civilium amicitiæ leges, & communem pacem, ac tranquillitatem conſervandam, hæc matrimonia ab Eccleſia tolerantur. Nihilominùs & hoc caſu plura concurrere debent, juxtà eorumdem Auctorum ſententiam, præſertim quòd conjux hæreticus non ſit denunciatus, ac omne perverſionis, & ſcandali periculum ceſſet, quòdque parti Catholicæ liberum ſit exercitium propriæ Religionis, ac liberi in fide orthodoxa educentur, quibus ſanè non concurrentibus, nullo pacto matrimonia Catholicorum cum hæreticis toleranda eſſent, etſi nulla lege Eccleſiaſtica prohiberentur; imò, ut benè advertit P. Averſa *de Sacr. Matrim. q.* 18. *de impedim.* 12
diſparis cultus ſect. 2. Verricell. *de Apoſtol. Miſſion. q.* 174. *ſect.* 7. *num.* 30. mala, & incommoda; ex quibus Eccleſia prohibuit Catholicis matrimonia inire cum hæreticis, vix ullo caſu ceſſant, etiam in præfatis Regionibus, nec ſanè occurritur ſcandalo, quod alii Catholici inibi patiuntur, dum vident alterum ex conjugibus publicè hæreſim profiteri. Unde ad rem Laym. quem refert Abellyus *in medull. Theol. par.* 2. *de Sacr. cap.* 8. *ſect.* 5. *n.* 7. inquit: *Experientia compertum eſſe, ex hujuſmodi matrimonio tot, ac tanta ſequi ſpiritualia incommoda, tum ipſi conjugi Catholico, tum liberis, ac Chriſtiana Reipublicæ, ut plerumque charitatis legi adverſetur omnino: in quo caſu ne quidem Summus Pontifex id diſpenſativè permittere poteſt, niſi probabilis aliqua ſpes ſubſit ex hujuſmodi matrimonio longè majores fructus ſpirituales obventuros, quorum intuitu incommoda illa tanquam minora utcumque tolerari poſſint.*

Hinc videtur, ultra quàm par erat, fimbrias dila- 13
taſſe nonnullos Auctores, dum non ſolùm aſſerunt, toleranda eſſe præfata matrimonia Catholicorum cum hæreticis, ſed etiam contraria conſuetudine derogatum eſſe prohibitioni Eccleſiæ. Enimverò etſi admittere velimus, hujuſmodi matrimonia ab Eccleſia tolerari; hæc tamen tolerantia in alio non eſt, niſi quòd Sedes Apoſtolica non procedit contra Catholicos matrimonium ineuntes in illis regionibus; cæteroquin numquam in illis diſpenſat, quin priùs pars hæretica hæreſim abjuraverit, ut notat Cardin. Albit *de inconſt. in fide c.* 18. *n.* 44. ubi refert, quòd licèt olim diſpenſationes hac de re darentur cum clauſula, abjurata priùs hæreſi; attamen Innocentius X. diſtrictè demandaverit, ne hujuſmodi diſpenſationes concederentur, niſi priùs habito teſtimonio de abjuratione hæreſis. Quod & nuperrimè practicatum vidi. Cùm enim proponeretur, Virum Heterodoxum ex Catholica muliere à ſe deflorata prolem ſuſcepiſſe, quam in Orthodoxa Fide educari permittebat; ſubindeque præ-

cibus

Digitized by Google

cibus enixè peteret, illam ſibi matrimonio copularet; Mulier autem annueret ſub his conditionibus. Primo ut proles omnis ſit ſemper Catholica. Secundò, ut Mater cum prole extra hæreticorum ditionem manere poſſit liberrimè. Tertiò, ut contraheretur cor. Miniſtro Catholico; & denuum ut conditionem obſervantia firmetur juramento. Quæſitum fuit, an expediat, ut Ordinarius in Matrimonium hujuſmodi conſentiat. Sanctiſſimus D. N. CLEMENS XI. auditis votis Eminentiſſimorum Cardinalium Supremæ Inquiſitionis, die 16. Junii 1710. dixit, atque decrevit, ſcribendum eſſe Internuntio in Belgio, quòd ſignificet Archiepiſcopo Mechlinienſi, dipenſationes, de quibus agitur non ſolùm non expedire illas concedere, ſed non poſſe, niſi abjurata prius hæreſi; ideòque ipſum Archiepiſcopum benè ſe geſſiſſe in eadem deneganda; malè tamen ſe geſſiſſe quoſdam Religioſos Theologos, qui ſuper dictis dipenſationibus votum pro aſſirmativa dederant, quos idcirco admoneri voluit. Cùm igitur etiam in his regionibus requiratur Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio pro licitè contrahendis conjugiis cum hæreticis, jam aſſerta contraria conſuetudo nullam vim nanciſcitur, ſed potiùs uti abuſus, & corruptela habenda eſt; eò prætertim, quia cùm Papa poteſtatem non à Populo, ſed immediatè à Deo obtineat, leges ab ipſo conditæ abrogari nequeunt per
15 non acceptationem, aut non uſum, ut latè firmavi *tom.* 3. *ad Conſt.* 6. Urbani IV. *nu.* 50. idemque ultra ibi adductos docent Bald. *in cap. fin. num.* 4. *de tregua, & pace*, Felin. *in c.* 2. *n.* 6. *eodem tit. Archidiac. in can. leges* 4. *diſt.* Covar. *in lib.* 2. *variar. c.* 16. *num.* 6. Vericell. *de Apoſt. Miſſion. tit.* 51. *de legib. q.* 76. Rota *in Majoricen. Indultorum* 11. *April.* 1639. *cor. Merlino*, §. *irrelevantiam*, quæ habetur poſt Dian. *part.* 6. *reſol. mor. & dec.* 814. *n.* 4. *cor. Merlino*. Nec pro hac conſuetudine ſuſtinenda ſuffragari poteſt tolerantia, ac proinde tacitus conſenſus Summi Pontificis. Etenim jam vidimus, Sedem Apoſtolicam, quantùm in ſe eſt, matrimoniis Catholicorum cum hæreticis ſe opponere, ac Parochis etiam in partibus hæreticorum prohibere, ne illis aſſiſtant. Hinc mortaliter peccare Catholicos, qui in præfatis locis mixtæ Religionis matrimonia contrahunt cum hæreticis, contra Sanchez, & Azorium *loc. cit.* tenent Card. Bellarmin. Valentia, & Serarius apud Tanner. *tom.* 4. *diſp.* 8. *q.* 4. *numer.* 89. Coninch. *par.* 3. *diſp.* 31. *dub.* 3. Perez *diſp.* 36. *ſect.* 2. *n.* 1. Gobat. *in Theolog. experim. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 9. *caſu* 11. *ſect.* 1. *num.* 218. ubi notabiliter ait: *Nego à me ſciri ullam Urbem, in qua Pontifex ullus expreſſè, vel implicitè approbarit talia conjugia. Scio quidem diſſimulari ab Ordinariis Conſtantienſibus; ſed hæc diſſimulatio non reddit tutos in conſcientia Catholicos ſequentes doctrinam Sanchez, & Azorii, quibus non fuerunt perſpecti mores Germanorum*. Non aliàs igitur hujuſmodi conſuetudo, Catholicos cum hæreticis ſe conjungentes à peccato gravi excuſat, niſi ultra juſtas cauſas Summi Pontificis diſpenſatio concurrat, ut latè probat Natal. Alex. *cit. art.* 8. *reg.* 10.

Quinimò qualiſcumque ſit hujuſmodi tolerantia,
16 certè non eſt admittenda quoad Italos Catholicos in locis hæreticorum manentes, qui etſi ibi liberum Religionis Catholicæ uſum habeant, prohibentur tamen matrimonium cum hæreticis inire, & contrafacientes ui ſuſpecti de hæreſi puniri poſſunt, ex *Conſtit.* 42. Clem. VIII. incip. *Cum ſicut* §. 2. Similiter nec præfa-
17 ta tolerantia procedit in Regibus, ac magnis Principibus, ut benè advertit Hurtadus *de fide, diſput.* 76. §. 233. quem ſequuntur Diana *par.* 8. *tract.* 1. *reſolut.* 74. *in fine*, Gobat. *cit. ſect.* 1. *num.* 225. Card. Albit. *de inconſt. in fide cap.* 36. *nu.* 204. quicquid contra ſentiat Card. de Lugo *de fide diſp.* 22. *n.* 16. aſſerens, non eſſe quoad hoc faciendam ullam differentiam inter Principes, & alios privatos. At hujus differentiæ non ſanè leve fundamentum exhibent, tum majora pericula ſubverſionis Conjugis Catholicæ, & malæ educationis liberorum, tum longè majus præjudicium, quod ex his matrimoniis oriri poteſt Religioni Catholicæ; quò fit, ut comprehenſa non cenſeantur ſub præfata tolerantia, ſed potiùs expreſsè excepta, dum etiam in dictis locis matrimonia inter Reges, & Principes non contrahuntur, niſi prævia diſpenſatione Papæ, de qua re extant plura exempla apud præfatos Auctores. Eoque certius requirenda eſſet diſpenſatio, ſi agatur de matrimonio incundo ab hæretico cum Principiſſa Catholica, nata, & educata in Regionibus Catholicorum; cùm nullo pacto intret præfata tolerantia, ut in caſu cenſuit Cardin. Pallavicinus in voto relato apud Card. Albit. *cit. c.* 36. *ſub n.* 238. *verſ. refellitur*. In qua
ſanè diſpenſatione concedenda, ſumma maturitate Sum- 18
mi Pontifices proceſſerunt, adeòut ſemper hujuſmodi matrimonia diſſuadeant: quòd ſi annuendum cenſeant, id certè non faciunt, niſi in maximum Religionis Catholicæ bonum, ac Fidei propagationem fore ceſſurum noverint, ut collligitur ex Brevi diſpenſationis à f. m. Urbano VIII. conceſſo Sorori Regis Galliarum pro matrimonio incundo cum filio Regis Angliæ, ibi: *Licet probe teneamus, Catholicorum cum hæreticis matrimonia omninò fugienda eſſe, & quantùm in nobis eſt à Catholica Eccleſia procul arcere intendamus: Tamen cùm grande vere Fidei, & animarum plurimarum bonum ſperetur, &c.* Bonum autem Relig. ex pluribus conditionibus appoſitis, inter quas præſertim conventum fuit, ut Rex Angliæ inhiberet omnem Inquiſitionem propter Religioem in Catholicos Angliæ, quodque iidem Catholici immunes eſſent à jurejurando Catholicæ Religioni adverſante, ac eis facultates extantes reſtituerentur.

Quamvis autem matrimonia Catholicorum cum hæ- 19
reticis, ſi de facto abſque diſpenſatione contrahantur, invalida non ſint, ut dixi; eorum tamen validitas ſanè exigit, ut juxta Sacrorum Canonum præſcriptum celebrentur, nedum quia altera pars eſt Catholica, verùm etiam quia ipſi hæretici, etſi juxta veriorem ſententiam non ſint intra Eccleſiam, ut dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 1. Innoc. IV. *ſect.* 1. *nu.* 14. ſubduntur tamen Legibus Eccleſiaſticis, nec ab eis exempti cenſentur ob non obſervantiam, etiam mille annorum, Rebell. *de oblig. juſtit. lib.* 1. *in prælud. q.* 5. *n.* 14. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 11. *n.* 8. Genett. *to.* 5. *Theol. mor. tr.* 9. *c.* 6.
q. 10. Hinc porrò eſt, ut matrimonia à Catholicis, 20
ſivè ab ipſis hæreticis inita in partibus hæreticorum, ſubjaceant formæ inductæ à Concil. Trid. *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de refor. matr.* ut ſcilicet coram Parocho, & teſtibus celebrentur; Decretum enim Concilii eſt generale: adeòque comprehendere valet, etiam hæreticos, qui ſub juriſdictione Eccleſiæ cadunt. Quinimò in editione præfati decreti, conſiderati præſertim fuerunt hæretici; nam, ut refert Card. Pallavic. *nello lettere diſcorſive fol.* 113. dum in Concilio de hoc decreto edendo agebatur, conſiderarunt nonnulli ex Partibus, futurum inde fore, ut cùm hæretici hanc novam formam ſervaturi non eſſent, identidem litigia quoad legitimitatem, & jura ſuccedendi ſuborirentur; Appoſitam idcircò fuiſſe conditionem, quòd præfatum Decretum non aliàs robur haberet, niſi poſt menſem à die ejus publicationis in unaquaque Parochia faciendæ; hoc pacto ob viam iri præfato incommodo exiſtimantes, dum in hæreticorum locis publicatio decreti contingere non valuiſſet. Unde conſtat, Concilium conſideraſſe, & comprehendiſſe hæreticos, ut pluries declaravit Sac. Cong. ejuſdem Concilii interpres, præſertim die 26. Septembris 1602. ibi: *Hæreticos quoque ubi Decretum d. cap.* 1. *eſt publicatum, teneri talem formam obſervare, & propterea ipſorum etiam matrimonia abſque forma Concilii, quamvis coram Miniſtro hæretico, vel Magiſtratu loci contracta, nulla, atque irrita eſſe*, aliaque decreta refert Nicol. *lib.* 1. *Inſtit. Civil. tit.* 10. *n.* 60. *limit.* 3. Pignat. *tom.* 5. *conſult.* 79. *num.* 27. *cum ſeq.* Diana *par.* 9. *tract.* 8. *reſolut.* 56. *verſ. verum*.

At cùm Concilium non aliàs præfatum Decretum 21
robur habere voluerit, niſi in Parochia fuerit publicatum; certum exinde eſt, hæreticos formam Concilii in matrimoniis non ſervantes, validè contrahere,

ſi ubi

ſi ubi contrahunt publicatio Decreti ſequuta non ſit. Unde mos eſt Sacr. Congregat. Concil. quod, dum in ea diſceptari contigat de validitate matrimonii initi in locis, ubi non conſtet, vel rationabiliter dubitetur fuiſſe publicatum Concilium, exquirat informationem, an in loco matrimonii publicatio facta fuerit, prout noviſſimè ſervavit in *Bathibonen. 9. Auguſti* 1704. Excepto niſi agatur de locis, in quibus ab initio ob hæreſim publicatio fieri non valuerit, idemque hæreſis impedimentum adhuc duret, quo caſu informatione ſuper publicatione exquirere non ſolet, prout nec exquiſivit in Paſſavien. *Matrimonii* 20. *Novembris*
22 1706. quoad matrimonium Calviniſtico ritu contractum Tiguri apud Helvetios, ubi publicatio numquam locum habere valuit, eò quia Anno 1519. ſedem ibi retinebat Zuinglius hæreſiarca, ſemperque lues hæreticalis ſerpere perrexerit, ac etiam nunc lacrymabiliter continuet; Ex quibus etiam cauſis exquirenda non eſſet quoad Saxoniam, & Angliam, ubi idem accidit infortunium, ut notat Herman. Buſemb. in *medul. Theol. libr. 6. cap.* 3. *dub.* 2. In his igitur locis valida ſunt matrimonia, non ſervata forma Concilii contracta, niſi aliud obſtet. Vice autem verſa, ad contra eamdem formam contrahantur in Italia, Germania, Hiſpania, aliiſque locis, in quibus, utpotè ſub dominio Catholicorum Principum exiſtentibus, hujuſmodi Decretum publicatum fuiſſe præſumitur, nulla pronunciantur, etiam non exquiſita informatione ſuper publicatione decreti. Idemque dicendum eſt de ma-
23 trimoniis in Belgio initis, in quo certè publicatio facta fuit, dum totum ſuberat dominio Regum Hiſpaniæ, proindeque etiam hodie inibi matrimonia irrita ſunt, ſi contra formam Concilii fiant. Nec obſtat, quòd plura loca Belgii, uti ſunt Provinciæ Hollandiæ, infecta poſteà fuerint hæreſi; Etenim non exinde Populi ſubtrahuntur ab obſervantia legum Canonicarum, & præſertim ab obſervantia hujus Decreti, ut ſuperius dixi, & ſpecificè quoad Hollandiam extant hac de re plura Decreta relata apud Pignatell. *cit. conſult.* 79. *à num.* 67. Hinc cùm in una *Hollandiæ Matrimonium* 23. *Auguſti* 1681. proponeretur, Vicarium Apoſtolicum illius Regionis putaſſe, matrimonium cum hæreticis coram Magiſtratu hæretico initum, ſi non ut Sacramentum, ſaltem ut civilem contractum conſiſtere, ſubindeque non oportere conſenſum coram Miſſionariis ritu Catholico renovare; Nec obſtare publicationem Concilii ibi factam, quia dici quidem poterat publicatum in illis Provinciis, non tamen in illa Republica, quæ hodie non eſt eadem, quæ tunc temporis erat, neque quoad gubernium, neque quod habitatores, neque quoad Religionem; Nec item obſtare decreta Sac. Congregat. quæ pluries contrarium reſolverant; quia hæc ſi congruebant illi tempore, quando nondum deſperata erat converſio Hollandiæ ad Hiſpanos, non tamen congruere huic tempori, quo Hollandi non ſunt amplius ſubditi, & Reſpublica commutata eſt. Nihilo-
24 minùs propoſito Dubio: *An in Provinciis Belgii confœderatis valeant matrimonia Catholicorum cum Ethorodoxis contracta coram Magiſtratu hæretico, non obſtante Decreto Concilii de ſolemnitatibus matrimonii in illis Provinciis publicato, & recepto*. Sacr. Congreg. Concilii reſpondit: *Secretario cum Sanctiſſimo ad mentem*, quæ erat, quòd ſi reſpondendum eſſet ad dubium, dicendum eſſet matrimonia non valere; attamen animadverſum fuit id non expedire, quia potiùs deberent permitti in eorum bona fide permanere, quàm tot periculis exponere Catholicos; Verùm, ut notatum vidi in quodam Voto Cardinalis Catanatæ ſcriptum fuit Internuntio, ut mandet Vicario Apoſtolico, ne audeat Miſſionariis prohibere, ne talia matrimonia contrahant; ſanè aliud eſt tolerari, aliud quod contrahentes induci non valeant à Miſſionariis ad verum matrimonium, quod ultimum ſaltum certè eſt, & modis placidioribus curandum quoad contracta, & inſiſtendum quoad contrahenda. Eademque reſolutio data fuit in *Buſcoducen. Matrimonii* 13. *Februarii* 1683. in qua propoſitis Dubiis: *I. An ſi quis dum erat hæreticus, matrimonium contraxit coram Magiſtratu, vel Miniſtro hæretico, & poſteà convertatur ad Fidem Catholicam, requiratur ad validitatem hujuſmodi matrimonii novus conſenſus utriuſque conjugis, vel converſi tantùm. II. An quatenus hujuſmodi novus conſenſus præſtari commodè nequeat, nihilominùs indulgendum ſit, ut in hujuſmodi matrimonio poſſit converſus licitè perſeverare*. Sac. Congreg. reſpondit, ad mentem, quæ fuit, ut ſervaretur ſolutum ſub dict. die 23. Auguſti 1681. Etenim dubio procul eſt, 25
hujuſmodi matrimonia coram Scabinis, ſeu Miniſtris hæreticis celebrata, nulla eſſe ob formam Concilii non ſervatam. Nihilominus cùm ſolemnitas matrimonii ſit juris poſitivi, ac agatur de locis, in quibus hæretici graviſſimis pœnis afficiunt eos, qui prætendunt nullum matrimonium contractum coram Miniſtro hæretico; ad majus malum evitandum, & ob Catholicorum favorem expedit potiùs tolerare hujuſmodi matrimonia, præſertim quia, ut aſſerebatur in *cit.* Buſcoducen. ſi conjux converſus prætenderet nullitatem primi contractus, gravi pœna afficeretur ab hæreticis tamquam violator eorum legis, neque conjux hæreticus permitteret præſtari novum conſenſum; unde meritò petebatur, quòd Pontifex indulgere dignaretur, licere converſis continuare in matrimonio contracto coram Miniſtro hæretico, etiam ſine novo conſenſu, quoties iſte commodè præſtari non poſſet, & ad rem notant Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. Dicaſtill. *de Sacram. tom.* 3. *tract.* 10. *diſp.* 3. *dub.* 10. *num.* 84. Tanner. *tom.* 4. *diſp.* 8. *quæſt.* 3. *dub.* 9. Cœteroqui autem his cauſis ceſſantibus, abſolutè pronunciantur nulla matrimonia, etiam in locis hæreticorum contracta, ſi forma Concilii non ſervetur. Hinc cùm in *Gedanen. Matrimonii*, quæ eſt Civitas Regni Pruſſiæ, ſupponeretur publicatum Concilium, ibidemque adeſſe Parochum Catholicum? Sac. Congregatio die 18. Septembris 1677. nullum eſſe cenſuit matrimonium inter Catholicum, & hæreticam, non ſervata forma Concilii celebratum.

Non aliàs igitur in locis, ubi Decretum Concilii pu- 26
blicatum eſt, validitatem matrimonia naniſcuntur, niſi ejuſdem Decreti forma ſervata. Nec ſanè hujuſmodi forma ſervata cenſetur, ſi adhibeatur quidem Parochus, ſed qui ſit hæreticus, ut mox dicemus. Porrò hic animadvertendum eſt, quòd dum dicimus nulla eſſe matrimonia inita coram Parocho hæretico, ſupponimus Parochum fuiſſe ab initio ritè inſtitutum à legitimo Superiore, ſubindeque ob hæreſim ſupervenientem Parochia privatum remanſiſſe; Ex quo fit, ut matrimonia coram Miniſtro hæretico inita, ſint invalida, non ſanè tantùm uti celebrata coram Parocho hæretico, cùm Scabini, Prædicantes, aliique hæreticorum Miniſtri nec ſint, nec unquam fuerint Parochi ritè inſtituti; ſed potiùs, quia in eis celebrandis deficit forma Concilii; & Solùm ex hac poſteriori ratione paſſim Sacr. Congregat. hujuſmodi matrimonia irrita declarat, ut præ cæteris in una *Venetiarum* 1. *Decembris* 1696. ubi nullum declaravit matrimonium Amſtelodami initum à Catholicis coram Miniſtro hæretico. Propoſita autem concluſio intelligenda eſt 27
de Parochis ritè inſtitutis, qui poſteà in hæreſim incidunt; hi enim quotieſcumque in hæreſim incidiſſe comperiuntur; ipſo jure privantur quibuſcumque beneficiis, ut ex *Conſt.* 19. Pauli IV. *incip. Cum ex Apoſtolatus*, & ex pluribus aliis Conſtitutionibus probavi *tom.* 3. *ad Conſtitut.* 8. Clem. IV. *num.* 5. *cum ſeqq.* Et quamvis Conſtitutio Pauli IV. loqui ſolùm videatur de Epiſcopis, aliiſque majori dignitate inſignitis, non autem de Parochis, & minoribus Clericis; Attamen idem Pontifex ſpeciali decreto cavit, etiam earumdem inferiorum Clericorum beneficia ipſo jure, & à die commiſſi criminis ob hæreſim vacare, ut referunt Locatus *poſt Judiciale Inquiſit. fol.* 473. Farinac. *de hæreſi quæſt.* 189. *nu.* 77. Unde eſt, ut etiam priventur beneficio Parochiali, & conſequenter matrimonia coram ipſis inita, nulla ſunt, perinde ac ſi coram non Parocho facta fuiſſent, ut reſolvit Sacr. Congr. Concil. quæ ſub die 19. Maii 1572. cenſuit

Nullum

Nullum eſſe matrimonium contractum coram Parocho hæretico, ſi decretum Concilii cap. 1. de reform. matr. publicatum fuerit in Parochia, & lapſi erant triginta dies à die primæ publicationis: Et aliud ſimile decretum adducit Fagnan. *in cap. ad abolendam n. 38. de hæret.* Etenim quod diximus, matrimonium coram Parocho hæretico contractum, nullum eſſe, non fundatur in eo, quod hæreticus ſit excommunicatus, nam ex hoc capite eſt quidem inhabilis ad beneficia obtinenda, non autem privatur obtentis, ut dixi ad *Conſtitut.* 15. Innoc. IV. *ſect. unic. n.* 40. Sed nititur in eo, quòd ob hæreſim privatur beneficiis, proindeque deſinit eſſe Parochus; idemque latè docet *cit.* Fagnan. *in cap. quod à prædeceſſore à num. 26. ad finem de ſchiſmat.* de qua
28 materia, & præſertim an id procedat quoad Schiſmaticos præſertim Orientales alibi latè dicam, prout quatenus Hæretici, & Schiſmatici retineant, vel ne poteſtatem ordinis, & juriſdictionis in ſpiritualibus.
29 Cæterùm quotieſcumque eodem loco adſint Parochi Catholici, & Schiſmatici, ac adſit conſuetudo, quòd matrimonia Catholicorum coram Parochis Catholicis celebrentur; hæc illicitè celebrantur coram Schiſmaticis, quicquid ſit de illorum validitate, de qua re, ut dixi, alibi agam. Unde cum aliàs Epiſcopus Tribinienſis in Dalmatia quæreret, An permittendum eſſet mulieribus Catholicis matrimonio jungi cum Schiſmaticis; San. mem. Clemens X. die 20. Auguſti 1671. juſſit per Supremam Inquiſitionem eidem Epiſcopo reſponderi, quòd non permitteret conjugia inter Catholicos, & Schiſmaticos, niſi præmiſſa abjuratione facienda à Schiſmaticis, vel ſaltem profeſſione Fidei facienda ante matrimonium, juxta decreta per Sacram Congregationem die 20. Junii 1628. Certiorari porrò voluit, *Utrum in eadem Diœceſi adſit conſuetudo præſcripta; quod Catholici contrahant matrimonia coram Parochis Catholicis, an vero coram Schiſmaticis, dummodo in iis locis tolerentur Schiſmatici*. Ex quibus colligitur matrimonia à Catholicis celebranda non eſſe coram Parocho ſchiſmatico, quantumvis tolerato, ſi adſint Parochi Catholici, ac conſuetudine, inductum ſit, ut coram his matrimonia celebrentur.

30 Porrò cum neceſſitas ſervandi formam Concilii in locis hæreticorum, multoties Catholicis etiam ibi commorantibus, laqueum injicere valuiſſet ob impoſſibilitatem eam ſervandi, præſertim quia in his locis frequenter Epiſcopi, & Parochi Catholici non adſunt, vel abſentes ſunt, aut hæreticorum metu latitant; Proinde Sac. Cong. Concilii pluries reſpondit, firma, & rata eſſe matrimonia in his caſibus abſque Parocho inita, ſervata tamen in reliquis forma Concilii. Ita in una *Belgii* 27. *Martii* 1632. cenſuit: *Ubi conſtat decretum Sacri Concilii eſſe publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tamquam decretum Sacri Concilii obſervatum, ſed Parochialis Eccleſia utpotè carens proprio Parocho, & Cathedralis itidem Epiſcopo, atque Capitulo habente facultatem alium Sacerdotem delegandi careat, nulluſque alius ibi ſit, qui vices Parochi, vel Epiſcop. ſuppleat, matrimonium valere abſque præſentia Parochi, ſervata tamen in eo, in quo poteſt forma Concilii, nempe adhibitis ſaltem duobus, aut tribus teſtibus. Si exiſtant quidem Parochus, vel Epiſcopus, ſed nullo conſtituto Vicario uterque metu hæreticorum lateat, itaut vere ignoretur, ubi nam ſit, vel eodem metu à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſſe matrimonium contractum abſque forma Sac. Conc. Trid. adhibitis tamen, ut dictum eſt, duobus teſtibus*, idemque docent DD. apud Gobat. *in Theol. experim. tom. 1. part. 2. tract. 9. caſu 18. ſect. 1. num.* 475. Chapeavill. *de modo miniſtran. Sacram. tempore peſtis c. ult. quæſt.* 15. In his enim, quæ Juris humani ſunt, ceſſare videtur obligatio ſervandi eam formam, quam
31 ſervare ſit impoſſibile, ut pluribus exemplis comprobat Fagnan. *in cap. ſi Clericus numer.* 58. *de foro compet.* ubi refert, quòd cùm proponeretur in partibus Infidelium ejecto ab iis Parocho, ſervari non poſſe in matrimoniis forma Concilii; Sanctiſſimus audita ſententia Sac. Congreg. dixit: Si alius Parochus, vel Sacerdos Catholicus in propinquo loco ſit, coram ipſo, & teſtibus contrahatur; quod ſi id commodè fieri nequeat; contrahatur coram Teſtibus, & ſi fieri poterit etiam coram Notario; factis tamen prius utroque caſu denunciationibus, & aliis ſervatis ex Concilio ſervandis, quam reſolutionem refert etiam Nicol. *lib. 1. Inſtit. Civil. tit. 10. numer. 60. verſ. limita tertiò*, Pignatel. *tom. 9. conſultat.* 133. *numer.* 71. *verſ. item*. Ex quo ſanè fit, ut nullo pacto ſuſtineantur matrimonia in præfatis locis contra formam Concilii ibi publicati contracta, præſertim ſi Parochus commodè haberi, & adiri poterat, ut reſolutum fuit in *Ruremunden matrimonii* 2. *Maii* 1676. Quinimò contracto ritè matrimonio coram Parocho Catholico, quamvis ejus validitati non refragetur, ſi iterum coram Miniſtro hæretico 32
contrahatur; Nihilominus id prorſus illicitum erit, ſi Miniſter hæreticus uti Eccleſiæ Miniſter adhibeatur, & ad quamdam cæremoniam religioſam, ut notat Leſſius *in Auctar. ad 1. 2. verſ. Hæreticorum cum Catholicis converſatio caſu* 25. Pignatell. *tom. 4. conſult.* 144. *numer.* 39.

Tandem eſt hìc adnotandum, non quamcumque 33
hujus decreti Conciliaris publicationem operari, ut matrimonia contra ejus formam inita nulla ſint, ſed eam tantùm, quæ in ſingulis Parochiis fit, ut disertè ſtatuitur *à Concil. cit. cap. 1. in fine*; Proindeque S. Cong. ejuſdem Concilii interpres aliàs declaravit, non cenſeri ſatisfactum menti Concilii, per publicationem in Regno, Provincia, aut in Sinodo factam, ſed neceſſariò publicandum eſſe decretum in ſingulis Parochiis. Quinimò ejuſdem decreti publicatio ſpecificè facienda eſt tamquàm de decreto Concilii Tridentini, ut re maturè diſcuſſa dictum fuit in una *Ruſſia* 24. *Martii* 1624. in qua cùm ſupponeretur adfuturam eſſe repugnantiam, & oppoſitionem circa publicationem ipſius decreti Sacri Concilii, deputata fuit à Sanctiſſimo Con- 34
gregatio Particularis, quæ cenſuit, quòd ſi adeſſet difficultas, & oppoſitio pro ſpecifica publicatione decreti Concil. Trident. tranſmitteretur Breve, in quo inſererentur verba ſubſtantialia ipſius decreti, ſed publicatio fieret uti de Conſtitutione Pontificia, ac in eo apponeretur clauſula, *inhærendo decretis Conciliaribus*, ne alias præjudicaretur publicationi decreti Sac. Concilii; idemque Breve publicaretur in ſingulis Parochiis, ac afficeret poſt triginta dies ad præſcriptum ejuſdem Concilii, ut in *lib. 14. decret. fol. 60. à ter.* Quotieſcumque autem de hujuſmodi decreti publicatione dubitari contingat, non eſt neceſſariò probandus ipſe actus publicationis, ſed ſufficienter præſumitur, 35
ſi ipſum decretum fuerit in Parochia tamquam decretum Concilii obſervatum, ut reſolutum referunt Fagnan. *in cit. cap. quod à prædeceſſore num.* 143. Pignatell. *cit. conſult. 79. num.* 40. idque luculentiùs elicitur ex verbis reſolutionis in *Conſtantinopolitana 16. Decemb. 1634. lib. 13. decret. fol. 140. à ter.* ubi cenſuit, *Rituale Romanum de Sacramento Matrimonii obſervatum in ſingulis Parochiis Civitatis Peræ tamquam decretum Sacr. Concilii, ſeu ſummi Pontificis Romani, inducere ſufficientem præſumptionem publicationis ejuſdem decreti; itaut in celebratione matrimoniorum pro illorum validitate ſervanda ſit forma ab eodem Sacr. Concilio præſcripta*.

Ex hactenus dictis reſolvi poſſe videtur ſimilis quæ- 36
ſtio à paucis DD. agitata, an ſcilicet hæreticorum matrimonia Eccleſiæ legibus quoad reliqua impedimenta dirimentia ſubjaceant. Etenim cùm quiſque per Baptiſmum Eccleſiæ legibus obligetur; nec ulla lex Divina, aut Canonica hæreticos ob ſolam hæreſim à tali obligatione eximat, ſequitur ipſos iiſdem legibus actu teneri, ut ſupra dixi, & notant Suarez *de legibus lib. 4. cap. 19. num.* 2. Card. de Lugo *tom. 3. in 3. part. diſp. 15. ſect. 2. num.* 147. Tanner. *tom. 3. diſp. 3. q. 3. n.* 117. proindeque irrita ſunt hæreticorum matrimonia cum aliquo impedimento dirimente contracta, ſivè id ſit Juris Divini, ſive Canonici, ut in ſpecie probant Verticell. *de Apoſt. Miſſion. tit. 3. de legibus qu. 79. num.* 8. Leſſius *in Auctar. lib. 2. verſ. Præſcriptio caſu* 1. Gobat. *in*

Digitized by Google

bat. *in Theolog. Exper. tom. 1. par. 2. tract. 9. caſu 1. n. 41. cum ſeqq.* Pignatell. *tom. 3. conſ. 63. num.* 3. Genet. *Theol. mor. tom. 5. tr. 9. c. 6. q.* 10. idemque diſertè docet Cardin. Pallavic. *nelle lettere diſcorſive , fol.* 113. ubi à Galliarum Nuncio conſultus reſpondit. *E certo appreſſo i Cattolici, che gl' impedimenti dirimenti ſtatuiti dal dritto Canonico, comprendono ancora gli Eretici, e i loro matrimonii: Imperoche gli Eretici in virtù del Batteſimo ſono ſudditi della Chieſa, ne l' eſſerſi da lei ſeparati di fatto, gli ha potuti diſobligare dalle ſue leggi; come niun ſuddito, perche di fatto ſi ſottragga all' obedienza del ſuo Principe, rimane ſciolto dal debito d' oſſervar le ſue Conſtitutioni. Altrimenti ſegnirebbe, che ne altreſi l' Eretico foſſe tenuto d' aſtenerſi dalla carne i dì preſcritti dalla Chieſa, e in effeto con la ſua ribellione acquiſtarebbe una vera, e legitima libertà, il che non è mai caduto in mente d' huomo; Che poi la Chieſa abbia ſtatuito gl' impedimenti dirimenti, oltre à quelli della ragione naturale, e del Levitico, e l' articolo definito nel Concilio Tridentino. Ne può dirſi, che la medeſima Chieſa non abbia intenzione d' obligar gli Eretici con queſto divieto; ſi perche eſſendo il divieto antecedente all' Ereſia, è generale, niuna veriſimiglianza perſuade, che la Chieſa in premio della ribellione abbia voluto ſciogliér gl' Eretici da queſto laccio; non avendo qui luogo quella conjettura, la quale s' è reſa probabile da alcuni Dottori, che l' ordinationi fatte dalla Chieſa dopo lo Schiſma de' Greci, non comprendadano eſſi Greci, per aver eſſa Chieſa depoſta la Cura di loro come inutile dopo quel tempo: si perche ſi moſtra l' intenzione della Chieſa à ciò poſitivamenta contraria. Di che apportarò due prove, l' una è che quando nel Concilio di Trento ſi trattò d' annullare pel tempo avvenire i matrimonii clandeſtini, e di preſcrivere à queſto fine una nuova forma eſſenziale, fù oppoſto che ciò cagionarebbe litiggi di legitimità, e d' eredità, perche tal forma dagli Eretici non ſarebbe oſſervata. E fu penſato di provedere à ciò con quella condizione, che tal decreto non obligaſſe, ſe non un meſo dapoi, che fuſſo publicato nella Parocchia: conſiderandoſi, che tal publicatione non avverebbe ne paeſi degli Eretici, e cosi non ſi renderebbono nulli i loro matrimonj; il che moſtra che la Chieſa ha inteſo, che gli Eretici ſian obligati, non ſolo dalle ſue leggi paſſate, ma etiandio dalle future. L' altra è, che qualunque volta ſi convertano alla Religione Catolica marito, e moglie eretici, fra quali foſſe impedimento dirimente, chiedono, e ſogliono ottenere la diſpenſa di nuovamente contrarre. Lo che rende chiaro, che la Chieſa, e commun ſenſo de' Cattolici ha quelli antecedenti matrimonj per nulli, come contratti dagli Eretici, contra la prohibitione Eccleſiaſtica dirimente:* Hactenus diſertiſſimus Pallavicinus: Conſtat igitur, certum penès Catholicos eſſe, impedimenta Jure Canonico dirimentia hæreticorum matrimonia etiam comprehendere, quin vim Baptiſmi Eccleſiæ ſubditi facti ſunt; nec ab ejuſdem legibus ſe ſubtrahere uſquam valeant, quamvis ab ejus obedientia ſe de facto ſeparaverint; quemadmodum non liberantur ſubditi à legibus Principis, à quo de facto ſe ſub-
37 traxerunt. Quin ſanè huic obligationi derogare valeat conſuetudo, aut contraria obſervantia. Quandoquidem perſpectum eſt, Eccleſiæ leges his defectibus non ſubjacere, ut dixi ſupra *num.* 15. Nec hæreticorum cauſa quid diverſum operari valet; cùm non minus ac nos iiſdem legibus obligentur; & ſanè mirum eſſet (inquit Leſſius *loc. cit.*) hæreticos exemptos eſſe à jejuniis, feſtis, impedimentis matrimonii jure Eccleſiaſtico inductis, eò ipſo quòd Eccleſiæ auctoritate contempta aliam conſuetudinem obſervarint. Porrò ſi contra Eccleſiæ leges ullus eſt valor contrariæ conſuetudinis, dum hæc fulcitur tacito conſenſu Pontificis, ut dixi ad *cit. Conſt.* 6. Urbani IV. *num.* 52. certè nullus erit hoc caſu, cùm nec conſtet, nec veriſimile ſit, Papam tacitè aſſentiri: quod præſertim ex eo elicitur, quòd conjuges
38 hæretici, qui cùm impedimento jure Canonico dirimente matrimonio contraxerunt, ſi ad Fidem convertantur, diſpenſationem ſuper eo obtinere debeant; Quinimò ſi unus tantùm ex conjugibus ad Fidem convertatur, poterit hic ad ſecundas nuptias tranſire, nullo ligaminis impedimento obſtante, quod ex matrimonio cum impedimento dirimente contracto non oritur idque reſolutum ſcio in ſimili caſu matrimonii contracti inter conjunctos tertio gradu conſanguinitas; Unde præfatam conſuetudinem hæreticis non ſuffragari, etiam ſi ſit mille annorum; tenet Verricell. *loc. cit. numer.* 8. Rebell. *de oblig. juſtit. lib. 1. in prælud. quæſt. 5. numer.* 14. Nec obſtat Gobat. *loc. cit. num.* 52. ubi aſſerit, non videri penitùs improbabile, quin conſuetudo, quæ apud Catholicos ſufficit ad abrogandas leges Eccleſiaſticas de impedimentis matrimonii dirimentibus, ſufficiat etiam in terris hæreticorum. Nam ultraquàm quòd idem Auctor *infra num. 57. verſ. quicquid*, auctoritate, & ratione preſſus, noſtræ ſententiæ tenaciter adhæret; Adhuc tamen admiſſo, quòd ipſe aſſerit: cùm conſuetudo contra Eccleſiæ leges apud Catholicos non ſuffragetur, niſi expreſſo, aut tacito Summi Pontificis conſenſu concurrente; certè nec ſuffragabitur quoad hæreticos, pro quibus non concurrit hujuſmodi conſenſus, nec quidem tacitus, ut dixi, ac appoſitè dixerat idem Gobat. *loc. cit. num.* 43. ibi: *Si Romani Pontifices, qui à Leone X. uſque dum ſederunt in Cathedra Petri, coram adeſſent, atque interrogarentur, utrum unquam tacitè approbarent conjugia ab hæreticis inita cum impedimento dirimente, ii mihi videntur reſponſuri, ſe nihil minus unquam cogitaſſe, etiam implicitè:* His accedit, quòd hæretici matrimonia cum impedimentis dirimentibus contrahunt, non quidem freti conſuetudine, ſed frequentiùs id faciunt in ſpretum juris Pontificii, irridentes leges Eccleſiaſticas; quo caſu præſumi non poteſt tacitus Summi Pontificis conſenſus, quem expreſsè denegaret, ſi peteretur; Unde ex mente Supremæ Inquiſitionis tradit Pignatell. *to. 3. conſ.* 39
63. *num.* 2. quòd cùm hæreticis volentibus inter ſe in gradibus prohibitis matrimonium contrahere, Sedes Apoſtolica non diſpenſat, niſi hæreſes abjuraverint; & licèt unus ſit Catholicus, alter verò hæreticus, non conceditur diſpenſatio, ſi ipſe non abjuret; Quod & nuperrimè practicatum ſcio cum quodam hæretico magnatitii ordinis, qui cùm per Sedem Apoſtolicam nullum declarari peteret matrimonium, quod cum muliere in gradu prohibito conjuncta contraxerat, ſubindeque ſe Fidem Catholicam amplexurum promitteret; reſolutum fuit, inſinuandum illi eſſe, quòd prius amplectatur Fidem Catholicam, & deindè providebitur. Porrò quamvis non raro ignorent hæretici im- 40
pedimenta Jure Canonico dirimentia; hæc tamen ignorantia non ſuffragatur validitati actus: tum quia etiam ſi ſcientiam impedimentorum haberent, nec item forſan illam ſervarent: tum etiam quia hujuſmodi impedimenta ſunt abſolutè irritantia: unde eorum ignorantia excuſare quidem poteſt à culpa, non autem reddere validum actum alioqui irritum, Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 17. n. 9.* Tanner. *tom. 2. diſp. 5. q. 5. num.* 113.

Adeò autem hæreticorum matrimonia ſubjacent Ec- 41
cleſiæ legibus, ut eorum Conſuetudines, ſeù Statuta contraria iiſdem legibus, prorſus irrita ſint, nec ullatenus attendenda. Unde quamvis apud ipſos, matrimonia quoad vinculum paſſim diſſolvantur ob adulterium, moleſtam habitationem, abſentiam alterius conjugum, aut alias cauſas, ut referunt Cardin. Bellar. *de matrim. lib. 1. cap.* 15. Florim. Remund. *de ortu, & progreſ. hæreſ. lib. 8. cap. 13. num. 4. & 5.* non idcircò tamen matrimonii vinculum diſſolutum cenſetur, cùm hæ cauſæ Jure Canonico non probentur, imò eas expreſsè improbat Conc. Triden. *ſeſs. 24. de refor. matr. can. 5. & 7.* Hinc cum in Paſſavien. *Matrimonii* 20. *Novembr.* 1706. proponeretur matrimonium Tiguri Helvetiorum ab utroque conjuge hæretico contractum ac poſt diſceſſum viri per ſententiam Judicis Acatholici ad inſtantiam mulieris diſſolutum fuiſſe, ſubindeque ipſum virum ad Fidem converſum cum muliere Catholica matrimonium contraxiſſe; Sacra Cong. Concil. ex rationibus adductis cenſuit, primum matrimonium fuiſſe validum, nec ullatenus attendit

ſenten-

ſententiam Judicis hæretici matrimonium diſſolventis, in qua cùm diſſolutionis cauſæ non exprimerentur, præſumere erat divortium fuiſſe factum ex cauſis ab hæreticis permiſſis; quod etiam urgebatur ex facto per virum narrato, in quo ſupponebatur, quòd ipſe deſeruerat primam uxorem, ab eaque per ſeptennium abſens fuerat; idcircò veroſimile ſiebat ob dictam abſentiæ cauſam ejus uxorem obtinuiſſe à Judice hæretico licentiam denuò nubendi; unde attendenda non erat præfata ſententia; accedente etiam, quòd hæc producebatur ſola, & ſine actis; quo caſu, etiam alio non obſtante, nullatenus probaret, Card. de Luca *de judic. diſc. 36. num. 27.* Rota *dec. 1. numer. 3. & 4. cor. Ludoviſ.*

42 Et quamvis in ſimili caſu contrarium reſponderit Gobat. *loc. cit. tr. 10. caſu 19. num. 695.* tamen eſt advertendum, quòd ibi ſecundum matrimonium fuerat per viginti annos legitimè exequutum, in quo principaliter ſe fundat iidem Auctor: & Judex Eccleſiaſticus ejus loci, in quo ſecundum matrimonium fuerat contractum, tulerat ſententiam de licito tranſitu ad ſecunda vota: unde præſumi poterat nullitatem primi matrimonii fuiſſe legitimè ab eodem Judice juſtificatam: Cæteroqui autem ipſemet Gobat. latè ibidem firmat, matrimonia hæreticorum eſſe indiſſolubilia. His

43 accedit, quia quicquid ſit, an ex intentione contrahentium ſeparabilis in matrimonio ſit ratio Sacramenti à ratione contractus, & an hanc ſeparationem de facto faciant hæretici, in qua re frequentius pro inſeparabilitate ſtant DD. apud Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 10. num. 6.* Card. de Lugo *de Pœnit. diſp. 14. num. 42.* Layman. *lib. 5. tr. 10. part. 2. c. 2.* Diana *tom. 3. tr.*

44 *4. reſol. 255.* omni tamen caſu inter baptizatos matrimonium conſumatum indiſſolubile eſt, ut notant Tamburin. *lib. 8. oper. moral. tr. 5. de matrim. c. 5. §. 1.* Gobat. *cit. tract. 9. caſu 11. ſect. 2. & tract. 10. caſu 19. n. 695. cum ſeqq.* aliique apud Averſa *de matrim. quæſt. 2. ſect. 4.* ubi quòd hæc ſit communiſſima Catholicorum aſſertio, cùm matrimonium inter fideles ſignificet unionem Chriſti cum Eccleſia, ſeu Verbi cum humana natura, quæ unio prorſus indiſſolubilis eſt, & hanc eſſe præcipuam differentiam inter matrimonium Fidelium, & Infidelium, inquit Pontifex *in c. quanto de divort.* Cujus ſanè inſeparabilitatis non leve argumentum eſt, quòd Sedes Apoſtolica numquam permiſerit hæreticis converſis tranſire ad ſecundas nuptias, niſi primæ, tempore hæreſis contractæ, ab initio fuerint nullæ; quòd ſanè in gratiam converſorum permittere poſſet, ſi eorum matrimonia diſſolutionem paterentur, quemadmodum permittit Infidelibus ob converſionem alterius conjugum, *c. gaudemus eod. tit.* Diverſitatis ratio eſt, quia, *Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum; inter fideles autem verum, & ratum exiſtit, quia Sacramentum Fidei (ideſt Baptiſmus) quod ſemel admiſſum numquam amittitur, ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipſum in conjugibus illo durante perduret*, ut habetur in *cit. c. quanto.*

CONSTITUTIO XIII.

JOANNIS XXII.

INCIPIENS (*Super.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES AD PERPETUAM REI Memoriam.

CUm non pauci reprobi Chriſtiani, pro recipiendis à Dæmone reſponſis, & auxiliis, eidem immolarent, ad adorationem exhiberent, imagines, annulos, aut aliam rem ad Dæmonem ibi alligandum fabricarent: Pontifex diſtrictè prohibet, ut nemo audeat de prædictis aliquid docere, diſcere, aut quovis modo uti, excommunicationem ipſo facto incurrendam in delinquentes ſtatuit, quòdque per competentes Judices hæreticorum pœnis præter confiſcationem puniantur. Retinentibus autem libros de prædictis erroribus tractantes, ſub eadem excommunicationis pœna præcipit, ut infra octo dies eos abolere, & comburere teneantur.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Homo quàm excellentior ſit cæteris animantibus.*

2 *Aviditas ſciendi bonum, & malum cauſam dedit ſuperſtitionibus.*

3 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*

4 *Proponuntur tractanda in hoc Commentario.*

5 *Superſtitio quid ſit, & quas ſpecies ſub ſe contineat.*

6 *Superſtitioſus Dei cultus, alter pernicioſus eſt, alter ſuperfluus.*

7 *Superſtitio frequentiùs ſumitur pro ſortilegio.*

8 *Idololatria quid ſit, & quatenus inſit in immolatione, & adoratione Dæmonum.*

9 *Divinatio ſuperſtitioſa quid ſit, & quatenus Dæmonis invocationem contineat.*

Fabricare Annulum ad alligandum in eo Dæmones, eſt divinatio ſuperſtitioſa. Ibid.

10 *Ineuntes fœdus cum Dæmone per Chirographum iſti traditum, reconciliari poſſunt, abſque eo, quod Dæmon cogatur illud reddere.*

11 *Dæmon an, & quatenus dicatur annulis alligari.*

12 *De aliis hic contentis. Remiſſivè.*

TAmetſi Altiſſimus homini, quem ad ſui ſimilitudinem, & imaginem efformarat, mentem præ cæteris animantibus adeò elevatam largitus fuerit, ut non ſolùm divino Fidei lumine illuſtrata, myſteria illa, quæ humanum captum tranſcendunt, cognoſceret: ſed etiam vi ſua præclara multa rimaretur, ac intelligeret, adhuc tamen ſuperbum hoc, & regale animal, veluti propriæ intelligentiæ metas ignorans, aut negligens, altius, & pluſquam oportet ſapere conatus eſt, ſtultè reputans ſe ſcire poſſe tempora, & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. In quam ſanè dementiam ipſum conjecit pervetuſta illa, ac propè innata aviditas ſciendi bonum, & malum: quæ quemadmodum; humani generis hoſte adnitente, primum hominem, ac protoplaſtem noſtrum ex ſupremo felicitatis gradu miſerè dejecit: ita & quampluримos ejus filios à Deo ad Diabolum avertit, ac execrabilibus ſuperſtitionibus lacrymabiliter involuit. Enim verò hinc ortæ ſunt penè innumeræ ſuperſtitiones, quibus deluſa vetuſtas Diabolum veluti Divinum Oraculum recepit, & coluit, ac quod deteſtabilius eſt, in idem laqueum non raro incidunt veræ Religionis ſectatores, quos etſi præclarum Fidei lumen à ſerpentis inſidiis cautos reddere valeat, tamen perinde, ac tetra erroris caligine ſuffuſi, in eaſdem inſidias ſe voluntariè præcipitant. Huic malo his præſertim temporibus incaleſcenti, paſtorali vigilantia occurrere ſtuduit Joannes XXII. cùm enim quamplures reprobi Chriſtiani Dæmonibus immolarent, eoſque adorarent: imagines, annulum, vel ſpeculum, phialam, vel rem quamcumque aliam ad Dæmones inibi alligandos fabricarent, vel ab aliis fabricari curarent; ab eiſdem reſponſa peterent, ac pro ſuis pravis deſideriis implendis auxilia poſtularent; Ideò Pontifex in hac Conſtitu- 1

Digitized by Google

ſtitutione edita Avenione die 12. Auguſti Ann. 1325. omnibus Chriſtifidelibus præcipit, ne quidquam de prædictis docere, addiſcere, aut quoquomodo uti audeant ſub interminatione excommunicationis ipſo facto incurrendæ; contra eoſdem hæreticorum pœnis præter confiſcationem per competentes Judices procedi mandat, ſi admoniti intra octo dies ſe non correxerint; Itemque ſub eadem excommunicationis pœna mandat, ne quiſquam ſtudere, vel retinere audeat libellos, aut ſcripturas de prædictis erroribus tractantes; eoſque habentes abolere, & comburere debeant infra octo dies à notitia editionis hujus Conſtitutionis computandos. Quod tamen hodiè ſatis non eſſet, nam ex ſequentibus Conſtitutionibus, hujuſmodi libros retinentes, tenentur eos cum effectu deſerre Inquiſitoribus, nec ſatisfaciunt, ſi propria auctoritate comburant, ut dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 2. Innocent. IV. *ſect.* 1. *numer.* 12.

4 Pro hac Conſtitutione illuſtranda, de qua meminere Eymeric. *in direct. par.* 2. *q.* 43. *nu.* 9. *Repert. Inquiſit. ver. Xorquina*, ſatis ampla proponitur ſeges agendi de ſuperſtitionibus, & ſortilegiis; Attamen cùm in noſtro Bullario paſſim occurrant Conſtitutiones hac de re tractantes, uti ſunt *Conſtis.* 1. Innoc. VIII. *Conſtit.* 7. Leonis X. §. 41. *Conſt.* 43. *ejuſdem*, *Conſtitut.* 2. Adriani VI. *Conſt.* 17. Sixti V. *Conſt.* 46. Gregorii XV. incip. *Omnipotentis*; ideò juxtà aliàs propoſitam partitionem, hìc nonnulla ad hujus Conſtitutionis intelli-
5 gentiam ſtrictè dicemus. Præmittendum idcircò eſt, Superſtitionibus nomen generale eſſe, plures ſub ſe continens ſpecies, uti ſunt Idololatria; Magia, & Divinatio, vana obſervantia, & Maleficium, quæ omnia ſunt peccata Religioni adverſantia, & in quibus Creaturæ cultus indebitus exhibetur; Quamvis Superſtitio contineat etiam cultum Deo illegitimè exhibitum, cùm ipſa, juxtà D. Thom. 2. 2. *q.* 92. *ar.* 1. ſit vitium, quo exhibetur divinus cultus, cui non debetur, vel eo modo, quo non debetur, ſivè eſt vitioſius cultus veri, vel falſi Numinis, ut eam definit Leſſ. *de juſtit. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 1. Eſt quidem ſuperſtitioſus cultus Deo
6 exhibitus, dum ei modo indebito, & indecenti à creatura exhibetur: qui ſanè ad duas ſpecies reduci valet, ſcilicet ut alter ſit cultus pernicioſus, alter ſuperfluus; Pernicioſus quidem cultus eſt, cùm Deo falſum cultum exhibemus, qualis eſſet, ſi quis obſoleta veteris legis ſacrificia, Chriſti Domini futuram vitam, & mortem ſignificantia offerret, vel falſas reliquias, aut indulgentias pro veris ſupponeret, ſivè falſa miracula fingeret, Tolet. *in ſumm. lib.* 4. *c.* 14. Suarez *de relig. tr.* 3. *c.* 2. ubi aſſerit, cultum pernicioſum eſſe illum omnem, & ſolum, qui exhibetur cum formali, & directo, vel indirecto mendacio; Cultus autem ſuperfluus nihil quidem falſi continet, at ſuperſtitioſus eſt, utpotè qui Deo colendo ineptus reputatur; quotieſcumque enim aliquid fit, quòd quantum eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc, quòd mens hominis Deo ſubiiciatur, aut quod immoderatæ carnis concupiſcentiæ refrenentur, aut etiamſi ſit præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, vel contra conſuetudinem communem, totum hoc reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum, quia in exterioribus ſolùm conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet, ut notat D. Thom. 2. 2. *q.* 93. *ar.* 2.

7 Frequentius autem Superſtitionis nomine ſignificamus cultum indebitum creaturæ exhibitum, qui communi nomine Sortilegium dicitur, ac ſub ſe continet ſuperius enumeratas ſpecies, quarum ſingulas quamvis comprehendere videatur hæc Conſtitutio; attamen quæ hìc habentur propriùs ad Idololatriam, ſeu Polythejam, & divinationem pertinere noſcuntur; Etenim Dæmonibus immolare, eoſque adorare, evi-
8 dens idololatria eſt, quæ conſiſtit in cultu latriæ tributo creaturæ per actus, qui directè fiunt in ſignificationem, & teſtimonium divinæ excellentiæ; Sacrificium autem, adorationem, & Templi erectionem ex omnium gentium uſu ſunt actus ſoli Deo competentes, ut notat Suar. *cit. tr.* 3. *c.* 3. adeòque quiſquis aliquem ex his actibus Dæmoni, aut creaturæ exhibet, Idolatra reputandus eſt; nec opus eſt, ut omnes iidem actus concurrant, ut in terminis hujus Conſtitutionis
advertit Eymer. *cit. q.* 43. *n.* 10. Porrò imaginem, annu- 9
lum, ſpeculum, vel phialam, aut rem quacumque aliam fabricare ad Dæmones inibi alligandos, pro futuris, aut occultis cognoſcendis, ac pro Dęmonum ope conſequenda, de quibus hìc loquitur Pontifex, propriè ad ſuperſtitioſam divinationem pertinent, quæ eſt inordinata inquiſitio rerum futurarum, vel occultarum, quæ humano modo cognoſci nequeunt; Eſt enim hujuſmodi rerum inquiſitio ſuperſtitioſa, cùm ſemper adſit implicita, aut tacita Dæmonis invocatio, quod eſt cum morte fœdus inire, & pactum facere cum inferno, ut habetur Iſaiæ 28. proindeque omnis invocatio, aut pactum cum Dæmone omninò vetitum eſt homini, tum ob periculum apoſtaſiæ, & damnationis æternæ, cujus initium eſt commercium cum Dæmone, quemadmodum conſuetudo cum Angelis eſt quædam æternæ beatitudinis inchoatio, Cajet. *ad* 2. 2. *q.* 95. *ar.* 4. Quibus etiam frequenter accedunt alia execranda, uti ſunt abnegatio Fidei, Baptiſmi, & Chriſti, ut habetur in *cit. Conſt.* 1. Innoc. VIII. & *Conſt.* 2. Hadriani VI. quinimò ut ſcribit S. Cypr. *lib.* 1. *de dupl. mart.* qui magicis artibus utuntur, tacitè Chriſtum abnegant, dum cum Dęmonibus habent fœdus; nec ab his disjungi ſolet promiſſio, ſeù traditio animæ, & corporis Diabolo facta, quod etiam quandoque fit per ſpeciale Chyrographum, ut habetur in *cit. Conſt.* 43. Leonis X.
quod Chyrographum, ſi maleficus penès ſe retineat, 10
neceſſariò per ipſum corrumpendum eſt; ſi autem Diabolus illud ſibi ſuſtulerit, non eſt ab eo repetendum, nec cogendus ad reſtitutionem, cùm ſatis ſit vera pœnitentia commiſſi criminis, ſeù apoſtaſiæ, nec ex illo aliquod jus Dæmoni quæritur, ut benè advertit Lupus *in edict. Inq. par.* 3. *lib.* 22. *diſt.* 5. *ar.* 2. *diffic.* 2. & quamvis dici poſſit, illud eſſe requirendum ad probandam Apoſtaſiam Malefici; id tamen neceſſarium non eſt, cùm corpus delicti Apoſtaſiæ non oporteat per ſcripturam probari dum de eo conſtat per confeſſionem ipſius rei, Card. Albit. *de inconſt. in fide*, *c.* 32. *n.* 153.

Quod autem hìc dicitur de fabricandis annulis, 11
ſpeculis, aliiſque pro Dæmonibus inibi alligandis, non accipiendum eſt pro vera obligatione, itaut neceſſariò ibi adeſſe cogantur; Nam ut habetur Job. *c.* 41. non eſt ſupra terram poteſtas, quæ comparetur ei; propterea nec ab hominibus eorum naturali poteſtate, nec per ſigna, herbas, aut characteres compelli valet Dęmon ad maoendum in annulis, ut poſt D. Auguſt. *lib.* 21. *de Civ. Dei c.* 6. tenent communiter DD. apud Azor. *inſt. mor. to.* 1. *lib.* 9. *c.* 26. *quæſit.* 2. Pegna *ad direct. Inquiſ. part.* 2. *comment.* 68. *verſ. in hac re*, Sanch. *in ſum. lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 11. Lupus *cit. part.* 3. *lib.* 16. *diſt.* 7. *art.* 1. *diffic.* 1. Et quamvis quandoque Dęmon videatur alligari, ac per verba, & ſigna compelli ad intraodum, & manendum in iiſdem annulis; hoc tamen verè non contingit ex naturali virtute ipſos compellente; ſed potiùs pariter mendacii ad incautos decipiendos ſe alligari ſimulat, ſponte ſe alligando ex pacto expreſſo, vel occulto; quòd rectè expoſuit Henricus *de Aſia* ſuper Gen. ibi. *Non ergo eum necromantice, vel magice compellis, aut in vinculis eum, ut putas, tenes; ſed hoc certum habe, quòd ipſe ſimulat ſe captum, ut te capiat: ſe vinctum, ut te vinciat: ſe tuo imperio ſubditum, ut ſe tibi ſubdat: à te incluſum, ut te finaliter concludat: fingit ſe tua arte, vel lapidi, vel imagini alligatum, ut te funibus peccatorum alligatum ad Infernum perducat.* Igitur incluſio Dæmonum in his vaſculis non ad artem pertinet, ſed ad tacitum, vel expreſſum pactum cum ipſis initum; & ſi quandoque Dæmon inferior includatur à Dæmone potentiori pactio cum ſpiritu cogente intercedit.

Eſſet hic agendum de hujuſmodi delinquentium 12
pœnis, & de eorum Judice competente, de quibus opportunè dicemus in ſequentibus indicatis Conſtitutionibus.

CON-

CONSTITUTIO XIV.

JOANNIS XXII.

incipiens. (*Ratio.*)

EPITOME BULLÆ

JOANNES EPISCOPUS, &c.

PLures ordinationes ſervandas ab Auditoribus Palatii Apoſtolici, ſeù Rotæ Romanæ, eorumque Notariis præſcribuntur.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Sacræ Rotæ Romanæ origo, & nomenclatura illuſtratur.*
2 *Rota, & Rotarii Milites quid fuerint apud antiquos.*
3 *Qua ratione Cauſæ ſua habere ſidera dicantur.*
4 *Auditores Rotæ in eorum origine erant Capellani Papæ, & quatenus judicandi munus obtinuerint.*
5 *Beatus Raymundus de Pegnafort fuit Rotæ Auditor.*
6 *Rotæ Auditorium ad Tribunalis formam ante hanc Bullam redactum fuit.*

1 FOrmam, quam veteres Philoſophi, lumine Fidei carentes, Fato tribuerunt, figuram nempè orbicularem, ut varietatem rerum ex ea procedentem præſignarent, nullo aſſignato Divino Motore, videmus à Summis Pontificibus conſeſſui Judicum tam eximiorum, Rotæ nempè Auditoribus attributum, ſub Rotæ nomine illud Tribunal nuncupando; non quidem ex eo, quod ad inſtar fati, Rota ſæpè rotet, cùm in ea verè conſtans, & perpetua juſtitia conſiſtat; ſed nomencla-
2 turæ ratio fuit, quòd ſicuti olim Rota appellabatur militum certa legio, & Rotarii milites dicebantur, qui ſub certo vexillo prælium agebant, ut patet ex Niceta Choniate *lib. ult. de Imper. Balduini*, ibi: *Itaque partem exercitus, quæ utilitatis ſuæ cauſa ſequi vellent*, Rotam ipſi vocant, & Guglielm. Haubrig. *libr. 2. de reb. Angl. c. 27.* ibi: *Stipendiarias Brabantiorum copias*, quas Rotas vocant, Gonzal. *in cap. ſententiam, numer. 1. ne Clerici, vel Monachi*; Ita cùm olim Judices iſti ſparſim, & ſinguli jus dicerent, in certo loco jus dicturi, Rotarii Judices meritò dicti fuere; Vel etiam tale nomen Rotæ addictum fuit ex figura conſeſſus orbicularis, Veſtr. *in praxi Cur. Rom. lib. 2. cap. 17.* ſed potiùs, quòd etſi forma Sedilium non ſit rotunda, tamen cùm cauſæ, ut dicam, examinentur per Turnos, videtur tale nomen inductum, & ſic nulla diſtinctio inter illos Patres conſideratur; hinc inolevit mos, ut in prandiis, ubi nulla differentia adeſt conſidentium, tabulæ rotundæ adhibeantur;
3 vel demum, quia dicuntur habere ſua ſidera cauſæ, non quidem ex juſtitiæ corruptione, quod abſit à tanto Tribunali, ſed quia fato ſubduntur ex variorum hominum ingeniis, quæ in cauſa ludere dicuntur, ut notat Scaccia *de ſentent. & re judicat. gloſ. 10. qu. 4. numer. 16.* Scannarola *de viſit. Carcer. fol. 104. num. 26.* Petra genitor *tom. 1. ad Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ ritu 10. num. 9.* Card. de Luca *de Teſtamentis diſc. 21. in fine*, Fontanell. *deciſ. 45. num. 23. tom. 1.* Add. *ad deciſ. 12. numer. 63. par. 3. recenc* & ipſa Rota *in Romana, ſeù Savonen. Succeſſionis* 8. *Februarii* 1706. §. 1. *in fine coram D. Anſaldo*, & felix vir, qui ſine lite vivit, cùm fato non ſubdatur, ait Fontanell. *deciſ. 105. num. 16. to. 1.* & de miſeriis, ac damnis litium vide Ann. Robert. *rer. judic. lib. 2. cap. 16.* Jo: Jacob. Anichin. *de prævent. inſtrum. cap. 2. num. 96.* Henrig. *de fidejuſſ. cap. 1. num. 24. Caravit. rit. 10. Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis num. 5.* Petra *loc. cit. numer. 10. & ſeq.* Ruginell. *pract. qu. cap. 41. num. 10.* Hinc lepidè Jacobus Sannazarius *lib. 3. Epigramm.* ſic alloquitur Regem Fridericum.

Litibus obſtinui ſemper, mihi teſtis Apollo eſt,
Et muſæ, & ſtudiis otia grata meis.
Nunc me neſcio quis per triſtia jurgia verſat,
Scotus, & rauci cogit ad arma fori;
Et fateor magnus pulſis Rex inclyte Gallis,
Pello etiam Scotos, & mihi major eris.

Initium tanti Rotæ Romanæ conſeſſus aliqui tribuunt Joanni Papæ Conditori hujus Bullæ, ut apud Ciaccon. *in ejus vita*; ſed longè ante vera origo iſtorum Audito- 4
rum repetenda eſt, etſi non ſub nomine Auditorum Rotæ, ſed Capellanorum Papæ, cùm Capellæ Pontificiæ inſervirent; quod & hodie præſtant; hinc Magiſter Sac. Palatii inter eos locum habet. Iis enim Summi Pontifices, ultra Capellæ miniſterium, utebantur pro dubiis diffiniendis, in quibus oracula capitis viſibilis Eccleſiæ populi paſſim petebant; & ſicuti majora negotia Papa per Conciſtorium S. R. E. Cardinalium expedire conſueverat, & per conſilia; ita in pluribus cauſis, præſertim beneficialibus, opera dictorum Capellanorum ad audiendum, & referendum uſus, oracula præbebat, & ſunt plura reſponſa in Decretalibus regiſtrata; Sed deindè majoribus negotiis Romani Pontifices preſſi, ſingulis aliquam cauſam Capellanis diffiniendam committebant, & demum excreſcentibus negotiis Tribunal dictorum Capellanorum erexerunt, ac dicti fuerunt Auditores Palatii Apoſtolici, cùm nomine Papæ jus dicerent, ac utì ejus Viceſgerentes negotia in Palatio ipſo explebant; Inter dictos Capellanos fuit D. Raymundus de Pegnafort, eximius Ordinis Prædicatorum alumnus, qui Juſſu Grægorii IX. libros decretalium compilavit, ut teſtatur idem Gregorius Papa in proœmio Decretal. & Clemens VIII. in Bulla ejus Canonizationis *tom. 3. Bullar. la 77. §. 2.* ait. *Excepit eum amanter Gregorius, ac brevi perſpectis, & exploratis ejus animi dotibus, ſummiſque virtutibus, Capellani ſui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc eſt cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorem, dignitate ornavit*, & de origine hujuſmodi Capellanorum juſdicentium loquitur Speculator *in tit. de leg. §. jam nunc dicendum verſ. item non obſtat*, Gomes *in Reg. Cancell. in proœm. pag. 3.* Veſtr. *cit. cap. 17. num. 1. & ſequ.* Marta *in tract. de Tribun.* Urb. *cap. 3. de origine, & progreſſu Auditor.* Rotæ *poſt deciſ. Creſcentii impreſſo*, Lotter. *de re benef. lib. 1. in apparatu numer. 46. 87. & ſequentibus*, Tanagl. *de S. Rotæ Auditorio lib. 1. cap. 1.* Card. de Luca *in Relat. Rom. Cur. diſc. 32.* D. Anſald. *in præfat. ad ejus deciſ.* Verùm reductio in formam Tribunalis, & conſeſſum plurium, mihi videtur etiam fuiſſe ante hanc Bullam, nam in hac nulla fit mentio talis erectionis, ſed hæc ſupponitur, ut notat Cherubin. *filius ad hanc Bullam Schol.* 1. vel poſſet dici anteà fuiſſe quidem uſum Tribunalis per unionem dictorum Capellanorum, non verò mediante Conſtitutione aliqua aſſignante certum locum, & præſcribente certas leges, ut egit Joannes in hac Conſtitutione edita anno 1326. & licèt non exprimatur data loci, tamen emanavit in Civitate Avenionis, in qua Papa tunc reſidebat, nam dum fit mentio de Eccleſia Cathedrali, intelligitur de ea Avenionis, ut notat *cit.* Cherubinus.

SECTIO PRIMA.

De pluribus concernentibus S. Rotæ Auditorium, ejuſque Auditores.

SUMMARIUM.

1 *Epilogatur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
2 *Auditores Rotæ habent uſum Cappæ, & Rocchetti,*

Digitized by Google

prout etiam Votantes Signaturæ Juſtitiæ, & in quibus functionibus iis utantur.

3 *Quam præcedentiam habeant, dum ſedent ſub throno Pontificio.*

4 *Hodie in munere Subdiaconi miniſtrant Papæ in publicis functionibus.*

5 *Præcedunt Clericis Cameræ, ac Magiſter Sacri Palatii ſedet poſt ultimum eorum.*

6 *Obtinent habitum, & cordonem violaceum, & à quibus hic color hodie in Prælatura retineatur.*

7 *In functionibus publicis extra Capellam Pontificiam, quo habitu utantur.*

8 *Quæ alia munia exerceant extra Rotam, & an præcedant Præceptorem S. Spiritus, dum uterque eſt Conſultor Supremæ Inquiſitionis.*

9 *Cauſæ in Rota introducuntur per commiſſionem non per libellum, prout etiam practicatur in Sac. Concilio Neapolitano.*

10 *Juriſdictio Rotæ an ſit ordinaria, vel delegata, & nu. ſeqq.*

Unica commiſſio in Rota ſuffragatur quo qualibet inſtantia. Ibidem.

11 *Rota Auditorium habet juriſdictionem ordinariam, uamvis ſinguli Auditores ſint Judices delegati.*

12 *Deficiente Auditore, cui fuit directa commiſſio, ſubrogatur alter ſine nova commiſſione.*

Subſcriptio ſententiæ poteſt fieri ab uno Auditore nomine alterius. Ibid.

13 *Cauſa, ſi uni Auditori commiſſa ſit, quatenus valeat alter procedere.*

14 *Examen teſtium factum coram Auditore non commiſſario quatenus ſuſtineatur.*

Ad quem ſpectet declarare competentiam cauſæ inter Auditores. Ibid.

15 *Deficiente Auditore, qui deputavit Juditem pro examine teſtium, deputatio non expirat.*

16 *Auditor, ſententia prolata, non ſe ulterius ingerit in cauſa, & quid quoad annexa, & connexa.*

17 *Per obitum Papæ Rota ſilet, & ceſſat Auditorum juriſdictio.*

18 *Quid ſi Papæ obitus contingat, dum Rota eſt jam congregata.*

19 *Sede vacante Auditor an poſſit reſpondere de Apoſtolis.*

20 *Commiſſio facta uni Auditori inducit præventionem quoad alios Auditores.*

21 *Non autem quoad Judices extra Rotam, niſi adſit citatio.*

Poteſt per novam commiſſionem procedi coram altero Auditore, ſi prima commiſſio non fuerit incapſata. Ibid.

22 *Commiſſio generalis pro cauſis Auditoris abſentis, vel promoti qualiter fiat, & quid operetur.*

23 *Commiſſio ſpecialis non derogat generali, niſi ſit anterior.*

Auditor, ob cujus abſentiam fuit alter ſubrogatus, quatenus redeundo reaſſumat cauſas, præſertim diſputatas. Ibid. & num. 25.

24 *Auditor novus quatenus obtineat commiſſionem generalem in cauſis ſui anteceſſoris.*

25 *Cauſa deciſa ab Auditore mortuo reaſſumitur ab ejus ſucceſſore, etſi deciſio fuerit extenſa ab alio.*

26 *In eadem cauſa ſolent dari plures commiſſiones, quæ dicuntur præinſerta, & quæ ſint.*

27 *Dies juridici in Rota qui fuerint, quique hodie ſint.*

28 *Rota Martiniana, Cordubenſis, & Urbana unde dicta.*

29 *Informationes ſivè voce, ſivè ſcriptis, quo ordine fiant in Rota, & num. ſeqq.*

30 *Quo maximè tempore Auditores Cauſarum ſtudio incumbere debent.*

31 *Rota quo loci olim, & hodie congregetur.*

32 *Rota qua hora congregetur, & quanto tempore duret.*

33 *Quot cauſæ à quolibet Auditore proponi poſſint, & de munere Auditoris Ponentis, & an hic votare poſſit in paritate votorum.*

34 *Ponens habet votum in cauſis extra Rotam, in quibus Rotæ votum exquiritur.*

Votum Rotæ quatenus ſit exquirendum, & ſequendum ab aliis Judicibus, & Sacris Congregationibus. Ibid.

35 *Votum Rotæ exquiri ſolet à Principibus, & Judicibus exteris.*

36 *Ponens in cauſis Commiſſariis, vel in quibus eſt arbiter, habet votum, ſed exquirere debet votum Coadjutorum Correſponſalium.*

37 *Item votat, dum à Papa deputatur Conſultor in cauſis Capitolinis, & quatenus in his procedat.*

38 *Data paritate votorum in Rota, accerſuntur alii Auditores, & quandoque votant omnes.*

39 *Rotæ Auditores quot olim fuerint, quotque ſint hodie, ubi quod in Rota ſit triplex inſtantia correſpondens triplici turno.*

40 *Dum ex uno turno appellatur ad alium, ſi ob obitum alicujus Auditoris contingat mutari turnum, quomodo conſulendum.*

41 *Propoſitio cauſarum in Rota quo ordine fiat ab Auditoribus.*

42 *Auditores in die juridico vacare non debent obſequiis Cardinalium.*

43 *Quatenus miniſtrent Capellæ Pontificiæ, ſi hæc contingat in vigilia Rotæ.*

44 *Iidem Auditores, eorumque Notarii quatenus à litigantibus emolumentum aliquod recipere prohibentur, aut permittuntur.*

Auditores, eorumque in ſtudiis Adjutores jurant, & ſervare debent ſecretum. Ib.

45 *Auditores prohibentur per ſe, vel per alium præſtare conſilium in cauſis pendentibus, vel introducendis in Rota, & quid in cauſis ſuis, vel ſuorum.*

46 *Judex patrocinari in gradu appellationis poteſt cauſam, in qua judicavit.*

47 *Advocatus prohibetur eſſe Judex in cauſa, quam patrocinatus fuit.*

Idque ſervant Auditores Rotæ, etiam in cauſis, quas ex ſtylo in ingreſſu defendunt. Ib.

48 *Quid ſi adſit tacitus, aut expreſſus litigantium conſenſus.*

49 *Recuſatio Judicis, uti ſuſpecti, inducta eſt favore litigantium.*

Partes de conſenſu validè litigant coram Judice ſuſpecto, etiam ſi illum recuſaverint. Ibid.

50 *Judex recuſatur uti ſuſpectus in cauſa, quam patrocinatus fuit, & in quacumque alia ab illa dependente.*

Cauſa reputatur in judiciis idem cum ejus annexis, & connexis. Ibid.

51 *Advocatus non prohibetur eſſe Judex in alia cauſa conſimili.*

52 *Itemque in cauſa ſui Clientis, quam non patrocinavit.*

53 *Judex non poteſt eſſe in cauſa, in qua conſilium dedit.*

54 *Item nec Arbiter, Aſſeſſor, Procurator, Solicitator, Mediator.*

55 *Judex, qui libro typis edito ſuam ſuper aliquo articulo docuit ſententiam, non poteſt recuſari ſuſpectus in cauſa, in qua de eodem articulo diſceptetur.*

56 *Ponens, ſeu Relator cauſæ recuſari uti ſuſpectus poteſt ex iiſdem cauſis.*

57 *Limita in Auditoribus Sac. Rotæ, & qua ratione.*

58 *Auditor Rotæ poteſt in gradu appellationis judicare in cauſa, in qua judicaverat, dum erat Judex inferior, & nu. ſeqq.*

59 *Judex à quo fuit appellatum, debet eſſe diverſus à Judice appellationis, & qua ratione.*

60 *An*

Digitized by Google

60 *An poſſit recuſari Judex ex eo, quod aliàs judicavit in cauſa ſimili.*
61 *Honeſtum eſt, ut Judex ad quem abſtineat à cauſa, in qua judicavit, ut judex inferior.*
62 *Contrarium dicitur eſſe veriùs, rigore juris inſpecto.*
63 *Rota in hoc ſequitur juris rigorem, & qua ratione.*
64 *Auditores Rotæ non habent votum in cauſis ſuis, vel ſuorum uſque ad tertium gradum, nec in cauſis Dominorum, familiarum, & Eccleſiarum ſuarum.*
65 *Et omninò iſtæ cauſæ in Rota cognoſci non debent.*
66 *Tribunal Collegiale non allegatur ſuſpectum ex ſuſpicione unius de Collegio, etiam ſi eſſet caput Collegii.*
67 *Contrarium practicatur in Rota ex certis cauſis, & qua ratione.*
68 *Obſervantia contraria vis quid quoad hoc operetur, & an adſit, & quid ſi pars ſe opponat.*
69 *In cauſis conjunctorum in tertio, & quarto gradu non recuſari poteſt tota Rota, prout aliàs ſi adſit conſenſus litigantium.*
70 *Partes etiam in his caſibus declinare non facilè ſolent judicium Sacræ Rotæ.*
71 *De aliis in hac Conſtitutione contentis. Remiſſivè.*

IN hac Conſtitutione plura Joannes præſcripſit, tam
1 quoad perſonas Auditorum, ſecretum, locum, feſta,
aliaque ſervanda, quàm quoad Notarios eorumdem,
præſertim quoad iſtorum emolumenta; ſed in
his adſunt reformationes Pauli V. *Conſt. 71. tit. 5. to.
3. bull.* & etiam Innocentii XII. de quibus ſuo loco.
Quoad Auditores verò, cùm aliæ adſint Conſtitutiones
ſubſequentes quoad qualitates, modum ingreſſus, privilegia,
ac ſtylos ſervandos, ideò juxta morem plura
dicam in hoc Commentario, aliaque ad cœtera remittam.

Proſequendo igitur, quantum fas erit, ordinem hu-
2 juſmet Bullæ, elicitur ex §. primo illius, quòd Auditores
deferant Cappam, atque Rocchettum in loco,
ubi reſidet Curia, hocque jure etiam in præſenti utuntur,
dum dicta honorifica indumenta non ſolùm in
Capella, ſed in Rota juxta diſpoſitionem hujus Conſtitutionis
deferunt; ſatis enim id congruum fuit, ut
dum actu Judices conſident jus dicentes, non quidem
habitum proprium deferant, ſed perſona privata exuti
novos repræſentent homines, Magiſtratus inſignibus
induti. Idque etiam indulſit, ac ſtatuit ſanctæ memoriæ
Innocentius XII. Votantibus Signaturæ Juſtitiæ, dum
ego inter illos eram, ſolent autem ratione æſtivorum
calorum Auditores cappis in Rota exui, & Votantes
prædictis in Congregationibus æſtivis, uti tantùm Mantelletta,
& Rocchetto. In Capella Pontificia, ut dixi,
Auditores utuntur eadem Cappa, & Rocchetto,
exceptis aliquibus functionibus Papalibus, quibus utun-
3 tur Rocchetto, & Cotta; ſedentque ſub Throno Pontificio
ante quæcumque Tribunalia, nempè Cameram,
Signaturam, & Abbreviatores, iiſque omnibus
præcedunt in quocumque loco; poſtponuntur tamen
Gubernatori Urbis, Auditori Cameræ, Theſaurario,
Epiſcopis, & Prothonotariis Apoſtolicis. Re-
4 tinent rursùs in pluribus antiquæ Inſtitutionis munus,
Capellanorum nempè Summi Pontificis; dum
ita à Papa nuncupantur, & Decanus mitram, ſeù Triregnum
tenet in dicta Capella; ultimus eorum Crucem
ante Papam defert, dum pontificaliter ad Capellas,
vel Proceſſiones procedit, imò in functionibus ſpecialibus,
in quibus Papa celebrat, habitu Subdiaconali
inductus incedit, etſi Subdiaconus non ſit, ac Bullam
in Cœna Domini in Feria 5. Hebdomadæ majoris le-
5 git, ac Epiſtolas canit, dum Papa celebrat; Hinc etſi
acris controverſia fuerit olim cum Clericis Cameræ Apoſtolicæ
circa præcedentiam, tamen cùm ex Reformatione
Capellæ ſub Alexandro VII. Rotæ Auditoribus,
Subdiaconi munus fuerit addictum, illos præcedunt
majori ratione, & ex tunc Magiſter S. Palatii Ordinis
Prædicatorum, qui ſedebat poſt Decanum Rotæ,
nunc ſedet poſt ultimum Rotæ Auditorem; & ſub en- 6
dem Alexandro obtinuerunt per Breve habitum violacei
coloris, dum priùs nigro utebantur, ut ſervant Prælati
Referendarii, dum Prælaturam ingrediuntur abſque
aliquo officio, deferuntque in pileo ſignum, ſeù Cordoneum
violaceum, quo diſtinguuntur à cœteris Prælatis
habentibus uſum veſtium ejuſdem coloris. Hinc inolevit,
ut color niger, qui erat tunc æſtimabilis in ſphæra
Prælaturæ, cùm eo utebantur iſti Auditores, & etiam
Locumtenentes A. C. ut vidi ſemper geſtari per
Cardinales Cavallerinum, & Thauruſium, dum hoc munere
fungerentur, nunc reperiatur reſtrictus ad Prælatos
recentiores, qui ut plurimum affectare ſolent aliquas
Ponentias in Congregationibus Cardinalium pro obtinendo
colore Violaceo, & verè ut conſervetur antiquus
ille mos Prælaturæ nigri coloris, ſatis eſſet congruum,
ut retineatur apud aliquos. Utuntur rursùs
Auditores Rotæ in cæteris functionibus extra Capel- 7
lam, & Rotam Rocchetto, & Mantelletta, dum ſcilicèt
in publicis, & ſolemnibus comitatibus, S. R. E.
Cardinales proſequuntur; cœterùm per Urbem incedunt
cum Mantelletta tantùm. Nuperrimè autem
tempore ſa. me. Innocentii XII. cum Rocchetto etiam
procedunt è domo, dum ad Capellas, & Rotam accedunt
in curribus; idque evenit poſtquam dictus Papa
conceſſit uſum Rocchetti in publicis functionibus
Votantibus Signaturæ Gratiæ, & Juſtitiæ, ut ab his diſtinguantur
Auditores, freti forſan verbis ampliſſimis
eorum privilegii deferendi Rocchetum, regiſtrati apud
Tanagl. *de Sac. Rota Auditor cap. 1. num. 12.* ibi: *Ubique
locorum in quibuslibet Conciliis, etiam univerſalibus,
in præſentia Pontificis, Imperatoris, Regum, &c.*
& generaliter ubique coram quibuſcumque, & quovis
tempore Rocchettum palam deferre; & notavit D. Anſald.
cit. num. 39.

Auditores etiam Rotæ ultra prædicta munera, ſolent
habere locum in pluribus Congregationibus. Hinc De- 8
canus intervenit confectioni Regularum Cancellariæ
poſt electionem novi Pontificis, atque ſolet eligi Regens
Pœnitentiariæ à Papa, & quandoque alter, ut
fuit Eminentiſſimus Caprara non Decanus. In Congregatione
Rituum interveniunt tres antiquiores Auditores
pro cauſis Canonizationum; In Congregatione
Immunitatis Eccleſiaſticæ unus, uti Prælatus Ponens;
in illa Fabricæ S. Petri alter juxta voluntatem Papæ;
prout etiam alter eligi ſolet Datarius, & tali munere
utitur apud Legatos à Latere. Prout in Congregatione
Supremæ Inquiſitionis ſolet eſſe Decanus unus ex
Conſultoribus, qualis hodie eſt Dom. Molines, ſed cum
fuerit in Conſultorem electus D. Spinola Præceptor S.
Spiritus in Saxia, orta fuit controverſia, quis eorum
præcederet, eò præſertim cùm tales Præceptores non
ſolerent in dicta Congregatione conſedere, & ſic non
reperiebatur praxis aliàs ſervata; ſed dominus Molines
voluntariè non accedente ad Congregationem, alter
pacificè conſidet, ut vidi ſervatum, dum in eodem
S. Tribunalis Conſultoris munere etiam fungor.

Proſequitur hæc Conſtitutio §. 2. quòd præfati Auditores
ſint diligentes in audiendis, & decidendis cauſis
ſibi commiſſis, & committendis. Hinc elicitur praxis,
& uſus commiſſionum cauſarum ſingularum in
hoc Tribunali Rotæ, in quo non practicantur libelli,
cùm Commiſſio in qualibet cauſa habeat vim libelli;
quæ commiſſiones continent ſupplicationem, ſeù petitionem,
quæ fit Papæ, nempè *Beatiſſime Pater, &c.*
prout in Sacro Concilio Neapolitano fit Regi, & expreſſo
tenore petitionis actoris, remedia ſibi proficua
intentat, & Clauſulas ſalutares apponit, & in fine
Commiſſionis cauſa committitur verbis ſignatis à
Præfecto Signaturæ Juſtitiæ, qui ſcribit de mandato
Papæ, nomenque Auditoris ponitur per Regentem
Cancellariæ; ibi: *Audiat Magiſter N.* nominando aliquem
ex Auditoribus, cui cauſa committatur; In Sacro
tamen Conſilio Neapolitano commiſſio fit à Præſidente
illius, Card. de Luca *cit. diſc. 32. num. 10.*

Hinc ex tali modo procedendi præviis Commiſſioni-
10 bus, & abſque libellis, quod congruit Judicibus Com-
miſſariis, & non ordinariis inſurrexit olim acris con-
troverſia, qualis ſit Juriſdictio Rotæ, ejuſque Audito-
rum, ordinaria ſcilicèt, vel delegata, particularis,
vel communis; Nonnulli etenim exiſtimarunt illam eſ-
ſe ordinariam, quia Auditores Rotæ in cauſis in ea in-
troductis habent, & exercent omnes facultates tam-
quam ordinarii, præſertim ſtantibus Conſtitutionibus
Pii IV. & Pauli V. & ſic unica Commiſſio ſufficit in
qualibet inſtantia abſque alia executoriali, ut requiritur
in aliis Judicibus Commiſſariis Romanæ Curiæ Cardi-
nal de Luca *cit. num.* 2. Rota *deciſ.* 1533. *la* 2. *num.*
56. *&* 63. *cum ſeqq.* Alii verò cenſuerunt, Juriſdictio-
nem illorum eſſe delegatam, utì non cohærentem ter-
ritorio, vel perſonis, ſed attributam de die in diem
ſingulis Auditoribus per ſpeciales Commiſſiones in cer-
tis cauſis à Papa obtentis; Prævaluit tamen inter tales
11 opiniones, diſtinctio, ut totum Tribunal in univerſum
Juriſdictionem habeat ordinariam, habituali tali Juriſ-
dictione etiam apud ſingulos exiſtente; ſinguli autem
Auditores dicuntur delegati actu in certa cauſa, ſicque
in procedendo, & cognoſcendo veri Judices ordinarii di-
cantur, ſed in pronunciando, ac ſententiando delega-
ti, ut poſt Clem. *Auditor de reſcript.* docuerunt DD.
adducti apud Tanagl. *de Audit. Rot. cap.* 2. *num.* 29.
cum ſequentibus, Martam *cit. cap.* 2. *num.* 25. Card. de
Luca *cit. num.* 5. Rovit. *in rubr. de off. Sac. Conſilii*,
Buratt. *deciſ.* 818. ubi Add. Mohedan. *deciſ.* 7. *num.*
6. *de teſtib.* Coccin. *deciſ.* 1533. *la* 2. *num.* 51. *cum
pluribus ſeqq. & annot.* 149. *num.* 4. cum Rota repræ-
ſentet ipſam Capellam, & aulam Pontificiam, & ſic
plenam habeat Juriſdictionem, & Auditores ab initio
poſſeſſionis obtinent facultatem judicandi in omnibus
cauſis, & ſic verè habitu dicuntur Judices ordinarii, li-
cèt in qualibet cauſa, ut in actu exercito talis Juriſdi-
ctio explicetur, requirantur Commiſſiones, quæ potiùs
juriſdictionem excitant, & important diſtributionem
cauſarum inter Auditores, ut apud Marcheſan. *de com-
miſſ. par.* 1. *cap.* 3. *de commiſſ. in particul. num.* 145.
& par. 3. *cap.* 2. *§.* 2. *de commiſſ. jact. jact. nu.* 58 *&*
benè ait Rota *deciſ.* 16. *num.* 4. *part.* 4. *diverſ.* nam
aliàs maxima oriretur confuſio, ſi omnes procedere va-
lerent in eadem cauſa, & proinde commiſſio excitat Ju-
riſdictionem in ſingulis, qui eam habitu habent, plu-
raque ad rem benè ponderat, ac reſpondet objectis,
Marta *cit. cap.* 2. *num.* 37. *& ſequentibus*.

Ex qua diſtinctione firmata plures inſurgunt ſtyli,
12 qui in ſimplici ordinario, vel delegato nequirent habe-
re locum; hinc poſt obitum Auditoris, cui fuit dire-
cta prima commiſſio in cauſa, à Decano Rotæ ſubro-
gatur alter Auditor, abſque Commiſſione procedens in
cauſa etiam quoad ſententiam, prout fit in abſentia,
vel in caſu promotionis, quod non congruit qualitati
Judicis Commiſſarii, Rot. *in cit. deciſ.* 16. *nu.* 4. Ita
unus Auditor poteſt ſubſcribere ſententias nomine alte-
rius, etiam ſine alia citatione, Rota *deciſ.* 91. *num.*
36. *& ſeq. par.* 6. *rec. & poſt* Poſth. *de manut. deciſ.*
50. *num.* 2. Dunozz. Jun. *deciſ.* 711. *num.* 1. *&* 2. *&
deciſ.* 177. *num.* 4. *coram Emerix Jun.* quod provenire
etiam dicendum eſt, quia omnes Auditores parem Ju-
riſdictionem habent, cùm enim plures ſunt Judices
paris Juriſdictionis, unus pro aliis abſentibus, vel im-
peditis ſententias ſubſcribere poteſt, ex latè deductis à
Bayo *qu.* 101. *numer.* 5. Sed numquid validè proce-
datur coram uno, quando commiſſa eſt cauſa altera
13 Auditori, & negativè reſpondet Rota *cor. Mohedano
deciſ.* 7. *de teſtib.* Contrarium tamen videtur ſentire
eadem Rota *in deciſ.* 369. *n.* 2. *cor. Ludoviſio*, *& de-
ciſ.* 470. *lib.* 2. *& deciſ.* 240. *lib.* 3. *coram Puteo*, *&
deciſ.* 16. *n.* 4. *par.* 4. *div.* Cavaler. *deciſ.* 33. *num. fin.*
Sed diſtinctionis fœdere ſunt prædicta concilianda; aut
enim agitur de facto coram alio Authore abſque cauſa,
& parte reluctante, & actus non valet, ut erat caſus
in *cit. deciſ. coram Mohedano*, quia ibi fuit declaratum
14 nullum examen teſtium factum coram alio Auditore,
utì Judice incompetente, ſtante commiſſione cauſæ ipſi
non facta, ſed alteri, & pars oppoſuit, ac agebatur de
teſtibus, qui potuerant denuò examinari coram Audi-
tore, cui cauſa erat commiſſa, ubi additur, quòd ex
æquitate tantùm permittitur ſuſtineri examen factum
coram alio Auditore quoad teſtes, qui non valerent
amplius examinari, utì præmortui, vel longè abſentes.
At ſi agatur concurrente aliqua cauſa, vel parte non re-
luctante, & protogante Juriſdictionem alterius Audito-
ris, quod utique facere poteſt, cùm habitualiter om-
nes habeant eamdem Juriſdictionem, & tunc valebit
actus factus coram alio, ut diſtinxit Rota explicando
contrarias deciſiones in *deciſ.* 369. *coram Ludoviſio*,
deciſ. cit. 33. *num. fin. coram Cavaler. Coccin. annot.*
149. *per tot. & deciſ.* 1791. *num.* 5. *& ſequent. deciſ.*
818. *num.* 2. ubi Adden. *coram Buratto*, *& in cit. dec.*
177. *num.* 6. *coram Emerix Jun.* ubi quòd ſolet etiam
Rota declarare, ad quem ſpectet cauſa, ſed recurritur
quoque ad Signaturam Juſtitiæ, quæ competentiam
Judicum definire ſolet. Ita ex dicta qualitate ordina-
riæ habitualis Juriſdictionis, ſi moriatur Auditor, vel 15
ad Cardinalatum promoveatur, Judex deputatus ab eo
pro examinandis teſtibus poteſt procedere; quia Juriſ-
dictio deputantis non dicitur extincta, cùm remanſe-
rit penès Tribunal, & Coadjutores, Rota *deciſ.* 16. *n.*
4. *par.* 4. *diver.* Alia etiam urgent quoad iſtos Audi-
tores, quæ competunt Juridici delegato, nam poſtquam 16
ſententiam protulerint, nequeunt ampliùs ſe intromit-
tere, cùm dicantur delegati in pronunciando, & ſic
ſivè ritè, ſivè malè pronunciaverint, functi dicuntur
officio, ut de quocumque delegato ſunt *Textus in l.
Judex poſteaquam ff. de re jud. & in leg. ſicut proponis
C. quomodo & quando Judex*, *cap. in litteris*, *& cap.
Venerabili de off. Jud. deleg.* & in terminis S. Rotæ Au-
ditorum, Rota *cit. dec.* 177. *num.* 1. *coram Emerix
Jun.* quod tamen procedere addit, ſi agatur in vim e-
juſdem Commiſſionis, nam ſi ſuperveniat alia Commiſ-
ſio cum Clauſula *quam*, *& quas*, *incidentibus*, *& e-
mergentibus*, tunc poterit quidem iterum pronunciari
ſuper annexis, & connexis.

Pariter ex eadem natura delegationis quoad ſingu-
los in certis cauſis, ſtatim ac Papa moritur, ceſſat eo- 17
rum juriſdictio, & Rota ſilet, cùm expiret ejus juriſdi-
ctio per mortem Papæ delegantis, Scaccia *de appell. l.*
3. *cap.* 2. *qu.* 8. *numer.* 160. *verſ. contra*, *& numer.*
162. Rota *deciſ.* 743. *numer.* 2. *coram Buratto*, quod
non eſt in Judicibus ordinariis Urbis; hinc ſtatim ac
Papæ obitus innotuit per ſonum Campanæ Capitoli-
næ, quæ juxtà morem pulſari ſolet, dum Papa expi-
rat, quod evenit die 9. Decembris 1669. cùm Rota
jam erat congregata, & lectum erat primum memo-
riale, ceſſavit proceſſus ad ulteriorem diſcuſſionem 18
cauſarum, ut teſtatur Emerix Junior *in deciſ.* 18. *in ini-
tio*, ſed poſteà repertum fuit contrarium fuiſſe ſerva-
tum in obitu Leonis XI. apud *Coccin. in annot.* 48. *lib.*
1. *deciſ.* & in obitu Urbani VIII. apud Card. Cerrum,
ut teſtatur idem *Emerix ibid.* nam continuata fuit Rota
uſque ad expeditionem cauſarum proponendarum, & de
utroque ſtylo innuit D. Anſald. *in præfat. ad ejus deciſ.
n.* 51. & verè æquior videtur ſtylus, ut continuet Ro-
ta, tum quia actus inceptus legitimè debet proſequi, tum
fortiùs quia talis diſcuſſio cauſarum eſt actus potiùs
extrajudicialis, dum ſententiæ, & alii actus hujuſmodi
in Rota non emanant, & durum eſſet, quòd poſt in-
formationes diſtributas tanto partium diſpendio protra-
hatur reſolutio.

Sed numquid tempore Sedis Vacantis poſſit Audi-
tor reſpondere de Apoſtolis, in quo Rota *dec. cit.* 743. 19
n. 3. *coram Buratto*, dubitativè loquitur, & tantùm
firmat, quod ſi ſuperveniat novi Pontificis creatio an-
te finem termini juris, debet appellans redire pro A-
poſtolis; hinc ſi fuerit inceptus terminus, currit etiam
die feriato, cùm ſit continuus, dummodò in fine ip-
ſius termini copia ſit Judicis, Rota *deciſ.* 40. *n.* 3. *&
ſeq. & deciſ.* 94. *n.* 1. *& ſeq. coram Othobono*, qui di-
cit poſſe denegari Apoſtolos, vel concedi etiam die
feriato ſolemni, ſed id procedit in Judice habente
juriſdictionem, ut erat in dicto caſu A. C. qui con-
tinuat

Digitized by Google

tinuat exercere Juriſdictionem Sede Vacante, ſecùs
20 autem in Rota. Commiſſio autem quatenus ſit præſen-
tata Auditori, facit præventionem in cauſa quoad Au-
ditorem prædictum; nam licèt de jure communi re-
quiratur pro præventione citatio, & quidem legitima.
Veſtr. *in praxi lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 1. Mandoſ. *in pra-
xi Signat. Juſt. Comm. Audit. qui prævenit verſ.* 3. ta-
men in Rota ſpeciali jure cautum eſt, & in praxi ſer-
vatur, ut per ſolam præſentationem commiſſionis in-
ducatur præventio inter Auditores ex *Conſtit.* Marti-
ni V. *la* 3. §. 19. & *la* 5. §. 4. & Innocentii VIII. *Conſtit.*
10. Capuccius *in praxi tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 2. *n.* 55. Ro-
ta *deciſ.* 1. *de Conſtit. in antiquis*, ubi ita fuiſſe de-
mandatum à Vicecancellario uſque ab anno 1375. Coc-
cio. *tom.* 1. *deciſ. notab.* 258. *num.* 21. & priùs *notab.*
32. *num.* 2. & latè *deciſ.* 2088. *num.* 3. *cum ſeqq.* &
deciſ. 289. *num.* 2. *par.* 6. *recent.* ſi tamen agatur in-
21 ter Auditorem, & alios Judices extraneos à Rota, at-
tenditur præventio juxta jus commune per citationem,
Veſtr. *cit. loco*, & *deciſ. cit.* 289. *num.* 3. *par.* 6. *recent.*
& *cit. deciſ.* 2088. *num.* 5. *coram Coccin.* prout poterit
procedi coram alio Auditore in vim commiſſionis po-
ſterioris præſentatæ in præjudicium primi, ſi pars con-
ſenſerit, vel ſi prima commiſſio adhuc incapſata non
fuerit, ſed tantùm præſentata in banco Curſorum,
nam poſſet lacerari, & habere locum ſecunda incapſa-
ta, Coccin. *cit. annot.* 32. *num.* 3. & *ſequent.* & *annot.*
258. *in fin.*

Ultra commiſſionem in initio cujuſcumque cauſæ
22 neceſſariam, directam certo Auditori, plures aliæ ſo-
lent impetrari commiſſiones, nempè generalis omnium
cauſarum Auditoris abſentis, vel promoti, aut renun-
ciantis, per quam ſubrogantur omnes Auditores, ſeù
Locumtenentes in Rota exiſtentes, juxtà formulam re-
giſtratam apud Coccin. *cit. annot.* 258. *n.* 1. *cum ſeqq.*
in vim cujus Decanus Rotæ diſtribuit cauſas prædictas,
retinendo aliquas pro ſe, & talis ſubrogatus Auditor
ſententias profert, ac alia acta facit ſine alia commiſ-
ſione, Coccin. *deciſ.* 1533. *n.* 51. *cum ſeqq.* ita ut ſi
23 cauſa aliqua fuerit diſtributa certo Auditori, nequit per
aliam commiſſionem ſpecialem, quæ obtineri poteſt in
certa cauſa pro ſubrogatione alterius Auditoris, avoca-
ri cauſa ab eo, qui fuit deputatus à Decano in vim com-
miſſionis generalis; ſi autem ſubrogatio ſpecialis fuiſſet
anterior dicta deputatione, debet attendi, & dicta
commiſſio generalis habet clauſulam, quoad ſententias
non ſubſcriptas, & proindè poterit ſubrogatus ſubſcri-
bere ſententias in cauſis, in quibus Auditor defunctus,
vel abſens, ſeù promotus tenuerit terminum pro ſer-
vato, prout facit etiam Decanus, cujus ſubſcriptio eſt
hujuſmodi: *Ita pronunciavit N. Auditor*, & *ego N.
Decanus ſubſcripſi*, *Vel ita pronunciavit N. b. m. N.
Rotæ Auditor*, & *ego N. Decanus ſubſcripſi*. Si autem
Auditor primus redeat, tunc reaſſumit omnes cauſas
abſque alia commiſſione, Caſſador. *deciſ.* 2. *in fine de
reſcript.* ſed de ſtylo non ſolet reaſſumere eas cauſas,
in quibus fuit diſputatum dubium coram ſubrogato,
Coccin. *cit. annot.* 258. *num.* 12. & priùs *annot.* 34.
24 Alia etiam generalis commiſſio ſubrogatoria obtinetur
in perſonam novi Auditoris in cauſis omnibus ſui An-
teceſſoris, de quibus meminerunt citati Auctores, &
in vim cujus ſucceſſor reaſſumit quaſcumque cauſas,
in quibus alter fuit ſubrogatus ſpeciali commiſſione,
vel prævia generali per deputationem Decani, dummo-
dò non diſputatas, ut ſupra dixi quoad redeuntes Au-
ditores; & in terminis hujus ſtyli, ut non reaſſuman-
25 tur illæ, in quibus non fuit dubium diſputatum, occur-
rit inquirere, eveniente obitu Auditoris, qui non ex-
tendit deciſionem in cauſa jam coram ipſo reſoluta, quæ-
que deciſio unde fuerit extenſa ab alio Auditore ſubro-
gato, an ſucceſſor talem cauſam reaſſumat; & dictum
fuit affirmativè apud Coccin. *annot.* 153. quia ceſſat ra-
tionalis ſtyli, ut non reaſſumantur cauſæ jam diſputa-
tæ, nempè ex eo quòd jam tales correſponſales ſint in-
formati, & partes gravarentur expenſis, ſi alios Po-
nentem, & Votantes inſtruere cogerentur, Hinc no-
vus Auditor indiget dicta commiſſione generali, ut

habent cauſas ſui loci; ſeù ſedis, nam ſemper aliquæ
cauſæ committuntur pro loco; ſcilicet N. Auditori uti
ſubrogato N. abſenti, vel N. defuncto; ut ita ſemper
locus certus certas habeat cauſas. Sunt quoque aliæ 26
commiſſiones plures eidem Auditori directæ in eadem
cauſa, quæ præinſertæ dicuntur, ut ſcilicet quod pro-
cedat Rota executivè, & cum facultatibus A. C. quod
ſolet communicari pro certis caſibus à Signatura Juſti-
tiæ, vel ſi agatur de ſupplenda, vel reformanda pri-
ma commiſſione, vel quando Papa unit cauſas per Si-
gnaturam Gratiæ, vel Juſtitiæ, aut ob aliud incidens
ſubminiſtrationis expenſarum, ſeù alimentorum; & olim
per ſpecialem commiſſionem communicabantur facul-
tates procedendi per edictum, & diligentias, quod
nunc generaliter Tribunali eſt communicatum ex *Bulla*
44. Pii IV. & notat Veſtr. *in praxi lib.* 4. *c.* 2. & *lib.*
1. *cap.* 3. prout ſolet expediri commiſſio pro expe-
dienda cauſa tempore feriarum æſtivarum.

Convenire Rotæ Auditores debere quolibet die juri-
dico ad cauſas decidendas, præſcriptum fuit in hac Con- 27
ſtitutione per Jo: Papam §. 3. ubi quoque injungitur, ut
fiat Rota in Palatio bona hora, & immediatè poſt Cam-
panam, quæ pulſatur in Cathedrali Eccleſia, ſcilicet A-
venionis, nec à Palatio diſcedant, niſi partibus ſatisfa-
ctum fuerit ſuis terminis. Hæc tamen immutata fuere
in pluribus; nam in præſenti dies juridici Rotales ſunt
tantùm tres, dummodò non feriati, vel feriis, vel fe-
ſtis, nempè dies Lunæ, Mercurii, & Veneris, & in
his diebus olim Rota erat, & actus quicumque juridici
explebantur; nunc verò etiam in illis actus ſunt juridi-
ci, nempè Judiciales ſententiarum, decretorum, alio-
rumque, qui actus non fiunt in Rota, ſed in domo cu-
juslibet Auditoris, & apud acta Notariorum, & extra
dictos dies actus ſunt nulli, prout ſervatur in omnibus
cauſis Commiſſariis, etiam extra Rotam. Rota verò
decreſcentibus cauſis congregatur tantùm duobus die- 28
bus hebdomadæ, nempè Lunæ, & Veneris; ſed impe-
dito alterutro ob aliquod feſtum, fit die Mercurii, quo
etiam impedito fit die Sabbato, quæ dicitur Rota Mar-
tiniana, utpotè inſtituta à Martino V. *Conſtit.* 5. §. 31.
prout fit Rota in vigilia Corporis Chriſti, ne hac die
impedita pro generali Proceſſione teneantur Auditores
ſtudio incumbere, & dicitur Rota Cordubenſis, Ro-
dolph. *in praxi par.* 1. *cap.* 13. *num.* 403. & eſt rur-
ſus Rota Urbana inſtituta ab Urbano VIII. die Vene-
ris poſt Cineres, quæ vacabat, D. Anſald. *in ejus add.
ad deciſ.* 25. *in initio.* Hinc quando Rota eſt diebus
Lunæ, & Mercurii, vel diebus Mercurii, & Veneris
dicitur conculcata, quia eodem die Rotæ recipitur in-
formatio poſt prandium pro Rota ſequente, nullo leva-
mine intermedio, & ſic maximis ſtudii conculcatis labo-
ribus, ad quod vitandum, & ut cauſæ maturiùs tempo-
re majori decidantur, paucis ab hinc annis vigilantia
Rever. D. Molines Decani, aliorumque D. Auditorum
in Kalendario dierum Rotæ, fuerunt Rotæ conculcatæ
ferè ſublatæ, prout Martiniana, ſed potiùs in diebus
feſtialibus ex devotione fit Rota, cùm verè dicta actua-
lis congregatio ſit actus extrajudicialis.

Solent itaque in antivigilia Rotæ informari voce per
Procuratores, & Advocatos ſinguli Votantes, & Po- 29
nens; & antecedenti ſero diſtribuuntur informationes
in ſcriptis tàm in jure, quàm in facto, juxtà ſtylum de-
cem circiter annorum, cùm priùs tantùm ſero diei in-
formationis jura in ſcriptis diſtribuerentur, maximo Au-
ditorum labore, pro quo vitando, & fortiùs ut inſtructi
reperirentur in die informationis, fuit tempus antecedens
deſtinatum diſtributioni prædictæ; antiquitùs verò con-
tentabantur Auditores informatione in voce tantùm,
quæ domi fit, quæque verè declamatio dicta in ipſo
Tribunali practicabatur in foro Romano per Tullium,
& nunc ſervatur Venetiis, & in Sacro Concilio Nea-
politano, verè cum maximo damno litigantium ob pro-
tractionem litium inde reſultantem. Die verò antece-
denti Rotæ, qui eſt ejuſdem vigilia, Auditores in-
cumbunt ſtudio cauſarum, curantes à domo non di-
ſcedere, quod facere religioſè debent, nam tempus
illud ſubtrahendum, non eſt ſtudio faciendo quidem

D 3 per

Digitized by Google

per ſe ipſos, Auditoribus ſtudiorum tantùm permiſſis
pro auxilio, non ut principalibus judicantibus; eòque
magis quia vota debent in ſcriptis deferre conſignanda
in Rota Ponenti, & ſic majori ſtudio indigent, vel ſi
ex ingenii velocitate priùs vota expediantur, ſaltem ſe
domi continere debent, ut litigantes ſcandalum non
recipiant, & minùs ægrè ferant ſententias contrarias,
dum judices ſtudioſos aſpiciunt; idque maximè ſervant
hodierni Rotæ Auditores maxima populi gratulatione.
Informatio prædicta in voce fit juxtà ordinem ingreſſus
ad domum Auditoris ſine diſcrimine inter Advocatos;
etiam Conciſtoriales, & Procuratores; recipiuntque
omnes latus ſiniſtrum, certa tamen diſtinctione in mo-
do aſſociandi; ut major, vel minor gradatim detur Ad-
vocatis Conciſtorialibus, & aliis deindè Procuratoribus
de Collegio, ac cœteris extra illud. Scripturæ tamen,
ſeù informationes facti, & juris, & reſponſiones, ex-
ceptis replicationibus, diſtribuuntur tàm Ponenti, &
Votantibus, quàm aliis Auditoribus, & eadem die di-
ſtributiones communicantur facti, & juris ſcripturæ
partibus ad invicem in domo Ponentis.

De mane in die Rotæ olim Auditores conveniebant
31 in Palatio Vaticano, & tempore æſtivo in Eccleſia D.
Mariæ Pacis Canonicorum Regularium; ſed poſteà
Rota habebatur in Palatio Vicecancellarii, ſeù Can-
cellaria, & ſub Pontificatu Urbani VIII. fuit congre-
gari incæpta, ut nunc ſervatur, in Vaticano, ſeù Qui-
rinali; prout Papa ibi degit; & licèt Summi Pontifi-
ces ob aeris temperiem ſolerent reſidere in Quirinali;
tamen f. m. Innocentius XI. per plures menſes in Va-
ticano reſedit, prout D. N. Clemens XI. per ſeptem
anni menſes idem agit, exceptis æſtivis.

Hora Rotæ eſt de mane competens, ut duret per
32 quatuor circiter horas nullo dato ſigno campanæ, ut
fuerat præſcriptum in hac Bulla. Sed cum opera f. m.
Innocentii XII. fuerit erecta Curia Innocentiana in Pa-
latio, olim in loco Montis Citatorii dicto, pro uſu
Tribunalium, in eo quolibet die juridico pulſatur Cam-
pana certa hora, quæ congruenter deſignat tempus e-
tiam Rotæ, in iſtaque permanent Auditores, donec
cauſæ omnes diſcutiantur.

In præſenti certus eſt præfinitus numerus cauſarum
33 in quacumque Rota, nam ſinguli Auditores non am-
pliùs, quàm duas proponere valent, exceptis ultimis
tribus Rotis ante ferias æſtivas, in quibus permittitur
numerus quilibet extra ordinem. Auditor autem pro-
ponens dicitur Ponens, qui omnes actus judiciales ex-
pletos, & ſubſcribit, ac deciſionem extendit, ſed non
habet votum deciſivum; & pronunciat de voto ſuo-
rum Condjutorum, Card. de Luca *cit. diſc.* 32. *in relat.
Rom. Cur. num.* 8. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *in appara-
tu num.* 176. D. Anſald. *cit. præfat. in ejus deciſ. numer.*
22. qui notat aberrare Tanagliam *de Sac. Rota Audi-
torio lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 107. ajentem, Ponentem vo-
tare in paritate votorum, cùm verè id non fiat, imò
tenetur ſequi vota correſponſalium, etiam contra ſui
ſenſum, ut dixit Rota *in Lycien. donationis* 15. *Mar-
tii* 1680. *coram Cara. Taja*, in qua expreſſit, reſolu-
tionem eſſe contra proprium ſenſum. In quacumque
cauſa votant quatuor Auditores, qui dicuntur corre-
ſponſales, & ſunt qui ſedent, & ſubſequuntur Ponenti
in latere ſiniſtro, & ſic ſucceſſivè; hinc tres ſunt Turni
ob numerum 12. Auditorum, qui nunc in Rota ſedere
34 ſolent; Aliquando Ponens etiam habet votum, nempe
ſi agatur de cauſa, quæ agitur extra Rotam, cujus vo-
tum tamen exquiratur, prout fit etiam à Sacr. Con-
gregationibus, vel de mandato Papæ; cum hac diffe-
rentia, quòd in cœteris Judicibus ſolet dici, ut pro-
cedant de voto Rotæ, ac tenentur iſtud ſequi, non
tamen tenentur exquirere, ſi fuerit poſitum in liber-
tate Judicis, vel ſi Judex ſubrogatus nolit requirere
votum, etſi primus Judex voluiſſet; ſi tamen commiſ-
ſio fuiſſet neceſſaria, ut votum exquireret, tàm primus
Judex, quàm ſubrogatus tenetur exquirere, & tenetur
ſequi, ſi fuiſſet voluntarium, & Judex jam petiit, &
votum editum fuit, ut plenè Rota *dec.* 9. *nu.* 2. *& ſeqq.*
poſt Poſth. *de manut.* ubi, quòd arbitrium intelligi de-
bet datum ad ſuſcipiendum votum, ſed ſuſceptum tenetur
ſequi; In Sacris autem Congregationibus, cùm proce-
ditur cum voto Rotæ, eo prolato, cauſa ventilatur in Con-
gregatione, quæ poteſt illud non ſequi, vel de novo pete-
re; prout ſolent partes convenire, ut cauſa decidatur cum
voto Rotæ: imò etiam expeti ſolet ab exteris, & Princi- 35
pibus ob venerationem hujus conſeſſus, prout exquiſivit
votum Dux Parmæ, uti electus Arbiter in cauſa *Bononien.
pradis* 16. *Junii* 1704. *cor. D. Priolo* & apud Marcheſan.
de commiſſ. in praxi commiſ. formula 4. *ver. Auditorio cir-
ca med.* Ita Ponens etiam votat, ſi agatur de cauſa commiſ- 36
ſa illi uti Prælato, quia etiam Auditores de ſtylo in tali
caſu exquirere debent vota Coadjutorum correſponſa-
lium, ut in *Romana Aſſociationis* 13. *Januarii, & 14. Ju-
lii* 1698. *cor. D. Anſaldo, dec.* 24. *&* 60. *ejuſdem*, quæ cau-
ſæ ſic ab Auditoribus acceptantur uti Prælatis, ita ſi ex Au-
ditoribus aliquis eligatur Arbiter, vel Compromiſſarius,
votat, & requirere debet vota correſponſalium, niſi adſit
facultas, ut ſolus procedat, Rota *deciſ.* 564. *n.* 1. *coram
Bichio*. Ita votat, ſi fuerit Conſultor à Papa deputatus in 37
cauſa Capitolina, quippè poteſt tantùm deputari à Papa,
non autem vigore Statuti Urbis, & commiſſio Papæ de-
putans Auditorem in Conſultorem deſervit pro quacumq;
inſtantia, nec debet ſervare ea, quæ ſervat Conſultor de-
putatus in Capitolio, ut latè *Conſtant. ad Statut. Urbis
tom.* 1. *annot,* 56. *n.* 39. *& ſequentibus*, Rota *deciſ.* 1701.
n. 6. *& deciſ.* 1758. *n.* 56. *&* 12. *& ſeq. cor.. Cerrin.* Ali-
quando ob ſervandam votorum paritatem, vel ob cauſæ 38
gravitatem ipſi Auditores demandant, ut cauſa priùs revi-
deatur à quinto, & ſexto in Turno, & deindè per omnes,
quod etiam demandari ſolet à Papa in certis caſibus ſpe-
cialibus, præſertim ubi non adeſt appellatio. Ponens au-
tem etſi non votet, debet informari, & verè deberet in-
ſtrui cauſæ motivis, cùm debeat extendere deciſionem,
cujus motiva ſi non ſubſiſtant, poterit inſinuare ante ex-
tenſionem Correſponſalibus.

Antiquitùs aderat major numerus Auditorum uſque
ad vigeſimum ſecundum, & erant illis majoris, & mi- 39
noris gradus, itaut ab iſtis ad illos appellabatur; ſed nunc
reducto numero ad duodecim per Sixtum IV. *Conſtit.*
2. ut ſuo loco dicam, fit appellatio ab uno Turno ad
alium, & ſic poteſt eſſe in eadem Rota triplex inſtan-
tia. In cauſa omnes Auditores ſunt æquales, ut notat
D. Anſald. *cit. præfat. num.* 6. *& ſequentibus*, poſt Ve-
ſtr. *cit. loco* & Gomeſ. *ad reg. Cancell. qu.* 1. *proemial.
num.* 11. *&* 12. Hinc cùm tres ſint Turni, videntur
in eadem Rota adeſſe tria Tribunalia, in quibus appel-
latio datur, quæque fit in eadem Rota, ſed ad diver-
ſum Turnum, ut benè animadvertit Card. de Luca *cit.
diſc.* 32. *num.* 57. quare agitata cauſa in uno Turno, de-
bet commiſſio in gradu appellationis dirigi Auditori,
qui fuit ultimus votans, ut detur locus votandi novis
omnibus Correſponſalibus, & quotieſcumque aliter fit,
poterit quis recurrere ad Signaturam Juſtitiæ, quæ ſo- 40
let mandare Regenti Cancellariæ, ut deputet alium, ut
reſcriptum fuit in *Romana Fideicommiſſi Mutis de Bu-
balo inter D. Marchionem Santacrucium, & Marchio-
nem Mantaurum*, cùm enim à ſententia lata in Rota *co-
ram Manuel* fuerit obtenta commiſſio directa Card. Cac-
ciæ, cùmque ob ſuperventum obitum Rondanini tres
antiqui correſponſales, qui in prima inſtantia votave-
rant, redibant in Turno, qui mutatur per defectum
alicujus; nam Auditores, qui ſunt poſt locum defecti,
deveniunt ad aliud latus, tunc ad inſtantiam appellan-
tis Signatura reſcripſit *die Sabbati* 16. *Februarii* 1690.
Ponente D. Origo: *Ad D. Regentem pro deputatione
alterius Auditoris*. Simile quoque reſcriptum fuit in
Romana hereditatis ad favorem Marchionis Baldinot-
ti appellantis contra Fauſtinam Magdalenam Tarpi-
gnetam 19. *Januarii* 1696. Ponente D. Sorgardo, ob
mutationem Turni ſecutam per promotionem Cardi-
nalis Cavallerini, & tamen commiſſio prima fuerat
procurata ab ipſo Baldinotto, quotieſcumque enim
res eſt integra, nempè quòd cauſa non fuerit propo-
ſita, debet conſuli parti appellanti, ut habeat novos Ju-
dices, tàm antequam commiſſio fuerit conceſſa, quàm
poſteà, ſi evenerit mutatio Turni, præſertim ſi data

opera

Digitized by Google

opera cauſa fuiſſet protracta, ut proponeretur, ut per
mutationem ſperandam Turni judicent priores Votan-
tes, in qua materia mitiùs debet procedi, cùm nul-
lum præjudicium alteri parti irrogetur, re, ut dixi,
integra.

Propoſitio autem cauſarum in hac Conſtitutione §.
41 9. præſcribitur, ut fiat per antiquiorem, & deindè ſuc-
ceſſivè juxtà ordinem. Verùm ſtylus præſens eſt, ut
in una Rota proponat Decanus, & ſubſequantur Au-
ditores à latere ejus ſiniſtro; in altera Rota proponit
Subdecanus, & ſequuntur Auditores aſſidentes hojus
lateri dextero, ut notat D. Anſald. *cit. loco n.* 8. §. *reti-
netur*, ubi quòd iſte ſtylus forſan inolevit ad indicandam
antiquam duplicitatem ordinis Auditorum primi, &
ſecundi gradus, quod importat iſta viciſſitudinaria
propoſitio; ſed potiùs importare valet æqualitatem,
quæ verè nunc, ex dictis, adeſt inter omnes Audi-
tores.

Injunctum pariter fuit in hac Conſtitutione §. 5. quòd
42 diebus juridicis Auditoribus non liceat incumbere ob-
ſequiis Cardinalium, & quidem optima ratione vaca-
re debent ab hujuſmodi officioſitatibus in præjudicium
dierum ſtudii, quo uti debent in deciſione cauſarum;
hinc Marcellus II. Papa Auditoribus Rotæ ad eum ve-
nientes ſub initio breviſſimi ſui Pontificatus, ita allo-
cutus fuit: *In poſterum domi ſe continere debere, & pa-
rum neceſſario ſalutandi officio omiſſo, muneri ſuo ſtu-
dioſè vacare juſſit*, ut refert Raynald. *ad annum* 1555.
n. 18. & adducta diſpoſitione hujus Bullæ notat D. An-
ſald. *in cit. præfat. n.* 42. & liquet ex quadam relatione
43 manuſcripta facta per clar. mem. Cardinalem Albitium
ſ. m. Innocentio XI. Hinc etiamdum contingit vigilia
Rotæ in die, quo Capella Pontificia habetur, ſolent
tantùm aliqui Auditores diſtributivè accedere; Ad rem
enim, ſicuti par eſt, ut Prælati incumbant hujuſmodi
officioſitatibus in publicis functionibus erga S. R. E. Car-
dinales, utì Senatores ſummos Eccleſiæ, & ut debita
majeſtate videantur; non tamen id fieri debet ab iis,
qui muneri publico vacare debent eodem tempore.

Nihil recipi Papa in hacmet Conſtitutione per Au-
ditores reſcripſit §. 6. neque per ſe, neque per alium
à partibus litigantibus, vel per Notarios, aut alios pro
iiſdem, itaut nec rem, nec obligationem recipiant, vel
promiſſionum, nec etiam pro ſigillo, aut rubricis, ſeù
alio quæſito colore; Abſit enim à tanto Tribunali cor-
ruptio munerum, quæ Judices fœdare ſolent, unde in
oratione, quæ ex antiquo ritu ſolet recitari in initio
cujuſcumque Collegialis Tribunalis, ſeù Congregatio-
nis in Urbe, incipiens *Adſumus Domine*, exoratur,
ut corruptio munerum Judices non trahat, ſeù corrum-
pat; ſolent tamen recipi munera ab iſtis Auditoribus
quædam ſolita pro feſtis Natalitiis Domini Noſtri JE-
SU CHRISTI, & Kal. Auguſti, quæ mittuntur à Prin-
cipibus, aliiſque nota dignis litigantibus, munuſcula
dicta ex quadam antiqua conſuetudine in uniformi,
invariabilique ferè certa quantitate in cæreis, parvis
panibus zaccari, pullis, ſeù vino mitti ſolita, ut de
ſtylo teſtatur Cardinal de Luca *cit. diſc.* 32. *num.* 30.
in relat. Romanæ Curiæ, quæ munuſcula ſolent etiam
mitti Advocatis, & Procuratoribus per litigantes, quæ-
que uti conſueta debent bonificari Agenti cauſarum,
ut dixit Rota *in Bononien. Expenſarum* 18. *Aprilis*
1704. *coram D. Omanna*, de qua memini *tom.* 2. *ad
Conſtit.* 1. Anaſtaſii IV. *ſect.* 3. *n.* 10. *pag.* 36. Quoad
verò prohibita recipi à Notariis, vel quoad ſigilla, &
acta, quæ hodie omnia iſta emolumenta ſunt Principis,
& Notarii cauſa oneroſa, ea exigunt, ac pro regeſtro,
& aliis actis, & præſtant certam ſummam Auditoribus,
quæ ſumma eſt inter emolumenta Auditoratus, alibi
agam, & adſunt etiam propinæ in deciſione cauſarum
ad favorem Auditorum, de quibus omnibus alio loco
dicam.

Rurſus in *cit.* §. 6. Injungitur ſecretum iiſdem Audi-
44 toribus; quod tamen ſtrictiùs demandavit quoad illos,
eorumque Adjutores ſtudiorum, & alios, qui ſolent
cum iis ſtudio incumbere, quique ſolent eſſe unus, vel
aliquando duo, Urbanus VIII. *Conſt.* 310. *tom.* 5. *Bul-
larii*, quam Bullam ſervare jurant ſinguli Auditores in-
ter aliàs in eorum ingreſſu coram Cardinali Vicecancel-
lario, & etiam coram Rota, ut notavit D. Alſald. *cit. n.*
39. & alio loco dicam, ubi per extenſum omnia pro in-
greſſu referam; quodque ſecretum maximè eſt ſervandum,
tum quia ultra perjurium, tàm in hac Bulla Joannis XXII.
quàm Urbani impoſitum, plures pœnæ irrogantur, præ-
ſertim excommunicationis majoris non relaxandæ, niſi à
ſolo Summo Pontifice, quas Bullas jurare quoque debent
in manibus proprii Auditoris ſtudiorum Adjutores, & alii
ut ſupra, ac legitur Bulla quotannis in prima Rota, & de
ſecreto ſervando per Judices, vide latè Petram Genitorem
ad Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis tom. 1. *ritu* 3. *&
tom.* 3. *ritu* 265. *n.* 178. *& ſeq. & tom.* 4. *ritu* 288. *numer.*
30. ubi quòd etiam juratur in Concilio Neapolitano, &
de ſtylo aliorum Tribunalium, & quando Judex propalans
votum poſſit recuſari; ſed de hoc ſecreto redibit ſermo in
dicta Bulla Urbani VIII.

Prohibetur rurſus in hac Conſtitutione Auditoribus,
quòd conſilium non præſtent in cauſis pendentibus in Ro- 45
ta, vel quæ brevi ſperantur exiſtere, nec etiam per inter-
poſitam perſonam, nec patrocinium præſtent, niſi in cau-
ſis propriis, vel ſuorum uſque ad tertium gradum conſan-
guinitatis, vel dominorum, ac familiarum ſuorum, ſeù
Eccleſiarum eorum beneficiorum, in quibus cauſis non
admittuntur ad conſilia Coadjutorum ſuorum.

Ex quo depromitur, Rotæ Auditorem non poſſe
conſilium dare neque publicum, neque privatum in cau-
ſa proximè in Rota introducenda, & ſi dederit, repel-
litur à Voto ferendo, itemque ſi extiterit Advocatus in
cauſa, antequam Auditor eligeretur; quamvis enim Ju-
dex patrocinari valeat cauſam, in qua judicavit, & 46
ſuam ſententiam in caſu appellationis defendere, ut no-
tant DD. penès Barboſ. *in l. quiſquis num.* 12. *C. de
poſtulando*, quibus adde de Marin. *reſol. Jur. lib.* 1. *ca-
pit.* 5. *num.* 4. In Jure tamen prohibitum eſt, Advo-
catum in cauſa, quam patrocinatus fuit, Judicis mu- 47
nus gerere, ex *tex. in cap. poſtremo de appell.* & in *leg.
nemo Cod. de Aſſeſſ.* & maxima quidem ſuadente ra-
tione, *ne affectionis ſuæ, vel advocationis memor, in-
corrupti Judicis non poſſit nomen perferre*: ut ibi ait Im-
perator, & exornando concluſionem firmant idem Bar-
boſa *in cit. leg. quiſquis numer.* 12. Gratian. *diſcept.* 4.
num. 3. *&* 5. ibique de Luca *num.* 6. Merlin. Pignatell.
cent. 2. *cap.* 37. *numer.* 5. *cum ſeqq. & latè* Petra Geni-
tor *ad Ritus Magnæ Curiæ Vic. rit.* 11. *n.* 7. *tom.* 1. *&
rit.* 265. *n.* 151. *cum ſeqq. tom.* 2. Fontanell. *deciſ.* 8. *nu.*
17. Sanfelic. *dec.* 78. *n.* 1. *lib.* 1. & religioſè ſervatur in
Rota, nam Auditor in omnibus cauſis, in quibus ut
Advocatus extitit, imò in cauſa, quam ex ſtylo in in-
greſſu patrocinante fuit, votum non profert, ut notat
D. Anſald. *in præfat. ad ſuas deciſ. num.* 31.

Adeò quidem inviolabilem hujuſmodi concluſionem
dixerunt nonnulli DD. ut neque ex partium conſenſu 48
tacito, vel expreſſo prorogari poſſit Juriſdictio Judi-
cis in cauſa, in qua fuit advocatus, ideòque quam-
vis à Partibus hujuſmodi ſuſpicio non fuiſſet deducta;
attamen ſententia nullitatis vitio ſubjaceret, inter quos
Xamar. *de off. Jud. & Advoc. par.* 2. *quæſt.* 4. *numer.*
54. Mierſ. aliique citati à Fontanell. *in cit. deciſ.* 8. *nu-
mer.* 17. Verùm eorumdem dicta temperanda ſunt, quòd
ſcilicet tantùm procedant, ubi patriæ leges ſic expreſ-
ſè cavent, ut vigent in Regno Neapolis, & in Senatu
Cathalauniæ, referente eodem Genitore meo *loco citat.*
Pignatell. *in cit. cap.* 37. *num.* 13. Rovit. *in prag. de
ſuſpic. Offic. num.* 49. Cæterùm in terminis Juris Com-
munis loquendo, vel quando peculiares Conſtitutiones
ſimpliciter ad ejuſdem corroborationem fuerint ema-
natæ, qualis eſt noſtra Conſtitutio in terminis Rotæ
Auditorum, ſanior videtur ſententia, quòd Advoca-
tus de tacito, vel expreſſo conſenſu Partis, contra
quam advocavit, poſſit eſſe Judex in cauſa, ex Gloſſ.
in cap. dilecto verbo recuſatis de Teſtibus, & Felin. *in
cap. irrefragabili nu.* 4. *de Offic. Ordin.* aliiſque com-
muniter, Pars pro qua patrocinatus eſt contradicere
nequit, & principalem concluſionem multis coacervatis
auctoritatibus, & rationibus latè defendit Portoll,

ad Molin. *verbo Advocat. numer.* 116. *cum ſeqq.* Fontanell. *in deciſ.* 10. *numer.* 10. *cum ſeqq.* De Marin. *citat. cap.* 5. *num.* 7. Thot. *par.* 3. *compend. dec. ſect.* 1. *verbo Advocatus*, Cravett. *conſ.* 199. *per tot.* lex nam-
49 que merum favorem litigantium proſpexit, dum ob cauſas ſuſpicionis Judices uti ſuſpectos recuſari permiſit, ne ſcilicet durè quis coram Judice ſuſpecto litigare cogeretur; unde communis eſt regula, quòd quiſque proprio favori renunciare poſſit, ut in noſtris terminis latiſſimè comprobat Fontanell. *in cit. deciſ.* 10. *à num.* 13. & regulariter quòd non ſolùm Partes poſſint de conſenſu coram ſuſpecto Judice validè litigare, ſed etiam à recuſatione propoſita expreſsè, vel tacitè recedere, comparendo coram eodem Judice, perpetuò tenet Rota *in dec.* 292. *num.* 1. *& deciſ.* 368. *num.* 2. *coram Ludoviſ. & deciſ.* 1057. *coram Seraphin.* & alibi paſſim.

Ampliando verò principalem diſpoſitionem *Tex. in*
50 *cit. cap. poſtremo de appell. & in l. ult. C. de Aſſeſſ.* quòd ſcilicet Advocatus nequeat eſſe Judex in cauſa, in qua patrocinatus fuit, quamvis probabile videatur, quòd dumtaxat procedat in illa eademque cauſa, in qua fuit præſtitum Patrocinium, cùm verba Textus: *in iis cauſis, quarum patrocinium adepti ſunt*: individualitatem præſeferant; attamen hodie ex communi DD. placito, non tantùm ſuſpectus redditur Judex in cauſa, in qua advocavit, verùm etiam in alia quacumque eidem annexa, connexa, vel quocumque modo dependendi, argumento, ſumpto ex *leg. ſi quis verſ. ſi ancillam ff. de except. rei jud. & Gloſſ. recepta in leg. & an eamdem, verbo concurrant ff. eodem* ex quibus deſumitur, annexa, & dependentia interpretativè in Judiciis rem eſſe eamdem cum cauſa principali, & ſimpliciter concluſionem firmant ex theorica Franc. *in cap. poſtremo de appell.* Barb. *in cit. l. quiſquis num.* 22. Pignatell. *cit. controv.* 37. *n.* 11. Gratian. *diſcept.* 4. *n.* 5. & melius *diſcept.* 100. *n.* 26. Petra Genitor *loco cit. n.* 153. *verſ. ſiquidem* Sanfelic. *deciſ.* 78. *n.* 1. *lib.* 1. Graſſ. *de except. except.* 24. *n.* 88. Benè autem conſequitur ex ipſa reſtrictiva præfatorum Jurium, non poſſe recuſari Advoca-
51 tum, Judicem eſſe in cauſa conſimili, ſed omnimodè ſeparata, ut latè firmant Barboſa *ibid.* Sanfelic. *cit. deciſ.* 78. *à n.* 6. *per tot.* Maſtrill. *deciſ.* 151. *num.* 56. De Marin. *cit. cap.* 5. *num.* 3. Franch. *dec.* 87. *n.* 78. Cùm enim Judicum ſuſpiciones odioſæ ſint, *l. Prætor ff. de Juriſdict. omnium Jud.* ideò dum Jus commune in caſu non procedit, niſi reſpectu illius cauſæ, in qua quis fuit Advocatus, non eſt extendendum ad cauſam ſeparatam, & diſtinctam, ut firmat Abbas *in cit. cap. poſtremo de Appell.* Felin. *in cap. irrefragabilis nu.* 4. *de offic. Ordin.* Quamobrem ex dictis Juribus Advocatum
52 non prohiberi eſſe Judicem in cauſa ſui Clientis, quam tamen non patrocinatus fuit, firmat Fontanell. *in cit. dec.* 8. *n.* 12. *cum ſeqq.* quamvis contrarium fuiſſe reſolutum memoret à Senatu ex particulari Conſtitutione illius Regni, & concluſionem comprobat Maranta *in praxi par.* 6. *titul. de appell. num.* 42. ibi: *Advocatus meus in una cauſa, poteſt eſſe Judex in alia cauſa mea penitus ſeparata, & non per hoc poteſt per Adverſarium refutari.*

Eodem quoquè methodo procedendum eſt, loquen-
53 do in terminis noſtræ Conſtitutionis, ubi ait, quòd Auditor Rotæ repellatur à Voto ferendo, ſi in cauſa conſilium publicum, ſeù privatum dederit; Neque enim Conſultor poteſt eſſe Judex in cauſa, in qua conſuluit, eadem militante ratione Textus, ne pro defenſione ſui Conſilii judicaret; quinimo urget major ſuſpicio, cùm conſulens teneatur ex Conſilio, ut ultra Morales Doctores, ex noſtris firmant Bellug. *in Specul. rubr.* 1. *verſ. malos Conſiliarios*, ubi Adden. Proſper. Petra Proavus meus *in annot. ad Capyc. deciſ.* 146. *nu.* 2. & concluſionem adductam probant Gratian. *in cit. deciſ.* 4. *n.* 4. *in dec.* 11. *per tot.* aliique, quos adducit Petra Genitor. *in rit.* 11. *n.* 9. *cum ſeqq. & rit.* 265. *num.* 155. Sanſelic. *in deciſ.* 78. *num.* 2. *&* 3. *lib.* 1. Capyc. *in deciſ.* 146. ubi ratiocinatur idem Proſper Petra Proavus meus *n.* 2. Amendola ad Franch. *deciſ.* 87. *num.* 6. ulterius idem Juris eſſe in Conſultante ſimpliciter minutas, ſeù cautelas contractuum, quòd ſcilicèt ille à munere judicandi in cauſa exinde inſurgenti repellatur, ſæpiùs deciſum refert Prat. *lib.* 3. *diſcept. forenſ. cap.* 47. *n.* 26. & latè proſequitur idem Genitor *loc. cit.* & ita practicatur in Rota, à qua tamen non exeunt, ſed tantùm abſtinent à votando.

Hæc autem, quæ de Advocato, & Conſultore diximus, militare & in Arbitro, in Aſſeſſore, in Procura- 54
tore, in Sollicitatore, in Mediatore; nam in his omnibus eadem militat ratio, & conſequenter pari Jure ſunt meticodi, latè probat, & declarat ſæpelaudatus Genitor meus *in cit. rit.* 11. *à n.* 8. *ad fin. & rit.* 265. *à n.* 155. *ad* 160 *& n.* 186. atque *in rit.* 3. *n.* 14. peregrinam proponit quæſtionem, num Judex, ſi in aliquo Tractatu ty- 55
pis edito, in Juris articulo ſuam fundaverit opinionem, an uti ſuſpectus recuſari poſſit in cauſa, in qua idem erit diſcutiendus articulus, & reſolvit pro negativa, citans Theodor. *alleg.* 87. Galup. *in praxi cap.* 4. *n.* 37. Thor. *in compend. deciſ. verbo ſuſpectus par.* 2. cujus quidem dicti non improbabilem rationem eſſe opinor, quòd ſicuti ex ſola narratione facti Jus in cauſa oritur, *leg. fin. ff. de Jurejuran. l. ſervus C. de condit. & demon.* ita ex facto plerumque, imò ſemper Jus in abſtracto elaboratum moritur, ut dixit Bald. *in conſ.* 292. referente Card. Tuſch. *tom.* 3. *litt. A. concl.* 13. Ideò nulla Judicis conſiderari poteſt affectio, vel alterius ſuſpicionis nota, quia ſententia elicitur ex actis, & Juribus in concreto, & docuerunt Larrea *alleg.* 118. *n.* 10. *& ſeqq.* Giurba *deciſ.* 95. *n.* 2. *& ſeq.* Sabell. *in ſumma lit. I. nu.* 66. *verſ. quod poſſit recuſari.* Hinc in Sac. Rotæ Auditorio, etſi plures adfuerint, qui libros ediderint, in quibus opiniones firmantur, tamen non exinde repelluntur à judicando, & in pluribus judicavit cauſis Cardinalis de Luca, qui tot ediderat libros.

Non eſt prætereundum, quòd regulariter cauſæ, quæ
Judicem ſuſpectum reddunt, eò magis habiles ſunt ad re- 56
pellendum cauſæ Relatorem, ſivè Ponentem, ut probant Faber. *in Cod. lib.* 3. *tit.* 4. *ne quis in cauſa defin.* 3. Mainard. *deciſ.* 9. *lib.* 1. & ſequitur Fontanell. *in deciſ.* 10. *n.* 22. *ad finem*, aſſumendo enim commune inter citatos DD. argumentum, faciliùs ac leviori cauſa removetur Ponens, ſivè Relator ab officio referendi, quàm Judex à judicando, & Conſultor à voto ferendo, cum periculoſiùs ſit enarrationem litis ſuſpecto committere, quaſi quod minoris ſit ſcrupuli aliquod negligere, quod ad victoriam conferat, quàm per ſordes ſententiam ferre; eoque magis, quia Ponentes regulariter votum conſultivum habent in cauſa, cui multum tribui ſolet, ut experientia nos docet.

Verùm in Sacr. Rotæ Auditorio non tantùm faciliùs
Ponens tamquam ſuſpectus non habetur, quinimò ſi con- 57
tingat inter Auditores cooptatum eſſe aliquem, qui Advocati munere in cauſa functus ſit, de ſtylo ſolet idem eligi in Ponentem, ut teſtatur prælaudatus D. Anſald. *loc. cit.* ratio ſiquidem hujuſmodi ſtyli contra communem praxim aliorum Tribunalium dupliciter deſumi poteſt, vel ſcilicèt ex ratione procellentiæ, & notæ integritatis hujus Supremi Auditorii, ut cauſis ſuſpicionis, quæ regulariter in aliis admittuntur, notari nequeat, ut infra latè proſequemur; vel quia Ponens, ſivè Relator, neque votum conſultivum in cauſa profert, quinimò nullam Juris, vel facti informationem in Rota exhibet; ſed meram intitulationem cauſæ proponendo, ſuo muneri ſatisfeciſſe putat, an benè, vel malè, conſule Cardinal de Luca *in Relat. Roman. Cur. diſc.* 32. *num.* 81.

Contra ſtylum pariter, & Juris diſpoſitionem prima
facie videtur, quòd ſi judex tulerit ſententiam, à qua 58
appellatum fuerit, & Sac. Rotæ commiſſa, ſi fortè in eodem Tribunali fuerit cooptatus, iterum poſſit in eadem cauſa judicare, & votum proferre, ſi in ſuo Turno eeciderit, ut de praxi teſtatur D. Anſald. *loco cit. nu.* 33. Judex namque appellationis debet eſſe diverſus ab eo, à quo fuit appellatum, cùm non conveniat, quòd Judex, qui gravavit, de gravamine cognoſcat, ut expreſsè deſumitur ex *leg. eos, qui C. de appell.* & dicit

Muſca-

Muſcatell. *in praxi par. 3. lib. 2. gloſſ. inſtantia num.*
20. duo enim non parum urgent, quod tamquam ſu-
ſpectus in eadem cauſa habeatur; primò quia Judex per
59 appellationem offenſus dicitur, juxta præſumptionem,
quam adducit *tex. in l. unica ff. apud eum ibi: quaſi*
apud offenſum Judicem: cùm appellans, Judicem de
imperitia, vel iniquitate primario redarguat, *l. 1. ff. de*
appell. l. final. Cod. quando provoc. non eſt neceſſe, l.
Præfecti ff. de appell. Secundò & veriùs, Judex in ſe-
cunda, vel ulteriori Inſtantia eamdem cauſam ratione
affectionis contractæ cognoſcere non debet; ſemper
enim præſumitur ipſum primæ ſententiæ favere, neque
dictum ſuum etiam ex novis probationibus velle corri-
gere, ut concluſionem firmant Gratian. *in cit. diſcept.*
4. n. 1. cum ſeqq. Graſ. *de except. except. 24. n.* 88. Petra
Genitor *in ritu 265. n. 183. t. 3. pag.* 112. Maſtrill. *in*
deciſ. 151. num. 61. Viv. deciſ. 363. nu. 6. Et adeò ur-
gens eſt hujuſmodi præſumptio affectionis, ut ſufficiens
ſit ad recuſandum Judicem, qui aliàs judicavit in cau-
ſa ſimili, quaſi quòd abſque inconſtantiæ labe non de-
60 beat diverſimodè in cauſis ſimilibus judicare, & aliis
deductis firmant Menoch. *de arbitr. libr. 2. caſ.* 458.
Rebuff. *in tit. de recuſ. art. 6. n.* 32. Giurba *dec. 99. n.*
12. Maſtrill. *in cit. dec. 151. n.* 59. Sanfelic. *dec.* 78.
num. 4. lib. 1. quàm verò difficiliter hujuſmodi ſuſpi-
cio cum effectu deducatur in praxi, quia non facilè re-
periuntur duæ cauſæ ita ſimiles, ut ex aliqua circum-
ſtantia facti diverſimodè conſiderari debeant, notant
Marchetan. *de commiſſ. par. 2. de ſuſpit. Jud. c. 8. §. 2.*
n. 20. Maſtrill. *in cit. dec. 151. n.* 63.

Propiùs autem deſcendendo ad noſtrum caſum, fir-
61 mant DD. quod nonniſi Partibus conſentientibus Ju-
dex in ulteriori inſtantia ſuum judicatum iterum co-
gnoſcere non debet, etiamſi adeptus fuerit locum Ju-
dicis ad quem, ſed cauſam alteri cognoſcendi delega-
re debet, ita tanè exigente honeſtate, ne ultra conſide-
rationes ſupra relatas, Judex ſit in cauſa propria, dum
proprium judicatum ſuo Judicio iterum ſubjicitur, ut
exemplificando de Epiſcopo, qui poſt latam ſenten-
tiam, & interpoſitam appellationem translatus fuerit
ad Eccleſiam Metropolitanam, firmant Maranta *in pra-*
xi par. 6. tit. de appell. n. 63. Gratian. *in cit. diſcep.*
4. nu. 1. cum ſeqq. Staiban. *reſol. foren. tom. 2. obſerv.*
110. nu. 25. Muſcatel. *in praxi in cit. gloſſ. Inſtantia*
nu. 22. Petra Genitor. *in cit. rit. 265. nu.* 183. Scacc.
de Jud. lib. 3. cap. 2. q. 2. n. 15. Maſtrill. *in dec. 151.*
n. 60. Cæterùm de rigore Juris, & juxta Antiquorum
62 ſententiam, ſi Judex, à quo fuit appellatum, ad Tri-
bunal appellationis fuerit promotus, iterum in cauſa
judicare non prohibetur, & facit optima Gloſſ. *in l.*
Filius ff. de inoffic. Teſt. ver. cum non proprio, ibi:
Quod facit, ut ſi ille, qui tulit ſententiam, ſuccedit
Judici appellationis, poſſit judicare: & concordantes
Textus refert Gloſſ. *in c. querelam 24. de electione ver-*
bo commiſit, ibi: *quod ſi ille à quo appellatur, effici-*
tur ejuſdem Juriſdictionis, cujus eſt ille, ad quem ap-
pellatur; nihilominus poteſt de cauſa cognoſcere, tamen
honeſtius eſt, &c. & latè rationibus hanc ſententiam
tuentur Bart. Bald. & Salyc. *in l. eos qui C. de appell.*
& poſt alios Gregor. Tholoſ. *in tract. de appell. lib. 4.*
cap. 17. à num. 1. ad nu. 8.

Cùm itaque Jus non tantùm non prohibeat, quini-
63 mò faveat, ut qui tulit ſententiam, ſi ſuccedat in lo-
cum Judicis appellationis, iterum in cauſa judicare
poſſit, & ſola ratione honeſtatis, & poſſibilis affe-
ctionis communiter nunc permittitur, quod tamquam
ſuſpectus recuſari poſſit; nil mirum ſi, ut retulimus,
in Sac. Rota hujuſmodi ſuſpicio non attendatur, ratio-
ne enim præeminentiæ, & inſignis prærogativæ, le-
ves quæcumque cauſæ ſuſpicionis in eadem admitti non
debent, ſiquidem quodammodo ſigillant perſonam Ju-
dicum, & injuſtitiæ nota inurunt, ut dicunt DD. in
l. Prætor ff. de Juriſdictione omnium Jud. unde optimè
firmant Andreol. *in controv. 430. nu.* 29. Gratian. *in*
cit. diſcept. 4. nu. 23. ibique de Luca *numer.* 5. quod
ſcilicet difficiliùs reddantur ſuſpecti Judices ſuperiores
quam inferiores; Neque tandem ſingularis eſt hujuſmo-
di ſtylus in Sac. Rota; nam ut referunt Petra Genitor.
in cit. rit. 265. num. 183. & Sanfelic. *in deciſ. 4. nu-*
mer. 16. etiam in Collaterali Conſilio, quod eſt ſu-
premum Tribunal in Civitate Neapolis, idem Judex,
qui in prima inſtantia Commiſſarius fuit, & Judex eſt
etiam in cauſa reclamationis.

Tandem elicitur ex dicto §. hujus Bullæ, quòd ne-
queant Auditores votum proferre in cauſis propriis,
ſuorum conſanguineorum, uſque ad tertium gradum 64
conſanguinitatis, dominorum, familiarium, & Eccle-
ſiarum ſui Beneficii quodq; tunc debeant exire de Ro-
ta, quod eſt certum, & teſtatur Marcheſan. *de Com-*
miſſ. par. 2. c. 8. de Jud. ſuſp. §. 2. n. 4. & 5. pag. 390.
non tamen poſſe reddi ſuſpectos Auditores Rotæ ob
alias cauſas, ut maximo litigantium incommodo fit in
aliis Regionibus, & præſertim Neapolis, de quibus la-
tè agit Genitor meus pluribus in locis, & de Audito-
ribus ſuſpectis non allegandis Card. de Luca *cit. diſc. 32.*
nu. 16. & ſeqq. in relat. Rot. Curiæ, D. Anſald. *deci.*
71. nu. 8. quodque proinde alii Auditores remanent Ju-
dices etiam in cauſis propriis, & prædictorum con-
ſanguineorum, Auditoribus intereſſe tantùm habenti-
bus, vel conjunctis à Tribunali exeuntibus, dixit *cit.*
Marcheſan. ut practicatur in Signatura, aliiſque Con-
gregationibus. Verùm adſunt Conſtitutiones Pii IV. *la*
14. §. 19. & Pauli V. *la 71. ſuper reformatione Tri-*
bunalium Urbis tit. de Auditor. Rota nu. 14. apud *Ri-*
dolph. in praxi in fine pag. 676. num. 14. ibi: *Cauſa*
propria Auditorum, & eorum Familiarium, ac Con- 65
ſanguineorum, vel affinium uſque ad ſecundum gradum
juxta jus Canonicum computandum, non cognoſcantur in
Rota. Hinc ex vi iſtarum poſteriorum Bullarum omni-
nò dictæ cauſæ prohibentur in Rota agitari.

Nec obſtat, quòd nequeat dari ſuſpectum totum
Tribunal, Parlamentum, Senatus, vel Collegium ex 66
ſuſpicione unius ex Votantibus, quia quotieſcumque re-
maneant alii Collegæ in numero ſufficienti, valent cau-
ſas judicare, ut apud *cit.* Marcheſ. *nu. 3. & ſeqq.* qui
conciliat antiquorum ſententias, Menocch. *de arbi-*
trar. caſu 458. n. 20. & 25. Farinac. *in fragm. Crim.*
par. 2. ver. Judex nu. 120. Rebuff. *in Conſt. Gallic. t.*
1. tit. de advocat. art. 2. n. 24. Fragoſ. *de regim. Rei-*
publ. par. 1. diſp. 12. n. 243. verſ. ſubjungens, Capyc.
deciſ. 138. num. 5. Maſtrill. *deciſ. 151. n. 80. & ſeqq.*
imò etſi ſit ſuſpectum Caput Collegii, ſi non habeat
Juriſdictionem coactivam in Collegiales, quibus nequit
imperare, ut poſſet Epiſcopus reſpectu ſubditorum,
itemque alii Superiores, remanet Juriſdictio in Col-
legio, Felin. *in c. 1. n. 6. in 2. limit. de Jud.* & latiùs
apud Beroum *in conſ. 16. nu. 23. & 26. num. 20. vol.*
3. Maſtrill. *loco cit. num.* 85. Lancell. *de attent. par. 2.*
cap. 6. de attent. poſt recurſ. num. 41. Menocch. *cit. ca-*
ſu 458. nu. 20. & 25. Farinacc. *cit. nu.* 712. Marche-
ſan. *loc. citat.* ubi quod ſufficiat exire à Tribunali ſeù
Collegio ſuſpectum; & ita ſervari in Tribunalibus, ac
Collegii totius Orbis, ut de Parlamento Galliæ refert
cit. Rebuff. *n.* 24. in Cathalauniæ Senatu Cancer. *var.*
reſol. par. 1. c. 21. & in Sicilia Giurba *dec. 27. nu. 3.*
& ſeqq. in Curia Aragonenſi Seſſe *dec. Aragoniæ 41.*
nu. 8. in Curia Toloſana Mainard. *dec. 88. n. 3. lib.* 1.
& Neapoli Vivius *comm. opin. 866. nu.* 4. Proſper Pe-
tra Proavus ad Capycium *dec. 138. num.* 4. Capycius
Latro *dec. 85. in initio*, & apud Indos Solorzan. *de Ju-*
re Indiar. l. 4. cap. 5. nu. 21.

Etenim quod non poſſit recuſari totum Tribunal ex
ſuſpicione unius perſonæ de Collegio, vel procedit de 67
jure; non autem quotieſcumq; placito Principis con-
trarium cavetur, ut cautum fuit in dictis Bullis Apo-
ſtolicis; & licèt juxta hanc Bullam Jo. XXII. tale jus non
aderat, cùm ſufficeret ſuſpectus Auditor à Rota exire,
animadvertendum eſt, Bullam procedere in cauſis pro-
priis, & conjunctorum uſque ad tertium gradum con-
ſanguinitatis, ſed deindè quoad cauſas conjunctorum in
ſecundo gradu, proprias, & familiarium fuit claris ver-
bis ſupra notatis inhibitum, ne cognoſcantur in Rota,
& ſic poſteriores Conſtitutiones debent attendi; Nec
etiam obſtant ſcripta nuperrimè per R. P. D. Maſſerium
in

in tract. de Legatis, & Nunciis lib. 1. ca. 66. nu. 59, & ſequentibus; nam vel ſe fundat in DD. procedentibus de jure, ut dixi, vel in DD. ut ipſe dicit ſpecialibus ab eo adductis *cit. n. verſ. & in præciſis*, nempe Marcheſan. *cit.* § 2. *n.* 4. & 5. Ridolph. *in prax. par.* 1. *c.* 7. *n.* 134. licèt per errorem citet alium locum, Capucc. *in praxi par.* 1. *c.* 2. *n.* 56. Card. de Luca *de jud. diſc.* 3. *nu.* 67. quia omnes prædicti procedunt quoad conjunctos uſque ad quartum gradum; & ſic non diſtinguunt quoad cauſas proprias familiarium, vel conjunctorum uſque ad ſecundum, nam in conjunctis in tertio, & quarto ſufficit, quod exeat Auditor à Rota; Cæterùm clara ſunt verba ſuperiùs à me relata dictarum Conſtitutionum Pii IV. & Pauli V. & ſic neſcio videre quomodo ipſæ citentur pro contraria opinione, & cùm agatur de Conſtitutionibus Apoſtolicis habentibus clauſulam *Sublata*, & decretum irritans, nequit contra eas diſpoſitiones admitti uſus, vel conſuetudo contraria, aut ratiocinium DD. quia juxta firmata per eumdem D. Maſſerium, poteſt id recipi, quatenus adſit dubietas, aliàs actum eſſet de legibus Papæ, quarum jus à populo non deſcendit, ut præcisè docet R. P. D. Anſald. *in add. ad dec.* 71. *n.* 8. *& ſequentibus*, & generaliter Rota *dec.* 260. *nu.* 26. *& ſeqq. part.* 17. *rec.* Nec poteſt criticari voluntas Summorum Pontificum, cùm videatur, quòd ſicuti Auditores in cauſis conjunctorum exibant à Rota; ita in prædictis uſque ad ſecundum voluerunt, ut non cognoſcantur in Rota; nec aliquod commentum, aut ratiocinium fieri poteſt in verbis ſic amplis. Rursùs elicitur ex diſcretivo modo loquendi; nam quoad Cameram §. 12. & 13. *in citat. Bullis* dictum fuit, quod Clericus Cameræ in dictis caſibus deberet exire à Camera, & tamen quoad Rotam vetitum fuit, ne cognoſcantur in Rota dictæ cauſæ qualificatæ, & ſic remanet hæc limitatio quoad proprias familiarium, & conjunctorum uſque ad ſecundum gradum Jure Canonico computandum, & quoad gradus ulteriores uſque ad quartum debeat exire Auditor ſuſpectus à Rota juxtà præcedentem hujus Bullæ, ac aliarum diſpoſitionem.

Nec minus obſtat obſervantia, nam ultra reſponſio-
68 nem ſuperius datam, quod non ſit attendenda, ceſſat etiam in facto, quia vel caſus procedunt ultra ſecundum gradum, vel quatenus agatur de cauſis propriis familiarum, vel intra ſecundum gradum conjunctorum, ſed pars conſenſerit, nec exclamaverit; cùm enim hujuſmodi leges emanarunt ad favorem collitigantium, poteſt iis renunciari, ut dixi ſupra *n.* 49. Cæterùm parte reluctante contraria referuntur exempla per *cit.* D. Anſald. ubi latè materiam exornat *n.* 8. *& ſeq.* ac refert declarationes Signaturæ Gratiæ, præſertim ſub Innocentio XI. in cauſa *Ferrarien. Fideicommiſſi de Turchis*, ibique firmat, talem diſpoſitionem Bullarum non eſſe exorbitantem ex eo, quòd totum Tribunal remanet ſuſpectum; ſed ego dico, quod ita Pontifices voluerunt, & exorbitantia, ſi quæ adeſſet, verificaretur in ipſo litigante, vel ſtatuto, non autem in eodem Principe, qui ſicuti Rotæ conceſſit Juriſdictionem, potuit iſtam in certo caſu avocare. In caſu autem, de quo in *Bononien. tranſactionis* 27. *Aprilis* 1676. *cor. Bourlemont*, quæ eſt regiſtrata poſt Urceol. *de tranſact. dec.* 82. adfuit conſenſus partium, ob quem forſan fuit remiſſa cauſæ ulterior diſcuſſio à Signatura. Firmata procedunt, etſi una cum conjuncto Auditoris habeat intereſſe etiam extraneus collitigans, qui habet intereſſe ſimultaneum cum conjuncto; Si tamen agatur de conſanguineo in tertio, & quarto gradu tantum, vel adſit conſenſus partium, etiam in dictis qualificatis caſibus, tunc ſolùm procedere debet diſpoſitio, ut exeant Auditores conjuncti à Rota, juxta diſpoſitionem hujus Bullæ, Marcheſan. *cit. nu.* 4. & 5. D. Anſald. *in add. ad dec.* 71. *n.* 13. *verſ. & altera uſque ad quartum*. Hoc
70 tamen certum eſt, quòd non ſolent facilè partes declinare in prædictis etiam caſibus Rotæ Tribunal, cùm ſatis confidant tanti Tribunalis integritati, ut etiam evenit in dicta cauſa *Ferrarien.* quia DD. de Flaſchis, qui pro Congregatione particulari inſteterunt, poſteà ſuccubuerunt, & denuò judicium Rotæ implorarunt, ut notat idem D. Anſald. ad *cit. dec.* 71. *n.* 8. § *nihilominus*. Hinc in cauſa *Romana Legitimæ* inter DD. de Mutis, & D. Franciſcum Caraſam voluit potiùs iſte ſubire judicium Rotæ, etſi ageretur cum Nepotibus D. Muti Auditoris; imò in ſimilibus cauſis ſolet Tribunal maximo zelo uti, ut potiùs arbitrium contra Coadjutores interponat, ut notat Marcheſan. *cit. n.* 5. ibi: *in dubio contra Coadjutores pronunciat*, & *in cit. Romana legitimæ* 15. *Maii* 1699. *coram D. Anſaldo*, ita habetur: *In hac igitur trutinatione, ac differentia caſus à caſu, Domini, non obſtante hora nimis ſerotina ob longam, & uberem diſcuſſionem aliarum gravium cauſarum, quæ præceſſerant (etiam pria tractabatur de proximo intereſſe Collega Patrui litigantium) quamvis de ſtylo Tribunalis extra aulam Rotæ incluſi, ſicuti de hoc ſtyle teſtatur Marcheſ. de commiſſ. omnes ſibi poſſibiles faciendo objectiones, ultra etiam id, quod partes ipſæ promoverunt, longè, & maturè cauſam eviſcerantes, in eam deſcendere ſententiam &c.*

Plura alia in hac Conſtitutione præſcripta reperiuntur quoad Rotam; Sed recurrit in aliis Commen- 71
tariis ſermo. In præſenti tantùm prædictis addam, in hac Bulla demandari, feſta ſervari ſolita, in quibus jus dici nequeat; unde de feriis, & feſtis, in quibus actus judiciales generaliter, & à Rota nequeunt fieri, agam.

S E C T I O II.

De Feſtis, & Feriis, præſertim in Sacra Rota ſervandis, & de actibus judicialibus earum tempore fieri prohibitis.

S U M M A R I U M.

1 *Feriarum nomen, & origo illuſtrantur.*
2 *Feriæ ſunt dies, quibus ſilent negotia forentia.*
3 *Dies feſti, & nefaſti qui dicantur.*
4 *Feriarum diviſio multiplex exhibetur.*
5 *Feriæ ſolemnes, ſeu divinæ, quæ ſint, & à quibus indici poſſint.*
6 *Feriæ repentinæ quæ ſint, à quo indicantur, & à quibus obſervandæ.*
7 *Humanæ feriæ inducuntur ex cauſa Meſſium, & Vindemiarum, quanto tempore durent, & à quibus indicantur.*
8 *Judices ſervare debent ferias æſtivas, quamvis ab eo, ad quem pertinet, non indicantur. & quidem attento Statuto Urbis.*
9 *Quoad tempus feriarum ſervanda eſt conſuetudo loci judicis, non autem Actoris, aut Rei.*
10 *Judex delegatus ſervare debet ferias loci, ubi eſt delegatus, non autem Delegantis.*
11 *Feriæ æſtivæ non ſervandæ, ubi Frumentum, & Vinum non colligitur, dummodò nec vini potio ibi ſit in uſu.*
12 *Æſtivis feriis nedum ruſtici, ſed omnes fruuntur.*
13 *Feriæ Rotales non ſunt communes omnibus Judicibus.*
14 *Nec ſunt ſervandæ ab Auditore Rotæ, cui fuit commiſſa cauſa uti Prælato.*
15 *Solemnes feriæ in Rota quæ ſint, & quanto tempore durent.*
16 *Quæ item ſint feriæ repentinæ, & publicæ, ſeu æſtivæ.*
17 *Rota Memorialium quando, & quo ordine fiat, ubi de termino* Proſervato, *& ſubſcriptione ſententiarum.*
18 *Apertio Rotæ poſt ferias quando, & qua ſolemnitate fiat.*
19 *Menſe Octobris, quamvis non ſint feriæ, non tamen proponuntur cauſæ in Rota.*
20 *Die feriato exerceri poſſunt actus juriſdictionis voluntariæ, quorum plurimi enumerantur, & num. ſeqq.*
21 *Limita ſi adſit contradictor, & qua ratione.*

22 *Ade-*

Digitized by Google

32 *Adeptio poſſeſſionis quatenus ſit actus juriſdictionis voluntariæ.*
33 *Executiones reales, aut perſonales, ſubhaſtationes, & ſimilia regulariter fieri prohibentur diebus feriatis ad honorem Dei.*
34 *Limita in Pagis, & Villis, in quibus quoad hæc eſt connivendum, vel licentia de facili concedenda.*
35 *Item limita in diebus feriatis ad utilitatem hominum.*
36 *Decretum in contractibus mulierum, & minorum an interponi à Judice valeat die feriato, & num. ſeqq.*
Negativa opinio pluribus rationibus comprobatur.
28 *Actus juriſdictionis voluntariæ fieri poſſunt die feriato, dummodò cauſæ cognitionem non requirant.*
29 *Quod aliqui limitant, ſi neceſſitas, vel pietas id ſuadeat, ſed refelluntur.*
30. *Neceſſitatis, vel pietatis cauſa concurrente, non eſt habenda ratio feriarum.*
31 *Non omnis cauſa pia cenſetur habere cauſam pietatis ad effectum ſervandi ferias.*
32 *Cauſa Pupillorum, & ſimilium quatenus cenſeantur habere cauſam pietatis.*
33 *Quid de cauſis alimentorum, mercedis, dotis, & ſimilibus.*
Cauſa neceſſitas excuſat ab obſervantia feriarum, & qualis ad hunc effectum debeat eſſe neceſſitas. Ibid.
34 *Res peritura inducit cauſam neceſſitatis, & quatenus talis cenſeatur.*
Affertur exemplum de captura delinquentis in criminalibus, & de debitore ſuſpecto de fuga. Ibid.
35 *Teſtes diſceſſuri, vel morti proximi, examinari poſſunt die feriato.*
36 *Juriſdictio Judicis expiratura inducit neceſſitatem procedendi die feriato.*
37 *In judiciis ſummariis, & arbitrariis quatenus procedi poſſit in die feriato.*
38 *Afferuntur plura exempla hujuſmodi judiciorum, & quid ſervetur à Rota.*
39 *In cauſis executivis procedi poteſt diebus feriatis ob utilitatem hominum.*
40 *De partium conſenſu quatenus judicialiter procedi poſſit die feriato.*
41 *Procurator renunciare poteſt exceptionibus feriarum.*
Feriis renunciari poteſt tum tacitè, tum expreſſè. Ibid.
42 *Reus conventus die feriato an teneatur allegare ferias, & an contumax cenſeatur renunciaſſe feriis.*
43 *In Curia impetratur à Partibus commiſſio feriarum derogatoria, & quatenus hæc concedi ſoleat.*
44 *In his commiſſionibus derogari non ſolet feriis indictis, & ſolemnibus.*
45 *Feriis Dominicalibus non cenſetur derogatum per ſimplicem derogationem feriarum ſolemnium.*
46 *Derogatio feriarum à Partibus obtenta quatenus obliget Judicem ad procedendum die feriato.*

1 FEriarum nomen ab antiquis Romanorum ſuperſtitionibus uſque ad noſtra tempora productum, ſive ethymologiam trahat à feriendis victimis, ut docet Feſtus *lib.* 6. ſivè à ferendis epulis, quibus publicæ lætitiæ, & ſecundi eventus ſolemniter à Populo Romano celebrabantur, aliis occupationibus intermiſſis, ſecundum Cic. *de leg. lib.* 3. Nobis non eſt in hac dirimenda quæſtione otium; Neque pariter tempus terere hic utiliter duco, quærendo, an feriæ propriæ noſtris temporibus importent communes dies, ſic dictæ à fando, ſivè loquendo; quia Deus primis Mundi diebus dicebat *Fiat*, undè in Eccleſia quilibet hebdomadæ dies feria dicitur, & in *c.* 2. *de celebr. Miſſarum* Honorius, feſtos dies, ſivè ſolemnes à feria quaſi die communi ſecernit, ibi: *Et pro feſto, vel feria*, ſivè potiùs in Sacris Officiis omnis dies vocetur feria, cùm Clerici continuò Divinis Miniſteriis vacare debeant, exemplo flaminum, quibus nulla dies profana erat, juxta Gloſſ. *in Clement.* 1. *de rel. & vener. Sanctorum, verbo Feriam quintam*, quamobrem feriæ nomen diem ſolemnizatum importet, & ſolùm tandem à feſtis nunc ſecernatur quia feſti dies pro ſolemniter Deo dicatis accipiuntur, feriæ verò ſunt dies otii, & quietis, pro hominum gratia conſtituti, ut placuit D. Iſidor. *lib.* 5. *orig. ca.* 30. ad quod alludere videtur Imperator in *leg. fin. C. de fer.* ibi: *Sit idem dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox ſileſcat, reſpirent à controverſiis litigantes, & habeant fœderis intervallum*, & concinit illud Poetæ:

Die ſacro requieſcat humus, requieſcat arator:
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.

Relictis itaque hujuſmodi quæſtionibus his, qui vana no- 2
minum vocabula amplecti, deſiderant, ut dixit Imperator in *l. receptitia §. ſi enim C. de conſtit. pec.* minùs ſuper eiſdem nobis eſt laborandum, juxtà præceptum Cic. *in Top.* cùm juxtà communem uſum loquendi, quid noſtra Conſtitutio nomine feriarum importet ſatis ſuperque intelligimus; Feriæ itaque ab effectu dicimus dies à judicialibus controverſiis vacuas, ſivè à forenſibus negotiis vacationem dantes, ad *Tex. in leg. Divus ff. de feriis, & l. pridie ff. eod.* aut in quibus judicialis ſtrepitus conquieſcere debet, neque placitum judicatur, ad *Tex. in can.* 1. & 2. 15. *q.* 4. &
c. 1. *& ult. de feriis*, unde feriæ antiquitùs dicebantur 3
dies nefaſti, in quibus ſcilicet nefas eſt jure, judicioque quidquam diſcurrere, è contra autem faſti dies nominabantur, in quibus Judici fari licebat tria illa verba *do, dico, addico*, quibus jure Romanorum quæcumque lites dirimebantur; unde lepide Ovidius:

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur.
Faſtus erit per quem lege licebit agi.

Feriarum verò multiplici diviſione poſthabita, quam ex 4
Hiſtoricis, & Poetis latiſſimè enumerat Calà *de fer. quæſt.* 3. *per tot.* quamvis noſtri etiam DD. variè in hoc ſenſerunt, adeò ut quot hominum capita, tot eſſe ſententias in propoſito dixit idem Calà *ibid. nu.* 182. tamen juxta nec confuſam, nec diffuſam diſtinctionem eas in triplicem diſtinguimus ſpeciem, in Divinas ſcilicèt, ſivè ſolemnes, repentinas, & humanas, ſivè publicas ſequendo, Fagnan. *in c. conqueſtus n.* 35. *&* 36. *de fer.* Scacc. *de appell. lib.* 2. *c.* 5. *nu.* 5. Marchetan. *de commiſſ. derog. fer. cap.* 1. *§.* 1. *nu.* 4. Theiaur. *dec.* 39. *num.* 5. *in fin.* Feriæ itaque ſolemnes, ſeu Divinæ ſunt omnes dies feſtivi, & ſolemnizati ad honorem
Dei, & Sanctorum, in quibus etiam ipſum Dominum 5
venerantur *Clem. ſi Dominum de reliq. & vener. Sanctor.* de quibus loquitur *tex. in l. ut in die., & l. omnes dies C. de fer. c.* 1. *& fin. de feriis*, diximus autem, ſolemnizati, quia feriati non dicuntur ad noſtrum effectum omnes dies feſtivi, niſi ſpecialiter à Summo Pontifice, vel Epiſcopo in ſua Diœceſi pro ſolemnizatis indicantur, Abbas *in c. licet n.* 2. *& c. fin. num.* 2. *& finali de feriis*, Scaccia *in cit. cap.* 5. *nu.* 7. Ferias etenim Divinas in honorem Dei & Sanctorum generaliter ſolus Papa, particulariter verò in aliqua Diœceſi ſolus Epiſcopus indicere poteſt, *capit.* 1. *de reliq. & vener. Sanctorum, c. fin. de fer.* an verò à Principibus Laicis, conſuetudine, vel ſtatuto Laicorum feriæ ſolemnes introduci poſſit, adeò ut publicæ actiones intermitti debeant, alibi, redibit ſermo, cùm de feſtivitatibus ad effectum, ut eſſent opera ſervilia dicemus, interim tamen videndi ſunt Fagnan. *in cit. c. conqueſtus n.* 33. *&* 57. *in fin.* Ventriglia *in praxi par.* 1. *annot.* 16. *§.* 2. *nu.* 33. Ubert. *de citat. c.* 10. *n.* 45.

Repentinæ feriæ ſunt, quæ repentè, & extra ordi-
nem à Principe, vel alio ſupremo Magiſtratu indicuntur 6

vel

vel ob publicam gratulationem, vel ob prodigioſi ca-
ſus accidentiam, quæ etiam dicuntur extraordinariæ,
quia certa lege, vel ordinario tempore non includun-
tur, in *l. ſed etſi §. ſi feriæ. ff. ex quibus cauſis major.*
harum exempla, ſi ab antiquis petamus, erant dies,
qui lucis auſpicia, vel ortus Imperii Imperatori regnan-
ti protulerunt, unde cecinit Martialis *lib.* 10. *Epig.* 87.

Natalem colimus, tacete lites.

his adiicimus natalitios dies maximarum Urbium Ro-
mæ, & Conſtantinopolis, in quibus debent jura differ-
ri, quia & ab ipſis nata ſunt, ut ait Imperator in *l. om-
nes dies C. de feriis*, & quæ à Scipione fuerunt indictæ
ob bellum proſperè cum Carthaginenſibus geſtum, te-
ſte Tito Livio *lib.* 38. & quas propter vehementem
Terremotum L. Cornelius, & Q. Minutius Coſſ. in-
dixerunt, Gell. *lib.* 2. *noct. Attic. c.* 28. Hujuſmodi au-
tem feriæ nonniſi à Principe, vel alio ſupremo Magi-
ſtratu indici queunt; unde imperiales feriæ dicuntur in
l. nullo C. de fer. neque in contrarium urget *Textus in
l. Præſides eod. tit.* ubi quod Præſides Provinciarum ſo-
lent ferias ſtatuere; nam optimè declarat Gloſſ. *ver. ſta-
tuere*, ideſt antiquitùs ſtatutas, quibus certum tempus
definitum non eſt ſecundùm morem regionis indicere,
& docent Fagnan. *in cap. Conqueſtus nu.* 36. *de feriis*,
Ubert. *de citat. c.* 10. *n.* 62. Marcheſan. *loco cit. num.*
21. non eſt tamen prætermittendum, ferias repentinas
à Principe indictas, non eſſe in foro Eccleſiaſtico ob-
ſervandas, ut ex generali regula in *c. Eccleſia S. Ma-
riæ de Conſt.* proſequitur idem Fag. *in cit. c. conqueſtus
num.* 62.

Publicæ tandem, ſeù humanæ feriæ ſunt, quæ homi-
7 num gratia inſtituuntur ad publicam utilitatem, & pri-
vatum cujuſque commodum, de quibus loquitur *tex. in
cit. §. de feriis.* Inter horum multiplices ſpecies jure
Romanorum inventas, connumerantur Cereales, &
Vindemiales, quæ ſcilicet etiamnunc cauſa vindemia-
rum, & meſſium inter fervores æſtivos indicuntur, ne
litigantes ab re ruſtica tunc retrahantur, *l.* 1. *cum ſeqq.
ff. eod.* de quibus ſcripſit Stat. *lib.* 4. *ſilvar.* 38.

.... meſſeſque reverſa
Dimiſere forum; nec jam tibi turba reorum.
Veſtibulo, querulique rogant exire Clientes.

& D. Cyprianus *epiſt. ad Donatum* ait: *Tempeſtivum
prorſus hoc tempus eſt, quo indulgente vindemia, ſolu-
tus animus, inquietem ſolemnes, ac ſtatutas animi fati-
gantis inducias ſortitur.* His verò meſſium feriis à jure
præſcriptum eſt tempus ab octava Kal. Julii, uſque ad
Kal. Auguſti; itemque feriis vindemiarum tempus con-
ſtituitur à decimo Kal. Septembris, uſque ad Idus Octo-
8 bris, ut in *l. publicus, & l. ut in die C. de feriis*; Sed
congruentiùs de jure Digeſtorum hæc indictio Præſidis
arbitrio relinquitur, ut pro cujuſque Provinciæ conſue-
tudine, & qualitate ſtatuantur, in *l. Præſides ff. de fe-
riis, & l. ſi in aliquam ff. de jure Proconſ.* citiùs enim
in locis calidis, & maritimis, quàm in frigidis, &
montanis fructus maturantur, ut notat Fagnan. *in cit. c.
Conqueſtus n.* 36. & DD. communiter; Cùm tamen hu-
juſmodi feriæ à jure ſint inductæ, benè conſequitur,
quod ſi negligente Provinciæ Præſide generaliter non
præconizarentur, nihilominùs eſſent à Judicibus ſervan-
dæ tempore, quo communiter meſſes, & vindemiæ fi-
unt, ut contra Fagnan. *ibid.* firmat Innoc. *in c. fin. n.*
6. *de fer.* quem ſequitur Ubert. *de citat. cit. c.* 10. *nu.*
55. *in fin.* Ex ſtatuto autem Urbis *cap.* 58. *de feriis
in fine*; diſponitur, quod feriæ vindemiales non ſer-
ventur, niſi alter ex litigantibus ſe, vel Procuratorem
ſuum in vindemiis impeditum jurejurando aſſerat; &
tunc induciæ Judicis arbitrio, moderando perſonarum
qualitate penſata, tribuendæ ſunt. Neque eſt prætereun-
dum dubium, quod excitat Abbas *in cit. c. Conqueſtus n.*
9 22. Nunquid ſcilicet, data varietate hujuſmodi feria-
rum ex diverſitate Regionum, in earundem obſervatio-
ne ſit attendendus locus Rei, an Judicis, vel Actoris;
Et quamvis rationibus hinc inde deductis, latiſſimam
diſceptandi materiam afferat Specul. *in tit. de fer. §.* 1. *n.*
5. *cum ſeqq.* attamen communiter concludunt DD. quòd
ſervari debeant feriæ loci judicii, cùm in ordinatoriis
non conſuetudo litigantium, ſed fori, in quo agitur at-
tendatur, *c. quod Clericis de for. comp.* per ea Ubert. *de
Citat. cit. c.* 10. *n.* 55. Quamobrem eadem ratione ſua-
dente nunquam extra dictum locum judicii feriæ ſer-
vari debent, & ſignanter in cauſis appellationum: fir-
mavit Rota *in deciſ.* 132. *n.* 18. *par.* 14. *rec.* & in ea-
dem cauſa in *deciſ.* 242. *nu.* 5. *coram Emerix junior.*
Quinimò etiamſi Judex eſſet Delegatus, ſervare debet 10
ferias loci, in quo ſuam explet Commiſſionem, non
verò ferias loci Delegantis; ut dixit Rota in *Ther-
mulana manutentionis ſuper ſanatione* 22. *Februarii*
1706. *§. ejuſdemque inſubſiſtentia cor. R. P. D. Molines.*

At ubi frumentum, & vinum non recolligitur, ne-
que eſt ad hominum uſum, equidem hujuſmodi feriæ 11
locum non haberent; ſi verò vinum ibi biberetur, tunc
attendendæ, & ſervandæ forent, nam idem, & majus
otium ad eum perquirendum, quàm ad recolligendum
opus eſſet; hujuſmodi enim feriæ ad hominum victui
neceſſaria providenda principaliter ſunt introductæ,
quamobrem ſi ex caſtaneis, & cerviſia homines viverent,
nihilominus feriatum tempus ad harum recollectionem,
& confectionem aptum ſtatuendum eſſet, Abbas *in cit.
cap. ultim. nu.* 23. *de fer.* Scaccia *de judic. cit. cap.* 5.
n. 145. *cum ſeq.* Marcheſ. *loco cit. n.* 33.

Ex his tamen prima facie videtur, quòd duntaxat
in re ruſtica occupati, feriis cerealibus, & vindemia- 12
libus frui debeant. Verùm communis eſt ſententia,
quòd relevent omnes ſivè Clericos, ſivè Milites, quam-
vis meſſibus, & vindemiis non occupentur; vel quia
licèt per ſe rebus ruſticis non incumbant; attamen ut
præſint, oportet Colonis, & Factoribus ad hoc neceſſa-
riis; & ſi tandem neque per ſe, neque per alios ſint oc-
cupati, quales ſunt ii, qui nihil poſſident; attamen
circa ferias poſſunt eſſe intenti, vel Judices, vel Advo-
cati, Procuratores, vel Teſtes, & contrarium vix,
aut nec vix quidem verificari poteſt, ut latè proſequitur
Scacc. *loc. cit. à n.* 147. *ad* 155. Marcheſan. *ibid. n.* 29.
Abbas *in cit. c. Conqueſtus n. fin.* Sed meliùs hujuſmodi
feriarum indiſtincta obſervantia probari poteſt, ex quo
generaliter à Principe indicuntur, & facit Fagnan *lo-
co cit. num.* 36.

Poſt datam verò generalem cognitionem feriarum,
earumque diſtinctionem, ſpecialiter intentos ad mate- 13
riam noſtræ Conſtitutionis, non pigebir addere an, &
quomodo ſerventur in Sac. Rotæ Auditorio. At præ-
mittendum eſt, quòd Feriæ, quas infra recenſebimus,
ſunt tantùm Rotales, & non communes omnibus, ut
ſunt illæ in honorem Dei, vel aliæ repentinæ commu-
nes, adeò ut ſervari non debent in cauſis Auditori Ro-
tæ commiſſis, uti Prælato Deputato, ut recenſet Rota
in deciſ. 441. *nu.* 5. *par.* 18. *tom.* 2. *rec.* tunc enim pro- 14
cedere cenſetur tamquam in Tribunali Judicis, à quo
proceſſit deputatio, ut ſupradictam concluſionem fir-
mans explicat Rota *in dec.* 242. *num.* 5. *§. nec, coram
Emerix Jun. & deciſ.* 132. *nu.* 18. *par.* 14. *rec.* quam-
vis ſecùs ſit dicendum, ſi fuerit deputatus Judex in cau-
ſa per ſimplicem Commiſſionem Papæ, ex quo feriæ Ro-
tales ex inconcuſſo ſtylo procedunt etiam quoad Judices
Commiſſarios extra Rotam, ut notant Marcheſan. *par.*
3. *de Commiſſ. derog. fer. c.* 1. *per tot.* Scaccia *de Ju-
dicііs par.* 2. *c.* 5. *n.* 185.

Feriæ igitur ſolemnes, ſivè in honorem Dei incipiunt
in Rota à die ante Vigiliam Nativitatis Domini per to- 15
tam diem 6. Januarii dedicatam Epiphaniæ; Item à die
Dominica Palmarum uſque per totam octavam Paſcha-
tis; omnia pariter feſta de præcepto, aliaq; quæ ex de-
votione in Urbe ſervantur ſuper quibus adeſt Kalenda-
rium poſt Ridolphin. *in praxi*; & hæc ad honorem Dei
ſunt communes cum aliis Tribunalibus; exceptis ali-
quibus ex devotione; Feriæ repentinæ à Papa indi-
ctæ ſervantur diebus Creationis Pontificis viventis, ejuſ-
dem Coronationis, Aniverſarii exequiarum Pontificis 16
præcedentis, item Anniverſarii exequiarum Cardina-
lium, quando Pontifex ab Urbe proficiſcitur ultra
40. milliaria. Unde dum fa. me. Innocentius XII. ac-
ceſſit ad Centum Cellas, & Neptunum, prævio edi-
cto A. C. fuit injunctum Tribunalia proſequi, item
die-

Digitized by Google

diebus publici ingreſſus Principum Oratoris ad præſtan-
dam obedientiam, quando novus Cardinalis prima
vice Urbem publicè intrat, cùm Legatus de Latere pu-
blicè ad urbem revertitus, cùm novi Cardinales publi-
cantur, & tandem quando fit publicum Conſiſtorium.
Feriæ tandem publicæ in Sac. Rota triummenſium ſpa-
tium occupant, primum nempe pro meſſibus, tertium
pro vindemiis; quia verò medio tempore permaximè
eſtuant calores in Urbe, & mala ad labores aeris ad-
ſit intemperies, ideò ſecundus ad incolumitatem cor-
porum feriatus etiam ſervatur, ut proſpexit etiam Im-
perator in *l. omnes dies C. de feriis* & advertunt Scacc.
in cit. c. 5. *nu.* 185. Marcheſan. *loco cit. nu.* 45. Man-
doſ. *in tract. de commiſſ. commiſſ.* 13. *verſ. feriarum*;
Rota in Romana, ſeù Albanen. ferratti die 2. *Auguſti*
1692. *coram Dom. Anſaldo*. Hujuſmodi itaque feriæ
indicuntur poſt diem ſecundam juridicam menſis Julii,
uſque ad diem primam Rotalem menſis Octobris; ſe-
cunda namque die juridica ejuſdem menſis Julii fit Ro-
17 ta, quæ vulgò dicitur Memorialium, ad cujus finem ſo-
let unus ex Locumtenentibus A. C. alternatis annis ac-
cedere cum omnibus ſuis Subſtitutis, & Notariis, &
ingreſſus ultimus poſt Auditores ſedit, adſtantibus di-
ctis Subſtitutis; Tunc verò Rotæ Decanus ait: *Proſer-
vato in omnibus*: quod ſignificat, cauſas rotales jam
diſcuſſas poſſe intra menſem per ſententias vel decre-
ta expediri; Terminus enim proſervato in Rota durat
per menſem, quamvis in aliis Tribunalibus ſpatium
10. dierum non excedat; Sententiæ itaque validè ſub-
ſcribuntur in dicto menſe, quamvis feriato abſque fe-
riarum derogatione; nam juxta notam praxim dicti
termini habiti, ſententiæ, & decreta retrahuntur ad
ultimam diem juridicam, in qua cadunt citationes, Ri-
dolphin. *in praxi par.* 1. *c.* 8. *nu.* 255. *cum ſeqq. & c.*
13. *num* 338. *cum ſeq.* Ubert. *de citat. cap.* 9. *nu.* 501.
& ſeqq. & cap. 12. *nu.* 355. Rota *in deciſ.* 325. *nu.* 8.
coram Priolo, & in Romana Drogheria 24. *Januarii*
1689. §. *quoniam, coram D. Manuel*; Dummodò ta-
men in actis non conſtet, ſententiam fuiſſe prolatam
certo die, tunc enim non habet locum retrotractionis
fictio in præjudicium veritatis, cui ſemper cedere con-
venit, ut proſequitur Ubert. *loco cit.* & Rota *cit. Ro-
mana Drohgeria* §. *fin.*

Feriæ autem hujuſmodi expirant, ut diximus, die
18 prima juridica Rotali in menſe Octobris, quo quidem
die fit aperitio Rotæ modo ſolemni. Equitant enim
duo ultimi Auditores cappis magnis induti, cum comi-
tiva omnium ferè Advocatorum Conciſtorialium, alio-
rumque Procuratorum de Collegio, ultra Nobiles,
præſertim litigantes, alioſque familiares Cardinalium,
& Principum, & cum hoc ſolemni equitatu accedunt
ad locum ſolitum Rotæ in Vaticano, in quo jam alii
Auditores coadunati reperiuntur; ibi itaque coram om-
nibus leguntur Bullæ ad ejuſdem Sacrum Tribunal ſpe-
ctantes, & præſertim hæc, quam præ manibus habe-
mus, poſteàque recitatur Oratio gradatim quolibet an-
no per ſingulos Auditores, & Orationes ab ipſis reci-
tatas expreſſit Coccin. *in annot.* 263. *to.* 1. *dec.* & D.
Anſald. *in cit. præf. n.* 53. §. Rotam; Hæc verò aperi-
19 tio ſolemnis omittitur tempore Sedis Vacantis; Quam-
vis autem poſt hujuſmodi ſolemnem aperitionem cui-
cumque pateat Forum; attamen per totum menſem O-
ctobris Rotæ fiunt abſque cauſarum propoſitione, ſed
tantùm proponuntur aliqua memorialia, & actus judi-
ciales fieri poſſunt; cùm Curiales, & Clientes tunc
temporis ſoleant extra Urbem villis incumbere, & non-
niſi poſt octavam Defunctorum labores reaſſumant; Un-
dè quis negabit opportunum fore, ut reſecatis aliquibus
extraordinariis feriis inter annum, vel aliis, quæ ex
conniventia permittuntur, quarum nullum eſt certum
jus, ad totum menſem Octobris feriæ vindemiales pro-
trahantur, & verè Rota incipiat, cùm cauſæ proponi
poſſunt.

Operæ autem nunc pretium eſſet recenſere, quinam
20 judiciales, actus pendentibus feriis, exerceri prohiben-
tur, morem attendendo aliorum Auctorum, qui de fe-
riis ediſſerunt; verùm cum eorundem edictum ſit pro-
hibitorium; ideò ſtrictius, & forſan utilius erit ſubne-
ctere, quænam judicia, & actus judiciales eiſdem vi-
gentibus exerceri poſſint. Et primum occurrit adnotan-
dum, cùm jure diebus feriatis ſtrepitus judiciales prohi-
beantur ex Textibus ſupra allegatis, itaque dum interdi-
cuntur actus juriſdictionis contentioſæ, quæ ſcilicet in
invitos redditur, permittuntur actus juriſdictionis vo-
luntariæ, qualis eſt, qui in volentes exercetur, ut ex
lig. 2. *& l. actus, C. de feriis*, firmat Ubertus *de cita-
tion. c.* 10. *n.* 64. *&* 71. *cum ſeqq.* Calà *de Feriis qu.
ult. n.* 70. Antonell. *de tempore legal. lib.* 4. *cap.* 9. *n.*
4. Scaccia *in cit. cap.* 5. *num.* 96. Fezon. *ad ſtat. Ur-
bis cap.* 58. *num.* 15. aliique Doctores infra citandi;
unde inferunt, quòd illi actus voluntariæ Juriſdictionis
expediri poſſunt, etiam diebus in honorem Dei feria-
tis, manumiſſio, emancipatio, de quibus expreſsè lo-
quitur *Textus in cit. leg.* 2. Adoptio, Arrogatio, Tu-
toris datio, de quibus latè ad noſtrum effectum diſſe-
rit Scacc. *loc. cit. n.* 101. *& ſeq.* Item donationum in-
ſinuatio, cauſarum delegatio, Officialium deputatio,
beneficiorum collatio; ſententiæ excommunicationis ab-
ſolutiones, relaxationes juramentorum ad finem agen-
di, diſpenſationes, & hujuſmodi, ut recenſent Anto-
nell. & Ubertus *loc. cit.* D. Raynald. *t.* 1. *obſerv. crim.
c.* 1. §. 9. *n.* 55. Altimar. *de nullit. to.* 1. *rub.* 9. *q.* 40.
n. 44. *cum ſeqq.* Campanil. *in diverſ. Jur. Can. rubr.* 17.
cap. 13. *nu.* 102. *cum. ſeqq.* & plenè Rota *in Veliterna
Manutentionis* 18. *Aprilis* 1692. §. *neque urget coram
D. Molines Decano*. Monitoria ad finem revelationis,
aut pro perditis, ſivè pro ſubtractis rebus, Genuen. *in
praxi cap.* 1. *n.* 10. Ubert. *ibid. n.* 76. Item viſitatio
Clericorum, & Eccleſiarum, dummodò fiat abſque ſtre-
pitu, Capon. *diſcep.* 209. *numer.* 42. & tandem ap-
pellationes, earumque admiſſiones, ſivè reſponſiones
de Apoſtolis, ad latè deducta à Gratian. *in dec.* 5. *nu.*
1. *cum ſeqq.* Rota *in dec.* 40. *n.* 4. *& dec.* 94. *n.* 1. *cor.
Orthobono*. Juramentum verò extrajudiciale interponi
validè poteſt die etiam feriato, ſivè feſtivo; hinc Te-
ſtes ad perpetuam examinari poſſunt, ſed ſolùm de con-
ſilio, & licitè id fieri non debet, Ubert. *de citat. c. cit.
num.* 171. *cum ſeqq.* Mancinus *de juram. par.* 2. *artic.*
17. *num.* 10. Rota *dec.* 782. *nn.* 4. *coram Seraphino,
& in cit. Veliterna Manutentionis* 18. *Aprilis* 1692. §.
prout. Cæterùm ad limitationem hujus concluſionis, 21
quando ad impediendum hujuſmodi actus voluntariæ Ju-
riſdictionis conſurgeret Contradictor, tunc equidem
die feriato expediri nequirent, quia tunc Judex pro-
pter alterius præjudicium deberet cauſa formiter co-
gnita procedere, juxtà Text. *in l.* 2. §. *dies ff. quis
ordo in bon. poſſeſſ. ſerv.* & exemplificant DD. cita-
ti in collatione beneficii in concurſu, vel cum oppo-
ſitore, itemque in deputatione Tutoris inviti, & ſi-
milibus.

Supradictis etiam exemplis addi poteſt, quod neque
feriæ violantur per adeptionem poſſeſſionis, cùm hic 22
actus ſit voluntariæ juriſdictionis; juxtà Theoricam
Feder. de Senis *con.* 144. & firmavit Rota in terminis
poſſeſſionis captæ die Dominico præbendæ canonicalis
10 *dec.* 688. *num.* 12. *coram Burato*, & loquendo de
adeptione poſſeſſionis vacuæ vigore mandati de immit-
tendo, obtenti ad inſtantiam hæredis legitimi, cum
clauſula abſq; præjudicio habentium meliora, & potio-
ra jura, dixit in *dec.* 36. *nu.* 10. *cum ſeqq. poſt Novar.
in ſumma Bullar.* & magiſtraliter in *Veliterna manu-
tentionis* 10. *Aprilis* 1691. *&* 18. *Aprilis* 1692. *cor.
D. Molines Decano*, prout ex dictis rationibus, poſſe
etiam expediri mandata de immittendo, ſed ſine figu-
ra Judicis, & quatenus poſſeſſio ſit vacans, ac parte
non citata, itaut etſi adſint verba aliqua denotantia fi-
guram Judicii, debet potiùs attendi veritas, & imponi
imperitiæ Actuarii; latè in *cit. Veliterna manutentionis*,
ubi etiam accedente Statuto Veliterno, ne jus reddatur
die Dominico, quia intelligi debet de actibus prohibi-
tis die juridico, & latè etiam Rota *deciſ.* 293. *n.* 13.
& ſequent. par. 18. *rec.* hinc non ex eo, quòd prohi-
beatur aliquis actus judicialis, prohibiti cenſentur alii,
ſi agatur de certis feſtis indictis, ac prohibitione facta;

Qua-

Quare pendentibus feriis Natalitiis indictis per Decretum viſitæ carcerum, poteſt hæres etiam contra particularem contradictorem immitti in poſſeſſionem bonorum hæreditariorum, quia dictum decretum loquitur ſimpliciter de executionibus, quæ fiunt pro debitis, ut firmatur in *deciſ. 9. n. 16. cum ſeqq. poſt* Poſth. *de manut. & in dec.* 104. *n.* 4. *par.* 11. *rec.*

Non me autem latet, quamplures oumerari DD. qui
23 non inſiſtendo ſuper caſus particulares, generaliter, & indiſtinctè firmarunt, quidquid ſit an deceat, executiones nempe ſententiarum, ſeù mandatorum realium, aut perſonalium pro debitis civilibus factas, etiam diebus in honorem Dei feriatis indiſtinctè ſuſtineri, quia non ſunt actus judiciales, & nullam cauſæ cognitionem exigunt; Verumtamen contrarium In jure eſt veriùs, quòd ſcilicèt ſententiæ, & mandata non tantùm illicitè, ſed etiam invalidè exequantur diebus feriatis in honorem Dei, ex *Tex. in l. dies feſtus, C. de fer.* ibi: *A cunctis executionibus excuſetur*, & ſervat praxis, ut teſtatur Fariac. *quæſt.* 27. *& qu.* 28. *nu.* 106. & Barboſ. *in cit. leg. dies feſtus nu.* 3. ubi refert, S. Pium V. renovaſſe abſolutam diſpoſitionem dicti Textus, ne ſcilicet exequutiones reales, ſeù perſonales pro debitis civilibus fierent diebus feſtivis de præcepto, & tenet Rota magiſtraliter in *cit. dec.* 36. *num.* 13. *cum ſeqq.* poſt Novar. *in ſumma Bullar. & in cit. deciſ.* 9. *num.* 16. *apud* Poſth. *de manut. deciſ.* 33. *num.* 4. *poſt.* Niger *de ſubhaſt. & deciſ.* 414. *num.* 4. *coram Peutinger. Theſaur. deciſ.* 95. *num.* 1. Executiones namque, quamvis actus non ſint judiciales, ſunt tamen complementum, & appendix judicialis ſtrepitus, quinimò majorem contentionem, & ſtrepitum Partium, & Populi perturbationem ſolent ingerere, quàm ipſa ſententia affert, ut concluſionem exornant Scannarol. *de viſit. carcerat. lib.* 3. *c.* 11. *num.* 14. Raynald. *to.* 1. *obſer. crim. cap.* 1. *§. 9. n.* 50. Antonell. *de tempore legal. d. r.* 9. *n.* 24. Campanil. *in diverſ. jur. Can. rub.* 12. *c.* 13. *n.* 100. Pignatell. *to.* 8. *conſult.* 10. *nu.* 3. & licèt contrarium videatur innuere Rota *dec.* 84. *nu.* 3. *& ſequentibus coram Peutinger.* citans Buratt. *dec.* 688. *n.* 7. quia id procedit in actu poſſeſſionis non dependentis à ſententia judiciali cum contradictore; Iiſdem quoque ratio-
24 nibus retentis hanc concluſionem extendit Mangil. *de ſudhaſt. quæſt.* 198. *in fine*, etiam ad publicationes bonorum, & ſubhaſtationes, quæ complementum ſunt executionis; Quamvis de æquitate, & conſuetudine in Pagis, & Villis fieri die Dominico, vel feſtivo poſt Miſſam ante Eccleſiam Parochialem, ut indigenæ, qui aliàs nunquam conveniunt, præconia non ignorent, teſtatur Poſth. *de ſubhaſt. inſp.* 29. *n.* 99. *cum ſeqq.* & in terminis ſubhaſtationis ſatinæ, vel hujuſmodi, quæ difficulter fieri poteſt diebus non feſtis permittendam eſſe, & Ordinarium de facili præſtare debere licentiam, vel conniventiam declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum io Nicoterenſi 20. *Octobris* 1597. penes Pignatell. *in conſult.* 20. *nu.* 8. *in fine tom.* 4.

At verò in diebus ad otilitatem hominum feriatis
25 executionem tàm perſonalem contra debitorem, quàm realem contra bona indiſtinctè poſſe fieri commuoiter docent DD. peoes Scacciam *in cit. cap.* 5. *num.* 87. *in fine*, & priùs *lib.* 2. *de jud. cap.* 46. *n.* 13. Raynald. *tit.* §. 9. *nu.* 50. Major autem eſt DD. contentio, ao
26 Decretum in contractibus Mulierum, & minorum interponi valeat à Judice die feriato, non quia dubitetur, quin actus ſit voluntariæ juriſdictionis; ſed quia cauſæ iſtæ cognitionem requirunt, & Judice pro Tribunali ſedeote ferri debent, *leg. magis puto, ff. de reb. cor. leg. à procedente ff. de dilation.* & opinionem affirmativam tuetur Scacc. *de Jud. cit. lib.* 2. *cap.* 5. ex theorica Salycet. & Paul. de Caſtr. *in d. l. actus C. de feriis*, Ventrigl. *in prax. par.* 1. *ann.* 16. §. 2. *n.* 16. quamvis enim, inquiunt, decretum in contractibus mulierum, & minorum requirat cauſæ cognitionem, hujuſmodi tamen cognitio non excitat juriſdictionem contentioſam, ut in ſupradictis caſibus, cùm tantùm verſetur in favorem minoris, & non admittatur Contradictor etiam deducens proprium intereſſe; non poteſt itaque dici actus judiciarius contentioſæ juriſdictionis, qui non dirigitur contra certum oppoſitorem, eoque magis hujuſmodi opinionem militare in præſenti, proſequuntur, quia de conſuetudine circa neceſſitatem, & utilitatem contractuum mulierum, & minorum non conficiuntur acta, ut expreſsè diſponitur in *l. magis puto ff. de reb. eorum*, ſed ad eorundem validitatem ſufficit, quòd exprimatur Judicem interpoſuiſſe decretum cauſa cognita, quidquid
ſit an formiter, ſivè de plano, & extrajudicialiter pro- 27
ceſſerit, hujuſmodi quidem ſententiæ tamquam non levibus innixa rationibus ſubſcriberem, niſi contrarium ſervaret praxis, & doceret Rota in vulgata *dec.* 957. *par.* 3. *lib.* 3. *diverſor.* quam ſequuntur Simoncell. *de Decret. lib.* 1. *tit.* 1. *inſpect.* 3. *n.* 84. Mandoſ. *in cit. commiſ.* 13. *verſ. quæro*, Fenzon. *ad Stat: Urbis cit. c.* 58. *n.* 11. Ventriglia *in cit.* §. 2. *n.* 30. ſibi contrarius in *cit. n.* 16. & latiſſimè Ubert. *de citat. cit. c.* 10. *n.* 79. *ad n.* 89. & alii DD. communiter firmantes nullius momenti eſſe decretum Judicis in alienationibus minorum, aliiſque ſimilibus contractibus interpoſitum die feriata in honorem Dei, quidquid ſit in feriis genelalibus; omnes autem ad ſic concludendum moventur, quia hujuſmodi Decretum ferri debet à Judice pro Tribunali ſedente, & cauſa cognita; quàm concluſionem etiam fuiſſe ex mente Sac. Congreg. Epiſcoporum, reſtatur Pignatell. *in cit. conſultat.* 10. *n.* 8. *t.* 8. ubi refert reſolutum à S. Cong. in *Gallipolitana 26. Januarii* 1591. quòd pietatis cauſa Pauperibus, qui ruri commorantur permitti debet, ut diebus feſtivis ſuos contractus facere poſſent; in *Cajetana* tamen 23. *Auguſti* 1658. cenſuit ſupradictum Decretum non habere locum in feſtis ſolemnioribus, necnon io contractibus, in quibus Judicis Decretum requiri contigerit. Nec obſtat *deciſ.* 1213. *coram Emerix jun. nu.* 4. *ex dec.* 40. *&* 94. *& coram Otthobono*, quæ procedunt in diebus Novendialibus obitus Papæ, & ſic non in diebus feſtivis in honorem Dei, & præciſè Rota *in tit. Veliterna* 18. *Aprilis* 1692. §. *eoqueminus coram D. Molines Decano*, his verbis utitur: *Eoqueminus urget paritas deſumpta à decreto Judicis in contractibus minorum, & mulierum arguendo, quod quemadmodum iſtud non interponitur diebus feriatis in honorem Dei, ita non poſſint concedi hujuſmodi mandata de immittendo; nam Decretum, quod interponitur in dictis contractibus requirit maturam cauſa cognitionem, & expleri debent Judice pro Tribunali ſedente, è converſo autem mandata de immittendò conceduntur, vel abſque cauſa cognitionem, vel levi.*

Unde inſero ad limitationem principalis regulæ,
quod ità actus voluntariæ juriſdictionis diebus, etiam 28
in honorem Dei feriatis non prohibeantur, dummodò in continenti, & abſque cauſæ cognitione expediri valeant, ad quam cooclusionem firmandam optimè faciunt DD. mox citati; Niſi enim ad exceptionem regulæ hujuſmodi concluſionem trahamus, vel omninò falſam eamdem dicere convenit; nam verè hujuſmodi decreta actus ſunt voluntariæ juriſdictionis, quibus ex omnium DD. conſenſu feriæ non violantur; vel antimoniam in hac hypoteſi efformare neceſſe eſt; Non autem inficior, quòd hujuſmodi limitatio rationi maximè congruat, conſooum enim Religioni non videtur, quòd diebus feſtis, ſpecialiter in honorem Dei dicatis jure exerceri valeant actus, etiam voluntariæ juriſdictionis, cauſæ cognitionem, & diſcuſſionem requirentes, quibus homines à Cultu Divino abſtrahantur, & diù negotiis humanis implicati detineantur, contra rationem finalem feriarum, *leg. omnes, & leg.*
fin. de fer. qua quidem ratione moti quamplures DD. 29
indiſtinctè voluerunt, Judicem gerendo diebus feſtis actus voluntariæ juriſdictioois, etiam cauſæ cognitionem non requirentes, peccare, dummodò neceſſitas, vel pietas aliter non ſuadeat, juxtà Textus in *ca. fin. de fer.* quos tamen reprobat, vel ſaltem de ſolo peccato veniali intelligendos eſſe autumat, Pax Jordan. *tom.* 2. *de re benef. lib.* 11. *tit.* 1. *num.* 194. & ſequitur Raynald. *in cit. cap.* 1. §. 9. *num.* 55. & vide Ubert. *de Cit. cap.* 10. *num.* 71. §. *advertendo.*

Quo-

Digitized by Google

Quoties itaque neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat,
30 feriarum ratio in judiciis non eſt habenda, ut mihi
probat literaliter *tex. in cit. Conqueſtus de feriis*, & *l.*
3. ff. de feriis, ubi quòd in operibus pietatis nulla die-
rum, & temporum diſtinctio eſt habenda; & ſumma
eſt ratio, quæ pro religione facit, argumento ſumpto
ex *can. utinam diſt. 76.* & dicit Imperator in *leg. ſunt*
perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. funer. quinimò diebus fe-
ſtis opera pietatis exerceri convenit, *c. Cum ad Monaſt.*
de ſtat. Monach. unde in propoſito vulgantur verſus:

Non rectè ſervat legalia Sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit his vetitum.

Non eſt autem ita protrahenda hujuſmodi concluſio,
31 ut latè ſumitur à DD. cauſa pia; ſic enim infinita pro-
pemodum diebus feriatis permitterentur judicia, quæ
verè ad nullum pietatis opus diriguntur, itaq; cauſam
pietatis opus continere autumo, & eam intelligendam
eſſe contentam in *cit. c. Conqueſtus*, quæ circa miſeri-
cordiæ opera verſatur, & optimè firmant Abbas *ibid. n.*
14. Barboſa *num. 27.* Antonell. *de temp. leg. lib. 4. cap.*
9. num. 26. Marc. Anton. *variar. lib. 3. reſ. 48. n. 1.*
& benè facit Gloſſ. *in Clem. ſæpe verbo ob neceſſita-*
tem de verbor. ſignif. ubi concludit, quòd tempore fe-
riarum in honorem Dei, & in his, quæ repentinæ vo-
cantur procedi non poſſit in cauſis matrimonialibus,
beneficialibus, decimarum, & uſurarum, quamvis in-
ter cauſas pias primariò numerentur, ſecùs tamen in
feriis generalibus, ſeù ruſticis ex infra deducendis de
cauſis ſummariis, in quibus proceditur de plano, ſine
ſtrepitu, & figura judicii; Quæ itaque in propoſito ſim-
pliciter firmant DD. de cauſſis Pupillorum, Viduarum,
32 aliarumque miſerabilium perſonarum, de quibus in *leg.*
unica, C. quando Imperator inter Pupill. & Vid. Itemq;
de cauſa dotis, alimentorum, & ſimilium, ex Text. *in*
l. mela ff. de alim. & cib. leg. & *in l. cum is §. ſi in ea*
ff. de condit. indeb. intelligenda equidem ſunt favore tan-
tummodò verè miſerabilium perſonarum aliarumque,
circa quas miſericordiæ opera verſantur, juxtà ſenten-
tiam Abb. Antonell. & Marc. Anton. *ſupra cit.* Unde
eſt, quòd etiam pro expeditione Carceratorum proce-
di valeat diebus feriatis; nam ut ait Scacc. *in cit. c. 5.*
n. 65. ſi opus eſt miſericordiæ eos viſitare, à fortiori
reputabitur eorumdem liberationem promovere, & ex-
pedire, ultra alias rationes adductas à Raynaldo *ibid.*
nu. 62. Cauſæ autem alimentorum, & mercedum tunc
33 proſequi, & decerni poſſunt diebus, etiam in honorem
Dei feriatis, quando debentur Pauperi, qui aliundè non
habet, ſecus autem ſi agatur de alimentis præteritis,
in quibus hujuſmodi ratio pietatis conſiderari nequit,
ut declarant latè Zacchias *de ſalar. qu. 92. per tot.* Pi-
gnatell. *cit. conſult. 10. num. 7.* Gratian. *deciſ. 53. in*
addit. Antonell. *loco cit. nu. 28. cum ſeq.* Surd. *de alim.*
tit. 8. priv. 2. num. 12. & ſeqq. Maranta *in praxi jud.*
par. 4. diſt. 9. nu. 168. Cauſa etiam dotis tantummo-
dò favore mulieris pauperis ad noſtrum effectum repu-
tatur pia, ut ſcilicet agitari poſſit diebus feriatis. Mu-
lierem enim divitem hoc privilegio frui non poſſe, aſ-
ſerunt Antonell. *loco cit. n. 30.* Scacc. *de Jud. cit. c. 5.*
nu. 59. Altimar. *de nullit. rub. 9. queſt. 40. num. 43.*
Et tandem tamquam cauſæ piæ expediri poſſunt quo-
libet die feriato, quæcumq; ad concordiam, & pacem
componendam pertinent, ex *can. decrevit 22. qu. 5. l.*
fin. C. de feriis, & notant Interpretes in *cit. c. Conque-*
ſtus, inter quos Abbas *n. 14.* Gonzalez *n. 13.* Fagn. *n.*
19. ubi deducunt, quòd pactis, tranſactionibus, &
compromiſſis in amicabilem Mediatorem pacis non vio-
lantur feriæ.

Neceſſitas item, ut pietas, à feriarum obſervantia
abſolvit in *cit. c. Conqueſtus de feriis*, neceſſitatem enim
non habere legem, ſivè ſit circa temporalia, ſivè
ſpiritualia, ad noſtrum propoſitum dixit Abbas *ibid. n.*
14. & DD. communiter; Quamobrem ubicumq; in mo
ra vertitur periculum animarum; nulla eſt habenda fe-
riarum ratio ad proſequutionem, & expeditionem Ju-
diciorum, ut firmat Rota *in dec. 1. n. 4. de feriis cor.*
Creſcentio, prout in cauſis electionum, inquiſitionum
& hujuſmodi, cùm neceſſitas, & pietas id ſuadeat,
Fagn. *in cit. c. Conqueſtus n. 15.* Majori autem circum-
ſpectione eſt procedendum, dum agitur de neceſſitate
temporali, etenim non omnis neceſſitas facit de illici-
to licitum, juxta *c. 2. de obſerv. Jejun. cum concordan.*
ſed tantùm, quæ neceſſaria neceſſitas lepidè dicitur à
Tertul. *de Coron. milit.* neceſſitas, inquam, non mo-
dica, ſed gravi, ut notat Gloſſ. Hoſtien. & Abbas *in c.*
Si quis de furtis; Silveſt. *verbo furtum q. 3.* Unde in ca-
ſus contingentia principaliter perpendendam cenſeo qua-
litatem neceſſitatis, quidquid dicant DD. qui indiſtin-
ctè declarant, tunc eamdem urgere, ut etiam diebus fe-
ſtivis procedi valeat, quando res eſt tempore peritura;
itemque quando actio, vel Juriſdictio Judicis eſſet ex-
piratura; & tandem quando res celerem expeditionem
deſiderat, poſthabita ulteriori inquiſitione an res ſit par-
vi, vel magni momenti, atq; juxta qualitatem actoris
perneceſſaria, ut ſunt cauſæ Fiſcales, & cauſæ Piſtorum
aliorumque ſimilium, *l. publicas C. de fer. ex Text. in*
l. 1. §. ſed excipiuntur, & *l. ſolet ff. de fer.* Ubert. *de*
citat. cap. 10. n. 179. Scaccia *de Judic. cit. c. 5. n. 28.*
cum ſeqq. Altimar. *de nullit. cit. qu. 40. num. 13.* com-
muniter autem exemplificant DD. *res peritura*, in ca-
ptura delinquentis in criminalibus, cùm periculum 34
ejus fugæ ſit in mora, quamvis alii voluerunt, dum-
modò inveniatur in fraganti crimine, Ubertus *loco cit.*
nu. 175. & Foller. *in pract. Crimin. verbo notat capiat*
num. 5. ibique De Angelis *nu. 23. cum ſeqq.* Farinac.
queſt. crim. lib. 1. queſt. 27. nu. 109. & 110. Bart. *in*
tract. de Carcerat. nu. 12. & alios, quos ſequitur Alti-
mar. *ibid. nu. 73.* Unde Sac. Congregatio Epiſcoporum
declaravit, Ordinarium prohibere non poſſe, ne quis
ob aliquam cauſam criminalem carceretur in die feſto,
in *Crotonenſi 9. Septembris 1593.* & in *Acheruntina*
17. Maii 1604. eoque magis poteſt Creditor etiam die-
bus feſtis inſtare contra Debitorem de fuga ſuſpectum,
& Judex valet mandatum de capiendo relaxare, &
Executores poſſunt eumdem validè in Carceribus man-
cipare, ut cenſuit eadem Sac. Congregatio Epiſcopo-
rum, & Regular. in *Neocaſtren. 17. Septembris 1585.*
penes Pignatell. *in citat. conſult. 10. nu. 8.* feriæ nam-
que Debitoribus non proſunt, qui ſe ad fugam in-
ſtruunt, ex Gloſſ. *in l. fin. C. de feriis*; & *l. fin. ff. de*
requir. reis, & communiter admittunt DD. Diſcrepant
verò, nunquid Debitor de fuga ſuſpectus, jam carce-
ratus, recommendari, ſeù ad inſtantiam alterius Credi-
toris ſequeſtrari valeat feriatis diebus; & quamvis ne-
gativam tueantur Doctores non ſanè parvi nominis,
quamq; communiter teneri aſſerit Farinacc. *lib. 1. qu.*
crim. 27. n. 108. attamen affirmativam amplector, quam
defendit Scaccia *in cit. c. 5. n. 33. & ſeqq.* & ſequitur
Antonell. *de tempore leg. c. 9. nu. 22. lib. 4.* ea ductus
ratione, quod hujuſmodi Debitor poſſet præſtita cautio-
ne die feriata relaxari, ut ſupra diximus, ex qua qui-
dem excarceratione ſuſpicio fugæ reviviſceret, ideòque
cur Creditor ſibi hoc medio præcaveri nequeat, non
video. Aliis verò omiſſis exemplis rei perituræ, te- 35
ſtes etiam abire volentes, vel ita infirmi, ut de morte
timeatur, poſſunt diebus feriatis non tantùm examina-
ri, quod eſt generaliter permiſſum, verùm etiam jure-
mentum de veritate dicenda præſtare, quod abſque ne-
ceſſitate eſt prohibitum, Antonell. *loco cit. nu. 18. cum*
ſeqq. & ſequitur Raynald. *to. 1. c. 1. §. 9. n. 60.*

Circa verò neceſſitatem judicialiter procedendi die-
bus feſtivis, quando actio, vel Juriſdictio Judicis eſſet 36
tempore expiratura, theoricam traditam à ſæpecitato
Antonell. *num.* 20 ſequor, qua Doctorum inter ſe
pugnantes ſententiæ mirè conciliantur; videlicet, ſi
Judicis ſola juriſdictio periret, poſſet quidem proce-
di die feriato in utilitatem hominum dumtaxat; ſi ve-
rò una cum Juriſdictione Judicis periret actio, ſeù
inſtantia, vel etiam probationes Partis, tunc procedi
poſſet etiam die feriato in honorem Dei, ut firmat
ex latè congeſtis per Scacc. *de Judic. lib. 2. c. 5. nu.*
40. & ſeq. Raynal. *loco cit. nu. 58.* ubi in terminis ap-
pellationis exemplificat ratione adducta, ne pereant
fatalia ad appellandum.

Ultimum tandem aggrediendo caſum, in quo judicia-
liter

Digitized by Google

liter procedi poteſt non obſtantibus feriis, dicimus, quòd Feriarum generalium edictum non habet locum in cauſis ſummariis, & arbitrariis, in quibus proceditur de plano ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ex notiſſima *Clem. ſæpe de Verb. ſignif.* ut notant Scaccia *in cit. cap. 5. n. 171.* Ubert. *de citat. c. 10. n. 194.* Ventriglia *in cit. annot. 16. §. 2. n. 29.* & licèt quamplures DD. hujuſmodi concluſionem ampliarunt in quibuſdam caſibus, ut procedat etiam diebus feriatis in honorem Dei, veruntamen non ſolùm tam de Jure, quàm de conſuetudine contrarium eſt veriùs, juxta diſpoſitionem *præcit. Clemen.* ſed etiam quamvis eſſet in commiſſione expreſſum, ut procedi poſſit ſola facti veritate inſpecta ſingulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis; attamen de feriatis ad utilitatem hominum non equidem in honorem Dei eſſet intelligenda, Marcheſan. *de Commiſ. derog. feriar. cap. 1. num. 48. 52. & 77.* Mandoſ. *eodem tract. commiſſ. 13. verſ. ſecundus caſus*, quos ſequitur Scaccia *cit. cap. 5. nu. 27.* & generaliter concluſionem firmant Gloſſ. *in cit. Clem. verbo neceſſitas*, Pignatell. *cit. conſult. 10. n. 5. lib.* 8. Maran. *in prax. par. 4. diſt. 16. nu. 90.* aliique commu-
38 niter; Juxta igitur noſtram concluſionem, certum eſt, quòd diebus ad utilitatem hominum feriatis procedi poteſt in cauſis ſuper electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus, aut ſuper dignitatibus, præbendis, ſeù quibuſvis Beneficiis Eccleſiaſticis, necnon ſuper decimis, matrimoniis, & uſuris, *Clem. diſpendioſam de Judiciis*, Abbas *in cit. cap. Conqueſtus num. 14. de fer.* Ubert. *in cit. n. 194.* & Scaccia *ibid. n. 86.* qui etiam *num. 172. & ſeqq.* exemplificat in cauſis locationum, ſalarii, & mercedis; In Rota autem, quidquid ſit de ſtylo, in ſupradictorum cauſis ſolet pendentibus feriis generalibus judicialiter procedi in cauſis poſſeſſoriis, quia ſunt ſummariæ juxta vulgatam *dec. unic. de feriis coram Achill. de Graſſis*, & firmat noviſſimè Rotæ *in dec. 133. num. 1. coram Emerix. Jun. & dec. 4. num. 1. cum ſeqq. & dec. 394. nu. 4. cum ſeq. par. 18. rec.* in quibus iteratò firmavit, quòd in cauſis attentatorum Auditores habent Juriſdictionem etiam tempore vacationum, quia ſunt poſſeſſoriæ, & in *dec. 407. nu. 14. & 15. par. 4. tom. 2. rec.* ubi quod mandatum de manutenendo validè fuit expeditum pendentibus feriis, & in *Thermulana manutentionis ſuper ſanatione 22. Februarii 1706. §. imò cor. D. Molines* firmavit, quòd in feriis Generalibus Rotæ Auditores decidunt ea, quæ facti ſunt, & habent Juriſdictionem in poſſeſſorio, & tandem advertit *Coccin. in annotac. 261. numer. 243. cum ſeqq.*

A majoritate rationis idem dicendum eſt in cauſis
39 exequutivis, in quibus procedi poteſt tempore ad utilitatem hominum feriato, tum quia ordo judiciarius magis quàm in cauſis Summariis relaxandus eſt, & dilationes debent eſſe breviores; verùm etiam cùm in Judicio exequutivo conſentientes tacitè iiſdem feriis renuncient, ut facit Rota *in dec. 90. nu. 4. par. 3. rec.* & notat Scaccia *lib. 2. de Iudic. c. 5. nu. 179.* ubi ſubdit, quòd proculdubio ſervatur in foro Capitolino vigore Statuti Urbis *c. 58. in fine*.

Ultimam tandem imponendo manum huic diſſer-
40 tationi, prætereundum non eſt, quòd pendentibus feriis in honorem Dei, & his, quæ repentinæ dicuntur, etiam de Partium conſenſu Judicium exerceri nequit; ſecus verò ſi quæratur de feriis generalibus, ſivè ad utilitatem hominum introductis, quibus pro comperto eſt, quòd de utriuſq; Partis conſenſu renunciari poteſt; quinimò etiam proceſſus invalidè ob hujuſmodi ferias actitatus, ante ſententiam ratificari, & convalidari per eaſdem Partes valet; ratio quippe differentiæ ex eo patet, quòd privatorum conſenſus nihil operatur, ubi aliquod prohibetur cauſa decoris Principis, licèt ſecundariò redundet ad ſingulorum utilitatem, *leg. 1. & leg. quos prohibet de poſtulando*, & ibi Gloſſ. In his verò, quæ principaliter in ſingulorum favorem introducta ſunt, quiſque in ſui præjudicium poteſt ad libitum renunciare, ex *Text. in cap. ad Apoſtolicam de Regular. & l. ſi quis Cod. de pactis*, & concluſionem firmant Fagn. *in cit. cap. Conqueſtus nu. 7. & ſeqq. de fer.* Felin. *in c. Significaſti n. 7. de for. comp.* Marcheſan. *in cit. par. 3. §. 1. n. 40.* Ubert. *de citat. c. 10. n. 56.* Scacc. *de Judic. lib. 2. c. 5. n. 556.* De Marin. *reſol. Jur. c. 118. à n. 1.* Theſaur. *dec. 39. n. 1. & ſeqq.*

Porrò autem hujuſmodi feriarum generalium renunciatio non tantùm per ipſoſmet Principales, inter quos 41
vertitur judicium, verùm etiam per eorumdem Procuratores fieri valet, ratione adducta per *Ubert. loco cit. n. 59.* cùm ſit exceptio dilatoria, quæ non pendet in præjudicium Domini; & non tantùm expreſsè, ſed etiam tacitè, expreſsè quidem, vel in contractu per pactum extra feriarum tempus, & tunc renunciatum cenſetur feriis proximis, & quibuſcumque futuris, vel in ipſo limine judicii, quo caſu in feriis tantùm imminentibus renunciatio vim habet, juxta Theoricam quam recenſet Scaccia *in cit. c. 5. n. 161. cum ſeqq.* Tacita autem renunciatio intelligitur, quando pendentibus feriis citatus comparet, & ferias non opponit, litem conteſtatur, vel alios actus gerit, qui citra renunciationem fieri nequeunt, Fagn. *in cit. c. Conqueſtus n. 9.* Ubert. *cit. c. 5. n. 56. in fine*, aliique communiter;
Nunquid autem reus feriato die conventus teneatur al- 42
legare ferias, & ſi contumax ſit cenſeatur renunciaſſe feriis; & prima facie videtur pro affirmativa ſtetiſſe Rota poſt Poſth. *de manut. dec. 415. n. final.* ibi: *Poſtrema deducebatur nullitas, quod ſententia eſt lata tempore feriarum* Jaſ. *in leg. reſid. n. 2. de fer. ſed ceſſat hæc nullitas parte non opponente leg. 1. §. ſi Prætor ff. de fer.* & ſequitur Altimar. *de nullit. q. 40. loc. cit.* Verum mens Rotæ omninò intelligenda eſt, ſcilicet parte non opponente, ideſt conſentiente, ne pugnet contra expreſſum Textum, quem allegat; ibi enim ſancitur, quòd ſententia valebit, ſi feratur partibus præſentibus, & ſponte litigantibus: *Sin verò cum abeſſe perſeveraverint, ſententiam Judex protulerit, etiam abſentibus illis, conſequens erit dicere, ſententiam nullius eſſe momenti*, & optimè ratiocinatur Gloſſ. *ibid. verbo nullius* non enim comparendum eſt coram Judice, qui ſupra juriſdictionem ſuam vult Jus dicere, & certum ſit citatum vocari non debere, & quòd renunciatio non oriatur ex contumacia, firmat Ubert. *ibid. nu. 57. & 58.* Scacc. *loc. cit. nu. 165. & ſeqq.* ubi etiam notabiliter firmat, quòd ſi quis à principio comparet, & deindè fit contumax, cùm cenſeatur ab initio renunciaſſe, præſumitur etiam in eadem voluntate durare, ideòque ſententia erit valida, quòd ſi verò in actibus ſubſequentibus allegee ferias, abſque vitio nullitatis, ulterius procedi non poſſet, quia comparendo à principio non ſibi præjudicavit, quin deinde allegare poſſit ferias ex Aretin. *in Inſtit. de except. §. appellantur numer. 36.* aliique.

An in Curia cùm Partes procedere volunt ad expe-
ditionem judicii pendentibus feriis generalibus, impe- 43
trare ſolent commiſſionem earumdem derogatoriam; forſan quia facilis eſt recurſus ad Principem, cujus majeſtatem præſentem impenſiùs colere decet; Hujuſmodi autem commiſſio paſſim conceditur, quando petitur de partium conſenſu, vel rationabili intercedente cauſa ut teſtatur Marcheſan. *ibid.* pluribus in locis, & Rota *in dec. 73. n. 30. cor. Arguell.* difficiliùs tamen impetratur in cauſis coram Eminentiſſimis Cardinalibus, & in Sacra Rota pendentibus, ut proſequitur idem practicus Marcheſan. *num. 91. & 98.* In hujuſmodi verò
commiſſione feriarum derogatoria, clauſula apponi ſo- 44
let, quod in cauſa procedi poſſit ſingulis diebus feriatis, & non feriatis, *præterquam in honorem Dei*: quinimò etſi omitteretur, non tamen ſub generali derogatione comprehenderentur feriæ illæ, tanquam ſpeciali nota dignæ, prout etiam feriæ, quæ dicuntur indictæ, ut ſunt dies Creationis, & Coronationis Summi Pontificis, aliique, qui ſemper pari paſſu cum feriis ſolemnibus ambulant; Non eſt autem, quod aliquando Papa ex cauſa ſibi viſa, putà propter periculum moræ, expreſsè annuere ſoleat, ut procedi poſſit qualicumque die, etiam in honorem Dei feriata, ut latiùs Ubert. *de Cit. c. 10. n. 47. & 54.* ex Mandoſ. *cit. commiſ. 13.*

Mar-

45 Marchesan. *cit. part.3. §.1. num.81.* At in terminis ultimodicti caſus, notabiliter animadvertendum eſt, quòd ſicuti inter ferias, quæ in honorem Dei ſunt introductæ, ſpeciali nota derogari debent; ita in ſimplici derogatione feriarum in honorem Dei, Dominicus dies non comprehenditur ex ſui ſpeciali prærogativa, ex Textu expreſſo in *Can. quod die diſt.75.* ibi : *ut dies Dominica debeat ſpeciali prærogativa lætari*, & ad noſtrum intentum conſiderat originaliter Bald. *in cap. conqueſtus de fer.* quem ſequitur D. Raynald. *lib. 1. obſerv. crim. cap. 1. §. 9. num. 64.* Scannarol. *de viſit. carcerat. lib.3. §. 10. cap. 11. num. 49.* ubi quòd conceſſo *exequatur* in diebus feſtivis, Debitor carceribus mancipari nequeat die Dominico, niſi ſpecialiter nominetur. Num-
46 quid tandem renunciatio feriarum facta à Partibus, vel derogatio à Principe obtenta obſit Judicibus, & Teſtibus, adeòut etiam inviti judicius incumbere debeant; & communiter concludunt DD. quòd feriarum quies, etiam inducta eſt favore Magiſtratuum, quamobrem Partium renunciatio eiſdem non obſit, & Judicem ſine rubore dicere poſſe litigantibus : *Si vos renunciaſtis, ego non renuncio*, dicunt Scaccia *in cit. cap.5. num.179.* Theſaur. *deciſ.39. §. final*; ita etiam de derogatione ad inſtantiam Partium à Principe obtenta, ut ſcilicet Teſtibus, & Judici nonniſi volentibus præjudicet, diſſerit Rovit. *in rubr. Pragmat. de fer. num. 6.* contrarium tamen defendit Anna *ſingul. 192.* quem refert De Marin. *in cit. cap. 118. num. 3.* Scaccia *loc. cit. num. 191.* quæ tamen Doctorum controverſia faciliter conciliari poſſe videtur, inſpiciendo tenorem reſcripti, an præceptivè mandet Judici, ut non obſtantibus feriis in cauſa procedat, & tunc militat opinio Roviti; vel ſimpliciter annuat Partium inſtantiæ derogando ferias, quo caſu Annæ concluſio videtur amplectenda.

CONSTITUTIO XV.

JOANNIS XXII.

Incipiens (*Cum à Nobis.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES, ABBATI MONASTERII S. Mariæ de Monte Oliveto in Accona Aretina Diœceſis.

APprobatur in præſenti Conſtitutione Congregatio Monachorum Montis Oliveti ſub Ordine S. Benedicti.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Olivetanæ Congregationis origo, & progreſſus referuntur.*
2 *Bernardus ejus Fundator qualiter à ſæculo ad Religionem fuerit converſus.*
3 *Quibus auxiliis, quibuſque auſpiciis Congregationem fundaverit, ac Regulam præſcripſerit.*
4 *Ejus Corpus in Monaſterio Montis Oliveti ſub Beati cultu veneratur.*
5 *Indicantur progreſſus, & privilegia hujus Congregationis.*

1 EX Benedictina Regula, quæ divini inſtar cujuſdam ſeminis, Occidentalis Eccleſia cœleſtium fœcundatur ubertate plantarum, his temporibus, quaſi Oliva ſpecioſa in Campis Tuſciæ pullulavit Olivetana Congregatio, quàm Jo: Papa XXII. hac edita Conſtitutione Avenione 16. Kal. Junii Anno 1324. approbavit, & ſub protectione S. Sedis recepit, quæ Conſtitutio, prout & aliæ ad hanc Congregationem pertinentes referuntur in *Compend. Privileg. Congregat. Monach. Montis Oliveti pag. 1. Typis edito Bononiæ*
Anno 1580. Hujus quidem primus Cultor fuit Bernar- 2
dus, antea Joannes dictus, Senis ex nobili Ptolomea familia progenitus, qui poſt exantlatam in humanioribus litteris operam, cùm primùm pubeſceret, dignus habitus eſt, ut inter ſuos Cives Legum Cathedram moderaretur; Dum verò in legibus humanis ad civilem hominum converſationem informandam inſudabat, divina favente clementia, ad præſcribendas Sacras Regulas ad Cœleſtia Regna conducentes evocatus fuit; Publicam enim diſputationem in Academia ſolemniter habiturus, cùm in gravem oculorum infirmitatem incidiſſet, oculis ſuæ mentis apertis Mundi hujus afflictiones, & vanitates in ſua orbitate proſpexit, & adeò inſedit in ſuo animo ejuſdem contemptus, ut Sanctiſſimam Virginem fuerit præcatus, quòd ſi priſtinam ſanitatem, & oculorum lumen ſibi reſtituiſſet, ipſius famulatui ſe perpetuò addicturus foret; & ſuis precibus non defuiſſe miſericordiarum matrem, priſtina ſanitate recuperata, cognovit; Venit tandem expectata diſputationis dies, & multitudine jam contracta in Academia, ſolus Bernardus expectabatur; At ille tandem venit, Cathedram tamen orſus, loco lectionis gravem habuit de ſæculi hujus contemptu concionem, concludens cum Eccleſiaſte : *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas : in his omnibus labor, & afflictio*
ſpiritus. Poſt hæc Bernardus rudi amictu indutus, in 3
Montem Olivetum penes Montem Ilcinum extra hominum converſationem ſe contulit, aſperamque cœpit in vigiliis, jejuniis, & orationibus vitam vivere, quem mox Patricius ex Patricia familia, & Ambroſius Piccolomineus, ambo nobiles Senenſes eodem propoſito ſecuti ſunt; Cùm autem eorumdem fama pernoti quamplures diſcipuli ad eoſdem confluxerint, confeſtim æmuli quidam Sanctos Viros, quaſi Novatores apud Jo. Papam detulerunt; vigil itaque Pontifex extemplò nonnullos ex iiſdem Seniores accerſivit; & benè perſpecto eorumdem vivendi modo, & fine, tandem nedum tamquam innocentes eos abſolvit, ſed commendatos remiſit ad Guidonem Epiſcopum Aretinum, in cujus Diœceſi olim ſitus erat Mons Olivetus, ut eis Regulam præſcriberet, itemque Congregationem approbaret; At Beatiſſima Virgo, quæ manum elementiſſimè admovit ad reducendum in meliorem frugem Bernardum, indicare ipſa voluit Epiſcopo, ſub quo duce, & ſub qua clamide novella Congregatio militare deberet, eidem namque in ſomnis apparuit fulgentibus induta veſtibus, porrigens cappam albam, & codicem Regulæ D. Benedicti; Quapropter cùm non multos poſt dies Bernardus cum aliis Sociis litteras Papæ Epiſcopo reddidiſſet, ipſe memor viſionis, inter Miſſarum ſolemnia eos candido habitu in Eccleſia Cathedrali Aretina die 21. Martii 1319. induit, & D. Benedicti regulam ſervandam præſcripſit, Congregationique Sanctæ Mariæ Montis Oliveti nomen indidit. Bernardus tandem, ubi ſuæ Congregationis confirmationem ab eodem Pontifice Joanne, hac edita Conſtitutione obtinuiſſet, & annis vigintiſeptem verbo, & exemplo ſuis aſſeclis veram ideam Monaſticæ vitæ imbibiſſet, Senis, dum ſuis Monachis peſtilentia infectis propriis manibus inſerviret, & ipſe peſte percuſſus Animam Deo reddidit Anno Domini
1348. 11. Kal. Septembris. Ejus Corpus conditur in 4
Monaſterio Montis Oliveti, ejuſdem Congregationis principe, & cultu Beati veneratur, haud tamen Officio Eccleſiaſtico colitur, facultate nondum impetrata à Sede Apoſtolica. Latiùs ex Chronico Olivetano hæc recenſent Philipp. Ferrar. *in Cathal. Sanctorum Italiæ die 22. Auguſti*, Morigia *de orig. Relig. lib. 1. cap.37.* Miræus *de orig. Monaſtica lib.2. cap.22.* poſt alios, quos citat Barboſa *in ſumma Apoſt. deciſ. collect. 501.* Tamburin. *de jure Abbat. libr.2. diſp.24. quæſ. 5. number.45.* Azor. *inſtit. moral. tom.1. lib.12. cap.21.*

Hæc quidem fuerunt initia Olivetanæ familiæ ſub 5
Regula S. Patriarchæ Benedicti, anno Domini 1319.

Digitized by Google

Joanne XXII. Pontifice Maximo, imperante in Oriente Andronico, in Occidente verò Ludovico IV. Ejuſdem autem in Eccleſia Dei progreſſus quàm illuſtres in ſanctitate, & doctrina fuerint, teſtantur tot Pontificiæ Conſtitutiones, quibus comprobata, munita, exornata, & decorata iſthæc Congregatio fuit. Poſt namque noſtram Conſtitutionem, Clemens VI. in ſua *Conſtit.* 1. incip. *Solicitudinis* facultatem noſtræ Congregationi fecit acquirendi, & retinendi nova loca, & Monaſteria, ibique Sacramenta miniſtrandi; Pius autem II. in *Conſtit.* 9. incip. *Licet* privilegia Monachorum Ciſtercienſium eidem communicavit, aliaſque gratias conceſſit; Julius II. in *Conſtit.* 5. incip. *Militanti*, facultatem conceſſit eligendi Conſervatores, eorumdemque juriſdictionem ampliavit; Nonnullaſque ordinationes pro bono pariter regimine noſtræ Congregationis, etiam præſcripſit in *Conſtit.* 11. incip. *Ex injuncto*, & in *Conſtit.* 12. incip. *Etſi*. Pius autem IV. Prælatis facultatem abſolvendi Monachos ab irregularitate, quatuor tantùm exceptis caſibus, tribuit in *Conſtit.* 7. incip. *Votis*, & aliis, ſi qui ſint, Pontificibus in noſtram Congregationem munificibus, omiſſis; Urbanus tandem VIII. Decretum Sacr. Congregat. Rituum approbavit, quo uſus Baldachini, & aſſiſtentiæ ejuſdem Abbatibus conceditur in ſua *Conſtit.* 97. incip. *Exponi*; His itaque gratiis, & privilegiis Olivetana Congregatio à S. Sede fota, non ſolùm citò adolevit, adeò ut Barboſa, & Moriga *loc. cit.* ſuis temporibus numeraverint pluſquam ſexaginta Monaſteria intra Italiam, & Siciliam, ultra alia quamplurima in Hungaria; ſed etiam emiſit Viros omni genere virtutum refertos: alios, qui in Eccleſiaſtica Hierarchia ſuperiores gradus occuparunt: alios verò ſanctitatis fama notiſſimos, quos enumerant Marull. *in Oceano Relig. lib.* 5. *pag.* 343. Tamburin. *loc. cit. num.* 45. Plura circa approbationem Religionum dixi *tom.* 2. *ad Conſtit.* 9. Gregor. IX. *per tot.* & *tom.* 3. *ad Conſtit.* 1. Honor. IV. *num.* 8. & 9. unde nihil addendum in præſenti duxi.

CONSTITUTIO I.

BENEDICTI XII.

Incipiens (*Regularem*.)

EPITOME BULLÆ.

BENEDICTUS AD PERPETUAM rei Memoriam.

STatuit, ne Fratres Mendicantes ad Ordines Monachorum Nigrorum, & Ciſtercienſium tranſire valeant.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Benedicti XII. natales, & ad Pontificatum aſſumptio indicantur.*
2 *Ex Ordine Ciſtercienſium aſſumitur ad Epiſcopatum, inde ad Cardinalatum.*
3 *Fuit in ſcientiis peritiſſimus, ac moderatus erga propinquos.*
4 *Indicantur alia ab ipſo in Pontificatu geſta.*

1 AD Pontificatus apicem promotum vidimus Joannem XXII. ſanguinis nobilitate minimè præditum; Succeſſorem illi nunc aſpicimus datum Benedictum XII. natalibus quidem obſcuris ortum, ut agnoſcatur, nullam apud Deum eſſe perſonarum acceptionem, ſed ignobilitatem generis illuſtrari radiis virtutum. Poſt obitum igitur Joannis aliqui dies tantùm intermedii fuere, &
in Comitiis Avenione habitis electus extitit Romanus
Pontifex Benedictus omnium Cardinalium infimus, ut
notant Scriptores Eccleſiaſtici alludentes ejus natalibus,
vel potiùs humilitati, & paupertati; Re vera autem vir
ſcientiſſimus fuit, Jacobus Furnarius vocabatur ante pro-
motionem, ex Galliarum Provincia Tholoſana in Op-
pido Savarduno Diœceſis Appamiarum obſcuris paren-
tibus ortus, & ut ajunt molitore patre; priùs Ciſter- 2
cienſis Monachus, vel ut alii, ſed non benè, Carmeli-
ta, Abbas Montis Frigidi, deindè Epiſcopus Appamia-
rum, deindè Mirapicenſis, ac demum Presbyter Car-
dinalis à Joanne XXII. creatus fuit, die 13. Kal. Ja-
nuarii Anno 1334. ad Pontificatum electus, coronatus
extitit die Dominico Kal. Januarii 1335. in Eccleſia
PP. Prædicatorum Avenionis, aſſumpto nomine Bene-
dicti XI. licèt dictus XII. Eluxit in eo maxima ſcien-
tiarum peritia, ut opera ejus indicant litterariæ luci 3
tradita; ſæpè conciones Sacro Collegio, alibique pe-
regit, erga propinquos non liberalis, itaut eos agno-
ſcere profitebatur uti Jacobus Furnarius, non uti Papa;
nepotem tamen ex fratre Ciſtercienſem ad Cardinala-
tum promovit; In morum gravitate maximè enituit,
ac humilitatis ſpecimen exhibuit, dum ejus promotio-
nem inopinatam miratus, ait Cardinalibus, parum
idoneum elegiſſe, futura ejus geſta prævidens, dum
fuit in Pontificatu vir, etſi doctrina, ac vitæ integri-
tate præfulgens, hebetioris tamen ingenii, & gubernio
aulico non ſatis aptus; Plura tamen egit laude digna, 4
oppugnando præſertim Ludovicum Bavarum Impera-
torem, maximamque conſtantiam profeſſus, itaut nec
vi, minìſve dimoveri aliquando potuerit; In benefi-
ciis conferendis cavit, ut indigni arcerentur, ſæpè
dicens, nolle lutum exornare, luto comparans homi-
nes honoribus minus dignos. Palatium Apoſtolicum
Avenionenſe extrui curavit; aliqua opera explevit, &
demum Kal. Maii Ann. 1342. piè obiit, ac in Eccleſia
Cathedrali Avenionenſi ſepultus, cum marmorea inſcri-
ptione, quam refert Oldoinus ad Ciacconium *in ejus*
vita. Regularem vitam in minoribus profeſſus curavit
iſte Papa in pluribus Regularium inſtituto conſulere,
ut egit hac Conſtitutione, prohibendo tranſitum Men-
dicantium ad Monachos nigros, & Ciſtercienſes, de
qua re dicam in ſequenti Sectione.

SECTIO UNICA.

De prohibito tranſitu Mendicantium ad Monachos nigros, & Ciſtercienſes, ac de aliis ad tranſitum Regularium pertinentibus.

SUMMARIUM.

1 *Mendicantes prohibentur tranſire ad Monachos nigros, & Ciſtercienſes ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.*
2 *Quod procedit etiam quoad Ciſtercienſes Reformatos Congregationis Fulienſis.*
3 *Ciſtercienſes Congregationis Fulienſis tranſire non poſſunt ad alios Ciſtercienſes, etiam ſi tranſitum voverint.*
4 *Tranſitus jure antiquo regulariter prohibetur, & adducuntur plures cauſæ hujuſmodi prohibitionis.*
5 *Idem aſtruitur ex mente D. Bernardi.*
6 *Ex quibus cauſis tranſitus licitus reddi valeat, ac permiſſus.*
7 *Tranſitus ad arctiorem permittitur licentia petita, & non obtenta.*
8 *Hæc licentia à quo Prælato ſit petenda, & an requiratur licentia petita à toto Conventu.*
9 *Ex voto obedientiæ oritur obligatio petendi hanc licentiam.*
10 *Licentia petenda eſt à toto Conventu, ſi agatur de tranſitu ad æqualem.*
11 *In aliquibus Religionibus requiritur licentia etiam obtenta à Superiore, & Conventu.*

12 *Tran-*

Digitized by Google

12 *Tranſiens ad arctiorem exprimere debet Superiori cauſam tranſitus; & quid ſi cauſa ſit falſa.*
13 *Cauſam tranſitus eſſe juſtam, necne, à quo Superiore cognoſcendum.*
14 *Tranſitus ad arctiorem licentia non petita eſt illicitus, & an etiam invalidus, & nu. ſeqq.*
15 *Tranſitus ad arctiorem temerè, ac ex levitate factus, eſt invalidus.*
16 *Tranſitus ad arctiorem non petita licentia eſt nullus, etſi fiat zelo ſanctioris vitæ.*
17 *Synodus eſt invalida, ſi ab Epiſcopo fiat non petito conſilio Capituli.*
Quamvis, ſi Conſtitutiones Synodales ſint juſtæ, Sacr. Congregat. Concil. ſoleat nullitatem Synodi ſanare. Ibid.
18 *Invalidus eſt tranſitus, ſi petitio licentiæ non præcedat, ſed ſequatur.*
19 *In tranſitu ad arctiorem requiritur, quod non fiat temerè, nec cedat in jacturam primæ Religionis.*
20 *Expenditur caſus deciſus per Rotam coram Merlino.*
21 *De aliis requiſitis pro tranſitu ad ſtrictiorem. Remiſſivè.*
22 *Superior non debet permittere tranſitum, niſi prius ei conſtet, quod invenerit benevolos receptores.*
23 *Referuntur plures Religiones, in quibus prohibitus eſt tranſitus, etiam ad arctiorem, niſi cum licentia obtenta à Superiore, vel à Papa.*
24 *Mendicantibus prohibetur tranſitus ad non Mendicantes, niſi cum licentia Sedis Apoſtolicæ.*
25 *Quod etiam procedit inter ipſos Mendicantes.*
26 *Privilegiorum communicatio an inducat hanc prohibitionem.*
27 *Jus commune permittens tranſire ad arctiorem cum licentia petita, & non obtenta, non eſt generaliter revocatum.*
28 *Tranſitus ad laxiorem quatenus concedi poſſit à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium.*
29 *Quæ concurrere debeant, ac quæ forma ſervanda ſit, ut tranſitus ad ſtrictiorem licitè fiat.*
30 *Quatenus idem tranſitus à Sede Apoſtolica concedi ſoleat, ac quæ eo caſu requirantur.*
31 *Requiritur conſenſus propriæ Religionis, & quid ſi irrationabiliter denegetur.*

1 NOn immeritò inter præclara Benedicti XII. geſta recenſetur zelus ac ardens ſtudium, quo religioſiſſimus Pontifex æſtuabat pro conſervando, aut revocando in Regularium Ordinibus religioſam obſervantiam. Illud equidem præferunt pleræque Conſtitutiones hac de re editæ, quas infra commentabimus; Illudque præſertim oſtendit præſens Conſtitutio. Cùm enim ob tranſitum Religioſorum ex Ordinibus Mendicantium ad Ordines Monachorum Nigrorum, & Ciſtercienſium, compertum eſſet multas in iiſdem Ordinibus turbationes, infeſtationes, moleſtias, damna, & ſcandala proveniſſe: conſultò hujuſmodi tranſitum fieri prohibuit ſine ſpeciali licentia Romani Pontificis, plenam, & expreſſam mentionem faciente de hac Conſtitutione, quam edidit Avenione 4. Nonas Julii 1335. & ejus meminere Lezzana *in ſumma quæſt. Regular. tom.1. cap.22. num.6. & tom.3. in Mare magn. Carmelit. circa §. 21. num.211.* Scortia *in ſelect. Epiſt.30. theorem.79. in fine,* Murga *ad Conſtit. Benedict. Conſtit.7.* Alex. IV. *num.1.*

2 Quæ quidem prohibitio generaliter quoad Ciſtercienſes facta, comprehendit etiam Congregationem Fulienſium, ſeù Ciſtercienſium Reformatorum, ut advertit Murga *loc. cit. num.4.* Nec contrarium probatur ex eo, quod Fulienſes arctiorem vitam profitentur, quàm Mendicantes, ac Ciſtercienſes non Reformati, qua ratione motus Lezzana *cit. §.21. num.211.* cenſuit Mendicantes ſine Pontificis licentia tranſire poſſe ad Ciſtercienſes Reformatos. Etenim ultra quòd ex ſubſequenti Conſtitutione Martini V. relata in *Extr. com. unic. de Regular.* indiſtinctè prohibetur Mendicantibus ad quoſcumque Monaſticos Ordines, Carthuſianis exceptis, tranſire; conſiderandum etiam eſt, quòd hæc Conſtitutio Mendicantibus tranſitum prohibuit, non quidem ex eo, quòd ipſi arctiorem Regulam ſervent, ſed ad occurrendum ſcandalis, & perturbationibus, quæ in iiſdem Ordinibus oriebantur ob hujuſmodi tranſitum, quo caſu etiam ad ſtrictiorem Religionem tranſitus prohibitus cenſetur, nam perfectioris vitæ ſtudium, privatum commodum eſt, cui præponderat bonum commune totius Religionis, ut rectè conſiderat Sanchez *in ſumma lib.6. cap.7. num.10.* Caſtropal. *tom.3. Oper. moral. tract.16. diſp.4. punct.26. §.2. num.6.* E contra verò ex Congregatione 3
Fulienſium prohibitus pariter eſt tranſitus ad Ciſtercienſes, etiam quoad ea Monaſteria, quæ in Gallia ſunt arctioris obſervantiæ, adeòut invalidum ſit votum factum ab aliquo ex Congregatione Fulienſium tranſeundi ad aliquod Monaſterium Ciſtercienſium, quamvis ſit ſtrictioris obſervantiæ, ut reſpondit Sacr. Congregat. Concilii in *Dubio validitatis Voti die 17. Januarii 1693.* & dicam infra ad *Conſtit.8.* Eugenii IV.

Sanè tum antiquo; tum novo Jure plura ſtatuta ſunt 4
quoad permiſſum, aut prohibitum tranſitum de una in alteram Religionem, & ferè pro quocumque Ordine ſpeciales hac de re adſunt in noſtro Bullario Conſtitutiones, juxta quarum exigentiam, & opportunitatem nos de hac materia acturi ſumus. Antiquo etenim Jure regulariter hujuſmodi tranſitus interdicitur, ut habetur ex *Concil. Agathen.* relato in *can. Monachum 20. qu.4.* & ſtatuit Urbanus II. *in can. Statuimus 19. quæſt.3.* quod ſano conſilio, & graviſſimis ex cauſis factum eſt; cùm enim, juxta monitum Apoſtoli 1. *ad Corinth.7.* unuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt permanere debeat; ac unicuique utile ſit, ſecundùm propoſitum, quod elegit, ut ſummo ſtudio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire feſtinet, nequaquam à propria, quam elegit ſemel profeſſione diſcedat, ut inquit Caſſian. *collat.14. cap.5.* Illud equidem maximè conveniens eſt iis, qui ad ſtatum perfectionis vocati ſunt, qualis eſt vita religioſa, D. Thom. 2. 2. *quæſt.186. art.1.* ut in vocatione conſtanter perſeverent, nec aliam Religionem appetant; Multi enim tranſitum optant, fallaci imaginatione eluſi, alibi quærentes, quod ſecum habent, vel quod ob inſitam levitatem habere non merentur; Unde Thom. à Kempis, ſivè quiſquis eſt Auctor aurei opuſculi *de Imitat. Chriſti lib.1. cap.9.* inquit: *Curre alio, vel ibi non invenies quietem, niſi in humili ſubjectione ſub Prælati Regimine. Imaginatio locorum, & mutatio multos fefellit;* Acquieſcat igitur Monachus propriæ Religionis jugo, cujus ſtatum probè novit, nec vano altioris perfectionis ſtudio agitetur: *Impoſſibile enim eſt* (ſubdit idem Caſſian.) *unum eumdemque hominem ſimul univerſis fulciri virtutibus, quas qui voluerit pariter attentare, in id incidere eum neceſſe eſt, ut dum omnem ſectatur, nullam integrè conſequatur.* Non rarò enim arctioris vitæ zelus tentatio eſt Diaboli, ut ita ſub ſpecie majoris boni ſe inſinuet, ac Religioſam quietem ſubvertat, aut turbet; proindeque nil tutius Monacho eſt, quàm in primæva vocatione conſtanter manere, & acquieſcere monitis D. Anſelmi *lib.1. Epiſt.29.* dicentis: *Quod ſi ſibi videtur majora quædam, ac utiliora ſpirituali fervore appetere, quàm illi præſentis Monaſterii inſtitutionibus, liceat: æſtimet, aut ſe falli, ſivè præferendo paria paribus, ſivè minora majoribus, vel præſumendo ſe poſſe quod non poſſit; aut certè credat ſe non meruiſſe quod deſiderat:* Hinc rectè SS. Patres hu- 5
juſmodi tranſitum frequentiùs improbarunt, id ſuadentibus pluribus cauſis, quarum præcipuas conſiderat D. Bernard. *de precept: & diſpenſ. cap.16. numer.45.* ibi: *Forte vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis ad Ciſtercienſium ſeſe ſtringere paupertatem, eligens præ illis numerium, conſuetudinibus, magis Regulæ puritatem. Si me conſulit, non conſulo, ſi non ſanè id Abbatis ſui uſurparit aſſenſu. Primo propter ſcandalum ipſorum, quos deſerit. Deindè quia certa pro dubiis relinquere,*

Digitized by Google

certum non eſt. Tertiò ſuſpectam habeo levitatem, quia id ſæpè quod facilè volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno propè momento id ipſum, & cupientes, & reſpuentes, tam leviter, quàm irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur, qui una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulſi, vagi, & inſtabiles hac, & illac velut ebrii mutant, mutantque pro experimento judicium; imò ſine judicio fluctuantes, & tumultuantes, tot de ſe conſilia præſumunt, quot loca reviſunt, ſemper quod non habent cupientes, & quod habent faſtidientes.

6 Ex his elicitur, Monacho regulariter vetitum eſſe de una in aliam Religionem tranſire, tum ob ſcandalum, & ſuſpicionem levitatis, quam de ſe ingerit; tum ob injuriam, quam irrogare videtur ſuæ Religioni; tum etiam ob periculum iteratæ mutationis, quoniam ignorat id, quod inveniat in nova Religione, ut advertit D. Thom. 2. 2. *queſt.* 189. *art.* 8. Cœterùm cùm hæ cauſæ, tranſitum minùs laudabile reddentes, ceſſare poſſint; quinimò concurrere valeat neceſſitas, ſivè utilitas tranſitum ſuadentes: hinc conſultò Sacr. Canones prohibitionem moderarunt, niſi quis ſanctioris vitæ ſtudio ad ſtrictiorem Religionem tranſire velit, ut ſtatuit *Concil. Triburien.* relatum in *canon.* 1. 20. *queſt.*4. & confirmavit Innocent. III. in *cap. licet de Regular.*

7 Jure igitur communi attento, Regularis ad arctiorem Religionem tranſire poteſt, petita, licèt non obtenta ſui Prælati Regularis licentia, ut communiter tenent DD. in *cit. cap. licèt*, & alii collecti à Barboſa *de Jurè Eccleſ. libr.*1. *cap.*42. *num.*42. Murga *ad Conſtitut. Benedict. Conſtit.*6. Alexandr. IV. *ſect.*3. *num.*85. Tamburin. *de Jure Abbatum tom.* 3. *diſp.* 7. *queſt.* 1. quod quid ut ritè, ac rectè fiat, plura attendenda ſunt, quæ præſertim eliciuntur ex *cit. cap. licèt*. Primò enim Regularis tranſiturus, cum humilitate, & puritate, veniam, ſeù licentiam à ſuo Prælato petere debet, ne aliàs
8 votum obedientiæ contemnere videatur. Prælatus autem proprius ad hunc effectum is cenſetur, qui Religioſo immediatè præeſt, niſi ex peculiaribus alicujus Ordinis Conſtitutionibus petenda eſſet licentia à Miniſtro Generali, vel Provinciali, ut apud Barboſ. *in cit. cap. licèt num.*10. Azor. *Inſtitut. moral. tom.* 1. *libr.*12. *cap.*14. *queſt.*7. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *libr.*3. *cap.*10. *num.*30. Nec exquirenda neceſſariò eſt licentia potius Conventus, ut probare nititur Murga *cit. ſect.*3. *n.*77. Nam *cit. cap. licèt* ſolius Prælati licentia requiritur, nec ulla fit mentio Conventus. Exemplum autem alienationis, quæ à ſolo Prælato fieri nequit, non eſt ad rem; cùm de Jure, quemadmodum eſt prohibita alienatio bonorum ſine conſenſu Capituli, vel Conventus; ita permittitur tranſitus petita licentia ſolius Prælati; quinimò ſi paritas curreret, rectè inferri poſſet, quòd in tranſitu ad ſtrictiorem, de Jure licentia non
9 dum petita, ſed etiam obtenta requireretur; prout in alienatione bonorum requiritur; ratio autem cur ſolius Prælati licentia requiratur, ea eſt, quia Religioſus hujuſmodi licentiam petere tenetur ex ſolo voto obedientiæ, qua nectitur cum Prælato, non autem cum Conventu, ut rectè conſiderant Fagnan. *in cit. cap. licèt num.*39. Tamburin. *de Jure Abbat. diſp.* 7. *queſt.*1. *numer.*14. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdito queſt.* 1. *cap.*24. §. 1. *concl.*4. Rota *decis.* 18. *num.* 36. *coram Merlino*. Et verè dum fit tranſitus ad arctiorem, Monachus non alienatur à Religione, ſed potiùs commutatur in melius; Nec obſtat *Textus in cit. canon. ſtatuimus*, quo præſertim nititur Murga *loc. cit. num.*79. Nam ultra, quod dici poteſt antiquatus ex nova diſpoſitione *citat. cap. licèt*, cùm in illo requiratur licentia obtenta à Prælato, & Conventu; in iſto verò ſufficiens declaratur licentia tantùm petita à ſolo Prælato; reſpondetur etiam cum Archidiac. *ibid.* & Fagnan. *loc. cit. numer.*38. in vulgatis illius Canonis editionibus mendosè legi, *ſine Patris, & totius Congregationis permiſſione*, & legendum eſſe, *ſine Patris totius Congregatio-*
10 *nis permiſſione*. Cœterùm ſi de tranſitu ad æqualem agatur, quod ex juſta cauſa cum Prælati Regularis licentia fieri poſſe dicam infra ad *Conſtit.* 8. Eugenii IV. veriùs eſt requiri etiam licentiam Conventus, ut tenet Gloſſa *in cap. cum ſingula* §. *prohibemus verſ. Canonici de præben. in* 6. cùm tranſitus ad æqualem non ſit commutatio in melius, ſed potiùs quædam alienatio ipſius Religioſi, qui quemadmodum acceptari, ac Religioni incorporari non poteſt, niſi cum licentia Abbatis, & conſenſu majoris partis Conventus, Gloſſ. *in cap. porrectum verb. Monachum de Regul.* Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.*1. *cap.*42. *num.*146. ita ſine eodem conſenſu dimitti non poterit, Fagnan. *in cap. dilecti nu.*18. *de renunciat.* Barthol. de Vecchis *in prax. Novitiat. diſp.*15. *dub.*4. Leſſius *de Juſtit. lib.*2. *cap.*42. *dub.*13. *nu-*
*mer.*103. Dixi autem, niſi peculiaribus alicujus Ordinis 11
Conſtitutionibus aliàs ſit cautum, vel niſi id eſſet præſcriptum ex ordinatione Apoſtolica, ut præſertim de Ciſtercienſibus, quòd tranſire non valeant ad arctiorem, vel æquè arctam, niſi conſenſus Abbatis, & majoris partis Conventus accedat, ſtatuit Eugenius IV. de Ann. 1437. relatus apud Murgam *loc. cit. num.*79. quamquam id non videatur tribui poſſe Eugenio IV. dum in noſtro Bullario habemus *Conſtit.*16. ejuſdem Pontificis *incip. Regularem vitam*, editam de Ann. 1439. in qua præſcribitur forma tranſitus ex Ordine Ciſtercienſium, nec ulla fit mentio de conſenſu Conventus. Similiter in tranſitu à Minoribus Obſervantibus Reformatis ad Minores Obſervantes, quos de Familia vocant, per *Conſtit.*31. Pauli V. *incip. Poſtulat* §. 6. requiritur conſenſus Cuſtodis, & majoris partis Vocalium; de qua re vide Card. de Luca *de regular. diſc.*37. *num.*5. *& ſeqq.* Item dixi, id rectè procedere Jure communi attento, cùm hodie etiam in tranſitu ad arctiorem ferè ſemper requiratur licentia Sedis Apoſtolicæ, vel Superioris, ut ex peculiari Conſtitutione alibi dicam.

Porrò quamvis pro tranſitu ad arctiorem licentia tan- 12
tùm petita, non verò obtenta requiratur; attamen cùm idem tranſitus non aliàs à Jure permittatur, niſi ſtudio perfectioris vitæ fiat: hinc eſt, ut Religioſus tranſiturus nedum licentiam petere, ſed & tranſeundi cauſam ſuo Prælato exponere debeat; quæ ſi juſta ſit, & licita, licentiam Prælatus concedere tenetur, ſivè dimiſſorias, ſinè quibus è Superiore arctioris Religionis admitti non debet, *canon. ſtatuimus* 19. *quaſt.* 3. Sed ab eo requirendus eſt proprius Prælatus, quem ſi abſque cauſa licentiam denegaſſe comperiat, vel cum cauſa notoriè falſa, Religioſum tutò recipere poteſt; ſecùs autem ſi ex juſta cauſa licentiam fuiſſe denegatam appareat; quinimò etiam ſi de juſta cauſa dubitetur, nam cùm ad Superiorem ſecundæ Religionis non ſpectet cognoſcere, an cauſa ſit vera, vel falſa, cauſæ cognitio remittenda erit ad Primum Prælatum, vel ejus Superiorem, ut in *cit. cap. licèt* concludunt Jo: Andr. *nu.*13. Hoſtien. *num.*17. Ancharan. *num.*13. & alii, quos ſequitur Fagnan. *ibid. num.*51. Sanchez *in Decalog. tom.*2. *libr.*6. *cap.* 7. *num.* 39. Peyrin. *tom.* 1. *de Subdito quaſt.*1. *cap.*24. *concluſ.* 2. Tambur. *cit. diſp.* 7. *quaſt.* 1. *num.* 16. Paſſerin. *de Statib. homin. tom.*3. *queſt.*189. *art.*8. *n.*14.
Unde non videtur abſolutè admittenda ſententia Suarez 13
*tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*3. *cap.*10. *num.*28. Caſtropal. *cit. diſp.*4. *punct.*26. §. 3. *num.*2. aſſerentium, cauſam juſtæ, vel injuſtæ denegationis licentiæ cognoſcendam eſſe apud illum Superiorem, qui inter illas duas Religiones cauſas judicare ſolet. Etenim ſi tranſitus ſequutus non ſit, nullum jus quæſitum cenſetur ſecundæ Religioni, proindeque cauſa erit inter Religioſum tranſitum petentem, & proprium Superiorem, inter quos Judex erit major Prælatus ipſius primæ Religionis. Quicquid ſecus eſſet, ſi tranſitus, & profeſſio in ſecunda Religione jam ſequuta fuerit, quo caſu cauſa eſſet inter Religionem à qua, & ad quam, ut apud Merlin. *deciſ.* 18. *per tot.* in quibus terminis vera erit
opinio Suarez. Major autem eſt difficultas, ſi Regu- 14
laris nec quidem petita licentia tranſeat; id enim quamvis ſit illicitum, & ita tranſeuntes graviter peccent, ut tenet Navar. *conſ.* 52. *de regular.* nihilominùs an tranſitus ſuſtineatur, ſivè potiùs ad primam Religionem revocari poſſit, non omnium eadem eſt ſententia. Etenim aliqui abſolutè voluerunt, in tranſitu ad

ſtrictio-

Digitized by Google

ſtrictiorem licentiam eſſe petendam ex ſolo debito honeſtatis, non autem pro validitate actus, ut poſt Gloſſ. *in cit. cap. licet verſ. licentiam, & cap. ſane verſ. remanere de Regular.* tenent poſt plures antiquos Thapia *in authent. ingreſſi cap. 9. num. 21. & ſeqq.* Tamburin. *cit. diſp. 7. quaſt. 1. num. 6.* Suarez *cit. libr. 3. cap. 10. num. 22. & 26.* ubi quòd revocari non poſſit, etſi adhuc profeſſio ſecuta non fuerit in ſecunda Religione, ſed permaneat in habitu probationis, cùm eo tempore adhuc integrum ſit licentiam petere, quæ ſuppleri poteſt, utpotè quæ non eſt de ſubſtantia actus. Alii autem ejuſmodi licentiam neceſſariò petendam eſſe aſſerant, adeò ut eam non petita tranſitus ſit nullus, quod præſertim elicitur ex *cit. cap. licet*, ibi: *Subditus cum humilitate, & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare*, & ita tenent Hoſtien. *in cit. cap. licet num. 9. & 19.* Abbas *num. 10.* Barboſ. *num. 7.* & alii quos ſequuntur Ricciul. *de Jure perſon. extra Eccleſ. lib. 8. cap. 4. num. 19.* Miranda *in manuali Prelat. tom. 1. cap. 31. art. 6. concl. 1.*

15 Quæ quidem ſententia verior videtur nedum ſi tranſitus fiat ad laxiorem, aut æqualem Religionem; ut infra dicam, ſed etiam ſi ad ſtrictiorem. Etenim primò certum eſt, tranſitum irritum fore, ſi temerè, ac ex levitate factum fuiſſe appareat, quo caſu irritum fuiſſet etiam petita licentia, multò minus omiſſa petitione licentiæ, ut plenè firmant Abbas *conſ. 95. num. 2. verſ. his præmiſſis uſque ad finem*, Innocent. *citat. cap. licet num. 4. verſic. hac tamen*, ac proinde etiamſi profeſſio in ſecunda Religione ſequuta fuerit, poterit Profeſſus ad primam revocari, in quo etiam DD. contrariæ ſententiæ convenire videntur, diſcrepantibus tantùm ſi bono zelo, & perfectiori vitæ ſtudio tranſierit; eò potiſſimum, quia ut ediſſerit Pontifex in *cit. cap. licet*, ubi ſpiritus Dei eſt, ibi libertas, & qui ſpiritu aguntur, non ſunt ſub lege, quia lex non eſt poſita juſto, qui ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat; abſolutus, liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere; Unde privilegium quibuſdam Regularibus conceſſum, ne poſtquam aliquis profeſſus fuerit apud eos, ad alium Ordinem poſſit ipſis invitis arctioris etiam Religionis obtentu tranſire, idem Pontifex intelligendum eſſe reſcribit, ne quis ex temeritate, vel levitate in jacturam, vel injuriam ſui Ordinis, ſub prætextu majoris Religionis ad alium Ordinem tranſvolaret, non autem ut ei tranſeundi licentia denegetur, qui eam humilitate, ac puritate duxerit poſtulandam, ut non ficte, ſed verè ad frugem melioris vitæ valeat

16 tranſmigrare. Attamen verius eſt, ac magis communiter receptum, quòd omni caſu tranſitus non petita licentia ſit nullus, etiamſi zelo ſanctioris vitæ fiat, ut ultrà adductos Auctores, latè probat Fagnan. *loc. citat. num. 54. & ſeqq.* idque præſertim probatur ex eodem *cap. licet*, ubi Pontifex attendendo magis impulſum ſpiritus, quàm legem humanam, Subdito, qui zelo perfectionis vitæ ſtrictiorem Religionem adire cupit, indulget quidem, ut non obſtante, quòd ejus Superior indiſcretè licentiam deneget, tranſire poſſit, at ſimul eum obligat ad petendam licentiam, ibi: *debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonam obedientiæ contemnere videantur*: Alioqui autem ſanctioris vitæ zelo agi non cenſetur Religioſus ille, qui de mutatione ſtatus Prælatum ſuum non conſulit, quem nedum ex lege ſpiritus, ſed etiam ex Jure Canonum conſulere tenetur. Cùm igitur ſubditus licentiam petere teneatur, quamvis eam obtinere non oporteat, tranſitus non ſuſtinebitur, ſi cum licentia non petita tranſire contingat, prout etiam jure cautum eſt in pluribus caſibus, in quibus licentia, ſeù conſilium ab aliquo exquirendum eſt, licèt

17 non neceſſariò ſequendum; Ita Epiſcopus quamvis in Synodalibus Conſtitutionibus edendis, Capituli ſenſum ſequi non cogatur, quia tamen ejuſdem conſilium exquirere de Jure debet, ut in *canon. Epiſcopus 24. diſt.* ſi illud non petat, invalida erit Synodus, ut apud Fagnan. *in cap. cum olim il ſeconde num. 17. de privileg.* Franc. Leo *in Theſaur. For. Eccleſ. part. 1. cap. 9. n. 35.* Ciarlin. *libr. 1. contr. foren. cap. 61. num. 11.* Bottæus *de Synodo par. 3. num. 137. & 141.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. par. 3. allegat. 93. num. 24.* Pax Jordan. *tom. 2. lib. 8. tit. 1. num. 17.* Quaran. *in Summa Bullar. verſ. Synodus Diœceſana §. in privatis*, atque ita pluries reſpondit Sacra Congregat. Concilii, quæ tamen quandoque, comperto quòd Conſtitutiones Synodales ſint juſtæ, & laudabiles, Synodum nullam ob defectum conſilii Capituli non petiti, ſanare ſolet, ut practicatum fuit in una *S. Miniatis 4. Decembris* 1638. & refertur in ſolio ejuſdem *Sacr. Congregat. in Melevitana Synodi 15. Januarii* 1707.

Hinc porrò eſt, ut petitio licentiæ præcedere debeat 18
tranſitum: quemadmodum petitio conſilii Capituli præcedere debet editionem Conſtitutionum Synodalium; quod ſi præpoſterè fieri contingat, nihil actum cenſetur; nam ubi in aliquo caſu requiritur peti licentiam, non ſufficit eam petere ex poſt facto, ſed debet peti à principio, ut notabiliter in noſtris terminis advertit Abbas *cit. cap. licet num. 11.* Cùm igitur petitio licentiæ ſit de ſubſtantia tranſitus, ea omiſſa, hic erit invalidus, & conſequenter Religioſus revocari, ſeù vindicari poterit à prima Religione; quod quamvis aliquibus ex contrariæ ſententiæ authoribus inutile viſum ſit, cùm reſtitutus ad primam, ſtatim poſſit licentiam petere, & ad ſecundam redire; Attamen id benè quidem, & neceſſariò fiet ad ſatisfaciendum Juri requirenti petitionem licentiæ, ut reſpondet Jo: Andr. *in cit. cap. licet num. 21.* Ultra quod in hac petitione licentiæ exqui- 19
rendum eſſet, an ſubſit juſta cauſa tranſeundi, quæ poterit non adeſſe, & ita tranſitus impediri; nam una ex præcipuis conditionibus requiſitis pro licito, & valido tranſitu ad arctiorem eſt, quòd Monachus perfectioris vitæ ſtudio, non autem ex temeritate, aut animi levitate ducatur, ut habetur in *cit. cap. licet*; quæ animi levitas præſumitur, ſi licentia non petita diſcedat, ut notat Hoſtienſ. *in Summa tit. de Regular. §. & qualiter in fine.* Quinimò tametſi bono zelo agatur, ſi tamen id cedat in jactura, aut infamiam primæ Religionis, nec tranſitus permittendus erit, ut expreſſè elicitur ex *citat. cap. licet*, & deſumitur ex *can. ſi quis verò 11. quaſt. 3.* Nec his obſtant firmata per Rot. *dec. 18.* 20
cor. Merlino, in qua ſecundæ Religioni, quæ erat Barnabitarum, datur manutentio in quaſi poſſeſſione exercendi actus ſuperioritatis in Equitem Hieroſolymitanum, qui poſt emiſſam profeſſionem in ea perſeveraverat per ſex annos, ac tranſierat nulla petita licentia à Superioribus Religionis Hieroſolymitanæ. Etenim primò in hac *deciſione num. 41.* ſupponitur, in Religione Hieroſolymitana ex conſuetudine non peti licentiam, dum ſit tranſitus ad Religionem clauſtralem: quod ſi verum eſt, ceſſabat omnis invaliditas tranſitus. Ulterius ibi non agebatur principaliter de validitate tranſitus, cùm inſtitutum non eſſet judicium petitorium, ſeù reivindicationis, ad tradita per Abbat. *loc. cit. n. 15.* ſed agebatur de manutentione debita Barnabitis ex quaſi-poſſeſſione ſex annorum, quod non ſupponit, ad validitatem tranſitus neceſſariam non eſſe petitionem licentiæ, nam alioqui pendente lite ſuper validitate tranſitus, Monachus morari debet in ſecunda Religione, quæ ipſius quaſi poſſeſſionem habet, ut poſt Hoſtien. Innocent. & Abbat. tenet Fagnan. *loc. cit. num. 60.* Qui Auctores docent, ad validitatem tranſitus requiri petitionem licentiæ, itaut aliàs tranſiens, poſſit ad primam Religionem revocari, ut ſupra dixi.

Hæc equidem ſunt potiora requiſita, quæ pro tranſi- 21
tu ad ſtrictiorem jure antiquo concurrere debent, atque ad hæc reducuntur alia fuſiùs expoſita per Fagnan. *in cit. cap. licet à num. 19. cum ſeqq.* Pellizar. *in manual. Regular. tom. 1. tract. 3. cap. 5. ſect. 3. num. 90.* Prout an Religio, ad quam fit tranſitus, cenſeatur arctior ex majoritate, & præeminentia finis, ſivè potiùs ex auſteritate, & arctitudine Regulæ, vide quæ ſcripſi *tom. 1. ad Conſtit. 1. Gregor. IX. ſect. unica num. 15. uſque ad fin.* Jure autem novo hæc ſufficere non videntur; nam primò ex Decreto Urbani VIII. de Apoſtatis, & ejectis relato in ejus *Conſtitut. 26.* incip. *Sacra §. 3.* generaliter ſtatuitur, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum

recipere, qui licentiam petit, tuncque Regularis recta ſe transferat ad arctiorem. Quòd ut re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia invigilare debet.
23 Ulterius quamvis jure communi inſpecto ſufficiat licentia petita, licèt non obtenta; plures tamen ſunt Religiones, à quibus tranſitus ad arctiorem non permittitur; niſi obtenta licentia à proprio Prælato, vel etiam, & quidem frequentiùs à Sede Apoſtolica, ut ſpecialiter ſtatuitur in hac Conſtitutione quoad tranſitum Mendicantium ad Ciſtercienſes, & Monachos Nigros; & in *Conſtitut.* 16. Eugenii IV. incip. *Regularem*, ubi prohibetur Ciſtercienſibus tranſitus ad quemcumque alium Ordinem, præterquam ad illud Carthuſienſium, abſque ſpeciali Abbatis licentia, rationabilem, & urgentem cauſam Summo Pontifici allegandam continente, ac de ſimili Indulto Ciſtercienſibus conceſſo à Martino V. mentionem faciunt Barboſa *de Jure Eccleſ. tom.* 1. *cap.* 42. *num.* 56. Tamburin. *cit. tom.*3. *diſput.* 7.
24 *quæſt.* 2. *num.* 3. Quemadmodum etiam generaliter omnibus Mendicantibus prohibitus eſt tranſitus ad quemcumque alium ordinem non Mendicantem, Carthuſienſibus exceptis, niſi cum ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, ut præſcribitur in *Extravag. com.* 1. *de Regular.* ſub qua comprehenduntur nedum Ordines, qui tempore editionis hujus Extravagantis erant Mendicantes, de quibus in *cap. Religionem* §. *ſanè de Religioſ. domib. in* 6. Sed etiam ii, qui poſteà tales à Sede Apoſtolica instituti, & declarati ſunt, uti eſſe Ordines Minimorum, & Societatis Jeſu notat Pellizzar. *in Manual. Regular. tom.* 1, *tract.* 3. *cap.* 5. *ſect.* 3. *num.* 123. Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. libr.* 12. *cap.* 14. *quæſ.* 12. Barthol. de Vecch. *de admittat. Novit. diſp.* 15. *dub.* 5. *num.* 14. Scortia *in ſelect. Epit.* 3n. *theorem.* 80. *verſ. porrò.*

25 Quinimò, & inter ipſos Mendicantes ferè prohibitus eſt tranſitus abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ex ſpecialibus indultis ipſis conceſſis, quorum plurima referunt Pellizar. *cit. ſect.* 3. *num.* 126. Barboſa *citat. cap.* 42. *num.* 57. *& ſeqq.* præſertim attenta *Conſtitut.* 89. S. Pii V. incip. *Quæcumque*, in qua revocantur omnia privilegia cuilibet Ordini præter Juris communis diſpoſitionem conceſſa recipiendi, & retinendi Religioſos alterius Ordinis, etiam laxioris. Unde hodie fermè nullus eſt caſus, in quo ad terminos Juris communis ſufficiat licentia petita, licèt non obtenta, pro tranſitu à laxiori ad ſtrictiorem, cum ferè nullus ſit Ordo, qui indultum non habeat prohibitivum tranſitus, niſi cum licentia obtenta à Superiore, vel à Sede Apoſtolica.
26 Et quamvis in *cit. cap. licet*, dum tranſitus ad ſtrictiorem fit ſtudio majoris perfectionis, permittatur cum licentia petita, & non obtenta, etſi Religio habeat privilegium, ut nemo ex ea diſcedere poſſit, niſi cum conſenſu Superiorum; Nihilominùs quatenus id intelligendum ſit, dicam infra ad *Conſtitut.* 8. Eugenii IV. Quinimò Ordines, qui ſpeciale hac de re Indultum non habent, eo per privilegiorum communicationem frui tenent Sanchez *ad præcept. Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 27. *numer.* 28. & Pellizzar. *cit. ſect.* 3. *num.* 74. *in fine*. Verùm generalis privilegiorum communicatio non videtur poſſe vires extendere ad hoc ſpeciale indultum, prout nec ſe extendit ad ea, quæ ſunt difficilis conceſſionis, ut in his terminis docet Fagnan. *in cit. cap. licet num.* 22. & nos generaliter diximus *tom.* 3. *ad Conſtit.* 2. Benedicti XI. *num.* 14. *cum ſeqq.*

27 Nec dici poteſt, quòd facultas à Jure conceſſa tranſeundi ad arctiorem, licentia petita licèt non obtenta, fuerit generaliter revocata à Sixto V. *in Conſtit.* 74. incip. *Immenſa*, ex eo, quòd Congregationi ſuper negotiis Regularium conceſſerit, poſſe indulgere licentiam tranſeundi ad arctiorem, prout conceditur etiam à S. Pœnitentiaria. Etenim non ideircò neceſſariò præſupponitur revocata facultas à jure communi conceſſa; ut malè cenſet Nicol. *lib.* 3. *Inſtitut. Canon. tit.* 31. *num.* 2. cùm hæc facultas Sacræ Congregationi concedi potuerit pro iis Religionibus, à quibus ex ſpeciali privilegio prohibetur tranſitus ad arctiorem, niſi cum licentia à Sed Apoſtolica obtenta, quàm Sixtus V. concedi voluit ab eadem Congregatione, ad differentiam licentiæ tranſeundi ad laxiorem, quæ ex Decreto Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de regular, cap.* 19. reſervata eſt ſoli Papa, nec concedi poteſt ab eadem Sacr. Congregatione, 28
niſi prævia remiſſione precum à Sanctiſſimo, vel hac omiſſa, ſi licentiam concedi debere credat, illam concedit cum clauſula, *ſi Sanctiſſimo placuerit*, ut advertit Cardinalis de Luca *de regular. diſc.* 38. *numer.* 6. Cœteroquin pro tranſitu à laxiori ad ſtrictiorem propriæ cujuſcumque Ordinis Conſtitutiones ſunt attendendæ, quæ licèt quandoque licentiam Papæ, aut proprii Prælati exigant, non idcircò generaliter aſſeri poteſt, revocatam eſſe diſpoſitionem Juris in *cit. cap. licet*, ut poſt Navar. *conſ.* 93. *de Regular.* tradit Card. de Luca *diſc.* 38. *num.* 5. *& priùs diſc.* 37. *num.* 3.

Quicquid autem hac in re Jure novo immutatum ſit 29
in tranſitu ad arctiorem, proculdubio eſt pro tranſitu licitu reddendo eaſdem cauſas concurrere debere, quæ jure antiquo requirebantur, quaſque ſupra expoſuimus. Forma verò licentiæ obtinendæ, quamvis ut plurimùm præſcribatur obtinenda à proprio Prælato, vel à Sede Apoſtolica; ſervandæ tamen ſunt cujuſcumque Ordinis Conſtitutiones, quæ quandoque ultra Prælati licentiam, requirunt etiam illam Conventus, aut Capituli, ſivè Miniſtri Provincialis, aut Generalis, ut dixi ſupra *num.* 8. Quotieſcumque autem hujuſmodi licentiam à 30
Sede Apoſtolica obtinere oporteat, hæc ut plurimùm conceditur à Sacr. Congregatione ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, & quandoque etiam à Sacra Congregatione Concilii, & à Sacra Pœnitentiaria; priuſquam autem concedatur conſtare debet, quòd Religioſus tranſiturus invenerit benevolos receptores in alia Religione, quod factum eſt ad evitandam occaſionem apoſtatandi, ſivè evagandi, juxtà præſcriptum in Decreto de Apoſtatis, & Ejectis; Et ulterius concurrere debet conſenſus propriæ Religionis, 31
qui ſi irrationabiliter denegetur, ſuppleri ſolet, præſertim ſi agatur de tranſitu ad ſtrictiorem, ut notat Card. de Luca *de Regular. diſc.* 37. *num.* 4. prout à Sacra Congregatione Epiſcoporum fuit ſuppletus pro tranſitu Monialis in *Pharaonen. Tranſitus* 14. *Martii* 1709. Cœterùm raræ ſunt in Curia cauſæ, in quibus de tranſitu ad Religionem ſtrictiorem concedendo agatur; frequentiùs autem diſceptari contigit, ſi tranſitus ad æqualem, ſeù laxiorem petatur, de quo dicam infrà ad *Conſtit.* 8. Eugenii IV.

CONSTITUTIO II.

BENEDICTI XII.

Incipiens (*Decens.*)

EPITOME BULLÆ.

BENEDICTUS AD PERPETUAM rei Memoriam.

PLura præſcribit ſervanda ab Advocatis, & cauſarum Patronis Romanæ Curiæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Innuitur vigilantia Summorum Pontificum pro conſervanda juſtitia in Curia.*
2 *Diſpoſita in præſenti Conſtitutione referuntur.*
3 *Quo ſenſu hæc Conſtitutio comprehendat Advocatos, Procuratores, ſeù Promotores litium.*
4 *Non comprehendit Expeditionerios, neque Agentes.*
5 *Inter Curiales numerantur Advocati, & quatenus ſimplices Advocati differant à Conciſtorialibus.*

6 *Soli-*

6 *Solicitatores qui ſint, & quod eorum munus.*

7 *Procuratorum munus quod ſit, & quam excellens in Romana Curia, & num. ſeq.*

8 *Procuratores dum ſe nimis ingerunt in iis, quæ juris ſunt, qualiter Sacra Rota eos commonere ſoleat.*

9 *Quàm pernicioſum ſit, ut cuilibet in Curia permittatur Procuratoris, nomen, & munus aſſumere.*

10 *Commendatur proviſio Sacr. Congregationis Rituum, quæ in cauſis Canonizationum certos Procuratores ſelegit, idemque proponitur ſervandum in aliis Congregationibus.*

11 *Procuratores Rotales qui ſint, & quatenus prævio examine permittantur ſcribere in Rota.*

12 *Procuratores de Collegio qui ſint, & quod eorum munus, ac prærogativæ, & num. ſeq.*

13 *Quatenus dicantur conſtituere verum Collegium, & à quo Pontifice hoc fuerit conſtitutum.*

14 *Cum ſuboritur aliquod dubium in praxi, exquiri ſolet votum alicujus Procuratoris de Collegio.*
Referuntur aliquæ ejuſdem Collegii prærogativæ. Ibidem.

15 *Procuratores de Collegio procedunt in actibus judicialibus ſupra omnes alios Procuratores.*

16 *Procuratorum munus jure communi eſt vile, & & ignobilius eo Notariorum.*
Itemque nec acquirunt peculium quaſi caſtrenſe, & poſſunt ob delicta ſuſpendi.

17 *Munus Procuratorum in Urbe eſt nobile, & præfertur Advocatis externis, proindeque obtinent peculium quaſi caſtrenſe.*

18 *Clericis quatenus in Urbe permittatur fungi munere Procuratoris.*

19 *Procuratores modeſtiam in ſcribendo ſervare, & potiſſimum à conviciis abſtinere debent.*

20 *Quatenus contumelias in Scripturis illatas refricare poſſint.*

21 *Advocati, & Procuratores Pauperum lites gratis tueri debent. Remiſſive.*

22 *Procuratores multitudinem cauſarum vitare debent.*

23 *Cauſas injuſtas defendendas aſſumere non debent, & quatenus id procedat.*

24 *Pœna falſi puniri poſſunt, ſi ſecreta cauſæ Parti pandant.*
Quid ſi dimiſerint cauſam uti injuſtam. Ibid.

25 *Quatenus informati de rationibus unius ex Partibus poſſint, ea relicta, aſſumere defenſionem alterius.*

26 *Judex quo caſu ex officio teneatur litigantem providere de idoneo Procuratore.*

1 AD hujuſce Commentarii exordium non incongruit, quod eloquentiſſimè Cicero agens pro Milone, de inordinato, & tumultuario tunc juris reddendi modo, & Romanæ Curiæ conturbatione refert: *Quæ* (inquit) *quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus; templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput Urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo conceſſam, inflammari, excindi, perturbari?* Merita igitur vigilantia, & cura Summi Pontifices incubuerunt, ut eorumdem Curia venerandum eſſet juſtitiæ templum, exindeque nedum procul abeſſent abominabiles ſortes, ſed jus ſuum pacificè, & recto ordine unicuique redderetur, quam quidem Summorum Pontificum ſollicitudinem teſtatam faciunt quamplures ordinationes in infra recenſendis Conſtitutionibus ad id emanatis, in-
2 ter quas ſanè præfulget, quòd in præſenti Bulla edita Avenione 7. Kal. Novembris Anno 1340. conſtituitur de Advocati, & cauſarum Patroni officio, & modo in cauſis defendendis, & patrocinandis, ut ordinatè, & pacificè in Curia dirigantur.

3 Sed ſtrictiùs ſenſum noſtræ Conſtitutionis introſpiciendo, ad quorum reformationem in Curia judicialiter agentium, ſit ejuſdem diſpoſitio directa, & præcisè edita, ex ipſius contextu non facilè conjicitur; cùm Benedictus promiſcuè loquatur de cauſarum Patronis, ſivè Advocatis, de Procuratoribus, vel Promotoribus, ſicque hujuſmodi Curiæ munera, omninò inter ſe diſtincta, ut infra, confundendo; quapropter ad quoſcumque ſivè Advocatos, ſivè Procuratores, ſivè Solicitatores, alioſque judicialiter agentes eadem Conſtitutio eſſe directa videtur, ſingula tamen ſingulis referendo: ſiquidem in his, quæ Advocatis ſolummodò conveniunt, ſub ejuſdem nomenclatura cauſarum Patroni comprehendi nequeunt, cæterùm in quibus ordo, & modus patrocinandi præſcribitur, atque negligentia, & infidelitas inſectatur, non eſt cur potiùs ad ſolos Advocatos, quàm ad Procuratores, noſtræ Conſtitutionis diſpoſitio ſit referenda, præcipuè ejuſdem finali cauſa inſpecta, quæ eſt lumen, & regula ad dignoſcendum, quos caſus ſanctio aliàs ambigua comprehendat, & extendatur, ad Textum in *leg. à Titio ff. de furtis, leg. quidem, ff. de edendo*, Thomaſett. *in flor. leg. reg. 299.* Cardin. Tuſch. *tom. 6. litt. R. concl. 31. per tot.* Argel. *de legit. contradict. quæſt. 10. nu. 115.* aliique plena manu congeſti à Barboſa *Axiom. 197. num. 3. cum ſeqq.*

Itaque, ut noſtra Conſtitutio exigit, enumerando 4
Perſonas, quibus Curia forenſis componitur; profectò in ejuſdem Sanctione non comprehenduntur, qui negotiis Datariæ, ſeù Cancellariæ Apoſtolicæ, Secretariæ Brevium, & Pœnitentiariæ incumbunt, Expeditionerii communiter nuncupati, cùm Benedictus XII. modum, & ordinem ponere voluerit in juſtitia procuranda, non verò circa gratioſa, utpotè ſunt, quæ ex iiſdem canalibus expediuntur; Neque ſanè ejuſdem ſanctionis diſpoſitioni obnoxii ſunt Agentes, qui in Curia tàm negotia forenſia, quàm aulica peragunt; juxtà ſcilicet negotiorum exigentiam adeundo Summum Pontificem, Cardinales, vel aliam Urbis præcipuam Perſonam, reportandi cauſa aliqualem extraordinariam proviſionem, vel pro occupando eorumdem patrocinium, ut ardentiùs, & ſolicitè, ut par eſt in negotiis arduis, & gravibus, cauſæ, & petitiones ad debitum finem protrahantur; itidemq; idem, qui ſolicitè incumbunt, ut Procuratores, & Advocati diligenter officio ſuo fungantur, ſubminiſtrando in cauſis notitias neceſſarias, & inſtructiones, atque in aliis etiam forenſibus ſe ingerunt, in forma tamen prorſus extrajudiciali, propteteàque in hac Benedictina Conſtitutione non comprehenduntur, utpotè quæ circa judicialia pertractanda verſatur.

Perſonæ igitur cauſidicæ, Curiales vulgò nuncupa- 5
tæ, de quibus Benedictus loquitur, in tres ſpecies communiter diſtinguuntur; diſcretum enim munus in judicialibus exercent Advocati, cauſarum Patroni, ſivè Procuratores, & Solicitatores. De Advocatis, qui in puncto juris cauſas tuentur, Judicibus inſinuantes, per quas regulas, & principia cauſarum anfractus explanentur, alibi redibit ſermo, cùm de præſtanti Advocatorum Conciſtorialium ordine diſſerere operæ pretium erit; quandoquidem inter ſimplices Advocatos, & Conciſtoriales non alia principalis diſtinctio verſatur, præterquam quod ultimodicti jure quodam publico, atque in officium munus Advocatiæ habere videntur, cùm ad id aſſumantur ex proviſione Papæ in titulum; Simplices verò Advocati ſola privatæ profeſſionis ratione munus exercent, ut in his terminis notat Card. de Luca *in relat. Rom. Curiæ diſc. 46. n. 5.* Convenit verò, ut Advocati Conciſtoriales tanquam digniores ad propriam pertractationis ſedem, ſeù locum ſecum trahant ſimplices Advocatos tanquam minus dignos, regula ſumpta ex Text. in *leg. ſi communem ff. quemad. ſervit. amitt. leg. per minorem §. ſi in aliena ff. de Judic. cum concordantibus.*

Ab infima verò ſpecie Procurantium initium ſumen- 6
do, Solicitatores dicuntur, qui ut ſe in Judicialibus inſtruant ſub ordinatione provecti Procuratoris cauſas ſolicitant, mecanicè incumbendo fori actibus explendis, & in ordinatoriis Judicii, aliiſque manualibus, ut eſt ſpolium proceſſus, compoſitio Summarii, proteſta-

tiones,

tiones, citationes, & intimationes, ſubſcriptiones du-
biorum, diſtributiones informationum, quæ quidem
potiùs pertinere videntur ad ſervitium cauſarum, quàm
ad patrocinium, unde neque Poſtulantes, neque cauſa-
rum Patroni hujuſmodi Solicitatores dici merentur;
Procuratorum autem, qui Cauſarum Partoni dicuntur,
7 officium verſatur revera in cauſis agendis, & defenden-
dis, dum eorumdem partes ſunt, libellos, ſivè com-
miſſiones efformare, articulos componere, ex proceſſi-
bus motiva facti, & Juris relevare; Informationes facti
juris concluſionibus munire, & firmare, in quorum
corroborationem Advocatorum ſtudium ſuperaddi ſolet.
Profectò in Romana Curia adeò excellenter Procurato-
res, qui re ſunt tales, ſuum munus exercent, ut Ad-
vocatis externarum Curiarum nedum exæquentur, ſed
meritò præcedere debeant, ut commemorant Cardinal.
de Luca *in relat. Roman. Curia diſc.* 46. *num.* 98. Man-
doſ. *ad reg. Cancell. regul.* 4. *quæſt.* 8. *col. penult. num.* 4.
Gratian. *diſcept.* 57. *num.* 39. Vizzan. *de mand. Princip.*
cap. 13. *numer.* 39. & 40. Zacchias *de Salar. quæſt.* 82.
num. 21. & 22. D. Conſtant. *ad ſtatut. Urbis tom.* 1. *cap.*
63. *num.* 192. quinimò in Urbe utplurimum ſunt exi-
miæ probitatis, & curare debent, prout agunt, ſuum
munus non excedere, nimis ſe extendendo, & immo-
8 rando in iis, quæ Juris ſunt, Advocatorum provinciam
uſurpando, ut idem Cardin. de Luca *loc. cit.* advertit,
quod ſi ſecus fiat, potiſſimè in Sacra Rota, ſolito, quo
ardet, juſtitiæ zelo, non diſſimulatur; quippe inſinua-
re oretenus, vel in ſcriptis præcipere ſolet, quòd po-
tiùs in facti circumſtantiis Procuratores ſe extendant,
& juxta cauſæ exigentiam in Jure ſcribat Advocatus;
quod ſi Cauſæ Patroni hujuſmodi ſupremæ menti dein-
ceps non ſe conforment, meritò Sacr. eadem Rota in
eoſdem animadvertit, hujuſmodi, vel ſimili reſcripto:
Refectis utrique Partis expenſis propoſitionis Cauſæ per
N. Procuratorem, iſte non ſcribat ampliùs in Rota,
ſed ſcribat alter Procurator unà cum Advocato depu-
tando à Reverendiſs. Decano: ut contigiſſe de anno
1706. refert D. Uriaya *Inſtit. Crim. lib.* 2. *tit.* 10. *num.*
118. Summo, inquam, Juſtitiæ zelo; etenim Procura-
torum partes in facti ſerie clarè explananda primò, &
accuratius verſari debent motivis, & concluſionibus
tantum libatis, & excitatis; Cùm verò in Juris conclu-
ſionibus, longo DD. cumulo exornandis iidem ſe ex-
tendunt, neceſſariò ab inferioribus diligentiis, infeſta-
que proceſſus lectura ſe abſtrahunt, maximo cauſarum
præjudicio; quapropter, vel Advocati proceſſum tunc
reaſſumere gravarentur, vel ſi minùs diligentes eſſent,
ſuper malè elaborata facti ſerie in Jure ſcribendo, ca-
put aureum, brachiaque argentea ſtatuæ figulos haben-
ti pedes ſuperimponerent.

9 Nec quidem prætereundum eſt, quod ſtomachum
Octaviani Veſtrii non parum faſtidiebat; videlicet, cùm
unicuique indocto, & imperito, & forſan non inte-
græ famæ Viro, in Curia permiſſum ſit non vulgare
Procuratoris nomen aſſumere, & publicè in actis pro-
fiteri, cum maximo hujus ordinis dedecore, & Clien-
tium damno, qui ſolo Procuratoris nomine allecti,
hujuſmodi hominum generi ſe, & ſubſtantias ſuas fi-
dunt, ut idem Veſtrius commemorat in *praxi libr.* 2.
cap. 19. Et quidem dum judicandi munere fungor, non
ſemel comperii, quòd plerique, qui nec ſolicitatorum
nomen merentur, cauſas maximi momenti tamquam
cauſarum patroni defendendas habent, quæ ex patroci-
nii defectu ad debitum juſtitiæ exitum non perducun-
tur; quapropter quiſque viderit, an benè conſuluerit
idem Veſtrius, qui dixit, ſi æquipollens auctoritas ſuæ
ſententiæ accederet, ſe quidem nemini procurandi offi-
cium interdicturum; veruntamen Procuratoris nomen
Perſonis non approbatis prohibiturum, itaut diverſo,
& humiliori nominè publicè in actis uterentur, utpotè
Sollicitatorum; hoc enim medio hujus conditionis ho-
mines Clientes amitterent, atque approbatis cauſarum
Patronis, tamquam ſuperioris gradus cederent in ho-
norificis; itaut ſummo ordine Curia Romana compo-
neretur; Neque ſanè minori opportuno remedio huic
abuſui obviam iit Sacr. Congregatio Rituum in cauſis
Canonizationum Sanctorum, quæ certos dumtaxat Cau- 10
ſarum Patronos ad patrocinandum ſelegit, ut dixi ſu-
pra ad *Conſtit.* 2. Joann. XXII. *numer.* 25. atque itidem
Sacr. Rota, quæ undique laudabiliter non admittit co-
ram ſe, niſi Procuratores experimento particulari, &
examine probatos, ut infrà dicam; quem ſanè com-
mendabilem ſtylum imitari deberent eximii conſeſſus
Sacr. Congregationum, præcipuè quæ Interpres Sacri
Concilii Tridentini dicitur, ubi tot dubia reſolvuntur,
ſtatum totius Eccleſiæ reſpicientia.

Diverſum itaque ordinem in ſphæra Procuratorum 11
videntur conſtituere, qui Rotales dicuntur; etenim,
ut diximus, in Rotæ Tribunali non admittuntur ad Pa-
trocinandum niſi illi, qui ſuam idoneitate teſtatam fa-
ciunt particulari examine coram Decano, & duobus
Procuratoribus de Collegio, atque de ipſorum integri-
tate, & fama probè conſtet; hujuſmodi verò Procura-
toribus Rotalibus in Judicialibus nullus honor, & par-
ticularis diſtinctio tribuitur; confusè namque, atque
indiſtinctè cum cœtera turba Curialium pertractantur.

Tandem ſupremus eſt inter Procuratores ordo eo- 12
rum, qui cauſarum Sacr. Palatii Apoſtolici Patroni
dicuntur, ſivè Collegiales; formale enim Collegium
conſtituunt cum ſuis prærogativis, & præeminentiis,
ut infrà dicam. Inter hos ſanè cauſarum Patronos
non cooptantur, niſi U. J. Doctores, civilibus natali-
bus, & honeſtis moribus præditi, qui per iteratos
annos laudabiliter ſcripſerint in Rota, prævio tamen
experimento, mediante magiſtrali explanatione Te-
xtus ex Decretalibus deſumpti, necnon ſuper nonnul-
lis praxis quæſtionibus, proponentibus Rotæ Decano,
& Examinatoribus deputatis, ut ſancitur in hujus Col-
legii ſtatutis Auctoritate Apoſtolica confirmatis cum
clauſula ſublata, & decreto irritanti: quapropter cùm
in hujuſmodi examine ſuper idoneitate minùs ſerva-
rentur præfata ſtatuta, ex quo forſan, qui ad hujuſ-
modi Collegium adſcribi inſtat, notoriæ eſt idoneita-
tis, ut ait Card. de Luca *in relat. Rom. Cur. diſc.* 46.
num. 103. attamen Rota perpendens, quòd omnia in
dictis Statutis circa admiſſionem quaſi præſcripta ſunt
pro forma, attentis prædictis clauſulis, omninò de-
crevit ad unguem ſervanda eſſe, & præcipuè abſolu-
tam explicationem decretalis, in *Romana Juris hono-*
rif. ſuper petitorio 24. *Martii* 1702. §. 29. Neque ſa- 13
nè ambigendum eſt, an hujuſmodi Procuratores for-
male Collegium conſtituant, cùm toties à Summis
Pontificibus in ſuis diplomatibus uti tale nominetur;
& in Elencho Urbis Congregationum, Collegium Pa-
tronorum Sac. Palatii Apoſtolici inter alia deſcribi-
tur; & meritò quidem, quia communem arcam pro
ſcripturis aſſervandis retinet, habet proprium ſigillum,
in peculiari loco ſtatutis temporibus congregatur,
officiales ex corpore deputantur, quæ omnia retuli
tamquam ſigna veri Collegii *tom.* 3. *in Conſtitut.* 7.
Innocent. IV. *ſect.* 2. *num.* 16. & in propoſito perpen-
dit Rota in *cit. Romana Juris Honorifici* §. 5. *coram*
D. Molines, R. P. D. Zaul. *ad ſtatut. Faven. rub.* 55.
num. 7. & *ſeqq. lib.* 3. *tom.* 1. Conſtant. *ad ſtatut. Urbis*
annot. 63. *art* 2. *num.* 191. Qui verò hujuſmodi Procu-
ratorum Collegium à Benedicto XII. inſtitutum dicunt,
certè ſui dicti fundamentum deſumere nequeunt ex præ-
ſenti Conſtitutione, in qua nec verbum fit de hujuſmo-
di erectione, ſed dumtaxat ad generalem Cauſidico-
rum reformationem certæ regulæ præſcribuntur; qui-
nimò nec hujuſmodi Collegii mentio ibidem habetur;
id tamen certum eſt, quòd eorumdem Collegialium
Procuratorum numerus aliàs indeterminatus, reſtrictus
fuit ad vigintiquatuor ex Pauli V. ſpeciali diplomate
edito de anno 1617. Quampluribus quidem prærogati-
vis, & privilegiis hujuſmodi Sacri Apoſtolici Palatii
Patronorum Collegium à Summis Pontificibus conde-
coratum comperitur; quippè ultra condignam Tribu-
nalium Urbis exiſtimationem, quam iidem Procura-
tores ſibi ipſis comparati ſunt, itaut dum minus pro-
bè aliquos judiciales actus expediri, ſuſpicio exoritur,
cùm interventu alicujus ex Collegii Procuratoribus fie-
ri demandatur, & plerumque à Sacra Rota, ut habetur

in

in *dec. 254. n. fin. coram Carillo*; Cùm aliqualis difficul-
14 tas in praxi excitatur, inconcuſsè votum exquiritur ali-
cujus Apoſtolici Palatii cauſarum Patroni, ut noviſſi-
mè exorta controverſia, an cautela, quæ *Angeli* di-
citur, allegari poſſet coram quocumque Judice, in
Congregatione deputata ab hujuſmodi definiendum du-
bium, intervenit quoque hujus Collegii Subdecanus,
cujus Congregationis reſolutio confirmata extitit à f. m.
Innocentio XII. & impreſſa in ejus *Bullario parvo*
fol. 226. In Congregatione quoque Reformationis Tri-
bunalium Urbis locum tenet Collegialium Procurato-
rum Decanus, ut ex elencho Congregationum patet;
Notarios in Urbe creari non poſſe, niſi prævio exa-
mine, & approbatione cum interventu duorum de hu-
juſmodi Collegio edixit Innocentius XI. in Decretis
relatis ab Ubert. *de Citat. in fine tit. de Notariis* §. *&*
quoniam; Quemadmodum in examine Procuratorum
Rotalium partem habere Collegiales Procuratores, ſu-
pra notavimus; Ad eorumdem quoque Procuratorum
decorem recenſendum eſt, Sacram Congregationem
Rituum in cauſis Canonizationum Sanctorum, non
alios quam ipſos ad patrocinandum coram ſe admitte-
re, ut dixi ſupra ad *cit. Conſt.* 2. Joann. XXII. *nu.* 25.
Propriam Capellam in Eccleſia S. Euſtachii ſub titulo
S. Michaelis hoc Collegium poſſidet, in qua die 29.
Septembris ejuſdem Feſti Procuratores congregati feſti-
vitatem celebrant, cum aſſiſtentia Rotæ Auditorum,
Advocatorum Conciſtorialium, aliorumque; Unde è
converſo idem Sacræ Rotæ Auditorum in annualibus
exequiis Auditorum defunctorum, atque in feſtivis,
& ſolemnibus Cavalcatis eoſdem Collegiales Procura-
tores advocare non dedignatur.

15 Alia tandem potiuntur honorifica prærogativa iidem
de Collegio Procuratores, præcedentia ſcilicet in ju-
dicialibus actibus ſupra omnes non Collegiales etiam
antiquiores, ex Bulla Pauli V. ſuper reformatione Tri-
bunalium, relata à Ridolphin. *in fine praxis* §. 18. ibi:
Procuratores de Collegio præcedant omnes etiam antiquio-
res, quam quidem præcedentiam acerrimè impugnatam
à Procuratoribus Rotalibus, annis retro elapſis com-
probavit Rota in ſæpedicta *Romana Juris honorifici*
die 24. Martii 1702. coram D. Molines Decano, tàm
ſuper petitorio, quam poſſeſſorio, & hujuſmodi judi-
catum obſervatum vidi, dum A. C. Locumtenentis
munere fungebar; itaut etſi regulariter primum locum
in informationibus obtineret Procurator Actoris, ſeù
illius, qui ſe ponere faciebat, ut dicunt, in liſta; at-
tamen poſt emanatas deciſiones, ſi alter Procuratorum
eſſet de Collegio, præcedebat.; verumtameo loqui
ſemper incipiebat, qui figuram gerebat actoris; in
aſſociatione verò, ex urbanitate fieri ſolita à Judici-
bus, per aliquot paſſus majori proſequebantur honore
eoſdem Collegiales, quàm alios Procuratores etſi Ro-
tales; quas quidem prærogativas hujuſmodi Collegii,
aliaſque latè recenſent Card. de Luca *in relat. Rom.*
Curiæ diſcur. 46. num. 107. cum ſeqq. Fanuccius *de oper.*
piis almæ Urbis lib. 2. cap. 2. num. 3. R. P. D. Zaul. &
D. Conſtantin. *loc. cit.* & Rota *in cit. Romana Juris*
honorifici 24. Martii 1702. coram D. Molines §. 5. *cum*
ſequentibus.

16 Sed numquid hujuſmodi Curiæ Romanæ Procura-
tores, ſivè cauſarum Patroni ſint nobiles; Equidem ſi
hujuſce dubii deciſio ab externis Auctoribus quæratur,
qui de Procuratoribus, ut dicunt, de partibus loquu-
ti ſunt, proculdubio dicendum eſſet, quòd Procuratoris
officium non ſolùm nobile non eſt, ſed tamquam vi-
le, & mechanicum nobilitatem nativam deſtruit, itaut
ingenuum Virum dedeceat, ex Gloſſ. *in leg. ſi quis pro-*
curationem C. de decur. lib. 10. Gloſſ. *fin. in cap. infamibus*
de Reg. Jur. in 6. Archid. *in cap. his qui de Procurat. in 6.*
Gail. *obſer. 43. n. 5. cent.* 1. Gravat. *ad Veſtr. loc. cit. nu.* 3.
& cap. 8. n. 5. Gratian. *diſcept. 57. n.* 39. ut meritò, ca-
vere admodùm debere Advocatos, ne procurando eo-
rum nobile munus deturpent, admoneat Caravit. *ad*
rit. 100. Magnæ Cur. Vicariæ Neapolis n. 4. cùm Procu-
ratoris munus ignobilius ſit Notarii officio, ut com-
probat Petra Genitor *ad eoſdem rit. Magnæ Cur. Vi-*
car. rit. 100. n. 15. & rit. 201. n. 15. quapropter jure com-
muni inſpecto, Procuratores non acquirere peculium
quaſi caſtrenſe, quod ex liberalibus tantùm artibus
provenit, elicitur ex adductis apud Viv. *com. opin. lib.*
14. verſ. Procuratoris officium; quinimò niſi honeſtis
parentibus Procuratores nati ſint, tamquam de infi-
ma plebe, ob delicta ſuſpendi poſſe, docent Franch.
dec. 240. n. 8. & dec. 630. Capyc. Latro *dec. 183. n. 19. lib.*
2. Franciſc. de Petris *conſ. 35. n.* 31. Hæc quidem de Pro-
curatoribus externarum Curiarum intelligenda ſunt, 17
qui mechanicè in litibus verſantur; jus verò nunquam
deguſtarunt, unde coram Advocato nec loqui poſſunt.
Quandoquidem cum noſtris Doctoribus affirmamus,
Procuratores Urbis nedum nobilitatem non amittere,
ſed utì Procuratores quodammodo nobiles dici poſſe;
etenim nedum; qui re ſunt tales, doctorali laurea
ſunt redimiti, ſed jura paſſim in cauſis allegant, &
interpretantur, ut ſpeciem potiùs Advocatorum ſubal-
ternorum explicent, cauſarum verò mechanicis acti-
bus nequaquam incumbunt, ſed per Sollicitatores, &
ſtipendiatos juvenes explent, adeòut meritò Procura-
toribus de partibus non aſſimilentur, quinimò Advo-
catis externis præponuntur, ut ſupra dixi, & in pro-
poſito firmant Veſtrius *cit. cap. 19. ibique* Gravat. *n* 3.
Card. de Luca *cit. diſc. 46. nu.* 104. Gratian. *cit. diſcept.*
57. nu. 38. Mandoſ. *ad reg. 4. Cancell. quæſt. 8. col. penul.*
n. 7. Zacch. *de ſalar. quæſt. 26. num.* 18. aliique noſtrates
paſſim, & Rota *in dec. 1805. n. 1. coram Coccin.* ubi
diſertè firmat, quòd Procuratores Romanæ Curiæ in-
cumbunt honoribus; non aliundè itaque petenda eſt
ratio, cur Procuratores Urbis exercendo hoc munus
acquirant peculium quaſi caſtrenſe, itaut etiamſi filii
familias ſint, de ipſo diſponere poſſint per actus ul-
timæ voluntatis, ut firmat D. Advocat. Conſtantin.
cit. cap. 63. nu. 188. & 189. atque hæc ſpecialis Urbis 18
Procuratorum qualitas inter aliàs potiſſima eſt cauſa,
quòd in Curia tolerentur Clerici, & Sacerdotes, ut
procurandi munus licitè exerceant, dummodò à Cu-
riis laicalibus ſe abſtineant, cùm ex his adverſari in
Curia non videatur procurandi munus diſpoſitis in
cap. 1. & tot. tit. ne Cler. vel Monach. ut advertunt Co-
hell. *ad Bullam boni reg. cap. 34. art. 6. n. 6. & 7.* Lotter.
de re benef. in appar. lib. 1. n. 158. Corrad. *in praxi diſp.*
lib. 5. cap. 4. nu. 5. & 6. Gratian. *diſcep. 57. nu.* 38. Prohi-
bentur tamen aliqua proviſione ſpeciali Sanctiſſimi
per organum ejus Auditoris, ne Sacerdotes Procura-
toris munere fungantur in foro contentioſo A. C. aliiſ-
que etiam Eccleſiaſticis, ne Sacerdotalis dignitas cla-
moroſis audientiis, actibuſque contentioſis judicialibus
vileſcat; permiſſo tamen exercitio iis, qui majore de-
core in cauſis procurant in informationibus tantùm
coram Judice.

Ut autem Romanæ Curiæ cauſarum Patroni, ſivè 19
Procuratores in eorum officio hujuſmodi honorificam
prærogativam ſibi ipſis conſervent, religioſè obtem-
perare debent diſpoſitis à Benedicto in præſenti Con-
ſtitutione; Siquidem in §. 1. ibi præſcribitur, ut Pro-
curatores modeſtiam ſervent, nedum corpore, ſed et-
iam in ſcripturis, ac omninò à convicius contra par-
tes, vel ex adverſo ſcribentes ſe abſtineant, juxtà ſan-
cita in *leg. quis quis, C. de poſtulando*; ſolo namque
juſtitiæ zelo, & pacificè Chriſtianum Poſtulatorem de-
cet jura ſui Clientis agere, & tueri, quinimò ab ipſis
gentilibus Oratoribus hujuſmodi conviciandi prurigo
in judicialibus quàm maximè exprobata fuit, ut col-
ligitur ex *Cicer. primo de orat.* ubi hujuſmodi convi-
ciantes paſſim vocitat Rabulas, petulantes, acerbos;
etſi D. Urſaya *inſtit. crim. lib. 2. tit. 9. n. 111. cum ſeqq.*
aſſerat, Advocatum à contraſcribente contumeliis la- 20
ceſſitum, poſſe injurias rependere, ex doctrina S.
Thomæ 2. 2. *quæſt. 72. art.* 3. tam propter bonum ejus,
qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia re-
primatur, quàm propter bonum multorum, quorum
profectus impeditur propter contumelias nobis illatas;
tamen meliùs aget, ſi quod permiſſum eſt Chriſtiana
charitate non adhibeat, & Judicis officio, quod ſpre-
tum tunc dicitur, vindictam juſtam relinquat. Ex diſ-
poſitio-

21 poſitione quoque hujus Conſtitutionis §. 2. Procuratores, & Advocati Pauperum lites gratis agere, & defendere tenentur, de qua re proprio loco dicam. In §. 3. ſancitur, quòd multitudinem cauſarum evitare de-
22 beant; melius enim eſt pauca expedire diligenter, quàm multa ſuſcipere periculosè, ut ait noſter Pontifex; pluribus ſiquidem intentus minor ſit ad ſingula ſenſus, ex D. Gregorio Magno *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. & Curiales, qui cauſarum cumulo ſeipſos onerare ſtudent, nonnisi auri ſacra fame impelli, arguunt Riſicat. *de ſtat. hom. to.* 2. *de Advoc. & Procur. ſtat. cap.* 3. *lit. C. ad G. pag.* 223. D. Urſaya *inſtit. crim. lib.* 2. *tit.* 10. *n.* 96. & 97. D. Conſtantin. *loc. cit. nu.* 312. Proſequitur rurſus Benedictus in
23 hac Conſtitutione §. 4. quòd Procuratores, & Advocati examinare, & perpendere debent cauſæ juſtitiam antequam ejuſdem defenſionem ſuſcipiant, ut injuſtas lites dimittant; ex ipſius quidem juris naturæ lumine quiſque pro comperto habet, Procuratorem, qui ſciens injuſtam cauſam defendendam ſuſcipit, contra juſtitiam delinquere, adeòut ad omnia damna, expenſas, & intereſſe teneatur, Azeved. *ad leg. recompilat. tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 16. *leg.* 1. *nu.* 2. de Marin. *reſol. quotid. lib.* 2. *cap.* 12. non adeò tamen ſtrictè hujuſmodi regula eſt intelligenda, ut Morales DD. plerique eam explicant, præcipuè ſi cauſæ hypoteſis vertitur circa opinabilia, vel probabilia, vel in mero juris articulo; In his enim terminis, vix datur cauſa, quæ redoleat apertam calumniam, ex adductis per Card. de Luca *de Juriſdict. diſc.* 94. *n.* 2. *& de Fideicomm. diſc.* 179. *nu.* 3. Xamar. *de offic. Jud. & Advoc. part.* 2. *quæſt.* 5. *nu.* 5. *ſeqq.* D. Urſaya *cit. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 69. *cum ſeqq.* Pigant. *ad Statut. Ferrariæ rubr.* 86. *n.* 42. Pacta quoque, quæ dicuntur quotæ litis Procuratores, & Advocati meritò prohibentur inhire in præſenti Conſtitutione §. 5. de quibus pactis plura dixi ad *Conſt.* 1. Bonifacii VIII. *num.* 12. *cum ſeqq. tom.* 3. *pag.* 507. Inhibetur rurſus in hac Conſtitutione
24 §. 6. Procuratoribus, & Advocatis, ne infideles, & negligentes ſint in eorum munere exercendo; Et quidem infidelis eſſet, ſi quis eorum ſecretum cauſæ alteri ex Partibus communicaret, & pœna falſi puniri poſſet, Gratian. *diſcept.* 100. *num.* 16. Barboſa *de Epiſcopo part.* 3. *alleg.* 79. *num.* 25. Petra Genitor. *cit. rit.* 3. *num.* 16. *& rit.* 165. *num.* 179. *verſ. nonnulli*; Veruntamen, ſi Advocatus injuſtam cauſam dimittit, poterit ſecreta cauſæ collitiganti communicare, ne damnum notabile injuſtè patiatur, ut probat Ala *de Ad-*
25 *voc. Chriſt. qu.* 27. *per tot.* Tamquam etiam infidelis reputari debet Procurator, qui in eadem cauſa, cùm patrocinatus fuerit pro una ex partibus, deinde contra ipſam jura partis adverſæ aſſumere attentat, ex notiſſima reformatione Pauli V. quòd tamen limitavit Rota, niſi vel ex longo temporis lapſu oblitus præſumatur meritorum cauſæ, vel plenè de ipſis informatus non ſit, juncta potiſſimè integritate Procuratoris, in *deciſ.* 2918. *per totum coram Coccin.* Nunquid verò ſi Cliens poſtquam de ſuo bono jure plenè informavit Procuratorem, deinde de congruo honorario, ſivè ſtipendio convenire nolit, idem Procurator valeat patrocinium alterius Partis in eadem cauſa aſſumere, latè diſſerit Guttierez *lib.* 1. *pract. quæſt.* 30. *per totam.* Demum in
26 §. 7. Benedictus decernit, ut Judex ex officio de idoneo cauſæ Patrono provideat Clientem indigentem, quod potiſſimè accidis ob præpotentiam collitigantis, qui vel omnes meliores Advocatos, ſivè Procuratores ſibi devinciendo, ejus Adverſarium nititur ſupplantare, vel etiam cùm ipſi Advocati, & Procuratores ob reſpectum, vel timorem ſimilium litigatorum jura alterius partis contra ipſos aſſumere nolunt, in quibus ſanè aliiſque ſimilibus contingentiis Judex ex officio ſe intromittere debet, opportunè neceſſitatibus hujuſmodi clientum providendo, ad Text. in *leg. providendum C. de poſtulando*, & firmant Guttierez *cit. quæſt.* 30. *n.* 4. Petra Genitor *cit. rit.* 99. *nu.* 3. *& rit.* 288. *n.* 8. & facit Rota *in cit. dec.* 2018. *n.* 3. *cor. Coccin.*

CONSTITUTIO III.

BENEDICTI XXII.

Incipiens (*Fulgens.*)

EPITOME BULLÆ.

BENEDICTUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

PLura ſtatuit pro reformatione Ordinis Ciſtercienſis quoad bonorum adminiſtrationem, ac totius Ordinis gubernium, præſertim circa contributiones ſolvendas, quæ pro neceſſitatibus imponuntur Monaſteriis ejuſdem Ordinis in Generali Capitulo.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Reformatio Ciſtercienſium cur potiſſimè fuerit promota à Benedicto XII.*
2 *Primæva Ciſtercienſium ſanctitas indicatur.*
3 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
4 *Contributiones pro commodo Ordinis Ciſtercienſium impoſitæ, quomodo exigendæ.*
5 *Abbates, & Abbatiſſæ Ciſtercienſes quatenus contributiones præſtare teneantur Abbati Generali.*
6 *Harum contributionum juſtitia pro omnibus Ordinibus comprobatur.*
7 *Eadem contributiones in quos uſus potiſſimè impenduntur.*
8 *Superiores locales has contributiones ſolvere renuentes, quibus pœnis cogi ſoleant a Sac. Congregatione Epiſcoporum.*
9 *Superiores Generales an has contributiones exigere debeant à ſingulis Conventibus, ſivè a Miniſtro Provinciali.*
10 *Miniſtri, & Procuratores Generales quomodo ſe gerere debeant pro hujuſmodi ſubſidiis exigendis.*
11 *Ciſtercienſes pro his exigendis ſubſidiis ſervare debent formam in hac Conſtitutione præſcriptam.*
12 *Quomodo conſulatur Conventibus pauperibus, vel non habentibus paratas pecunias pro ſolitis contributionibus.*
13 *Ciſtercienſes Congregationis Italiæ tenentur has contributiones ſolvere Abbati Generali Ciſtercii.*
14 *Refertur quoad hoc judicatum Auctoris, & S. Rotæ.*
15 *Hæc ſubſidia an directè exigantur à Procuratoribus Provinciarum, ſivè à ſingulis Conventibus.*
16 *Procuratores Provinciarum non tenentur de proprio, ſed ſolùm ad diligentias in exigendo.*
17 *Procurator ad exigendum, factis diligentiis, functus dicitur ſuo munere.*
18 *Nec tenetur de non exactis, niſi probata ejus negligentia, & exigibilitate crediti.*

QUi digniſſimus Sacri Ciſtercienſis Ordinis alumnus in minoribus vixerat Benedictus XII. jam 1
Petri Cathedram aſcendens, ad eumdem Ordinem, perinde ac ad benignam matrem, & altricem, Paſtoralis ſolicitudinis oculos convertit; Probe equidem

noverat

noverat ſolertiſſimus Pontifex maculas, & rugas, quæ hujus Ordinis alioqui fulgentiſſimum ſidus obnubilabant, nec ipſum præteribant remedia, quibus his incommodis maximè occurreretur; etenim hic inclytus Ordo, de cujus origine; & progreſſu plura adduxi *to. 1. ad Conſt.* 1. Paſchalis II. *num. 9. & ſeqq. pag.* 350. *& Conſt.* 2. Eugenii III. *pag.* 535. *& tom.* 3. *Conſt.* 4. Innocentii IV. *pag.* 27. *& Conſtit.* 3. Clem. IV. *pag.* 401. uti plantatio ſancta, & vitis fructifera ſub primis Ordinis Patribus adeò uberrimè pullulavit, ac ſanctitatis palmites longè, latèque produxit, ut ferè totum Chriſtianum Orbem impleverit, nedum Monaſteriorum fre-
2 quentia, ſed & ſanctitatis fulgore, & bonæ famæ odore; ejus enim Ordinis alumni Monaſticæ frugalitatis contenti, fundamentum ſanctitatis in vera paupertate ponentes, Eccleſiæ cari, Epiſcopis, & Prælatis accepti, ac in conſpectu Principum fama, & meritò glorioſi extiterunt. At cùm rerum humanarum conditio ea ſit, ut devotionis fervor potiùs tepeſcat. vix innumeris privilegiis exemptionum decoratus ille Ordo fuit, ac bonis adauctus, quòd plerique primævæ Inſtitutionis obliti, à regulari fervore deſciſcere cœperunt, quos proindè monere non omiſit Alexander III. Epiſtola toti Ciſtercienſi Ordini directa, admonens rurſus ne divitiarum pondere preſſi, priſtinam negligerent diſciplinam, quæ ſanè Epiſtola refertur à Manriquez *tom. 2. Annal. Ciſterc. Anno* 1171. *cap.* 3. *n.* 5. ejuſque fragmentum extat in *cap. recolentes de ſtatu Monachorum*, Mirum igitur non eſt, ſi Benedictus noſter hujuſmodi Ordini tam addictus, ejuſdem reformationi ita ſedulus incumbit; nam vix paucos menſes à ſua ad Pontificatum aſſumptione labi paſſus fuit, quin illius reſtaurationi manum admoverit reformatricem; ex quo factum eſt, ut nec Ciſtercienſes ſtudioſiorem naneiſci potuerint reformatorem, nec Benedictus reformandi ſtudium utilius, ac opportunius in ipſos impendere valuerit; & quod circa curam univerſalem omnium Ordinum idem Pontifex, uti Summus Paſtor, explere debuerat, favorabilius, & inpenſius erga ſuum Ordinem exhibere curavit, ut ipſe profitetur in §. 1. hujus Conſtitutionis. Hinc tale opus aſſumens, ſtatuta quæ-
3 dam pro recto gubernio dicti Ordinis edita ab Abbatibus principaliorum Monaſteriorum dicti Ordinis; nempè de Firmitate, Claravallis, & de Morimundo, confirmavit, ac ſervari inviolabiliter demandavit, hac Conſtitutione edita apud Pontem Sorgiæ Diœceſis Avenionenſis die 12. Julii anno 1335. in quibus confirmatis ſtatutis plura ſapienter pro bonorum adminiſtratione, Regulari obſervantia, Capitulis Generalibus, ſubventionibus, aliiſque ad rectum Ordinis gubernium, Alumnorumque vitam reformandam præſcripta fuerunt. Prout Ciſtercienſium bono regimini, ac Regulari obſervantiæ, & reformationi alii quoque Pontifices ſtuduerunt, tùm Benedicti prædeceſſores, in Conſtitutionibus mox ſupra indicatis; tùm ſucceſſores, ut præſertim egerunt Pius IV. *Conſt.* 70. S. Pius V. *Conſt.* 102. Gregor. XIII. *Conſt.* 18. & alii, de quibus ſuo loco.

4 Verùm quia plura, quæ in hac Conſtitutione ad rectum Ciſtercienſium ſtatum præſcribuntur, nulla indigent explanatione; nonnulla verò tamquam aliis Regularibus communia alibi explicata ſunt, vel opportunè explicanda, In præſenti itaque operæ pretium duxi tantum inſiſtere in §. 19. cum ſeqq. ejuſdem Conſtitutionis, in quibus Benedictus XII. providet, ut Contributiones, quæ pro uſibus communibus ipſius Ordinis imponuntur, ſtatutis temporibus omninò perſolvantur; adeòquod Abbas Ciſtercii, & quatuor Coabbates principales, qui pro tempore erunt, contra inobſervantes, & contumaces, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententia procedere valeant; Pro hujuſmodi autem Contributionibus exigendis, conſervandis, & in communes uſus diſtribuendis, quotannis per Capitulum generale, ſivè per Definitores deputentur tres Abbates ejuſdem Ordinis, qui jurejurando cavere debeant de fideliter hujuſmodi munere exercendo, & in ſubſequenti Capitulo generali rationes hujuſmodi adminiſtrationis diſtrictè reddere teneantur; Voluit tandem idem Benedictus, quòd exactè hujuſmodi ſtatuta in eodem Ordine ſerventur, quòdque per Capitulum generale, vel alium quemlibet nihil contra innovari præſumatur, & ſi quis ſecus attentare auſus fuerit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, ut ibi latiùs.

Profectò autem primam hujuſmodi ſtatutorum par- 5
tem innovavit Gregorius XIII. in *Conſt.* 18. *incip. Superna* §. 12. in qua diſtrictius injunxit, quòd omnia, & ſingula hujus Ordinis Monaſteria tàm Virorum, quàm mulierum, ſivè eorum Abbates, & Abbatiſſæ Contributiones ſolitas Abbati Monaſterii Ciſtercii, & Capitulo generali, quacumque excuſatione, & exceptione ceſſante annuatim ſolvere teneantur, & ad id compelli poſſint ſub excommunicationis latæ ſenten-
tiæ pœna; Et quidem neque excogitari poſſunt onera 6
magis æqua, & convenientia his contributionibus, quæ ab inferioribus Monaſteriis, eorumque Superioribus perſolvi debent Abbatibus generalibus, ſivè Capitulo generali, eorumque vice Procuratori generali, ut in communes, & neceſſarios totius Ordinis uſus, & exigentias convertantur; quippè ſi particularia monaſteria tamquam totius Ordinis membra proſpiciantur, ſaltem ordine charitatis alter alteriùs neceſſitatibus præſtò eſſe debet, etiamſi nil in contribuentis aliquando actu utilitatem redundet, D. Paul. *ad Galat.* 6. *cap. cum non liceat* 12. *de praeſcr.* cum ſufficiat poſſe ſuppetere occaſiones, ut utilitas ſpecialis adſit ultra utilitatem reſultantem in corpore Religionis, quia cùm hujuſmodi ſubſidia perſolvantur totius Ordinis Capiti, ſivè
ejuſdem Procuratori Generali pro ſolvendis oneribus, 7
aliiſque ſatisfaciendis obligationibus Religionis, ſivè ut in communes uſus erogentur, in conſervationem ſcilicèt, propagationem, & quietum progreſſum Regularis obſervantiæ, quæ profectò ad ſingulos Monachos dicuntur pertinere, ad *Tex. in Clemen. attendentes de ſtatu Monach. & Extravag. quorumdam de Verbor. ſignif.* quapropter omnes ad id contribuere, juſtitia exigente, tenentur, juxta regulam, qui ſentit commodum debet portare incommodum, ex *Text. in l. fin. §. ſed cum C. de furtis, l. Julianus §. ex vendito ff. de act. empti, l. ſupervac. C. de tempor. in integ. reſtit.*

Attenta itaque hujuſmodi ſubſidiorum, ſivè contributionum juſtitia, & rationabilitate, Sac. Cong. ſuper controverſiis Epiſcoporum, & Regularium ſæpè ſæpius, ſupplicantibus Superioribus Generalibus hujuſmodi Ordinum, ſuam interponit auctoritatem, & brachium, ut prædicta ſubſidia legitimè debita ſivè ejuſdem Generalibus, ſivè Procuratoriæ Generali Romæ exiſtenti nequaquam tergiverſentur, ut ex ejuſdem decretis infrà laudandis liquet in collectione M. S. peracta à Nicolio *pro Regularibus verbo Contributioni pag.* 277. *& verbo Peſi pag.* 722.

Quapropter non ſemel Abbatibus Localibus eadem 8
Sac. Congregatio ex oraculo Sanctiſſimi reſcripſit, quòd ipſi, interim quo detrectant perſolvere integram contributionum taxam, neque intervenire Capitulo generali poſſint, neque confirmari debeant in eorumdem munere; eò autem minùs ad ſuperiores gradus promoveri, neque tandem novitios excipere valeant, ut *anno* 1637. *Can. Reg. Later.* 9. *Januarii* 1649. 8. *Januarii* 8. 26. *Feb.* 10. 16. *April.* 4.; Et quidem congruenter videtur eiſdem interdicta acceſſio ad generale Capitulum, nam qui aſſerunt impotentiam ſuorum Conventuum contribuendi, nequidem debent viaticorum expenſis etiam tenuibus eoſdem gravare, dum tanta laborare dicuntur paupertate; His verò pœnis Sac. eadem Congregatio aliquando pro modo contumaciæ adiunxit etiam privationem vocis activæ, & paſſivæ, caducitatem à Prælatura, cùm inhabilitate ad alios gradus ipſo facto incurrenda, ut in reſcripto pro *Camald.* 20. *Martii* 1658. 73. atque hujuſmodi decreta extendit ad Abbates, & Procuratores, quibus cura incumbit exigendi à quibuſcumque obligatis has contributiones, niſi ſedulam diligentiam in exigendo præſtiterint, ut in decreto pro *Olivet.* 1637. 14. *Aug.* etenim ſeclusis etiam expreſſis Conſtitutionibus, non

undique

Digitized by Google

9 undique compertum eſt, numquid Abbas Generalis teneatur exigere hujuſmodi contributiones à ſingulis Monaſteriis; quinimò juxtà ſenſum Sac. Congregationis, quòd teneantur Procuratores Provinciarum eaſdem exigere, & tranſmittere ad Abbatem Generalem, videtur tenuiſſe Rota *in Romana*, *ſeu Cabilonen. contributionum 19. Junii* 1702. *cor. D. Molines* §. *finali*, & 14. *Maii* 1706. §. *Contrarium*, & 24. *Januari* 1707. §. *Tum quia cum ſeqq. cor. D. Lancetta*, ut infrà latius dicam.

10 Iidemque iiſdem pœnis ſubjacere eadem Sac. Congregatio dixit, Procuratorem generalem, qui neglexerit temporibus ſtatutis exhibere notulam diſtinctam ſubſidiorum ad ſe perventorum, & omnium, qui in ſolutionibus defecerint, ut declarari poſſint pœnis obnoxii; pro *Olivet.* 1637. 14. *Aug.* proptereàque Abbas Generalis in quolibet Capitulo, ſeu, ut dicunt, dieta exigere etiam tenetur à Procuratore Generali Romæ, utpotè etiam à Prioribus Conventuum, qui ſub earumdem pœnarum metu fideliter præſtare debent notulam prædictam omnium inobſervantium, ſivè negligentium, quorum proindè nomina publicari debent, ante quamcumque Capitularem actionem; adeòut hujuſmodi publicatione non peracta, actus capitulares nullius roboris, & irritos eſſe generaliter ſtatuerit eadem Sacra Congregatio *anno* 1652. 12, *April*, 12. & in reſcripto pro Vallumbroſanis 14, *Maii* 13.

11 Ut verò Benedictus XII. pro Ciſtercienſibus in præſenti Conſtitutione ſtatuit, quòd ſtatuta pro contributionibus hujuſmodi edita inviolabiliter ſerventur, adeòut nihil contra à quocumque innovari præſumatur in §. 22. nec diſſimiliter Sac. eadem Congregatio generaliter indixit ſub recenſitis pœnis, ne Abbas Generalis, neque Viſitatores, ſivè alii quicumque ſint, audeant etiam ſolo conſenſu ſivè diſſimulatione prædictis ordinationibus derogare, & contraire, neque à pœnis præfatis abſolvere, ſivè quocumque modo habilitare contumaces incurſos, etiamſi ab ipſis prætexeretur impotentia contribuendi, cùm ad Sanctam Sedem hujuſmodi ſpectat judicium, ut in eodem decreto edito *an.* 1652. 12. *Aprilis* & pro Vallumbroſanis 14. *Maii*, Itaque hujuſmodi vera impoſſibilitate perſpecta, beni-
12 gniter S. Sedes habilitationes, & abſolutiones impertitur, ut patet in reſcriptis pro Camaldulenſibus 1659. 20. *Martii*, & pro Lateranenſibus 24. *Julii* 1654. 45. & pro Olivetanis Mantuæ 12. *Sept.* 1653. 214. aliiſque paſſim; Cùm verò Monaſteria contributionibus obnoxia paupertate non premuntur, verùm pecunias paratas non habent, tunc quidem vel dilationes, ſeu prorogationes à Sac. eadem Congregatione impertiuntur, ut fuit conceſſa ſex menſium pro Olivetanis 4. *Apr.* 1659. 101. trium menſium pro Lateranenſibus 6. *Aug.* 1655. ſivè beneplacitum conceditur, ut annuum cenſuum contrahant pro intranti quantitate, ut pro Monaſterio S. Mariæ in portu Ravennæ 4. *Martii* 1657. & pro *Lateranenſibus* 4. *Maii eod. anno*; ſivè ut poſſint in Emphiteuſim concedere terrena minùs culta, ut pro Lateranenſibus 2. *Octobris* 1654. & 18. *Decembris*, vel tandem, ut valeant vendere ſtabilia modici fructus; dummodò in omnibus his enunciatis caſibus pretium in loco tuto deponatur, neque convertatur, præterquam quod in ſolutionem hujuſmodi contributionum, ut reſcriptum fuit pro Olivetanis Mantuæ 4. *Junii* 1655. 56.

13 Sed ad exigentiam hujuſce Conſtitutionis quoad memoratas contributiones, prætereundum nequidem eſt, quòd vigore tranſactionis initæ de anno 1513. & confirmatæ à Pio IV. anno 1565. ſuper Contributionibus debitis pro indigentiis totius Ordinis à Congregatione Ciſtercii Italiæ, compoſita ex Provinciis Lombardiæ, & Tuſciæ, cui unita reperitur Romana, ut notavi *tom.* 1. *ad Conſtit.* 1. *Paſchalis* 11. *nu.* 14. *verſ. Congregatio pag.* 351. cùm inſtetiſſet Procurator Generalis totiùs Ordinis Ciſtercienſium pro earumdem Contributionum exactione in Capitulo generali, Congregatio prædicta Italiæ detrectans ampliùs recognoſcere Abbatem Generalem Ciſtercii, tamquam totius Ordinis caput, conſequenter recuſavit ſubſidia prædicta contribuere: quapropter recurſu habito ad Sac. Cong. Epiſcoporum, & Regularium, eidem placuit quoad confirmationem præfatæ tranſactionis votum Sacræ Rotæ exquirere, de quo alibi; quò verò ad ſolutionem contributionum juſſit, quòd ſervaretur ſolitum; In hujuſmodi verò reſcripti executionem Procurator 14
Generalis totius Ordinis egit coram me tunc Locumtenente A. C. pro manutentione reportanda in Jure exigendi contributiones à Procuratoribus dictarum Provinciarum, & petitis annuere, juſtitia ſuadente duxi, mandatum de manutenendo ejuſdem Procuratoris Generalis favore decernendo, & relaxando, cujus quidem mandati juſtitia à Sacra Rota, ad quam per appellationem hujuſmodi cauſa devoluta extitit, tribus deciſionibus editis confirmata fuit, videlicèt in *Romana*, *ſeu Cabilonen. Ord. Ciſtercien. Contribut.* 19. *Junii* 1702. *coram D. Molines Decano*, & 14. *Maii* 1706. *coram D. Lancetta*, & 24. *Januarii* 1707. *coram eodem*. Conſtabat ſiquidem de poſſeſſione Procuratoris Generalis Ordinis exigendi à Procuratoribus Provinciarum Italiæ præfatas contributiones, ut fuit dictum *coram D. Molines* §. *cum enim*, & *coram D. Lancetta in prima deciſ.* §. *ſolitum*, & *in ſecunda deciſ.* §. *Poſſeſſio*; minimè verò refragante unica illa objectione, quæ de- 15
ducebatur, videlicèt quòd contributiones directè debeantur à ſingulis Monaſteriis debitoribus, non autem à Procuratoribus Provinciarum, nam præterquamquòd hujuſmodi aſſertio contrariatur Conſtitutionibus Apoſtolicis, in quibus, Miniſtris Ordinis injunguntur hujuſmodi exactiones, & tranſmiſſiones, ut potiſſimè fuit deductum *in cit. Romana*, *ſeu Cabilonen. contributionum cor. D. Lancetta in prima deciſ.* §. *tum quia*, & §. *Minimè*, quòd commune eſt onus Procuratorum Generalium, ut deſumitur ex formula Conſtitutionis Procuratoris generalis apud Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *in formulario pag.* 453. omnis quidem in caſu de quo agebatur, ceſſabat amaritudo; quippe ſatis ſuperque fuit probata poſſeſſio Procuratoris Generalis exigendi Contributiones à Procuratoribus ipſis Provinciarum, quapropter erit eidem decernenda manutentio, in obſequium prælaudati decreti Sac. Congregationis, ut ſervetur ſolitum, ut me in prima inſtantia judicante uti A. C. Locumtenente, confirmavit Rota *in cit. Romana ſeu Cabilonen. cor. D. Molines* §. *ceſſat*, & *coram D. Lancetta in prima deciſ.* §. *quoniam cum ſeqq.* & *in* 2. *dec.* §. *Adhuc*; Cæterùm eadem Rota ſubdidit, quòd quamvis Procuratores Provinciarum teneantur ad omnes poſſibiles diligentias in exigendo dictas contributiones, ad effectum illas ſolvendi Procuratori Generali Ordinis; ſi tamen omnibus præmiſſis diligentiis, inexigibiles eſſent contributiones à particularibus Monaſteriis, an dicti Procuratores tenerentur de proprio, ex diſcordia DD. non fuit deciſum, ut in *dec. coram D. Molines* §. *finali*.

At eiſdem non obtemperantibus judicatis, cùm clauſula *ſine præjudicio* à Signatura canonizatis, propoſitum fuit dubium in Rota, an ſit concedenda declaratoria, & in deciſione edita ſuper dicta declaratoria *die* 18. *Martii* 1709. *coram D. Lancetta*, illa relaxata fuit; quia cùm tenerentur ad formam dictorum Judicatorum omnem adhibere diligentiam pro exigendis annuis contributionibus, ac expedita fuiſſent mandata cùm comminatione cenſurarum juxta ſtilum, & ſervati termini, benè poterat contra eos decerni declaratoria, neque Procuratores excuſari poſſe Rotæ viſum fuit ob Epiſtolas ſcriptas Superioribus Monaſteriorum, tum quia non conſtabat omnibus fuiſſe ſcriptas, tùm quia ad effectum oſtendendi fuiſſe adhibitas diligentias, non erat procedendum per viam ſimplicium epiſtolarum, quæ potuerant eſſe colluſivæ, & affectatæ, ſed in vim propriarum Conſtitutionum, & Bullarum Superiores compellere debuiſſent ad ſolutionem, etiam mediantibus cenſuris in eiſdem Bullis comminatis; At cum à dicta declaratoria fuerit conceſſa reviſio, Sac. Rota non reſolvit cauſam, ſed dixit *ad mentem*, pro componenda forſan inter Religioſos Fratres non laudabili

iſta

Digitized by Google

iſta controverſia, in quibus terminis, dum ſcribimus, hæc cauſa manet.

16 Verùm, quòd in caſu particulari indeciſum reliquit Rota, forſan difficultatem ingerente tenore tranſactionis memoratæ, ſi velimus in abſtracto ad terminos Juris conferre, certum eſt, quòd Procuratores Provinciarum nonniſi ad exactas diligentias tenentur, cæterùm ſi Monaſteria contribuere nequeant, de proprio non tenentur; Siquidem Procuratores ad exigendum,
17 ſivè Exactores deputati, quamvis non faciendo diligentias dicantur in culpa, de qua tenentur, *leg. merita Cod. mandat. l. à Procuratore ff. eod.* cùm Procuratores ex officio ſuſcepto debeant eorumdem onus adimplere, *leg. ſi remunerandi ff. mandati, l. ſi quis alicui ff. eodem*; quòd quidem implementum conſiſtit in diligentiis in exigendo; debitores enim non tenentur debitum ultrò offerre, ſeù aſportare ad domum Creditoris, ut in his terminis dixit Rota *in deciſ. 189. num. 5. coram Roxas*; attamen diligentiis expletis Exactores dicuntur functi ſuo officio, & ſufficienter adimplevisse ſuum onus, adeò ut non teneantur de proprio pro non exactis præ inopia, vel contumacia invincibili debitorum, *leg. 2.* ibique Gloſſ. *C. de arbitr. tutel.* Valenzuel. *conſ. 179. nu. 24. cum ſeq.* & ex Surd. *conſ. 540. num. 25. cum ſeq.* Seraphin. *dec. 659. num.* 3. optimè firmat Rota *in dec. 189. nu. 3. cum ſeqq. cor. Roxas*. Quinimò ut de non exactis Pro-
18 curatores teneantur, docendum eſſet, nomina debitorum fuiſſe exigibilia, & ob culpam, & negligentiam eorumdem exigere debentium effecta eſſe non ſolvendo, ad *cit. Text. in l. 2. Cod. de arbitr. Tutel.* & ſæpiùs firmavit Rota *in dec. 2. num. 9. cum ſeq. par. 14. & dec. 260. nu. 5. cum ſeqq. par. 16. & dec. 111. num. 6. par. 17. rec. & in cit. dec. 189. num. 9. cum ſeqq. coram Roxas*, adeòut Exactores non poſſint uti negligentes condemnari ob non factam debitorum exactionem, niſi probata exigibilitate nominum debitorum, cum contingere poſſet, quòd debitores etiam excuſſi non ſolverent, ut fuit ſenſus Rotæ *in cit. deciſ. 2. num. 11. par. 14. rec. & dec. 926. num. 2. cum ſeqq. coram Dunoz. Jun.* ex rationibus latè adductis in *cit. deciſ. coram Roxas num. 9. cum ſeqq.*

CONSTITUTIO IV.

BENEDICTI XXII.

Incipiens (*Benedictus Deus.*)

EPITOME BULLÆ.

BENEDICTUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

DEfinit, Animas Defunctorum, qui in gratia deceſſerunt, ante diem univerſalis Judicii ex viſione clara, & fruitione Dei verè eſſe beatas: Declarat pariter, Joannem XXII. prædeceſſorem ſuum, oppoſitum errorem non docuiſſe.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Animas in gratia decedentium non recipi in Beatitudine, niſi poſt diem Judicii, aliqui docuerunt.*
2 *Idemque ſentire viſi ſunt nonnulli ex Patribus.*
3 *Innuuntur loca Scripturæ, quibus Etherodoxi hanc aſtruunt ſententiam.*
4 *In hanc ſententiam Joannem XII. fuiſſe perhibetur.*
5 *Contrarium definit Benedictus XII. in præſenti Conſtitutione.*
6 *Comprobatur hæc definitio pluribus decretis S. Pontificum, ac Conciliorum Generalium.*
7 *Itemque aſtruitur pluribus S. Scripturæ locis.*
8 *Cumulantur ad idem rationes, & Auctoritates Patrum.*
9 *Vindicantur à contraria ſententia DD. Auguſtinus, & Bernardus.*
10 *Reſolvuntur contraria argumenta, præſertim ex auctoritate DD. Auguſtini, & Bernardi deſumpta.*
11 *Exponuntur loca Sac. Scripturæ pro contraria ſententia allata.*
12 *Oſtenditur, Joannem XXII. contrariam ſententiam ſuo decreto non firmaſſe.*
13 *Expenditur, an idem Pontifex ſaltem ut privatus Doctor in eamdem ſententiam propenderit.*
14 *Joannes XXII. nullam edidit hac in re Bullam pro definienda ſententia Catholica.*
15 *Cirinthiani, ſeu Millenarii qui fuerint, ac quæ eorum hereſes circa reſurrectionem in die Judicii.*
16 *Papias Epiſcopus Hieropolitanus quid circa Reſurrectionem ſenſerit.*
Horum errores confutantur auctoritate Scripturæ, & Patrum. Ibid.

DE ſtatu Animarum Sanctarum poſt mortem, & 1
Aſcenſionem Chriſti in Cœlum ingenti, & animarum pugna, & ſententiarum diſcrepantia altercatum fuit, an illis ab omni macula pœnæque reatu puris, ſtatim ac à corpore migrarint, clara Dei viſio concedatur, an poſt extremum judicium, & corporum reſurrectionem donanda differatur. Non pauci enim nec infimi nominis Auctores in ea fuere ſententia, ut aſſeruerint, Animas Sanctorum ſufficienter purgatas, non ſtatim in beatitudinem recipi, ſed uſque ad diem judicii in quibuſdam abditis receptaculis ſervari, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici poſſint, niſi in ſpe. In hac fuit apertè Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 34. & lib. de Anim. cap. 56.* Vigilantius apud S. Hieron. *lib. contra eumdem, Armeni, Anabaptiſtæ, & Græci Schiſmatici* apud Guidonem Carmelitam, Alphonſum à Caſtro *verbo Beatitudo her. 6.* Sandeſium *lib. 7. her. 114.* Acceſſit deindè Mart. Lutherus *præfat. in Geneſim*, Agrippa *lib. 3. de occulta philoſoph.* & Joannes Calvinus *lib. 4. Inſt. cap. 20.* ubi expreſsè aſſerit: *Chriſtum ingreſſum eſſe Sanctuarium Cæli; reliquos vero omnes in Atrio expectare, uſque ad Mundi conſummationem.*

Sed quòd caput eſt, vel ipſi Eccleſiæ Patres nume- 2
ro, & auctoritate ſpectabilis in eamdem ſententiam inclinare viſi ſunt, & ut in re ambigua, in unam modò, modò in aliam partem vacillare: Ex Græcis Juſtinus *queſt. 60.* Ireneus *lib. 5. cap. 51.* Origenes *hom. 7. in Levit.* Athanaſius *queſt. 161.* Chriſoſt. *homil. 39.* Theodoretus, & Theophilatus *ad 11. cap. Ep. ad Hebr.* Aretas *in cap. 6. Apoc.* & Euthimius *in cap. 16. Lucæ*. Ex latinis verò Lactantius *lib. 7. cap. 21.* Hilarius *in Pſ. 138.* Prudentius *in Him.* D. Ambroſius *lib. 2. de Cain. cap. 2.* Difficillima verò ſunt, quæ ex S. Auguſtino, & S. Bernardo afferuntur: Ille ſiquidem *cap. 108. Enchyr.* inquit: *Tempus, quod inter hominis mortem, & Corporis reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut unaquæque digna eſt, vel requie, vel ærumna:* Aliaque plura id genus occurrunt apud Auguſtinum *lib. 12. de Civit. cap. 19. tract. 49. in Joan. lib. 11. Retract. cap. 14. & in Pſ. 36.* quibus fluctuaſſe in hoc negotio dignoſcitur: Bernardus verò *ſer. 3. de omnib. Sanct.* tres facit Sanctarum Animarum Status, primùm in Corpore corruptibili, ſecundùm ſine corpore, tertium in beatitudine conſummata: Primùm in Tabernaculis, ſecundùm in Atriis, tertium in Domo Dei, in quam Domum negat eas ſine corporibus intraturas, & *ſer. 4.* dicit, Animas Martyrum eſſe ſub Altari, quia ſolùm vident Chriſti humanitatem, poſt corporum autem reſurrectionem exaltandas eſſe ſuper Altare ad videndam ejus divinitatem.

Fulcie-

3 Fulciebant olim, & nunc quoque Etherodoxi hanc ſententiam verſu *Apocalypſis* ſatis expreſſo *cap. 6. Vidi (non in Cælo) ſed ſubtus Altare Animas Interfectorum propter Verbum Dei. Quibus & dicitur vindictam ſanguinis ſui poſtulantibus, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum* : Item *Matth.* 20. dicitur, *Patremfamilias reddidiſſe mercedem Operariis ad Veſperam*: Veſpera autem finem Mundi ſignificat; Et *ad Hebr.* 11. *in fine cap.* 5. habetur de Sanctis: *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Aliæ quoque Scripturæ bonorum operum retributionem rejiciunt in *diem Domini*, vel *in diem adventus Domini*, vel abſolutè *in diem illum, ad Rom.* 2. *ad Cor.* 5. *ad Tim. cap.* 1. *&* 4. & alibi; & Dominus *Lucæ* 14. *Retribuetur*; inquit, *tibi in reſurrectione juſtorum*: Quæ omnia ſignificare videntur; non antè extremi judicii diem retributum iri Sanctis mercedem ſperatæ beatitudinis.

4 His accedit, quòd Joannes XXII. nihil non egit, ut hæc opinio in Eccleſia reciperetur, quàm animo ſuo impreſſerat: Hanc enim & in publicis, & in privatis congreſſibus, imò & è ſugeſtu docuit, omnemque lapidem movit, ut eam Univerſitati Pariſienſi perſuaderet. Talia referunt OcKam, qui eo vixit tempore *in opere nonag. dierum*; Joannes Gerſon. *in Ser. de Paſcha*, Marſilius *in 4. qu. 13. art.* 3. Adrianus *in 4. Tract. de Sacr. Confirmationis*, & noviſſimè eadem promovet Maymburgus Traitè *Hiſtorique de l' Etabliſem. e prerogativas de l' Egliſe de Rome cap.* 13. ut infallibilitatem Romani Pontificis hoc exemplo oppugnet.

5 Cæterùm tametſi priſcis temporibus res hæc ſatis anceps, & dubia fuerit propter varias graviſſimorum Doctorum, & Patrum de ea opiniones; tamen hac Benedicti XII. Conſtitutione certum, & extra controverſiam factum eſt, Animas Juſtorum, purgata pœna, ſi cùm aliquo reatu illius ex hac vita deceſſerunt, antè diem judicii clara Dei viſione donari; Sic namque decernit Pontifex: *Definimus, quòd ſecundùm communem Dei ordinationem Animæ Sanctorum omnium mox poſt mortem ſuam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione hujuſmodi indigebant, etiam ante reſumptionem ſuorum corporum, & judicium generale, poſt Aſcenſionem D. N. Jeſu Chriſti in Cælum, fuerunt, ſunt, & erunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiſo cæleſti cum Chriſto, Sanctorum Angelorum conſortio aggregatæ, & poſt Chriſti Jeſu paſſionem, & mortem viderunt, & vident, & videbunt Divinam Eſſentiam immediatè, ſe benè, & clarè, & apertè illis oſtendentem. Et quod nihilominus in die judicii omnes homines ante Tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut recipiat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſivè bonum, ſivè malum*.

6 Conſonat Pontificia hæc definitio diſpoſitionibus Innoc. III. *cap. cum Marthæ de celeb. Miſſ. cap. majores de Baptiſm. Fidei formula, quæ* Clem. IV. & Joan. XXII. *temporibus præſcripta eſt Græcis*, quàm refert Raynald. *ad ann. 1267. Concil. Florentin. ſeſſ. ultima in litteris unionis miſſis ad Eugenium, Francfordien. in Epiſt. ad Epiſc. Hiſp. & Trident. ſeſſ.* 25. Idque planiſſimè conteſtantur Scripturæ oracula, ut abundè, & paſſim inculcant Controverſiſtæ, qui Eccleſiæ Catholicæ dogmata noſtra hac ætate ab Hæreticis continuati ſunt, Alphonſus de Caſtro *verbo Beatitudo hær.* 6. Guido Carmelita, Sanderus, & Caniſſius *loc. cit.* Vaſquez *diſput. 19. cap.* 2. Bellarminus *tom. 2. de Eccleſ. Triumph. lib. 1. cap.* 3. Thomaſſinus *tom. 1. Theolog. Dogmat. lib. 6. cap.* 18. & alii paſſim. Actum agam, ſi teſtimonia hic intexam ab illis adeò cumulatè coacervata, & expen-
7 ſa: Principaliora tamen non omittam, ut illud *Apoſt. 1. ad Cor. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: Ubi videre facie ad faciem, eſt Deum ipſum clarè intueri; opponitur enim ei quòd eſt, videre per ſpeculum, & in ænigmate: Jam verò dixiſſe Apoſtolum ea verba non tantùm de tempore, quòd erit poſt univerſale judicium, ſed de toto tempore, quòd poſt mortem corporis agitur, ex eo patet, quia de illo tempore loquitur, *quo prophetiæ evacuabuntur, linguæ ceſſabunt, ſcientia deſtruetur*: Quæ tria ad uſum tantùm præſentis ſæculi pertinent. Et idem *Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. Scimus quoniam ſi terreſtris Domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam æternam in Cœlis*: Vides, ſoluta terrena Domo non deeſſe cæleſtem: deeſſet autem, & valdè diù, ſi eâ carendum eſſet uſque ad diem extremi judicii: Ideò ſequitur Apoſt. *Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati. Scientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*. In quibus verbis illud præcipuè adnotandum eſt; Ideò nos per Apoſtolum, habemus voluntatem peregrinandi à corpore, *ut præſentes ſimus ad Dominum, & ut jam non per fidem ambulemus, ſed per ſpeciem*: Quòd ſanè optandum non eſſet, ſi ad ſpeciem, hoc eſt claram viſionem Dei, non pertingeremus, niſi poſt reſurrectionem: Quia non in peregrinatione à corpore, ſed in reſumptione corporis conſequeremur bonum illud, quòd ſperamus. Similia ſunt, quæ habet *Apoſt. ad Philippen. 1. Coarctor è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multò magis meliùs, permanere autem in carne neceſſarium propter vos*. Quid ſanè properabat diſſolvi, ſi poſt reſurrectionem tantùm Chriſto conjungendus erat? ſi tanta temporis intercapedine diſtant hæc duo *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*? undè S. Greg. *lib. 4. Dialog. cap.* 24. roganti Petro ad hunc modum. *Noſſe vellem, ſi nunc antè reſtitutionem corporum, in cælo recipi valeant animæ juſtorum*: Reſpondet his verbis: *Luce clarius conſtat, quia perfectorum animæ mox ut hujus carnis clauſtra exeunt, in cæleſtis Regni ſedibus recipiuntur: Quod & Paulus atteſtatur dicens: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: qui ergo Chriſtum in Cælo eſſe non dubitat, nec Pauli animam eſſe in Cælo negat*. Illud etiam eſt clariſſimum, quòd Chriſtus in Cruce pendens latroni ſe illi commendanti dixit *Luc.* 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Non enim Paradiſus terreſtris ibi intelligitur, qui fortè jam perierat, & non animarum, ſed corporum locus fuit; ſed Regnum, & Gloria cæleſtis, ut patet ex ſupplicatione latronis dicentis: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum*; accepit ergo latro ſecundùm animam conſortium Regni cum Chriſto, quòd petierat; ut optimè deducunt S. Ambroſius, & Beda in eum locum, Photius, Theophilatus, & Oecumenius *in cap. 23. Lucæ*. Ad hæc *Act. 7. Stephanus intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video Cælos apertos*. Addit autem Eccleſia in officio Divino: *Vidit, & introivit Beatus homo, cui Cæli patebant*. Tandem *Pſ. 126. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: Ecce hæreditas Domini*; ideſt ſtatim à ſomno mortis dilecti Dei accipiunt hæreditatem Patriæ cæleſtis: illa particula *Ecce*, non de re tam ſera, ſed de ſubita, vel certè proxima, & quaſi præſenti dici ſolet, ut ponderat Canus *lib. 11. de loc. cap.* 5. Eſtius, Bellarminus, & Caſtro *loc. cit.*

Profectò ſi poſt extremum tandem judicium, & non 8
priùs videbitur Deus, quid juvat Inferni carceres à Chriſto effractos, quid juvat Paradiſi januas reſeratas? Conveniunt autem SS. Patres, novæ legis privilegium eſſe, quòd nunc, qui labis expertes hinc excedunt, ſtatim in cæleſtem Patriam traſeant; cùm olim non ſic, ſed imos ſubtus ſpecus peterent, aut in ſinum Abrahæ involverent: Chriſti quoque deſcenſum ad Inferos eo pertinuiſſe, ut clauſtra illa perrumperet, quibus Sancti Patres detinebantur, ſolutoſque ſecum in Cælum perduceret: undè ad *Eph.* 4. dicitur, *Chriſtus aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*. S. Ignatius *in Ep. ad Rom.* Dionyſius *cap. 7. Eccleſ. Hierarch. par. 1. &* 3. Juſtinus *quæſt.* 75. Iræneus *lib. 1. adverſus hæreſes cap.* 2. Origenes *hom. 7. in Levit.* Athanaſius *in vita Antonii*, Baſilius *hom.* 40. Nazianzenus *orat. 11. &* 20. Nyſſenus *orat. in S. Ephrem.* Chriſoſt. *hom. 10. in 2. ad Cor. & hom. 3. in Epiſt. ad Philipp.* Cyrillus Hieroſ. *cathec.* 13. & Alexandrinus *lib. 11. in cap.* 36. Joann. Epiph. *hær.* 78.

Theodo-

Theodoretus *lib.* 8. *ad Grecos*, Euſebius *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 15. Damaſcenus *in hiſt. Barlaam*, Theophilatus *in c.* 23. *Luce*, Oecumenius *in cap.* 9. *Epiſt. ad Hebr.* Ex latinis verò Patribus catholicam veritatem docuerunt Cyprianus *lib. de exortat. Martyrii cap. ult.* Hilarius *in Pſ.* 64. *&* 124. Ambroſius *lib.* 7. *epiſt.* 59. *& lib.* 10. *epiſt. ultima, & in cap.* 1. *epiſt. ad Philipp.* Prudentius *in Himno de B. Agnete*, Paulinus *in natal.* 3. *de S. Felice*, Hieronymus *in epiſt. ad Marcellam, que eſt* 25. Proſper *de vita contemplativa lib.* 1. *cap.* 1. Maximus Taurinenſis *homil. in S. Euſebium*, Leo I. *in ſermon. de S. Laurentio*, Gregorius Magnus *in Pſ.* 4. *pœn. & lib.* 13. *Moral. cap.* 14. Beda *in cap.* 6. *Apoc.* Haimon. *ibidem*, Anſelmus *in* 2. *ad Cor. cap.* 5. & Sulpitius *in epiſt. ad Aurelium*.

9 Nec ab hac ſententia fuit alienus Auguſtinus, qui *lib.* 20. *de Civit. c.* 15. *Si*, inquit, *non abſurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerant fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos indè Sanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus eruerat; profectò deinceps boni fideles effuſo illo pretio jam redempti, prorſus Inferos neſciunt*. Certum ergo erat Auguſtino diſcrimen inter Sanctos veteris Teſtamenti, ac novi quoad locum, quòd illi apud Inferos erant, hi *Inferos neſciant*. Deindè *tract.* 26. *&* 49. *in Joan.* Sanctorum Spiritus jam habere vitam æternam profitetur, quòd etiam expreſſiùs affirmat *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 3. *& lib.* 12. *de Geneſ. ad lit. cap.* 34. *& lib.* 8. *de Civit. c. ult. & in Pſ.* 116. exponens illum verſiculum; *Hei mihi, quia incolatus meus*, de cœleſti Hieruſalem, ſic loquitur: *Ibi omnes juſti, & Sancti, qui fruuntur verbo Dei ſine lectione, ſine litteris: quod enim nobis per paginas ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt*. Videndus prætereà Auguſtinus *lib.* 2. *qq. Evang. qu.* 38. *tract.* 124. *in Joan. lib.* 1. *Medic. cap.* 2. *&* 24. *ſer.* 15. *de Sanctis ſerm.* 191. *de diverſis*. Idem quòd de Auguſtino, ſentiendum eſt de S. Bernardo, quicquid in contrarium contendat Alphonſus de Caſtro *verbo Beatitudo hær.* 6. Nam in fine *lib. de diligendo Deo*, dicit, *Martyres immerſos eſſe immenſo pelago æterni luminis, & luminoſa æternitatis*. Et in *Ep. ad Fratres de Hibernia* ſcribit, *S. Malachia animam, non jam in fide ambulare, ſed in ſpecie regnare*. Et interim *ſer. de eodem Malachia* dicit: *Eum pari gloria, & fœlicitate regnare cum Angelis*. Et *ſer.* 6. *in Cantic.* *aſſerit: Quoſdam jam meruiſſe introduci in Sancta Sanctorum, ubi videant faciem ſtantis, ideſt claritatem incommutabilis Dei*. Similia paſſim inculcat de Sanctis, *ſer.* 4. *&* 5. *ſerm. de obitu Umberti, & ep.* 266.

10 Reliquum eſt, ut argumentis, quæ pro priori ſententia allata ſunt, ſatisfaciamus: Et quidem Teſtimonia Patrum, quæ in priori loco adducuntur, nihil contra catholicam doctrinam continent: loquuntur enim illi de retributione beatitudinis, & pœnarum completa, hoc eſt ſecundùm corpus, & animam; quàm certè non antè, ſed receptis per reſurrectionem corporibus conſecuturi ſunt, Vaſquez *diſp.* 19. *cap.* 3. Bellarminus, Eſtius, & Caſtro *loc. cit. &* Thomaſſinus *lib.* 6. *cap.* 18. Solùm reſtat, ut in explicationem Auguſtini, & Bernardi aliquid dicamus. Auguſtinus ergo, quòd loco nobis objecto vocat, *occultas ſedes, & abdita receptacula*, alibi vocat *ſinum Abraha*, alibi *Secretum Patris*, alibi *Cœlum, & Regnum Cœlorum*; non enim hæc inter ſe pugnant, ſed potiùs aliud ex alio declarandum, & exponendum eſt. Quoad aliàs verò ſententias putant aliqui, revera Auguſtinum quandoque de loco animarum juſtarum, nempè utrum in Cœlo ſint, an alibi, dubitaſſe; ſed immeritò: nuſquam enim de loco ambigere ſe ſignificat, paſſim enim Cœlum nominat, & clariſſimè. *Inferos eorum locum eſſe negat lib.* 20. *de Civit. cap.* 15. Senſit ergo Auguſtinus, Animas Sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, ſed non ita perfectè quomodò videbunt poſt reſurrectionem; idque propterea quòd naturalis earum appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei turſum uniantur, remoratur eas quominùs tota intentione ferantur in Deum, & proindè nondum pervenerint ad æqualitatem Angelorum, qui nullo impedimento retardantur, quominùs toti in Deum ferantur, *lib.* 12. *de Geneſ. ad lit. cap.* 35. Vaſquez *loc. cit.* Thomaſſinus *lib.* 6. *cap.* 18. Hanc Auguſtini ſententiam ſequutus eſt etiam S. Bernardus, ut clarè colligitur *ex ſer.* 3. *de Sanct.* ubi ſic carnem alloquitur: *Animæ Sanctæ te deſiderant, ipſarum ſine te compleri notitia, perfici gloria, conſumari beatitudo non poteſt; adeo ſiquidem viget in iis deſiderium hoc naturale, ut nedum tota earum affectio liberè pergat in Deum, ſed conerabatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinatur deſiderio tui*: Idipſum proſequitur *ſerm.* 52. *inter parvos*, ubi diſertiſſimè, antè reſurrectionem videri per ſpeciem Deum affirmat, ſed ideò minùs plenè videri, quòd corporum deſiderio animæ nonnihil adhuc graventur. Hæc autem Auguſtini, & Bernardi ſententia citra Fidei periculum ſuſtineri poteſt, eamque ex Scholaſticis ſequuntur S. Thom. *in* 4. *diſt.* 49. *qu.* 1. *art.* 4. Riccardus *eadem diſt. art.* 2. *quæſt.* 7. Marſilius *in* 4. *quæſt.* 13. *art.* 3. *concl.* 4. Paludanus, & Bonaventura *in* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. apud Vaſquez *loc. cit.* & noviſſimè Thomaſſinus *tom.* 1. *Theolog. Dogmat. lib.* 6. *cap.* 18. Quinimò Concilium Florentinum cùm dicit, *Sanctorum Animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum ſuis corporibus poſtquam reſurrexerint*: videri cuiquam poſſet ad Auguſtini ſententiam deflectere. Quamvis hoc alii rectiùs non de interiori, ſed de exteriori beatitudine putent eſſe intelligendum, propter beatitudinem corporis, quæ ad priorem animi beatitudinem accedet, S. Thom. 1. 2. *qu.* 4. *art.* 6. Durandus *in* 4. *diſt.* 49. *qu.* 7. Paludanus *qu.* 6. Major. *qu.* 13. Sotus *qu.* 3. *art.* 4. & Vaſquez *diſp.* 19. *cap.* 4. *n.* 17.

Teſtimonia autem ex Sacra Scriptura pro eadem 11
ſententia adducta nullius momenti ſunt. Ad primum deſumptum ex *Apocalip.* dicimus, per illud *ſubtus Altare*, non intelligi locum extra Cœlum, nam in *cap.* 7. *ejuſdem Apocalip.* habetur, *Animas amictas ſtolis albis eſſe ante tronum Dei, illique in templo ejus, hoc eſt in Cœlo ſervire die, ac nocte*: Intelligitur ergo per Altare Chriſtus, itaut eſſe *ſub Altari*, ſit eſſe *ſub teſtificatione nominis Chriſti*: Quomodo 2. *Match.* 7. dicuntur Macchabei occiſi *ſub teſtamento Dei*, ideſt *pro teſtamento Dei*, Beda *in cap.* 6. *Apoc. apud Vaſquez*, & Bellarm. *loc. cit.* Vel per Altare intelligitur Corpus Chriſti, atque Animæ Sanctorum ſub Altari eſſe dicuntur, quia ſunt infrà traditionem glorioſi Corporis Chriſti, eò quòd Corporum ſuorum gloriam nondùm ſint aſſecutæ: Poſt reſurrectionem autem erunt ſuper Altare, quia Corpora glorioſa tunc adeptæ erunt, iiſque ad nutum imperabunt, S. Anſelmus *in cap.* 6. *Apoc. Eſtius in* 4. *diſt.* 45. §. 5. Aliæ ſunt expoſitiones *Primaſii, Haimonis*, & aliorum, ſed nulla favet oppoſitæ ſententiæ. Ad illud *Matth.* 20. de operariis, qui ad veſperam mercedem laboris receperunt, dicimus per veſperam non ſignificari diem judicii univerſalis; nullus enim ex Patribus ſic exponit; ſed finem vitæ cujuſque hominis, qui mercedem recipiet. Cœterùm ſi ad finem ſæculi referas, ſenſus erit, tunc demùm reddendam eſſe omnibus juſtis mercedem beatitudinis conſummatæ, quia nimirum totus homo in corpore, & Anima beatus ſit. Ad tertium deſumptum ex *cap.* 11. *Epiſt. ad Hebr.* dicimus, per *repromiſſionem* intelligendum eſſe Myſterium Incarnationis, quòd Patres antiqui non viderunt, & ideò inquit Paulus, Patres illos non recepiſſe repromiſſionem, Primaſius apud Vaſquez *loc. cit.* vel intelligendam mercedem vitæ æternæ, quàm tempore antiquo ante Chriſti paſſionem antiqui Patres non receperunt; dicit autem Paulus, *ut nobiſcum conſummarentur*, hoc eſt cum juſtis Novi Teſtamenti. Vel tandem per repromiſſionem intelligere poſſumus beatitudinem, & præmium perfectum mentis, & corporis, juxta S. Bernardum *ſer.* 4. *de Sanct. Acceperunt*, inquit, *jam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & Nos: quomodo de Patriarchis, & Prophetis ait Apoſtolus: Deo Melius aliquid providente pro Nobis, ut non ſine nobis conſummarentur. Stola enim prima ipſa eſt, quàm diximus fœlicitas, & requies Animarum; ſecunda verò Immortalitas, & gloria Corporum*. Ad quartam denique generaliter dicimus,

… mtis,

Digitized by Google

mus, Scripturas illas loqui de retributione perfecta, qua nimirùm totus homo ſecundùm corpus, & animam pro meritis præmia, vel ſupplicia recepturus eſt: tametſi non dies univerſalis judicii, ſed particularis poſſet non incommodè intelligi, Eſtius *loc. cit.* Thomaſſinus *lib. 6. cap.* 18. & alii communiter.

12 Supereſt tandem, ut de Joanne XXII. quem & Etherodoxi in patrocinium ſui erroris, & *Maimburgus* pariter ad oppoſitam ſententiam trahere conantur, ſenſum noſtrum aperiamus, quodque ut clarè præſtemus, tria controvertenda ſuſcipimus. Primò an Joannes XXII. erroneam illam opinionem, Animas videlicet juſtorum non admitti poſt mortem ad viſionem beatificam antè reſurrectionem Corporum, decreto ſuo umquam firmaverit. Secundò, an in erroneam ſententiam, ut privatus Doctor ſaltem propenderit. Tertiò an ſententiam Catholicam tandem ipſe definierit. Circa primùm negativè reſpondemus, quidquid dicat Maimburgus *tract. Hiſtorico de prærogativis Eccleſiæ Romanæ cap.* 13. Idque verum eſſe multifariam, apertiſſimeque oſtendimus. Nam primò permiſit Joannes, ut cuilibet pro arbitrio liceret de hac re ſentire; rogavitque Philippum Regem, ut utrique ſententiæ locus, & libertas in Gallia eſſet: Nihil ergo definierat Joannes, alioquin libertas opinandi ſublata eſſet, *Epiſtol. Joan. ad Philip. Valeſ.* quam refert Natalis Alexander *Sæc.* 13. *differt.* 11. *art.* 2. Odoricus Raynaldus *ad Ann.* 1333. *nu.* 46. Secundò ipſemet Joannes, vocato Cardinalium, Prælatorum, & Doctorum cætu, qui Avenione morabantur, proteſtatus eſt, ſe quidquid pro ſententia illa hactenùs dixerat, non definiendi, ſed veritatem examinandi, inquirendique cauſa à ſe dictum fuiſſe: Joannes Villan. *lib.* 10. *cap. ult.* Vvading. *in reg. ad Ann.* 1333. Benedictus XII. *in diploma quod refert* Raynaldus *ad Ann.* 1334. *n.* 35. *Maimburgus ipſe de occaſu imperii lib.* 6. Tertiò Doctores Pariſienſes eodem anno, quo opinionem illam erroneam damnarunt, palam profeſſi ſunt, eam ſententiam à Pontifice productam eſſe, non quòd veram crederet, multoque minus quòd definire eam vellet, ſed ſolùm indagandæ veritatis gratia, verbis illis: *Advertenteſque quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia ſua Sanctitas dixit, non aſſerendo, ſeu opinando protulit, ſed ſolummodò recitando*, *Spondanus ad Ann.* 1334. *Hiſt. Univ. Pariſ. ad eundem Annum*. Natalis Alex. *ſeculo* 14. *diſſ.* 11. *art.* 2. *& Juven. diſt.* 4. *c.* 2. qui per extenſum referunt publicum inſtrumentum Doctorum Pariſienſium, quòd autenticum aſſervatur Pariſiis in Conventu Patrum Prædicatorum. Tandem idem Joannes XXII. morti vicinus, edita ultima Conſtitutione, profeſſus eſt, juſtorum animas ſtatim ut peccatorum reliquiis purgatæ ſunt, in Cœlum admitti, & hanc ſententiam ſe habere, & ante ac habuiſſe, Vvading. *loc. cit.* Maimbur. *lib.* 6. *de Imperii occaſu*, & Joannes Villanus *lib.* 11. *cap.* 9. addens, hanc Pontificis declarationem habuiſſe ex Fratre ſuo, qui in Palatio ejuſdem Joannis XXII. commorabatur. Conſtat ergo nihil definiviſſe Joannem ex cathedra; fruſtra ergo Maimburgus laborat, invita non ſolùm veritate, ſed etiam conſcientia; Nihil enim Joannis exemplum Cathedræ infallibilitati nocet. Hinc Joannem Gerſonem, Marſilium, & Adrianum, in ſuis quæ tradunt de Joanne XXII. falſo rumore deceptos fuiſſe tenendum eſt. OcKamus verò nullam fidem mereri debet; fuit namque Joanni infenſiſſimus, à quo & excommunicatus, quia Theologi ſtipendiarii partes agebat contra Romanam Sedem in favorem Ludovici Bavari Imperatoris, ut referunt Genebrardus *ad Ann.* 1327. Card. de Aguirre *defenſ. Cath. S. Petri diſp.* 32. *ſect.* 3. Eſtius, Vaſquez, & Bellarminus *loc. cit.* & dixi ſupra ad *Conſt.* 3. Jo. XXII. *n.* 61.

13 Circa ſecundùm major eſt difficultas, affirmant enim nedum rejecti Auctores, ſed etiam Natalis Alexander *loc. cit.* aliique ævi noſtri Recentiores Critici, qui etſi affirment, Joannem XII. eam erroneam ſententiam, ut fidei dogma, credendam Eccleſiæ non propoſuiſſe; in eam tamen vehementer propendiſſe pro certo habent. Probant hoc primò ex Continuatore Guillelmi Nancii, *qui ad annum* 1333. refert, miſſum à Joanne Papa Generalem Fratrum Minorum, ut Magiſtros Pariſiis degentes cum aliis de Regno Franciæ ſubverteret, & ad opinionem ſuam adduceret. Secundò ex eo, quòd Joannes Papa in Carcerem fecit poni Thomam Valeis ex Ordine Prædicatorum, qui contra errorem iſtum prædicaverat, Gobelinus Perſona *ætat.* 6. *cap.* 71. Paulus Langius *in cronich.* Tertiò quia Galliæ Rex literas ad Joannem ſcripſit, rogum etiam ipſi intentans, ni revocaret errorem, Alliacenſis *orat. de tollendo Schiſmate*. Verùm iſta minimè convincunt, Joannem Papam in eam erroneam ſuntentiam propendiſſe. Nam primum manifeſta calumnia eſt Continuatoris. Nancii, quàm ipſemet Joannes diluit in *Epiſt. ad Philip. Valeſ. Regem*, verbis illis: *Adhuc in eiſdem literis regiis vidimus contineri, quòd à pluribus dicebatur, quod nos miſeramus Geraldum Generalem Minorum Pariſios ad docendum, & prædicandum, quod Animæ ſeparata à Corpore, & à pœnis purgata, divinam eſſentiam uſque poſt reſurrectionem Corporum non videbunt: ad quod dicimus, & aſſerimus coram Deo, quod numquam hoc cor noſtrum intravit, nec exivit ab ore*, Vvading. *in reg. ad ann.* 1333. Secundùm levius eſt: Nam etſi factum admittamus, dicimus Prædicatorem illum juſtè addictum vinculis, non quòd veram ſententiam prædicaret; ſed ex eo quòd deſigeret anathemate, & hæreſis nota contrarium ſentientes, nondùm lata à Sede Apoſtolica ſententia, Raynald. *ad Ann.* 1333. Tertiùm denique purum putumque fuit Calvini Mendacium *lib.* 4. *inſtit. cap.* 20. etenim Galliæ Regem Joannem XXII. ob mendacem famam, quæ de ipſo falſa vulgaverat, amicè, ac reverenter ſcripſiſſe profitetur hiſtoricus illius temporis Joannes Villanus *lib.* 11. *cap.* 19. necnon *Magiſtri Pariſienſes in Inſtrumento publico citato*, ibi: *Attendentes ſpecialiter id, quod ab ore veſtro ibidem audivimus, quòd nihil in hac materia quærebatis, quòd tangere poſſet Sanctiſſimum Patrem, ac Dominum Noſtrum Joannem Summum Pontificem, quinimò ſicut filius ejus devotiſſimus honorem ſuum in his, & aliis zelabatis.* Validiora ergo ſunt fundamenta, quæ nos aſſerimus pro vindicanda Pontificis mente à prædicta erronea opinione pœnitus aliena. Profectò Joannes in diplomate Canonizationis S. Th. de Aquino apertiſſimè profitetur primò: *Cœlum credentibus, & humilibus patere*: Secundò: *à Chriſto in Cœlos aſcendente reſeratam dudum clauſam in ſe credentibus januam Paradiſi*. Tertiò: S. Thomam *devicto triumphatoque Mundo, in perpetuas æternitates receptum in Patria: ejus animam Cœlum poſſidere, & in Cœleſtibus agminibus poſitum glorificare*. Similia habet in *diplomate Canonizationis S. Ludovici Tholoſani Epiſcopi, & in Bulla Canonizationis Sancti Thomæ Herfordienſis Epiſcopi*. Numquid autem ita locutus fuiſſet Joannes, ſi beatitudinem Sanctorum ad extremum uſque judicii diem differri crediſiſſet? His accedit, quòd *ann.* 1334. *die* 3. *Decembr.* idem Joannes profeſſus eſt, Juſtorum Animas ſtatium, ut peccatorum reliquiis purgatæ ſunt, in Cœlum admitti, ubi beata Dei viſione facie ad faciem perfruuntur, *& hanc ſententiam ſe habere, & ante hac ſe habuiſſe*, Villan. *lib.* 11. *cap.* 9. Vvading. *loc. cit.* & Maimburgus *ipſe lib.* 6. *de imperii occaſu*.

Circa tertium, quamvis Franciſcus Cartiere apud Cardinalem de Aguirre *in defenſ. Cath. S. Petri diſp.* 32. 14
ſect. 3. aſſerat, Joannem Papam, bullam edidiſſe, in qua declaravit animas plenè purgatas beati in Cœlo, impias verò cruciari ſtatim ab obitu: idque ſupponere videatur Thomaſſinus *tom.* 1. *Theologicorum Dogmatum lib.* 6. *c.* 38. *n.* 6. Contrarium tamen dicendum eſt, cum de hac Bulla nulla ſit mentio apud Auctores, & oppoſitum affirmet in præſenti conſtitutione Benedictus XII. ibi: *Cùmque idem Prædeceſſor Noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem ſe pararet, tamen morte preventus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequivit.*

Secundus error præſenti Conſtitutione damnatus 15
fuit

Digitized by Google

fuit hæreſis Cerinthianorum, qui ſic dicuntur à Cerintho: Is enim, ne poſt reſurrectionem quidem ſtatim, Animas Sanctas ea viſione donabat, ſed mille Annos poſt reſurrectionem in terreno regno Chriſti ſecundùm carnales ventris, & libidinis voluptates futuros fabulabatur; unde etiam Chiliaſtæ, ſeù Millenarii ſunt appellati, *Aug. lib. de hereſ.* Cajus apud Euſebium *lib. 7. cap.* 28. Huic errori adhæſerunt Nepos Epiſcopus Ægypti, & Apollinarius, ut teſtantur Niceforus *l. 6. cap. 21. & Epiph. hereſ.* 77. Eandem fabulam ſuſcitaverunt ſæculo præterito Franciſcus Puccius *lib. de Chriſti efficacitate*, & Elianus *in lib. Mattania.* Idipſum de Miniſtris Tranſilvanicis refert Reſicus §. *ultimo Atheiſmi*: ac tandem in Anglia hunc eumdem errorem revixiſſe notat Bruodinus *lib. 4. cap.* 10. ubi referens diverſas hæreſes, quæ ab *Ann.* 1640. uſque *ad Ann.* 1641. per Angliam ſerpebant, infrà *n.* 29. hanc recenſet: *Deſtructis omnibus imperiis, mille annis viſibiliter regnabit Chriſtus in terra, durante quo tempore, Chriſtiani omnes ſine peccato verbo, & Sacramento in ſummis deliciis generando liberos, edendo, bibendo, & ludendo dies ſuos tranſigent.*

16 Deindè Sæculo ſecundo Papias Epiſcopus Hieropolitanus credidit, & docuit, ante extremum, & univerſale judicium reſurrecturos Juſtos, & regnaturos cum Chriſto annis mille, non quidem in carnalibus, ſed ſpiritualibus deliciis, & quales Amicos Chriſti decebat; ideò autem hoc regni terreni interſtitium invexerat, ut interim aſſueſcerent homines ferre gloriam, & conſpectum Chriſti, tùm demum eo quaſi tyrocinio expleto ad Dei contuitum provehebat, ut apud Hieron. *lib. de Scriptor. cap.* 28. S. Auguſt. *lib.* 20. *de civit. cap.* 7.

17 Cœterùm hæc opinio ſivè prout ponitur à Cerintho, ſivè prout ſtatuitur à Papia, aberrat à vero, & aliena eſt à ſemita rectæ fidei, unde meritò Patres omnes unà cùm univerſali Chriſti Eccleſia eam reſpuerunt; Etenim *Matth. cap.* 22. Chriſtus Sadduceis interrogantibus, cujus uxor futura eſſet in reſurrectione mortuorum, quæ ſucceſſivè ſeptem viris fratribus nupſerat, reſpondit: *Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei: in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cælo*, & apud *Lucam cap.* 20. *Filii hujus ſæculi nubunt, & traduntur ad nuptias. Illi verò, qui dignè habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent Uxores, neque ultra mori poterunt; æquales enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectionis*, & Paulus *ad Rom. cap.* 14. *Non eſt enim Regnum Dei eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* His teſtimoniis contra Millenariorum opinionem utuntur S. Hieron. *præfat. lib. 28. comment. in Iſaiam.* Epiph. *lib.* 3. *adverſus hæreſes hereſ.* 77. Aug. *loc. cit.* & alii Patres apud Laurentium Cozza *cap.* 8. *de Cerinthianis à n.* 46. Irridendus proinde Launojus, qui *lib.* quem inſcripſit *veritable tradition de l'Egliſe*, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. *an.* 1704. *die* 28. *Januar.* decreto quod incipit: *Cum ſicut nobis*, juſta cenſura proſcripto, aſſerere auſus eſt, *Papiæ errorem per annos fermè* 300. *perduraſſe, donec damnaretur, ejuſque ſententiam, tametſi hæreticam à Sanctiſſimis, Doctiſſimiſque priorum ſæculorum Patribus propugnatam, probatamque quoto tempore perſtitit*: irridendus inquam; cùm eidem errori tribus primis Eccleſiæ ſæculis quatuor tantùm adſtipulatos habeamus. *Papiam* fabulæ Auctorem, quem *Mediocri ingenio præditum*, notat *Euſebius loc. cit.* Tertullianum, Juſtinum, & Ireneum, qui regnum illud à Papia excogitatum, Chriſtianorum ſententiam non agnoviſſe apertè profitentur: conſtetque confutatum fuiſſe ſæculo 3. à Cajo apud Euſebium *loc. cit.* Dionyſio Alexand. *lib. de promiſſ.* Hieron. Epiph. Auguſt. *loc. cit.* Baſilio *Epiſt.* 74. aliiſque penè ab omnibus.

CONSTITUTIO V.

BENEDICTI XII.

Incipiens (*Summi Magiſtri.*)

EPITOME BULLÆ.

BENEDICTUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

Ordinationes edit, ac reformationes pro bono regimine Monachorum nigrorum, præſertim quoad obſervantiam voti paupertatis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Regula D. Benedicti quàm præcellens fuerit, quàmque per totum occidentem propagata.*
2 *Regula Monachorum olim idem connotabat ac Regula D. Benedicti.*
3 *Monachi Nigri qui ſint, & cur ita dicti.*
4 *Antiqui Benedictini ſolo habitu nigro utebantur.*
5 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
6 *Proponuntur tractanda in hoc Commentario.*

AD exigentiam noſtræ Conſtitutionis præteriri non 1 poteſt, quòd ſtatimatque *Spiritus Sanctus per B. Benedictum eodem Spiritu, quo & Sacri Canones conditi ſunt, regulam Monachorum edidit*: ut verbis utar *Concil. 2. Duziacenſis*, quod refert Thomaſſin. *de Benef. part. 1. lib. 3. cap. 25. n.* 3. tàm ſplendidè non ſolùm per Italiam, ſed per Occidentem totum ejuſdem Sanctitatis fama, charitatis ardor, & ſapientiæ lux radiavit, ut omnes homines, qui ſpiritu Religioſo afflabantur, omniaque Monaſteria eidem uni ſe applicuerint, adeò quòd per priora illa ſæcula Benedictus omnium Monachorum Parens, & Legiſlator habebatur, ut *vix poteſt in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non obſervetur tàm in propoſito, quàm in habitu Regula Benedicti*: ut ſcribebat Jo: Diaconus *in vita D. Gregorii lib. 4. cap.* 80. & 82. Sed ne vix quidem, *quia penè omnia Monaſteria Regularia in his regionibus conſtituta, ſecundum Regulam S. Benedicti ſe vivere fatentur*: ex *Conc. Cabyllonen. 2. can.* 22. atque adeò Benedictina Regula reliquas omnes antiquas obſcuravit, ut tractu temporis earum memoria nec propemodum ſupereſſet, unde Carolus Magnus inter alias quæſtiones, quas anno 811. Epiſcopis in Concilio Nationali coactis, enodandas propoſuit, una fuit, *Utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos, qui Regulam S. Benedicti obſervant*: ut habetur ex *Conc. Gall. pag.* 261. & 263.

Hinc eſt, quòd D. Benedicti inſtitutum, tamquam omnium illis temporibus præſtantiſſimum, per anthonomaſiam regula Monachorum nuncupabatur, non quidem horum, vel illorum, ſed indiſtinctè, & ſimpliciter. Unde Bonifacius Papa in *Conc. Rom. Anni* 610. inquit: *Benedictus Monachorum præceptor almificus*: apud *Holſten. collect. Rom. pag.* 243. itemque S. Gregorius Magnus de D. Benedicto ait: *ſcripſit Monachorum Regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam, lib. 2. cap. 36. & in Epiſt. 42. lib.* 9. ſub nomine Regulæ Monachorum, Benedictinum inſtitutum commendat. 2

Ex his itaque eſt, unde deſumamus, quibus directa 3 fuerit iſthæc Conſtitutio à Benedicto Papa, nuncupata ſimpliciter Monachis Nigris; ſiquidem nomine Monachorum, retinendo antiquam nomenclaturam, non eſt ambigendum, quin intelligere voluerit de Regularibus Benedictinis, ut etiam notat Cherubin. *fil. ſchol. 1. ad*

Digitized by Google

Conſt. 1. *hujus Pontificis*. Eoque certiùs cùm ab anti-
4 quis Benedictini inſtituti primordiis ejuſdem ſectatores non niſi coloris nigri veſtimentis ſe induebant, ut habetur apud Leon. Card. Oſtien. *in Chronica Caſſin. lib.* 4. *cap.* 114. ibi: *Interrogante Cyſtellenſi: Veſtimenta cur ſemper nigra amicimini? Petrus Diaconus dixit; quia Pater Benedictus talibus uſus eſt, ut mundo etiam in habitu renunciaſſe videretur*: ibi *Addens n.* 6. indubitanter aſſerit, hujus Regulæ Monachos nigro ſemper colore amictos fuiſſe, hancque hæreditatem, à Sanctiſſ. Patriarcha poſteris per manus traditam, conſtantiſſimè fuiſſe retentam; quapropter antiquitùs Benedictini Inſtituti Profeſſores plerumque Monachi nigri abſque alia ſpecificatione nominabantur, ut in noſtra Conſtitutione, & in Clem. *ne in agro*, *de ſtatu Monachorum*, ibi: *Ne in agro Dominico, Sacra videlicet Monachorum nigrorum religione*, & ibi Gloſſ. & advertunt Bellamer. *conſ.* 32. *n.* 23. Cherubin. junior. *loc. cit.* Suarez *de Cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 6. *nu.* 10. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 24. *quæſt.* 5. *n.* 46. alioſque, quos refert, & ſequitur Rota *in dec.* 584. *num.* 2. *& ſeqq. & deciſ.* 612. *num.* 1. *& ſeqq. coram Cerro*. Et verè plures Congregationes quaſi novæ Religiones ſub eadem Regula D. Benedicti inſtitutæ fuere, nempe Ciſtercienſis, Cœleſtina, Olivetana; quæ albo colore etiam utebantur.

5 Benedictus itaque XII. ſuæ providentiæ oculis in hanc Sac. Religionem converſus, peroptans quòd ſicuti ea à mari uſque ad mare ſuos palmites dilataverat, ſic per univerſa Orbis Climata virtutis radiis illuſtraretur, & quamquam circa illius ſalubrem & felicem ſtatum per regulares inſtitutiones ſatis proviſum dignoſceret, attamen ob zelum amplioris ſalutis; & majoris proſperitatis, de Conſilio quorumdam S. R. E. Cardinalium, & ejuſdem Ordinis Abbatum, hac edita Conſtitutione Avenione 12. Kal. Julii Anno 1336. nonnullas ordinationes, & ſtatuta tam ad ſpiritualem progreſſum, quàm ad Oeconomicam rerum adminiſtrationem præſcripſit, & ſervari mandavit. Verùm cùm Benedictina Religione dum in plures Congregationes, ſeù potiùs dicam Religiones, profluxerit, ut dixi; imò ea Monachorum nigrorum, ad differentiam Ciſtercienſium ejuſdem Regulæ, ſed variæ Congregationis, & aliorum albo colore etiam utentium dicta, in Congregationes etiam diviſa extitit, ut in eam D. Juſtinæ Hiſpaniæ, &c. ideò de his ſpecialia ſtatuta ſunt, & eorumdem pleraque denuò im-
6 mutata, & reformata in aliis Conſtitutionibus, quæ recurrent, vel alibi explicata, aut explicanda occurrent; ideò dum de contractibus prohibitis Regularibus, materia quidem in uno capite hujuſmodi ſtatutorum hujus Bullæ contenta reperitur, qua proprietas profeſſis interdicitur, quòdque cùm res ſit communis omnibus profeſſis in Regulari ſtatu, idcircò latè de hac re agemus, juxta etiam varias Religionum claſſes, quomodo profeſſis prohibitum ſit contractus facere, ac vitalitia poſſidere, ut materia juxta ſtylum unita Lectori aperiatur.

S E C T I O I.

Præmittuntur nonnulla ad Votum Paupertatis pertinentia; Et agitur de prohibita Regularibus facultate teſtandi, ac contractus ineundi.

S U M M A R I U M.

1 *Diſpoſita in hac Conſtitutione quoad Religioſam paupertatem referuntur.*
2 *Regula D. Benedicti quid diſponat quoad Religioſam paupertatem.*
3 *Paupertas in particulari numeratur inter ſubſtantialia vitæ Religioſæ.*
4 *Proprietas etiam verbotenus excluſa fuit à Monachis per eorum Inſtitutores.*
5 *Indicantur effectus reſultantes ex voto paupertatis.*
6 *Monachus non habet Teſtamenti factionem, & qua ratione.*
7 *Teſtamentum in ſæculo factum poteſt revocari tempore Novitiatus, & quid in donatione, ſeu renunciatione.*
8 *Peracta profeſſione irrevocabile eſt Teſtamentum, & qua ratione.*
Teſtamentum in ſæculo factum quatenus per profeſſionem rumpatur, veluti per agnationem poſthumi. Ibid.
9 *Facultas revocandi teſtamentum extinguitur per profeſſionem, nec jus revocandi tranſit in Superiorem.*
10 *Rejicitur quoad hoc diſtinctio* Bartoli *inter profeſſum in Religione capaci, & profeſſum in incapaci.*
11 *Teſtamentum factum in ſæculo an conſumetur per profeſſionem, ſive potiùs expectanda ſit mors naturalis Profeſſi.*
12 *Dicitur hanc eſſe quæſtionem voluntatis potiùs, quàm juris.*
13 *Profeſſus poteſt declarare diſpoſitionem ambiguam in Teſtamento factam.*
14 *Prout etiam quiſque declarare poteſt donationes, alioſque actus irrevocabiles.*
15 *Facultas teſtandi non poteſt Profeſſo concedi per Superiorem Regularem.*
16 *Poteſt tamen concedi per Papam, & an poſſit ab ipſo extendi ad uſus profanos.*
17 *Equites Hieroſolymitani prohibentur condere Teſtamentum, etiam quoad bona patrimonialia, & n. ſeqq.*
18 *Limita ſi adſit licentia Papæ, vel Magni Magiſtri quoad bona patrimonialia nondum alteri quæſita.*
19 *Rejicitur opinio* Caſtropalai, *aſſerentis ſuſtineri Teſtamentum Equitis Hieroſolymitani factum ſine licentia.*
Quid dicendum de aliis Religionibus Militaribus. Remiſſivè. Ibid.
20 *Milites Hieroſolymitani facti habiles ad teſtandum quoad bona, adhuc indigent licentia Magni Magiſtri.*
21 *Teſtamentum conditum à Profeſſo Societatis Jeſu, qui tantùm vota ſimplicia emiſit, validum eſt, etiam ſine licentia Superioris.*
22 *Profeſſi votorum ſimplicium Societatis Jeſu ſunt verè Religioſi, ſed non verè, & ſolemniter Profeſſi.*
Sunt in implicito ſtatu ſæcularitatis, & retinent dominium bonorum. Ibid.
23 *Poſſunt de iiſdem bonis diſponere, etiam per actus ultimæ voluntatis.*
24 *Si à Societate dimittantur, revocare poſſunt donationes et factas.*
25 *Regulares ſunt inteſtabiles ſine licentia Papæ, nec ſuffragantur contrariæ Conſtitutiones Ordinum.*
Refertur ad hoc caſus deciſus pro Ordine Carmelitarum. Ibid.
26 *Facultas diſponendi per Papam Regulari conceſſa non comprehendit factionem Teſtamenti, & ex quibus cauſis hæc concedi ſoleat.*
27 *Difficiliùs conceditur Regularibus facultas revocandi teſtamentum, quàm illud de novo condendi.*
Facultas teſtandi non comprehendit facultatem revocandi Teſtamentum factum ante profeſſionem. Ibid.
28 *Teſtamentum factum ante ingreſſum ſuturæ Religionis, hac ſuppreſſa, non reſolvitur, nec conceditur facultas illud revocandi.*
29 *Per ſuppreſſionem Religionis non ſolvuntur Religioſi ab obſervantia Votorum, & cui eo caſu acquirant.*

Quid

Quid de Regularibus ejectis quoad votum caſtitatis, & paupertatis. Ibid.

30 *Regulari facilius conceditur à Papa facultas diſponendi de re, cujus diſpoſitionem ſibi in Teſtamento reſervaverit.*

31 *Regularis obtinens facultatem diſponendi de certa re: ad quem hæc ſpectet, ſi non facta diſpoſitione decedat, & n. ſeqq.*

32 *Donator univerſalis, ſivè hæres gravatus, ſi non diſpoſuerit de re, de qua diſponere ſibi reſervatum erat, ad quos eadem res pertineat, & n. ſeqq.*

33 *Expenditur diſtinctio* Cagnoli *inter reſervationem quantitatis, & facultatis diſponendi.*

34 *Rejicitur hæc diſtinctio, & dicitur omni caſu ſuccedere hæredes reſervatarii.*

35 *Limitatur in aliquibus caſibus, in quibus voluntas diſponentis aliud ſuadeat.*

36 *Præſumitur diſpoſuiſſe favore venientium ab inteſtato, qui habens facultatem diſponendi non diſpoſuit.*

Quæ præſumptio eſt juris, & de jure. Ibid.

37 *Monaſterium ſuccedit Profeſſo in bonis, de quibus hic poterat diſponere, & non diſpoſuit, & n. ſeqq.*

38 *Et cenſetur Profeſſus tacitè diſpoſuiſſe favore Monaſterii.*

39 *Rejicitur deciſio* Thori, *aliaque argumenta in contrarium adducta.*

40 *Regularis vigore indulti ad teſtandum à Papa obtenti, poteſt non ſemel, ſed pluries Teſtamentum condere.*

Privilegium in odioſis intelligendum eſt de primo, & unico actu. Ibid.

41 *Codicillos condere poteſt, qui Teſtamenti factionem habet ex indulto:*

42 *Indultum teſtandi non expirat per mortem Pontificis concedentis.*

43 *Regulares nequeunt contractus inire, nec ex eis obligantur.*

44 *Regulares cum Superioris licentia ſaltem tacita obligantur etiam civiliter.*

45 *Regulares in iis, quæ ſunt contraria Regulæ, nec quidem naturaliter obligantur ſine Superioris licentia.*

46 *Obligantur naturaliter in actionibus perſonalibus Regulæ non contrariis.*

47 *Fidejuſſor accedens contractui Monachi, quatenus obligetur.*

48 *Fidejuſſor obligatur etiam civiliter, ſi Monachus obligetur naturaliter, & quid ſi obligatio Monachi irritetur à Superiore.*

49 *Monaſterium non tenetur ex contractu Monachi inito ante profeſſionem, niſi ejus bona obtinuerio.*

50 *Monaſterium ex bonis intuitu Profeſſi poſt ejus profeſſionem acquiſitis, tenetur diſſolvere debita Profeſſi ante ejus ingreſſum inita.*

51 *Monachus laborans ære alieno, non acquirit Monaſterio.*

52 *Debitor cedendo bonis poteſt ingredi Monaſterium, & an teneatur ad debita ex bonis poſt profeſſionem acquiſitis.*

53 *Monaſterium non obligatur ex contractu Monachi ſine licentia inito, niſi in quantum factus eſt locupletior.*

54 *Monachus pro expenſis factis in Studio, aliiſque cauſis neceſſariis, obligat Monaſterium.*

55 *Monachus apoſtata, aut vagus non obligat Monaſterium pro alimentis.*

1 INter cætera, quæ ad Monachorum Nigrorum Reformationem per noſtrum Pontificem in præſenti Conſtitutione ſtatuuntur, ſpeciali animadverſione nobis commentanda proponimus diſpoſita in ejus *cap.* 16. in quo Pontifex ſupponens, quòd aliqui Monachi, & Converſi dicti Ordinis, contra Regularem inſtitutionem, pecunia congregata, poſſeſſiones, redditus, animalia, aliave bona proprio, ſivè alieno, & ementito nomine emerent, ſeù emi facerent, & animalia empta aliis traderent nutrienda cum augmento, vel lucro ſibi, aut alteri eorum nomine reddendo, aliaſque contractus exercerent, necnon in ſuarum perniciem animarum peculium occultarent, & illicitè detinerent: Idcircò decernit; *Omnia præmiſſa, quæ tamen aliàs reſtitutioni non ſubjacent aliorum, nedum poſt obitum, ſed etiam in vita ipſorum Monachorum, & Converſorum fore per Antiſtites, & Abbates, ſeu alios Prælatos eorum proprios, cum conſilio proborum Monachorum Monaſteriis propriis applicanda, & in utilitatem ipſorum Monaſteriorum totaliter convertenda, quodque ipſi Abbates alicui Monacho, vel Converſo talia faciendi licentiam nequeant impertiri, & quòd tam Prælati, Monachi, vel Converſi prædicta committentes, quam alii quicumque Ordinis, vel Religionis hujuſmodi prædicta retinentes, vel ſibi ipſis appropriantes, vel hujuſmodi applicationi, ſeu converſioni aliqualiter reſiſtentes, vel impedimentum publicè, aut occultè præſtantes, ſeu præſtari procurantes, & peculium prædictum non revelantes, & reddentes Abbatibus, ſint eò ipſo inhabiles ad quodcumque officium, adminiſtrationem, regimen, & gubernationem quamlibet in eodem Ordine obtinendam; permittimus tamen, quòd cum ipſis Monachis, & Converſis poſſit Abbas eorum ſuper pœnis hujuſmodi diſpenſare quando ei videbitur expedire, dummodo prædicta revelaverint, & plenè reſtituerint.* Conſonant ea, quæ iiſdem ferè verbis ſtatuta fuere quoad Ciſtercienſes ſupra *Conſt.* 3. §. 39. & *Conſt.* 102. S. Pii V. §. 19. *Conſt.* 18. Gregor. XIII. §. 24. *Conſt.* 85. Alex. VII. *per tot.* Ex quibus elucet perpetua Summorum Pontificum vigilantia pro eliminando à Regularibus peculiaritatis vitio, & periculo, quòd deſtructivum eſt Regulæ Monaſticæ, ipſos Monachos ſpecialiter attingentis ex Regula D. Benedicti, quam 2
profitentur, & in qua diſtrictè *cap.* 33. prohibetur; *Ne quis præſumat aliquid habere proprium, nullam omninò rem, neque codices, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino: quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate; omnia verò neceſſaria à Patre ſperare Monaſterii, omniaque omnibus ſint communia, ut ſicut ſcriptum eſt, nec quiſquam aliquid ſuum dicat, vel præſumat.*

Etenim omiſſis iis, quæ ad paupertatem Regularium 3
in communi attinent, quam non omnes Regulares ſervare tenentur; ſed per Concilium Tridentinum reſtricta eſt ad ſolos Minores Obſervantes, & Cappuccinos, ut latè dixi *tom.* 2. *ad Conſt.* 5. Honorii III. *ſect.* 4. & *tom.* 3. *ad Conſt.* 4. Innoc. IV. certè paupertas in particulari inter ſubſtantialia vitæ Religioſæ, ſeù Monaſticæ vota omni ævo adnumerata fuit, ſivè proprias cujuſcumque Religionis Regulas inſpicias, ſivè SS. Canones attendas; Ultra enim ſuperiùs relatam D. Benedicti Regulam, quæ ſtrictè paupertatem in particulari præcipit, quæque non patitur interpretationem à quibuſdam ex Congregatione Cluniacenſium ei impictam, dum eorum Monaſteriis ob Normannorum irruptionem vaſtatis, proprietarii evaſerant, & in paupertate ſe tueri conabantur, dicentes: *Regula jubet, ne nihil habeat Monachus, quod Abbas non dederit, aut porrexerit; Abbates autem noſtri tales ſunt, ut noſtra non curent, & ob id permittant nos habere, quæ indigemus*, ut ex Bibliotheca Cluniacenſi refert Thomaſſin. *de Benef. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 7. idem pariter ſtatuerunt S. Baſilius *in reg. brev. interrog.* 8. S. Aug. *cap.* 1. *Regula*, S. Iſidor. *Reg. Monaſt. cap.* 19. aliique Religionum Patriarchæ, adeò 4
paupertatis amantes, ut non ſolùm facto, ſed nec quidem verbis aliquid proprium agnoſcerent, ac Monachis ſuis piaculo adſcriberent, ſi verbo tenus quid ſuum dicerent, ut notat Caſſian. *lib.* 4. *inſtit. cap.* 13. S. Columban. *in ſuo pœnitent.* ibi: *Meum, & tuum dixit, ſex plagis puniatur:* Quorum Sanctiſſimorum Virorum judicium ſatis eſt pro putrido hæreticorum ore obturando, contra quos religioſam paupertatem latè propugnavimus in *cit. Conſt.* 5. Honor. III. *ſect.* 3. *per tot.* Idem pariter ſtatuerunt plura Concilia, & Sac. Canones,

quos afferunt Thomaſſin. *cit. cap.* 21. *per tot.* Van Eſpen.
tom. 3. *Jur. Eccleſ. univerſ. par.* 1. *de Vitio peculiarit. cap.*
1. *& ſeq.* Gonzal. *in cap. ſuper quodam de ſtatu Monach.*
eoſque in decurſu exponemus.
5 Poſito igitur voto paupertatis vitæ Monaſticæ, ſeù
Religioſæ coævo, prohibitum cenſetur Monachis,
aliiſque Regularibus, & Monialibus vota ſubſtantialia
Religionis profitentibus, proprietatem habere, aut
peculium; Ex quo plura emergunt, nam ultra quòd
ob incapacitatem Religioſi habendi bona in particu-
lari, omnia jura ſuccedendi ex teſtamento, vel ab
inteſtato ei competentia, Monaſterio ex ejus perſona
acquiruntur, poſita capacitate Religionis in commu-
ni, de qua te plenè, & diſtinctè dixi *tom.* 3. *ad Conſt.*
4. Innoc. IV. *& ad Conſtit.* 1. Clement. IV. generaliter
etiam quæcumque Monachus acquirit ſivè quoquo-
modo ei obveniunt, Monaſterio obvenire, ac ipſi ac-
quiſita cenſentur, ut in terminis Regulæ D. Benedicti
eſt *Text. in can. unico* 18. *quæſt.* 1. *auth. ingreſſi Cod. de
SS. Eccleſ.* & quoad hoc Monachus æquiparatur ſervo,
qui Domino acquirit, *cap. exiit* §. *ne talium de verbor.*
6 *ſignif. in* 6. Hinc porrò eſt, ut Monachus teſtamenti
factionem non habeat, ſivè id ſit ob defectum pote-
ſtatis, ex quo filiofamilias comparatur, ſivè ob ca-
pitis diminutionem, quam per profeſſionem religioſam
incurri aliqui malè voluerunt; ſivè verius ob defectum
liberæ voluntatis, & bonorum, cùm velle, & nolle
non habeat, ac bona à ſe prorsùs abdicaverit, *cit. au-
thent. ingreſſi, & authent. de Monach.* §. *illud quoque,
can. quia ingredientibus* 19. *qu.* 3. *Concil. Oxfordien. can.*
43. apud Thomaſſin. *par.* 1. *de Benefic. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 8.
quod etiam quoad Regularem ad Epiſcopatum promo-
tum procedere dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 11. Clem. IV. *n.* 38.
7 Proindè quamvis Teſtamentum in ſæculo factum poſſit
tempore novitiatus revocari, cùm actus ex ſui natura
ſit revocabilis, nec Novitio ante profeſſionem ſublata
cenſeatur facultas de ſuis bonis diſponendi, Bartol. *in
cit. auth. ingreſſi nu.* 1. Tamburin. *de jure Abbatiſſ. diſp.*
4. *quæſt.* 13. *n.* 3. Barboſ. *de offic. Epiſc. tom.* 3. *alleg.* 99.
n. 13. ubi alii, ad differentiam donationis, ſivè renun-
ciationis factæ intuitu ingreſſus in Religionem, quæ
cùm ſapiat potiùs naturam actus inter vivos, quàm
ultimæ voluntatis, præſertim ſi in ea ſervata ſit for-
ma Concilii, regulariter eſt irrevocabilis, juxta verio-
rem ſententiam, quam firmavi *tom.* 3. *ad Conſt.* 1. Clem.
IV. *ſect.* 2. *nu.* 90. *cum ſeqq.* hæc tamen facultas Teſta-
8 mentum in ſæculo factum revocandi ceſſat poſt emiſ-
ſam profeſſionem; nam quicquid ſit de quæſtione,
quàm cùm præſenti caſu confundere videtur Barboſa
loc. cit. an teſtamentum factum ante ingreſſum corruat
per emiſſionem profeſſionis, veluti per agnationem
poſthumi, ad *Text. in l.* 1. *ff. de injuſto rupto, &c. Inſt.
tit.* 17. §. 1. in qua re aliqui attendunt, an Teſtamentum
ſit factum in ſæculo, vel tempore novitiatus; alii pro-
priùs diſtinguunt, an Teſtator cogitaverit de ingreſſu
in Religionem faciendo, vel non, itaut in ſecundo ca-
ſu rumpatur, ſecus in primo, ut apud de Marin. *lib.* 2.
quot. reſol. cap. 196. *nu.* 3. Barbat. *de diviſ. fratt. par.* 2.
cap. 2. *n.* 93. *& ſeqq.* & nos ſuo loco dicemus; Aliud
certè eſt in revocatione Teſtamenti per ipſum profeſ-
ſum facienda, quæ ſupponit in revocante eamdem po-
teſtatem requiſitam pro condendo teſtamento, cùm
primùm teſtamentum non rumpatur per ſecundùm,
niſi hoc ſit æquè jure perfectum, *Inſtitution. Civil.
lib.* 2. *tit.* 17. §. *poſteriore, l.* 2. *ff. de injuſto rupto, &c.
l. hac conſultiſſima* §. *ſi quis autem C. de teſt.* Natta *conſ.*
438. *nu.* 11. Bero *conſ.* 187. *num.* 5. *vol.* 1. Mand. *de inhib.
quæſt.* 26. *n.* 4. ceſſante igitur in profeſſo poteſtate con-
9 dendi teſtamentum, ceſſare etiam dicendum eſt pote-
ſtas teſtamentum ante profeſſionem conditum mutan-
di, ſeù revocandi, quam ſententiam, contra nonnul-
los, quos citat Barboſ. *cit. alleg.* 99. *num.* 14. uti ve-
ram, & magis communem amplectuntur Abb. *cap. in
præſentia num.* 61. *de probat.* Covarr. *de teſtam. cap.* 2. *n.*
9. Theſaur. *quæſt. foren. lib.* 2. *quæſt.* 56. *nu.* 1. *&* 4. San-
chez *cit. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 56. *cum ſeqq. & cap.* 11. *n.* 2.
& 5. Mirand. *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 24. *art.*
10. Rodriq. *quæſt. Regul. tom.* 3. *quæſt.* 16. *art.* 3. Rota
deciſ. 623. *num.* 15. *par.* 4. *tom.* 3. *rec.* Nec ſubſiſtunt fir-
mata per Amoſtaz. *de cauſ. piis lib.* 8. *cap.* 13. *nu.* 56. *&*
58. ubi quòd jus revocandi teſtamentum non extin-
guatur per profeſſionem, ac idcircò poſſit profeſſus eo
uti cùm licentia Superioris; nam verè id jus extin-
guitur, perinde ac jus teſtamentum de novo condendi,
cùm utroque caſu requiratur factio activa teſtamenti,
qua profeſſus deſtituitur; nec quidem Superior, ſeù
Monaſterium revocare, aut alterare poteſt teſtamen-
tum à profeſſo in ſæculo factum, ut rectè firmant The-
ſaur. *cit. cap.* 56. *n.* 4. Tondut. *reſol. Canon. lib.* 1. *cap.* 96.
n. 13. Proinde nec recipienda eſt à nonnullis admiſſa 10
doctrina Bartol. *in auth. ſi qua mulier n.* 11. *Cod. de SS.
Eccleſ. & in l.* 1. *Cod. de teſtam.* ubi deſtinguit inter pro-
feſſum in Religione Minorum, aut aliàs incapaci bo-
norum, à profeſſo in Religione capaci; itaut primo
caſu teſtamentum poſt profeſſionem ſit irrevocabile,
perinde ac ſi teſtatori mors naturalis ſupervenisſet, cui
ad hunc effectum æquiparatur profeſſio in his Reli-
gionibus incapacibus; ſecus autem in poſteriori caſu,
in quo, ut ipſe inquit, teſtamentùm eſt irrevocabile
quouſque profeſſus naturaliter vivat, cùm non confir-
metur niſi per mortem naturalem. Etenim hæc diſtin- 11
ctio reſolvit quidem dubium, an teſtamentum ſortiatur
effectum, & irrevocabiliter confirmetur per profeſſio-
nem, ſeù mortem civilem profeſſi, ſivè potiùs expectan-
da ſit ejus mors naturalis, ut ſcilicet non aliàs confir-
matum cenſeatur per profeſſionem, niſi hæc emittatur
in Religione incapaci bonorum in communi; ſecus ſi
agatur de Religione capaci, quo caſu teſtamentum non
ſortitur effectum, niſi poſt mortem naturalem profeſſi,
adeòut caducetur, ſi hæres præmoriatur teſtatori pro-
feſſo, juxta ea, quæ in terminis fideicommiſſi tradidi
tom. 3. *ad Conſt.* 4. Innoc. IV. *ſect.* 2. & in his terminis
firmant DD. *in cap. in præſentia de probat*, Covarr. *cit.
part.* 1. *cap.* 2. *n.* 6. Sanchez *ad præcept. decal. tom.* 2. *lib.*
7. *cap.* 3. *nu.* 56. Card. de Luca *de Teſtam. diſc.* 36. *nu.* 5.
Rota *dec.* 639. *nu.* 7. *cor. Buratt.* quamvis & in hoc at- 12
tendenda ſit voluntas teſtatoris, ut teſtamentum uno,
vel altero tempore vires capiat prout ipſe voluerit, ſi-
vè in Religione capaci, ſivè incapaci profiteatur, ut
apud Honded. *conſ.* 60. *n.* 12. *vol.* 2. Sanchez *loc. cit. nu.*
68. Card. de Luca *ibid. diſc.* 35. *n.* 7. ubi quòd ſit quæ-
ſtio voluntatis, elicienda ſivè ex expreſſa diſpoſitione,
ſivè ex conjecturis. Nihilominùs quamvis Teſtamen-
tum in ſæculo factum, ſi Teſtator Religionem capa-
cem profiteatur, vires non capiat, niſi poſt hujus mor-
tem naturalem, id ſanè operatur, ut durante vita pro-
feſſi, nullum jus ex eo quæratur hæredi, præſertim in
caſu, quo hic teſtatori præmoriatur, non autem ut ab
ipſo profeſſo revocari poſſit, ut de veriori, & magis
recepta contra Bartolum teſtantur DD. apud Gutierez
Can. quæſt. lib. 1. *cap.* 1. *nu.* 17. Theſaur. *qu. forenſ. lib.* 2.
qu. 56. cùm aliud ſit teſtamenti effectum differri ad
mortem naturalem profeſſi; aliud verò poſſe ab eo-
dem profeſſo revocari, quòd contingere non poſſet,
niſi aliud teſtamentum condendo, ut dixi, & pari-
ter explicat Rota *cit. dec.* 623. *num.* 17. *part.* 4. *tom.* 3.
rec.

Nec his obſtat, quòd integrum ſit profeſſo, teſta- 13
mentum in ſæculo factum declarare; Etenim id non eſt
Teſtamentum revocare, & aliud ex integro condere,
ſed ejus validitate firma manente, in parte tantùm am-
bigua, & expoſitione indigente declarare, ſeù inter-
pretari, ad inſtar excutientis grana ex ſpicis, qui non
novam ſpeciem facit, ſed eam, quæ eſt detegit, *l. adeò*
§. *cum quis ff. de acquir. rer. domin.* Unde etſi profeſſo
id denegaverint Covarr. *de Teſtament. cap.* 2. *num.* 5.
Miran. *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 23. *art.* 10. ta-
men ſi res non excedat terminos ſimplicis declaratio-
nis, non videtur profeſſo denegandum, cùm id non
requirat facultatem teſtandi, nec ſupponat in profeſ-
ſo dominium bonorum, ut fert communior ſenten-
tia, de qua apud Moneta *de commut. ult. volunt.
cap.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 14. Sanchez *in cit. lib.* 7. *cap.* 11.
num. 16. Card. de Luca *cit. diſc.* 35. *numer.* 4. *&* 5.

Gozadin.

Gozadin. *conſ.* 41. *num.* 15. Tamburin. *cit. quæſ.* 13. *n.* 4. Barboſ. *cit. alleg.* 99. *num.* 16. & pluries ita reſolutum fuiſſe refert Nicol. *Inſtit. Civil. lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 14. contrarium procedente in diſpoſitione clara, in qua declaratio vim novæ diſpoſitionis potiùs quàm interpretationis nanciſcitur. Alioqui autem, ſi diſpoſitio ſit ambigua, ab ipſo diſponente declaranda eſt, nam ad eum, qui actum fecit, ſpectat declaratio; *leg. ult.* §.
14 *cum igitur C. de legib.* quòd etiam procedit in donationibus, aliiſque actibus irrevocabilibus, in quibus, poſita dubietate diſpoſitionis, permiſſa eſt ipſi donanti declaratio, etiam in præjudicium ipſius donatarii, quæ ad tempus donationis retrotrahitur, quamvis fiat ex intervallo, Angel. *in leg. cum proponas n.* 2. *C. de bon. auctor. Judic. poſſid.* Caſtr. *in leg. heredes palam* §. *ſi quid n.* 4. *ff. de Teſtam.* Cyriac. *contr.* 295. *n.* 32. Rota *deciſ.* 113. *n.* 24. *cor. Buratt. deciſ.* 119. *nu.* 6. *deciſ.* 195. *nu.* 18. *cor. Ottbob. de deciſ.* 251. *nu.* 25. *cor. Bichio.* Unde majori jure idem aſſerendum eſt in actibus ultimæ voluntatis, qui ex ſui natura ſunt revocabiles, proindeque profeſſo permiſſum erit teſtamentum jam factum declarare, ut ultra citatos tenent alii apud Dian. *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 75. Paſſerin. *de ſtat. homin. tom.* 2. *qu.* 186. *art.* 7. *n.* 537. Rota *deciſ.* 464. *per tot. par.* 19. *tom.* 2. *rec.* ubi quòd profeſſus, qui in teſtamento facto in ſæculo reſervavit certam quantitatem, ad effectum eam erogandi in pios uſus, poſſit poſt profeſſionem declarare opera pietatis, in quæ ſummam reſervatam erogari velit; cùm id non ſit diſponere, ſed ſolùm diſpoſitionem jam factam declarare.

15 Nulli autem dubium eſt, hujuſmodi inhabilitatem Religioſi ad teſtandum, ſeù ad revocandum teſtamentum jam factum, tolli non poſſe per diſpenſationem Superiorum Regularium, etiam Generalium, aut per Capitulum Generale, nec quidem reſpectu Religioſi, ex cujus perſona multa bona, & commoda obvenerunt Monaſterio, aut qui aliàs ſit de Religione benemeritus, cùm hæc prohibitio procedat à jure communi, cui derogari non poteſt per Prælatum, aut Superiorem Summo Pontifice inferiorem, ut notat Abb. *in cit. cap. in præſentia nu.* 61. Franch. *in rubr. de teſtam. n.* 65. & alii apud Paſſerin. *loc. cit. nu.* 532. Ex qua pa-
16 riter ratione reſultat, poſſe profeſſum per Papam habilitari ad teſtamentum condendum, aut revocandum, cum hæc inhabilitas ſit juris poſitivi, ut quoad Regulares ad Epiſcopatum promotos, diximus *to.* 3. *ad Conſt.* 11. Clem. IV. *n.* 41. ubi expoſui quatenùs hæc diſpenſatio compatibilis ſit cum voto paupertatis; & ſpecialiter quoad ſimplicem profeſſum communiter tenent Azor. *Inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *in fine*, Covar. *de teſtament. cap.* 2. *nu.* 10. Leſſ. *de Juſtit. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 8. *nu.* 73. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 22. *quæſt.* 18. *n.* 4. Torre *de pactis lib.* 2. *cap.* 25. *nu.* 181. Cadente ſolùm inter nonnullos Doctores quæſtione, an poſſit Papa facultatem teſtandi concedere ad uſus non pios; In qua re dicendum eſt, quòd licèt regulariter hæc facultas per Papam non concedatur, niſi ad uſus pios, poſſit tamen concedi, & de facto concedatur ad alios uſus licitos, quamvis non pios, ut eſt caſus in *dec.* 51. *nu.* 7. & 8. *par.* 8. *rec.* & fusè apud Paſſerin. *cit. art.* 7. *nu.* 552. *cum ſeqq.* Proinde Milites Hieroſoly-
17 mitani, qui ſunt verè Religioſi, tria ſubſtantialia vota emittentes, ut dixi *tom.* 2. *ad Conſtit.* 2. Anaſtaſ. IV. *ſect.* 2. *num.* 2. teſtamentum condere prohibentur prout alii Religioſi, tum ex jure communi, tum ex peculiaribus ſtabilimentis eorum Religionis, de quibus apud Ricc. *in praxi par.* 4. *reſol.* 176. Rota *cor. Cerro deciſ.* 857. *nu.* 1. quæ diſponendi prohibitio procedit, nedum quo ad bona acquiſita ex redditibus Religionis, ſed etiam quoad bona patrimonialia, quæ ex ejus perſona acquirerentur Religioni, ut eadem ſtatuta interpretando firmat Rota *dec.* 398. *n.* 6. poſt Poſtium *de manutent. dec.* 436. *par.* 3. *diverſ.* Et tamen iidem Mi-
18 lites, vel cùm licentia Papæ, ut in *dec.* 211. *cor. Dunoz. ſenior.* vel M. Magiſtri eam ex ſpeciali privilegio concedere valentis quoad bona patrimonialia, teſtamentum condere, aut aliàs inter vivos etiam diſponere poſſunt, ex ſtatutis Religionis *cap.* 20. *tit. de M. Magiſtro*, & tradunt Gratian. *diſcept.* 880. *num.* 34. & 45. Sanchez *cit. lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 36. Argel. *de acquiren. poſſeſſ. quæſt.* 3. *art.* 1. *n.* 35. Card. de Luca *de teſtam. diſc.* 28. *n.* 11. Rota *dec.* 28. *n.* 6. & 8. *cor. Cerro*, ubi malè firmatur, quòd per facultatem à M. Magiſtro conceſſam diſponendi de bonis patrimonialibus, comprehendantur etiam bona acquiſita propria induſtria, & titulo ſingulari; cum verè nomine patrimonialium in hujuſmodi facultatum conceſſione veniant ſolùm bona provenientia ex ſucceſſione parentum, aliorumque conjunctorum, ut recedendo à deciſis fuit in eadem cauſa reſolutum *deciſ.* 66. *num.* 1. & 20. *cor. eod.* & plenè in *Romana ſucceſſionis, & legitimæ die* 17. *Junii* 1689. *cor. Rondinino, & die* 9. *Junii* 1690. *cor. Ervanlt, die* 15. *Junii* 1693. *cor. Pio, &* 4. *Martii* 1695. *coram Muto, &* 13. *Febr.* 1696. *cor. R. P. D. Scotto;* Quinimò hanc facultatem M. Magiſter concedere tantùm poſſet in præjudicium Religionis quoad bona, in quibus Milite non diſponente ſuccederet; ſecùs autem in præjudicium juris alteri quæſiti; Unde quamvis licentiam teſtamentum condendi concedere poſſit, non tamen revocandi aliud in ſæculo factum, Rota *deciſ.* 1187. *n.* 8. *cor. Emerix Jun.* Porrò non videtur recipiendus Caſtropal. *oper. moral. tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.*
12. *n.* 8. aſſerens horum militum Teſtamenta valida eſ- 19
ſe, etiamſi abſque M. Magiſtri licentia fiant; Etenim quicquid ſit de Religioſis profeſſis in aliis Ordinibus Militaribus, qui vel ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel ex eo quòd veram qualitatem religioſam non habeant, Teſtamenti factionem obtinent, de quibus apud Molin. *de juſtit. tom.* 1. *diſp.* 141. & *tom.* 3. *diſp.* 604. Navar. *de reddit. Eccleſ. quæſt.* 1. *monit.* 55. Gratian. *diſcept.* 363. *n.* 26. Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 22. & nos alibi dicemus; Certè ſecus eſt in Militibus Hieroſolymitanis, qui veri Religioſi ſunt, ac ſolemnem profeſſionem emittunt, ex quo inhabilitas teſtandi tum quoad poteſtatem, tum quoad bona in eis oritur, ut dixi; Poſito igitur ipſos ſummo jure ad teſtandum inhabiles eſſe, licentia M. Magiſtri, cùm qua quoad patrimonialia teſtati decedere permittuntur; eſt omninò ad validitatem actus neceſſaria, itaut ea deficiente actus corruat, Rota *dec.* 87. & 109. *cor. Ludoviſ.* ubi
quòd etſi iſti Milites ex aliquo privilegio, uti eſt il- 20
lud Conclaviſtarum, habilitarentur ad teſtandum reſpectu bonorum, non tamen ſine ulteriori licentia teſtari poſſent, nam ſublata inhabilitate teſtandi reſpectu bonorum, non cenſetur ſublata quoad perſonam, quæ ex alio capite inhabilis eſt, ut firmant Novar. *de elect. fori quæſt.* 69. *n.* 8. Card. de Luca *de teſtam. diſc.* 35. *nu.* 9. Sperell. *dec.* 21. *num.* 41. Mohedan. *dec.* 10. aliàs 169. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

Quin obiter, quòd Religioſi Societatis Jeſu, qui 21
tantum vota ſimplicia, quæ biennii dicuntur, emiſerunt, quamvis de patrimonialibus teſtari, ſivè aliàs diſponere non poſſint, niſi cùm licentia ſuorum Superiorum; tamen ſi de facto ſine licentia diſponant, validum eſt Teſtamentum, ut benè advertit idem Caſtrop. *cit. pun.* 12. *n.* 3. Sanchez *cit. lib.* 7. *cap.* 8. *nu.* 25. Card. de Luca *de Regular. diſc.* 62. *n.* 12. Etenim hi profeſſi Societatis Jeſu, qui tantùm vota biennii emittunt, quique ante emiſſionem quarti voti, ſcholaſtici appellantur, attento quadruplici ſtatu, ſeù conditione Profeſſorum ejuſdem Societatis, de quo apud Tondut. *quæſt. benefic. tom.* 1. *cap.* 51. *nu.* 3. *cum ſeqq.* non debent eodem jure cenſeri cùm profeſſis aliorum Ordinum, qui cùm ſtatimae profitentur, nedum ſint veri Religioſi, ſed etiam ſolemniter profeſſi reputentur, comprehenſi omninò cenſentur ſub diſpoſitione *cit. can. quia ingredientibus;* At non idem dicendum eſt de iis, qui in So-
cietate vota biennii emittunt, qui quamvis ſint verè, 22
& propriè Religioſi; non tamen ſunt verè, & ſolemniter profeſſi, adeòut ſi ante profeſſionem ſolemnem è Societate dimitti contingat, à votorum obligatione liberi fiant, cùm eadem vota tum ex Conſtitutionum Societatis præſcripto, tum ex voventis, & admittentis intentione ſimplicia ſint, non ſolemnia,

ut perſpicuè habetur in *Conſtitut.* 89. Gregorii XIII. incip. *Aſcendente Domino*; Unde non impropriè dicitur, ipſos eſſe in implicito ſtatu ſæcularitatis, & quoad plura perinde ac Novitios haberi, Card. de Luca *cit. diſc.* 62. *nu.* 11. Tondut. *quæſt. benef. par.* 3. *cap.* 191. *n.* 3. Rota *dec.* 78. *n.* 17. *coram Martino Andr. dec.* 32. *n.* 7. *par.* 9. *tom.* 1. *rec.* Et quamvis in profeſſione poſt biennium per ipſos emiſſa, paupertatis voto etiam arctentur; ex juſtis tamen, & prudentialibus cauſis, præſertim ut Societas majorem habeat libertatem, illos, ſi opus fuerit, cùm minori offenſione dimittendi, permittitur eis retinere jus, & dominium ſuorum bonorum, donec Superior aliter mandaverit, prohibita ſolùm adminiſtratione, ſeù uſu; nec tamen id obſtat, quin ipſi verè, & propriè ſint Religioſi, ut declaravit Gregorius XIII. *cit. Conſt.* 89. §. 16. 20. & 21. & tradunt Fagn. *cap. in præſentia n.* 90. & 118. *de probat.* Barb. *de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 41. *nu.* 192. Garzias *de benef. par.* 7. *cap.* 10. *n.* 62. de Marin. *reſolut. lib.* 2. *cap.* 195. adeòut poſſint retinere beneficia, & penſiones, ut plenè firmatur in *cit. dec.* 78. *per tot. coram Martino Andrea*.

23 Ex quibus planè reſultat, eoſdem profeſſos uſque ad ſolemnem profeſſionem de ſuis bonis diſponendi facultatem habere, etiam teſtamentum condendo, vel illud in ſæculo factum revocando; licentiam verò Superioris pro actu licito faciendo, non autem ad validitatem requiri; cùm iidem profeſſi, quamvis ſint veri Religioſi, non tamen cenſentur verè profeſſi; nec à ſe dominium abdicant, ex quibus pendet inhabilitas ad teſtandum, ut elicitur ex *cit. auth. ingreſſi*, & ultra citatos notant in terminis Azor. *tom.* 1. *oper. Moral. lib.* 12. *cap.* 12. *queſ.* 7. *verſ. ſi queras*, Tondut. *cit. cap.* 51. *n.* 10. & *part.* 3. *cap.* 191. *per tot.* Quòd majori jure pro-
24 cedit, ſi idem profeſſus è Societate dimittatur, quo caſu nedum ultimas voluntates ſui natura revocabiles, ſed etiam donationes favore ipſius Societatis factas revocare poteſt, ac bona donata ſunt ei reſtituenda, cùm cenſeantur donata ſub tacita conditione, ſi profeſſio ſolemnis ſequatur, ut plenè apud de Marin. *cit. cap.* 195. *per tot.* Rota *in Avenionen. pecuniaria* 17. *Martii* 1692. *coram Card. Caccia* §. *fundamentum*, ubi reſolutum fuit, reſtituendum eſſe per Societatem, unà cùm fructibus à die motæ litis legatum relictum Societati in teſtamento condito tempore Novitiatus, cùm expreſſione, ut ſtatim per hæredem ſolveretur, cùm nedum tacitè per egreſſum Religionis, ſed etiam expreſsè per repetitionem ademptum cenſeretur, ad *Textum in leg.* 1. & *toto tit. ff. de adimen. legat.*

25 Præciſis autem his caſibus, in quibus vel ob ſpeciale Sedis Apoſtolicæ privilegium, utì eſt in Militibus Hieroſolymitanis, vel ob defectum veræ, & ſolemnis profeſſionis, utì eſt in Scholaſticis Societatis Jeſu, teſtandi facultas permiſſa eſt; intrat regula generalis, ut Regulares inteſtabiles ſint, niſi cùm licentia ſolius Papæ, non obſtantibus Conſtitutionibus Ordinum aliter diſponentibus. Hinc quamvis in Conſtitutionibus PP. Carmelitarum *par.* 1. *cap.* 22. diſponatur; quòd illi, qui habuerunt in Ordine bonorum Communitatum Ordinis diſpoſitionem, putà Prior Generalis, Provinciales, Procuratores Ordinis, valeant ſecundùm quòd conſcientia eis dictabit, de bonis mobilibus ad uſum ſuum retentis (exceptis ſcriptis, & libris, qui omninò relinquendi ſint in libraria Conventus, ad quem ſpectant) intra eumdem Ordinem diſponere, & ordinare Communitatibus Ordinis Provinciarum, ſeù Conventuum, & etiam ad uſum vagum, & incertum Fratrum Studentium, Prædicatorum, & aliorum. Non obſtantibus, inquam, his Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica non confirmatis, quamvis approbatis ex Decreto Capituli Generalis celebrati Anno 1625. non poſſunt ad earum terminos Carmelitæ teſtari, aut aliàs diſponere. Quocirca cùm caſus contigiſſet, ut quidam P. Magiſter Acoſta ejuſdem Ordinis, à P. Generali facultate intra limites dictæ Conſtitutionis diſponendi obtenta, ac à Nuncio Apoſtolico Hiſpaniarum confirmatione reportata, qui tamen quoad hoc ſpecialem facultatem non habebat, de ſuis mobilibus pretioſis in ultima voluntate diſpoſuiſſet; Vicarius generalis ipſius Ordinis petiit declarari, An diſpoſitio dicti P. Acoſta ſuſtineretur, & an prædicti Regulares poſſint juxta dictam Conſtitutionem diſponere; Et Sac. Congregatio Concilii, ad quam Sanctiſſimus inſtantiam remiſerat, utrumque dubium Negativè reſolvit, in una *Carmelitarum Juris diſponendi* 26. *Maii* 1678.

Super hujuſmodi autem teſtandi inhabilitate, quam- 26
vis Papa diſpenſare poſſit, ut dixi; ferè tamen nunquam, aut raro diſpenſat, præſertim cùm teſtandi facultate Regulares ſpeciali jure priventur, quo fit ut ſub generali facultate diſponendi per Papam Regulari conceſſa, teſtamenti factio comprehenſa non cenſeatur, ut benè obſervat Sanchez *cit. lib.* 7. *cap.* 8. *nu.* 55. Navar. *conſ.* 7. *de donat. lib.* 3. Nec quidem, niſi ex juſtis, & rationabilibus cauſis conceditur, ſuper quibus invariabilis, & determinata regula non datur, cùm à diverſis facti circumſtantiis res pendeat. Certè autem majores cauſæ requiruntur pro concedenda facultate condendi teſtamentum revocatorium alterius in ſæ-
culo facti, quo caſu ageretur de præjudicio tertii, cui 27
jus quæſitum, aut quærendum tolleretur, quòd equidem operatur, ut hæc circumſtantia neceſſariò exprimenda ſit Papæ, eaque non expreſſa, ſi habilitetur Regularis ad teſtandum, non ideò revocare poterit teſtamentum jam factum; quamvis alioqui pro teſtamento revocando ſatis ſit condere ſecundùm æquè jure perfectum, ut dixi, & ex pluribus firmat Sanchez *loc. cit. nu.* 56. Atque ex hac ratione, cùm in una *Toletana Teſtamenti* quædam Monialis S. Claræ, quæ in ſæculo teſtamentum condiderat, diſponendo quòd poſt ejus obitum ex ſuis bonis fundaretur Capellania favore nonnullorum ipſius conſanguineorum, peteret facultatem illud revocandi favore ſui Monaſterii, tùm ob hujus maximam paupertatem, tum ob conſanguineorum malemerentiam; Sacra Congregatio Concilii reſpondit, non eſſe concedendam facultatem, *ſub die* 7. *Julii* 1668. *lib.* 26. *Decret. fol.* 33. *à ter.*

Non abſimiliter, & quidem rigoroſiùs procedendo, 28
eadem facultas denegata fuit in *Bononien. Teſtamenti*, in qua Profeſſus in Ordine Jeſuatorum, qui ante Religionis ingreſſum, Monaſterium hæredem inſtituerat; ſequuta porrò ejuſdem Ordinis ſuppreſſione ex *Conſtit.* 30. Clem. IX. incip. *Romanus*, facultatem teſtamentum revocandi petiit; quòd præſertim ſuadere videbatur mutatio ſtatus Religionis, & Monaſterii ab eſſe Regulare ad Sæculare, itemque præſumpta voluntas Teſtatoris, inſtituiſſe ſcilicèt hæredem Monaſterium, in quo ipſe uſque ad mortem erat permanſurus. Attamen ſub *die* 25. *Februarii* 1679. propoſitis dubiis *I. An in caſu, de quo agitur, teſtamentum cenſeatur reſolutum, & quatenus Negativè. II. An Oratori revocandi facultas, & aliud de novo condendi ſit concedenda?* Eadem Sac. Congregatio reſpondit, Negativè ad utrumque, & ſub *die* 23. *Aug.* 1692. perſtitum fuit in deciſis. Motivum reſolutionis ſecundi dubii videtur fuiſſe, non ſolùm quia per conceſſionem facultatis revocandi teſtamentum præjudicabatur juri jam alteri quæſito; ſed etiam quia Papa, Religionem ſupprimendo, non ſolverat Jeſuatos ab obſervantia votorum, ac eis conſuluerat permittendo tranſitum ad quamcumque aliam Religionem, niſi in ſæculo cùm habitu clericali permanere liberet, quo caſu eis congruam annuam præſtationem ex redditibus Monaſterii aſſignavit, ut habetur in *cit. Conſt.* 30. §. 3. Unde non intrabat illa æquitas, quæ forſan locum habere poterat, ſi profeſſis non fuiſſet proviſum de neceſſaria ſuſtentatione ex bonis ipſius Monaſterii ſuppreſſis. Cœteroqui autem, ſuppreſſa Re-
ligione, non ſolvuntur Religioſi ab obſervantia voto- 29
rum, niſi Papa etiam cum eis diſpenſet, Donat. *tom.* 1. *Rerum Regular. par.* 2. *tract.* 8. *qu.* 48. Paſqualig. ad Lanret. de Franch. *part.* 1. *num.* 971. ex eadem ratione, qua Religioſi ejecti non ſolvuntur à votis, prout de Voto caſtitatis, notat præſertim Lezzana *tom.* 1. *oper. moral. par.* 1. *cap.* 23. *n.* 11. del Bene *de Offic. Inquiſit. part.* 2. *dub.* 236. *ſect.* 42. §. 1. *cum ſeq.* ubi quòd ſi matrimonium

contra-

contrahant, puniuntur à Sac. Inquiſitione; & quòd
iidem ejecti nec ſolvantur à voto paupertatis, firmat
ultra citatos Paſſerin. *de ſtat. homin. tom. 3. quæſt. 189.
inſpect. 3. art. 8. nu. 602. cum ſeqq.* itaut omnia per eos
acquiſita pertineant ad Cameram Apoſtolicam, exce-
pto tantùm uſu facti, ut diſponitur in *Conſt.* 43. Gre-
gorii XIII. & fuit reſolutum per Sac. Congr. Conci-
lii quoad Canonicos Regulares Congregationis Sancti
Georgii in Alga, pariter ſuppreſſæ à Clemente IX. in
cit. Conſt. 30. Propoſitis enim dubiis. *I. An Monachi
laici, qui tria ſolemnia vota emiſerunt, Caſtitatis ſci-
licet, Paupertatis, & Obedientiæ in Religione Congre-
gationis S. Georgii in Alga à s. m. Clemente IX. ſuppreſ-
ſa, poſſint uxores ducere, itaut per ſuppreſſionem dictæ
Religionis ſint diſpenſati à voto ſolemni Caſtitatis. II.
An ſupradicti Monachi teſtari poſſint. III. An ſuccede-
re poſſint fideicommiſſis, & hæreditatibus, & acquirere
poſſint, ac ſi nunquam profeſſi fuiſſent, & in ſæculo per-
manſiſſent.* Sacra Congregatio reſpondit *Negativè in
omnibus, in Dubiis Votorum die 13. Maii 1679. lib. 30.
Decr. fol.* 307.

30 Æquitas autem hanc licentiam indulgendi benè in-
trare poteſt, ſi profeſſus in teſtamento facto in ſæculo,
facultatem de aliqua portione cum Superiorum licentia
diſponendi ſibi reſervaverit; hoc enim non eſſet teſta-
mentum jam factum revocare, ſed de novo quoad bo-
na reſervata diſponere, quòd licèt facere non poſſit
cum licentia ſolius Superioris Regularis, æquitas ta-
men maximè ſuadet, ut Profeſſum facultate ſibi in te-
ſtamento reſervata Papa uti ſinat; Atque in hoc ſenſu
fuit eadem Sacra Congregatio in *Limana facultatis
nominandi*, in qua cùm quædam Monialis ſibi in te-
ſtamento reſervaſſet facultatem diſponendi poſt pro-
feſſionem de certa quantitate favore perſonæ nominan-
dæ, propoſitis Dubiis. *I. An ſecundùm ea, quæ pro-
ponuntur, Oratrix, licèt profeſſa, poſſit de conſenſu
Superiориſſæ devenire ad nominationem ſuarum neptum,
juxta facultatem ſibi in teſtamento reſervatam, & qua-
tenus Negativè. II. An ſaltem ſuper hoc ſit ei conceden-
da diſpenſatio.* Sub die 27. *Junii* 1699. reſolutum fuit:
*Concedendam eſſe diſpenſationem directam Archiepiſco-
po in forma commiſſaria.*

31 Eſt equidem ſufficiens cauſa cùm Profeſſo ſuper hac
inhabilitate diſpenſandi, ſi in ſæculo facultatem de cer-
ta portione diſponendi ſibi reſervaverat. At ſi ipſum
decedere contingat, non uſus facultate diſponendi,
per ſe ipſum, aut per alium ſibi reſervata, quæſtio tunc
eſt, ad quem ſpectent bona reſervata, Monaſterio ne,
an verò renunciatario, ſeù hæredi teſtamentario ipſius
profeſſi, aut hæredi donantis. Profectò hæc contro-
verſia ſivè in noſtris terminis, ſivè etiam generaliter
ſumatur, non leves utrinque patitur difficultates; atten-
32 ta enim quæſtione in genere, & præſcindendo à caſu
profeſſi, id præſertim controverti ſolet in caſu dona-
tionis univerſalis factæ cùm reſervatione facultatis diſ-
ponendi de certa quantitate; vel in caſu hæredis grava-
ti cùm conceſſione ejuſdem facultatis diſponendi de
certa quantitate; an ſcilicèt ſi donator, vel hæres fa-
cultate diſponendi non utatur, quantitas reſervata tran-
ſeat ad hæredes, qui ab inteſtato ſuccedunt donatori,
vel hæredi gravato; ſivè potiùs devolvantur ad dona-
tarium, aut ad ſucceſſores in fideicommiſſo. In qua
33 re quamvis obvia videatur diſtinctio, quam poſt Ca-
gnol. *in leg. fin. n.* 246. *C. de pactis*, tradit Theſaur. *dec.*
97. inter reſervationem quantitatis, de qua diſponatur;
& reſervationem ſimplicis facultatis diſponendi de cer-
ta quantitate, itaut primo caſu ſuccedant hæredes re-
ſervatarii, in cujus hæreditate reperitur quantitas jam
quæſita ante mortem, etiamſi de ea non diſpoſuerit;
ſecus in ſecundo, in quo cùm ſit conceſſa ſimplex
facultas diſponendi, quantitas reſervata remanere vi-
detur libera, quouſque diſpoſitio non ſequatur; adeò-
que non ad hæredes ab inteſtato donantis, ſeù hære-
dis gravati tranſire poterit; eò præſertim quia ſuc-
ceſſio ab inteſtato non ab homine, ſed à lege defer-
tur, *leg. lege obvenire ff. de verbor. ſign.* relinquens au-
tem facultatem diſponendi videtur intellexiſſe de diſ-

poſitione hominis, ut arguit Angel. *conſ.* 37. *n.* 13. de-
latio enim ab inteſtato dicitur impropria, & eſt volun-
tas non diſpoſitiva, ſed permiſſiva, quia taliter ſucce-
dens titulum habet non à deferente, ſed à lege, cùm
aliud ſit diſponere, aliud permittere, ita Bald. *in l. ſi
emancipati n.* 11. *C. de collat. bon.* Angel. *in conſ.* 37. *nu.*
13. *ad* 17. Burſat. *conſ.* 166. *n.* 14. atque hanc Theſauri di-
ſtinctionem ſequuntur plures apud Fuſar. *de ſubſtit. qu.*
550. Merend. *controv. Juris lib.* 16. *cap.* 38. *per tot.* Caſan.
conſ. 37. *n.* 29. Seſſe *dec.* 48. *per tot.* Rota *dec.* 510. *nu.* 23.
cor. Bichio, dec. 380. *n.* 20. *par.* 19. *tom.* 1. *rec.* Nihilomi-
nùs contraria ſententia eſt communior, & magis re- 34
cepta; adeòut ſivè expreſsè reſervata ſit quantitas, ſivè
ſola facultas de ea diſponendi, utroque caſu res reſer-
vata tranſeat ad eos, qui ab inteſtato ſuccedunt reſer-
vatario, hoc eſt donanti, ſivè hæredi gravato, etſi
nulla per eum expreſſa diſpoſitio facta ſit: atque ita
pluries judicatum referunt Surd. *dec.* 272. *nu.* 9. & *per
tot.* Mantic. *de conject. lib.* 7. *tit.* 7. *nu.* 14. Thorus *in com-
pen. dec. par.* 1. *verſ. diſpoſitio fol.* 147. plenè de Franch.
dec. 45. & *dec.* 600. *per tot.* de Marin. *reſolut. Juris lib.* 1.
cap. 88. *nu.* 5. & *ſeqq.* Cavalcan. *dec.* 12. *nu.* 12. *par.* 4. &
alii fusè adducti per Salgad. in Lambyrin. *Creditor. par.*
2. *cap.* 18. *n.* 56. Cancer. *var. reſolut. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 112.
Urceol. *conſ. forenſ. cap.* 16. *n.* 12. *cum ſeqq.* Torre *de pa-
ctis lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 118. Rota *dec.* 40. *nu.* 37. *cor. Dur. in.*
Etenim quoad primam partem, ſi ſcilicet ſit reſerva-
ta certa quantitas, conveniunt etiam Doctores con-
trariæ ſententiæ. Proinde difficultas procedit, quoties
ſola diſponendi facultas reſervata ſit, quo caſu pari-
ter hæredes ab inteſtato ſuccedere, probatur præter-
tim duplici ratione. Quandoquidem excepto caſu, in
quo in reſervatione appoſita ſit clauſula, quòd ſi non 35
ſequatur diſpoſitio, tranſeat ad alium, ut notat idem
Theſaur. *cit. dec.* 97. *n.* 4. Salgad. *cit. cap.* 18. *ſub n.* 56. vel
ſi appareat, concedentem facultatem diſponendi intel-
lexiſſe de actu diſpoſitionis per ipſum donatarium,
ſeù reſervatarium faciendo, proindeque non explebi-
lem per præſumptam diſpoſitionem ab inteſtato, adeò-
ut onus diſponendi de re donata, ſeù reſervata, ſtet
tamquam modus ſeù uti cauſa finalis, veluti ſi diſpo-
nendi facultatem conceſſerit, neceſſariò exercendam
erga certas perſonas, ad terminos *Textus in leg. unum
ex familia §. 1. ff. de legat.* 2. & eſt caſus in *dec.* 163.
coram Millino, in qua cauſa ſcripſerunt Surd. *conſil.*
369. & 375. & Menoch. *conſ.* 922. vel ſi diſponendi fa-
cultas non ſit pura, ſed conditionalis, Rota *deciſ.*
149. *num.* 9. poſt Pacific. de Salvian. *dec.* 17. *n.* 39. *par.*
5. *tom.* 1. *rec.* ex quibus inſpectionibus hanc controver-
ſiam facti, & voluntatis potiùs eſſe, quàm juris, be-
nè advertit Card. de Luca *de donat. diſc.* 18. *n.* 17. Ex-
ceptis, inquam, caſibus, in quibus voluntas diſpo-
nentis aliud ſuadeat, non videtur admittenda diſtin-
ctio inter reſervationem quantitatis, de qua diſpona-
tur, & reſervationem facultatis diſponendi; tùm quia
quamvis hæc diſtinctio in puncto Juris ſit probabi-
lis, tamen attento communi uſu loquendi utroque ca-
ſu res ipſa reſervata videtur; etiam ſi dictum fuerit,
reſervari facultatem diſponendi, ut conſiderat Fonta-
nell. *de pactis clauſ.* 4. *gloſſ.* 13. *nu.* 14. Tum etiam for-
tius, nam diſponendi facultatem obtinens, ſi non fa- 36
cta expreſſa diſpoſitione decedat, præſumitur diſpo-
ſuiſſe favore venientium ab inteſtato, *l. conficiuntur
in princip. l. ſi quis cum nullum ff. de Jure Codicil.* Gloſſ.
in l. non juſtum, verſ. repetitum Cod. ad Drebell. Bar-
tol. *in l. gallus §. quid ſi tantùm ff. de liber. & poſthum.*
Bald. *in l. cunctos populos num.* 17. *Cod. de Sum. Trinit.*
& concludunt omnes præfati Auctores, præſertim de
Franch. *cit. deciſ.* 45. & 600. atque hanc præſumptio-
nem eſſe juris, & de jure tenet Urceol. *cit. cap.* 16. *n.*
12. Quod nedum procedit favore donantis, qui ſibi
reſervavit facultatem in bonis donatis diſponendi de
certa ſumma; ſed etiam favore hæredis gravati cùm
facultate diſponendi de aliqua certa quantitate, ut
ex pluribus reſolvunt Mantic. *cit. num.* 14. de Franch.
cit. deciſ. 45. *num.* 2. Urceol. *loc. cit. num.* 24. Ex quibus
eliduntur rationes in contrarium adductæ, quæ

ſolùm procedere ſanè poſſent in dubio facti, ſeù vo-
luntatis, adeòut per conceſſionem facultatis diſponen-
di excluſa cenſeatur diſpoſitio tacita favore venien-
tium ab inteſtato, ac ſolùm ſit permiſſa diſpoſitio
expreſſa; in quibus terminis intrant aliæ quæſtiones,
an hæc facultas diſponendi ſit perſonalis, vel tranſi-
toria ad hæredes; & an obtinens hanc facultatem cen-
ſeatur ea uſus per diſpoſitionem generalem; ſivè an
ſatis ſit diſponere in teſtamento, ſivè potiùs per actus
inter vivos, & ſimiles, de quibus apud Salgad. *cit.
cap.* 18. *n.* 52. Gratian. *diſceptat.* 539. *n.* 27. Surd. *cit. dec.*
272. *n.* 9.

37 Redeundo autem ad propoſitam quæſtionem, à qua
opportunè digreſſi ſumus, an ſcilicèt Profeſſus obti-
nens facultatem diſponendi de certa quantitate, ſi
non facta diſpoſitione decedat, hæc debeatur Mona-
ſterio, aut alteri; reſolvi poſſe videtur favore Monaſte-
rii ex rationibus ſuperiùs adductis. Obſtat tamen pri-
mò deciſio allata per Theor. *in compend. dec.* 10. 2. *verſ.
diſpoſitio fol.* 244. de qua obiter, & articulo non diſ-
cuſſo, mentionem faciunt Urceol. *cit. cap.* 16. *nu.* 6. de
Luca ad Franch. *dec.* 660. *n.* 5. in qua deciſione agebatur
de donante, qui reſervata certa ſumma, de qua diſ-
poneret, profeſſionem emiſit, ac deceſſit nulla facta
diſpoſitione; fuitque judicatum, quòd ſumma reſerva-
ta non ad Monaſterium, nec ad hæredes ab inteſtato,
ſed ad donatarium tranſiret, cùm Monaſterium non
ſuccedat ut hæres, ſed jure acquiſitionis naturalis.
Obſtat ſecundò, nam ex ſuperiùs firmatis, non aliàs
bona reſervata tranſeunt ad hæredes ab inteſtato, niſi
quia reſervatarius non diſponendo expreſsè, videtur
tacitè, & fictè diſpoſuiſſe favore hæredum; Monaſte-
rium autem nonniſi fictè eſt hæres profeſſi ab inte-
ſtato, proindeque in eodem actu admittendæ eſſent
duæ fictiones, quòd à Jure improbatur, cùm non de-
tur fictio fictionis, ut dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 4. Innoc.
IV. *ſect.* 2. *in fine.* Ulterius obſtat, quòd profeſſus ob-
tinens facultatem diſponendi, ea uti non poteſt expreſ-
sè ſine Superiorum licentia, adeòque multò minus ſi-
ne ea diſponere poterit tacitè. Nihilominùs, his mi-
38 nimè refragantibus, dicendum eſt, Profeſſum obtinen-
tem facultatem de certa quantitate diſponendi, quam
ipſe, vel alter ſibi reſervavit, ſi non facta diſpoſitione
decedat, cenſeri tacitè diſpoſuiſſe favore Monaſterii,
adeòque illud, aliis excluſis, in quantitate reſervata
ſuccedere; benè equidem procedunt in hoc caſu ter-
mini diſpoſitionis tacitè favore Monaſterii, alioqui à
lege vocati ad ſucceſſionem profeſſi, ut latè dixi ad
cit. Conſt. 4. Innoc. IV. *ſect.* 1. nec conditio profeſſi quo-
ad hoc facit ipſum diverſo jure cenſeri à non profeſ-
ſis, ut in terminis reſolvit de Marinis *lib.* 1. *cap.* 88. *n.*
2. *cum ſeqq.* ubi, quòd profeſſus, cui ab Avo in ſæculo
reſervata fuerant annua ſcuta biſcentum, & quòd in
morte de ſumma ſcutorum tercentum cùm licentia Su-
periorum diſponere poſſet, cùm non facta diſpoſitione
deceſſiſſet, cenſeretur tacitè diſpoſuiſſe favore Monaſte-
rii, qui de Jure ſuccedit in omnibus, de quibus profeſ-
ſus diſponere poteſt, idemque poſt eum firmat Epiſcop.
Verde *lib.* 1. *Inſt. Civil. tit.* 1. *n.* 120. *cum ſeqq.* Quin ob-
39 ſtet deciſio allata per Theor. *loc. cit.* quæ non reſpondet
rationibus adductis pro diſpoſitione tacita, & ſolùm fun-
datur in eò, quòd Monaſterium non ſuccedit profeſſo uti
hæres, ſed jure acceſſionis, & in conſequentiam perſo-
næ ipſius profeſſi; quòd ſanè non aliud operatur, niſi
quòd Monaſterium acquirat jura profeſſi ſine aditione,
nec teneatur conficere inventarium, aut cenſeatur quaſi
contrahere cùm legatariis; Cæteroquin quocumque
jure profeſſo ſuccedat, ſemper ſuccedit in omnibus bo-
nis profeſſi, aut in iis, de quibus iſte diſponere po-
teſt, perinde ac ab inteſtato ſucceditur non profeſſo,
ex Textu *in cit. Auth. ingreſſi, & cap. in præſentia de
probat.* ut dixi ad *cit. Conſt.* 4. *ſect.* 2. *nu.* 2. *& per tot.* Ex
quo etiam reſultat reſponſio ad ſecundum objectum,
nam ultra quòd diſpoſitio tacita favore venientium ab
inteſtato, quæ ſupponitur de jure in eo, qui habens fa-
cultatem diſponendi non diſpoſuit, non tam elicitur
ex fictione, quàm ex præſumptione, & quidem juris,
& de jure, ut advertunt Urceol. *cit. cap.* 16. *nu.* 12. &
Fuſar. *de ſubſtit. quæſt.* 550. *n.* 9. unde excluditur duplex
fictio; adhuc cùm Monaſterium non ſuccedat uti hæ-
res per Juris fictionem, ſed jure acceſſionis, & incor-
porationis ex perſona Monachi, excluſa etiam rema-
net fictio ex utroque capite. Nec obſtat tertium obje-
ctum; nam cùm bona profeſſi debeantur de jure Mo-
naſterio, diſpoſitio ejus favore facienda non indiget
Superiorum licentia.

Tandem in hac materia facultatis teſtandi pro Re- 40
gularibus, quamvis in Indultis teſtandi per Papam eis
concedi ſolitis, frequentiùs hodie exprimatur; quòd
Indultarius teſtari poſſit, ac teſtamentum in vim hu-
juſmodi facultatis factum uſque ad mortem revocare va-
leat; ſi tamen abſolutè teſtandi licentia concedatur, du-
bitari non abs re poterit, an ea reſtricta cenſeatur ad uni-
cum actum, an verò ipſius vigore plura condi poſſint
teſtamenta. Dubitandi ſanè motivum ex eo deſumitur,
quòd hujuſmodi diſpenſationes ſint odioſæ, ac diſpoſi-
tio in odioſis reſpiciens actum hominis, intelligenda eſt
de primo actu, *leg.* 89. *§. hoc ſermone ff. de verb. ſignif.
cap.* 1. *§. ille de fil. presbyt. in* 6. adeòque hæc teſtandi li-
centia, utpotè derogatoria juris communis, cenſenda
erit conſumpta in primo actu, ut ita illud quo minùs
fieri poteſt lædat, & ita tenuerunt Decius *conſ.* 512. So-
cin. Jun. *conſ.* 89. *lib.* 1. Covar. *in cap. cum in officiis n.* 8.
de teſtam. Veriùs tamen, & receptum eſt, hanc licen-
tiam non perimi per primum actum, ſed ejus vigore
indultarium pluries teſtari poſſe, ut plenè diſcuſſo ar-
ticulo firmavit Rota *dec.* 47. *per tot. par.* 1. *diverſ. deciſ.*
456. *n.* 23. *par.* 4. *tom.* 2. *rec.* ea præcipua ratione, quia
privilegium patitur interpretationem juxta naturam ma-
teriæ, ſuper qua conceſſum eſt; teſtamenti autem na-
tura ea eſt, ut uſque ad mortem ſit revocabile, adeòut
teſtandi actus non cenſeatur perfectus, niſi ſequuta
morte; Unde quamvis in odioſis privilegium expiret
in primo actu perfecto; non dici poterit expiraſſe pri-
vilegium teſtandi per primum teſtamentum, quòd per-
fectum non eſt, niſi ſequuta morte, ut notant Navar.
in opuſc. de redditib. quæſt. 3. *num.* 13. *&* 24. Sanchez *in
opuſc. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 52. *n.* 2. Ex qua etiam ra-
tione, Regularis, aut quiſquis alter obtinens faculta- 41
tem teſtandi, poterit diſponere per Codicillos, aut
cauſa mortis donare, ut contra Socin. Jun. *conſ.* 13. *n.*
12. tenent plurimi apud Sanchez *lib.* 8. *de matr. diſp.*
1. *n.* 38. cùm de Jure, à quo etiam per impropriatio-
nem verborum interpretationem paſſivam recipit In-
dultum, quiſque teſtandi facultatem habens, poſſit diſ-
ponere per Codicillos, *leg.* 1. *ff. de legat.* 1. Nec qui-
dem hujuſmodi licentiæ teſtandi expirant per mor- 42
tem Pontificis concedentis, cùm Principis gratia re-
gulariter ſit perpetua, ac durare cenſeatur etiamſi ip-
ſe re integra decedat, gratia nondum executioni de-
mandata, *cap. ſi ſuper gratia de offic. deleg. in* 6. & in
puncto reſolvit Rota *cit. dec.* 47. *n.* 15. *dec.* 240. *n.* 4. *cor.
Dunoz. ſenior.* & tenent alii apud Corrad. *in prax. diſ-
penſ. lib.* 10. *cap.* 3. *in fine*, & de licentia teſtandi con-
ceſſa Epiſcopo Regulari dixi ad *cit. Conſtit.* 11. Clem.
IV. *n.* 45. *tom.* 3. *pag.* 445.

Ex iiſdem enunciatis principiis, defectus nempè 43
voluntatis, & incapacitatis ſibi acquirendi, reſultanti-
bus ex ſolemnis profeſſionis emiſſione, ceſſat in Re-
gularibus facultas ineundi contractus, & ſe obligandi;
Omiſſis enim iis, quæ pertinent ad contractus initos
per Prælatos, alioſque Superiores, & Adminiſtrato-
res Regulares, qui alio jure cenſentur, ut alibi dice-
mus, certè quòd attinet ad obligationem ex contra-
ctu orientem, ea non obſtringitur Monachus, cùm ipſe
quoad hoc æquiparetur ſervo, qui contrahendi, vel
ſe obligandi facultate deſtituitur, ut docent Innocen-
tius *in cap. cum olim* 14. *n.* 4. Hoſtien. *n.* 14. *de privil.* &
latè apud Sanchez *ad præcept. decal. lib.* 7. *cap.* 31. Niſi
tamen expreſſa, aut tacita Superioris licentia concur- 44
rat, quo caſu obligatio tum naturalis, tum civilis ori-
tur, cùm concurrant omnia ad firmitatem contractus
requiſita, adeòut nec ipſe Superior, qui contrahendi
licentiam conceſſit, neque ejus ſucceſſores illud irri-
tare

Digitized by Google

tare valeant, ut contra Aragon. *ad 2.2. quæſt.8. art.8.*
ſequuti doctrinam Abb. *in cap. ex reſcripto num.1.* &
Felini *num.1. de jurejur.* tenent Sanchez *cit. cap.31. n.41.*
Rodriq. *tom.3. qq. Regul. quæſt.26. art.1.* Rota *dec.1122.*
num.13. & 14. cor. Emer. jun. Quamvis ſi ex ejuſmodi
contractu actio realis oriatur; hæc contra Monaſterium
dirigenda ſit, cùm Monachus civiliter agere, aut con-
veniri non poſſit, Rodriq. *loc. cit. art.5.* Cyriac. *con-*
trov. forenſ. tom.3. controv.505. num.4. Ceſſante autem
Superioris licentia, obligationem civilem ex contractu
Monachi non oriri certum eſt, cùm deficiat potiſſi-
mum fundamentum obligationis civilis, *canon. non di-*
catis 12. quæſt.1. voluntas enim Monachi eatenus Su-
perioris voluntati addicta eſt, ut ſine ipſa velle, aut
45 nolle habere non dicatur, *cap.2. de teſtam. in 6.* Quin-
imò nec quidem naturaliter, ſeù in foro conſcientiæ
obligatur, cùm huic obligationi jus reſiſtat, Abb. *loc.*
cit. num.1. Hoſtienſ. *in ſumma tit. de fidejuſſ. §. pro quo*
poſſis verſ. & quis, Molina *de Juſtit. tract.2. diſp.140.*
num.24. ubi limitat, dummodò Monachus nullum da-
mnum, vel injuriam intulerit ſecum contrahenti. Atta-
men cùm Monachus quoad contractus æquiparetur ſer-
vo, hic autem etſi non civiliter, naturaliter tamen obli-
gatur, imò ejus fidejuſſor obligatur etiam civiliter, *leg.*
naturaliter ff. de condict. indeb. quod contingere non
poſſe, niſi ſtante obligatione principalis, ſaltem natu-
rali, *leg.1. & 2. ff. de fidejuſſ.* veriùs idcircò videtur,
quòd ſi contractus ſit de his, quæ in genere, vel in
ſpecie ſunt contraria Regulæ, vel de rebus temporali-
bus, aut materiam paupertatis reſpicientibus, nulla
prorſus obligatio oritur, quæ ſanè adimpleri non poſſet
ſine peccato; & in hoc ſenſu benè procedit doctrina Abb.
loc. cit. quòd ſcilicet obligationi Monachi jus reſiſtat,
ac proinde nec naturaliter obligetur, ad differentiam
ſervi, cujus obligationi licèt jus non aſſiſtat, non tamen
reſiſtit, adeòut quoad hoc ſervitus ſpiritualis Monachi
ſtrictior ſit ſervitute temporali, *can. multos 54. diſt.*
46 ſecùs autem eſſet, ſi obligatio caderet in actionibus per-
ſonalibus Regulæ non contrariis, quæ Monachus ex ſe
præſtare poſſet, uti eſſet ſcribere, concionari, aut ſi-
mile, in quibus ad inſtar voti ſimplicis benè intrare
poteſt obligatio naturalis, quouſque tamen Superior
non contradicat, ſeù obligationem non irritet, ut do-
cent Navarr. *comm.2. de Regular. num.42.* Azor. *inſtit.*
moral. tom.1. lib.12. cap.11. quæſ.5. Caſtrop. *tom.3. oper.*
47 *moral. tract.16. diſp.3. punct.15. num.3.* Cum qua diſtin-
ctione pariter reſolvitur dubium, an nempe fidejuſſor
accedens contractui per Monachum facto, obligetur.
Etenim cùm fidejuſſio ſtare non poſſit, niſi ſtante obli-
gatione ſaltem naturali principalis, certè cùm ex con-
tractibus reſpicientibus res temporales, & votum pau-
pertatis; Monachus nec quidem naturaliter obligetur;
conſequenter obligatus cenſeri non poterit fidejuſſor;
dummodò tamen fidejuſſerit ſolùm ad ſecuritatem debi-
ti, ſecus ſi adhibeatur etiam pro caſu, in quo contra-
ctus ſit nullus, ſeù à Superiore Regulari annulletur,
quemadmodum regulariter adhiberi præſumitur, ut
notat Molina *cit. tract.2. diſp.140. num.15.* tunc enim
etiam corruente obligatione Monachi, tenebitur fide-
juſſor uti expromiſſor, dum debitum principalis ſuum
fecit; ad terminos Text. *in leg.7. §. ſervus ff. de dolo*
malo, leg. qui libertinus in fine ff. de oper. libert. & no-
tant Sanch. *cit. cap.31. num.47.* Rodriquez *quæſt. Regu-*
lar. tom.3. qu.26. art.8. Capon. *tom.2. diſcept.68. n.26.*
48 In contractibus autem, in quibus Monachus etiam ſine
Superioris licentia obligatur naturaliter, fidejuſſor etiam
civiliter obligatur, quamvis obligatio Monachi per Su-
periorem irritetur; cùm hac tamen differentia, ut fi-
dejuſſio ſuſtineatur, ſi præcedat irritationem contractus
à Superiore factam, ſecus ſi ſequatur, quo tempore
nulla adeſt obligatio principalis. È contrà autem ſi Mo-
nachus pro alio fidejuſſor accedat, non aliàs obligatur,
niſi accedente licentia Superioris, & majoris partis Ca-
pituli, ut præſcribitur *in cap. quibuſdam de fidejuſſor.*
& latè Tamburin. *de jure Abbat. tom.3. diſp.3. quæſit.6.*
numer.35. Diana *part.11. tract.4. reſol.31.* qua licentia
ceſſante, Monachus nec ratione perſonæ, nec bonorum
obligari poteſt, ex dictis, & notat Azor. *cit. cap.11.*
quæſ.2. Peyrin. *tom.5. de Prælato quæſt.3. cap.5. num.10.*
Capon. *cit. diſcept.68. num.26.*

Porrò Monaſterium ex contractibus à Religioſo initis 49
in pluribus caſibus obligatur. Equidem primò contractus
profeſſionem præcedentes, Monaſterium, in quo debi-
tor profitetur, obligant ad ſatisfactionem, non ſanè in
vim profeſſionis, ſed quatenus profeſſi bona ad illud per-
venerint, quæ cum onere tranſeunt; ac proindè obli-
gatio non excedit vires bonorum, cùm verè Monaſte-
rium non ſit hæres profeſſi, ut dixi, & notant Bartol.
in cit. auth. ingreſſi num.16. & 17. & ibi Bald. *num.11.*
quæſt.6. Abb. *conſ.102. num. fin. part.2.* Pelliccion. *quæſt.*
illuſtr.41. cap.13. verſ. in bonis Surd. *de aliment. tit.1.*
quæſt.29. Olea *de ceſſ. jur. tit.3. quæſt.9. numer.33.* Mi-
chalor. *de Fratrib. part.3. cap.12. num.57.* Sanch. *citat.*
lib.7. cap.31. num.3. Cadente ſolùm aliquo dubio, an 50
Monaſterium teneatur debitis profeſſi antè ingreſſum
initis ſatisfacere ex bonis ſibi poſt profeſſionem obven-
tis ex perſona profeſſi. Et quidem videtur Monaſte-
rium teneri, cùm repræſentet perſonam Monachi, qui
quemadmodum teneretur profeſſione non facta, ita
poſt profeſſionem tenebitur Monaſterium ex bonis ejus
intuitu quæſitis, Felin. *in cap. cum I. & A. num.10. de*
ſent. & re judic. Paludan. *in 4. diſt.38. quæſt.4. art.3.*
concl.3. Silveſter. *in ſumm. verb. Religio libr.1. quæſt.4.*
Navar. *comm.4. de Regul. num.8.* Azor. *cit. lib.12. cap.*
10. quæſ.8. Sanch. *cit. cap.31. num.4.* adeòut regula illa, 51
quod Monachus in Monaſterio acquirat, limitetur niſi
laboret ære alieno, tunc enim creditoribus acquirit;
quinimò ipſum profeſſum teneri in Monaſterio laborare
pro diſſolvendis debitis, tenent nonnulli apud Dian.
part.3. oper. moral. tract.2. reſol.41. in fine. Nec obſtat
Rota *deciſ.333. part.2. recen.* & Gratian. in eadem cau-
ſa ſcribens *diſcept.363. num.15. cum ſeqq.* ubi firmatur,
quòd cùm hæreditas delata Monaſterio ex perſona pro-
feſſi, acquiratur immediatè Monaſterio, juxta magis
receptam Canoniſtarum opinionem, de qua dixi *tom.3.*
ad Conſtit.4. Innocent. IV. *ſect.1. num.20. cum ſeq.* id-
circò nulliter contra ipſum inſtitutum fuiſſe judicium
pro debitis ante profeſſionem contractis; Etenim ultra
quòd eo caſu profeſſus bona in ſæculo reliquerat, ex
quibus creditoribus fieri poterat ſatis; adhuc Rota non
quidem exemit omninò Monaſterium ab onere diſſol-
vendi æs alienum, ſed ſolùm dixit, creditores nulliter
inſtituiſſe judicium contra Monaſterium uti hæredem
profeſſi, cùm hæreditas delata poſt profeſſionem, non
profeſſo, ſed immediatè Monaſterio acquiſita fuerit.
Hæc porrò limitanda eſſe cenſuit Caſtropal. *cit. diſp.3.* 52
punct.16. n.3. ſi debitori ante profeſſionem non ſuberat
ſpes brevi tempore ſatisfaciendi creditoribus; tunc enim
poſſet, cedendo bonis, & Monaſterium ingredi, ac
ſubinde debita extincta cenſeri. Verùm hic Auctor hanc
concluſionem abſolutè non firmat, & meritò; nam
aliud eſt, debitorem non obſtante ære alieno, quod in
totum, vel majori ex parte brevi tempore diſſolvere
non valet, poſſe ingredi Religionem, quod poſt Div.
Thom. 2. 2. *quæſt.189. art.6. ad 3.* tenent alii com-
muniter apud Azor. *cit. lib.12. cap.1. quæſ.5.* Sanchez
in ſumm. tom.1. lib.4. cap.19. num.8. aliud verò, quòd
Monaſterium non teneatur ſolvere debita ex hæredita-
te, donatione, aut aliis acquiſitis intuitu profeſſi, ut
dixi, & notat Diana *cit. reſol.41. in fine*; ceſſio autem
bonorum ſolùm ſuffragatur quoad beneficium, dedu-
cto ne egeat; non autem ut debita abſolutè extincta
cenſeantur.

Ex contractibus autem poſt profeſſionem initis, non 53
concurrente expreſſa, aut tacita Superioris licentia,
Monaſterium non obligatur, niſi in eo, in quo forſan
factus eſt ditior, ne ſcilicet ita locupletari videatur
cum aliena jactura; prout nec aliàs obligatur ex ipſius
profeſſi delicto, *can. ſi Epiſcopus 16. quæſt.6.* Navarr.
cit. comm.2. num.62. Sanch. *cit. cap.31. num.11.* in quo
ſanè differt Monachus à ſervo, ex cujus delicto Domi-
nus obligatur, cum ei permiſſum ſit litis æſtimationem
ſufferre, aut ſervum noxam dare, *Inſtitut. Civil. libr.4.*
tit.8. leg. quod ſi minor §. ſervus ff. de minor. quod veri-
ficari

Digitized by Google

ficari non poteſt in Monacho, qui eſt liber homo.
14 Ceſſante autem expreſſa licentia Superioris, non ceſſat obligatio Monaſterii, ſi adſit licentia tacita; Unde pro expenſis factis à Monacho in ſtudio, in quo de licentia Superioris manet, ac pro aliis, ad quæ Monaſterium teneretur, poteſt Monachus obligare Monaſterium, cùm cenſeatur concurrere tacita licentia Superioris, ut apud Surd. *de aliment. tit.8. privil.97.* Capon. *tit. diſcept.68. num.31.* & quoad alimenta dixi *tom.2. ad Conſtit.9.* Innocent. III. *ſect. unica;* Secus autem eſt in contractibus, seù obligationibus quamvis ob alimenta initis à Monacho apoſtata, aut qui aliàs ſine Superioris licentia vagatur, tunc enim nec quidem tacita intrat; at quamvis Monaſterium ex contractu Monachi non obligetur, tenebitur tamen ſi aliquod ad ipſum pervenerit, & factus ſit locupletior; quo caſu, etſi non ratione contractus, ſaltem juxta quantitatem bonorum obventorum, creditoribus obſtringitur, Portell. *in dub. Regular. ver. Apoſtatam num.7.* Peyrin. *tom.2. de Prælato cap.50. num.11.* Capon. *diſcept.256. num.17.* ad inſtar obligationis, quæ oritur ex delicto, de qua ſupra dixi.

S E C T I O II.

Quatenus Regularibus utriuſque ſexus peculium, annuaſque præſtationes obtinere, eiſque uti prohibitum ſit.

S U M M A R I U M.

1 *Prohibitio habendi proprium quàm antiqua, & neceſſaria ſit Monachis.*
2 *Religionum Fundatores cur adeo exhorruerint vitium proprietatis.*
3 *Referuntur pœna à D. Gregorio inflicta Monacho proprietario.*
4 *Vitium proprietatis quàm exitioſum ſit, ac frequens.*
5 *Abdicatio propriſtatis omni jure tum antiquo tum novo indicta eſt Monachis, nec quidem Papa poteſt in hoc diſpenſare.*
6 *Vitalitia quatenus ſint compatibilia in Monachis, & Monialibus cum Voto Paupertatis.*
7 *Prælatus Regularis nullo caſu poteſt Monacho diſpenſare habere proprium.*
8 *Proprium latè ſumptum quatenus poſſit ab eodem Prælato Regularibus indulgeri.*
Referuntur ad hoc tres Moraliſtarum ſententia. Ibidem.
9 *Peculium revocabile ex juſta cauſa ad honeſtos uſus conceſſum à Prælato Regulari, non adverſatur Voto Paupertatis.*
Monachus, & Servus quatenus æquiparentur in incapacitate proprietatis. Ibid.
10 *Peculium ut ſupra explicatum ſolet Monacho concedi à Papa.*
11 *Et ſecundùm aliquos non adverſatur diſpoſitioni Juris poſitivi antiqui.*
12 *Adducuntur pro hac ſententia plures Text.*
13 *Diſtinguitur juxta hanc ſententiam triplex peculii genus, & quod ex eis ſit permiſſum, vel prohibitum Regularibus.*
14 *Peculium ut ſupra explicatum probabile eſt adverſari Juri antiquo.*
15 *Monacho magis noxius eſt uſus ſine proprietate, quàm ſola proprietas.*
16 *Idemque comprobatur ex diſpoſitis in præſenti Conſtitutione.*
17 *Expenditur Textus in cap.* Monachi de ſtatu Monach.
18 *Officiales Monaſterii quatenus poſſint habere adminiſtrationem peculii.*
19 *Peculium revocabile facit Monachum uſufructuarium ad beneplacitum.*
20 *Papa quo jure poſſit Regularibus peculium permittere.*
21 *A Servo ad Monachum malè arguitur quoad peculium.*
22 *Exponitur Textus in cap.* inſinuante, qui Cleric. vel Voventes.
23 *Adducitur Decretum Concilii Tridentini prohibens Regularibus peculium.*
24 *Aliqui aſſerunt, hoc Decretum non prohibere peculium revocabile, ad honeſtos uſus ex juſta cauſa conceſſum.*
25 *Aſſeritur Decretum Concilii indiſtinctè prohibuiſſe quodcumque peculium.*
26 *Exponuntur ſigillatim verba ejuſdem Decreti Concilii.*
27 *Idem Decretum exornatur, & declaratur pluribus reſolutionibus Sacr.* Congregationis Concilii.
28 *Prælati Regulares permittere non poſſunt ſubditis uſum ſtabilium, vel mobilium ſuperfluorum, quamvis ab eorum conſanguineis provenientium.*
29 *Peculium quatenus ſit permiſſum Regularibus, ſi Superiores omnia neceſſaria eis non ſuppeditent.*
30 *Mobilia non ſuperflua permittuntur cum licentia Superioris.*
31 *Comprobatur Decretum Concilii ex aliis Decretis Clementis VIII. & Urbani VIII.*
32 *Vitalitia comprehenduntur ſub prohibitione Decreti Concilii, aliorumque Decretorum.*
Improbatur Caponus *contrarium aſſerens quoad Caſſinenſes. Ibid.*
33 *Idem comprobatur ex aliis Decretis Sacr. Congregationis Concilii.*
34 *Indultum à Sacr. Congregat. Epiſcoporum conceſſum, quod comperiebatur aliqualiter laſivum vita communis, fuit ab eadem Sacr. Congregatione revocatum.*
35 *Obligatus dotare, tenetur etiam vitalitium Moniali conſtituere.*
Vitalitia reſervantur intuitu renunciationis, quæ à Regularibus fiunt antè ingreſſum Religionis. Ibidem.
36 *Vitalitium nullo caſu adminiſtrari poteſt à Regulari reſervatario.*
37 *Nec ſuffragatur contraria conſuetudo, aut tolerantia Superiorum.*
38 *Quibus conditionibus vitalitia concedi ſoleant Regularibus, ſeù Monialibus à Sede Apoſtolica.*
39 *Refertur Decretum editum pro Monialibus Civitatis Neapolis, & Salerni.*
40 *Sedes Apoſtolica nunquam indulget vitalitia, niſi cum dependentia à Prælato Regulari.*
Afferuntur ad hoc plura exempla, & reſolutiones Sacræ Congregationis Concilii. Ibid.
41 *Regularibus quandoque indulgetur erogare ſuas eleemoſynas pro ſubſtentatione Parentum pauperum, & etiam extra clauſtra degere.*
42 *Vitalitium, legatum, ſeù donatio facta Regulari cum conditione, ut nihil acquiratur Monaſterio, quatenus ſubſtineatur.*
43 *Aliqui aſſerunt conditionem vitiari, uti de Jure impoſſibilem.*
44 *Aſſertur ad hoc, & expenditur interpretatio* Bartoli.
45 *Quid ſi conditio exprimat, ut nihil relicti Monaſterio acquiratur, etiam quoad proprietatem.*
46 *Interpretatio* Bartoli *reiicitur, uti contraria Decreto Concilii.*
47 *Conditio, ut nihil relicti etiam quoad proprietatem acquiratur Monaſterio, reiicitur uti de jure impoſſibilis.*
48 *Itemque ſi abſolutè dicatur, nihil acquiri Monaſterio.*
Decreta Clementis VIII. comprehendunt legata facta Monacho ſub præfata conditione. Ibidem.
49 *Quid ſi eidem conditioni appoſita ſit pœna caducitatis.*
50 *Attendenda non eſt pœna appoſita actui à legibus interdicto.*

51 *Id*

51 *Id illuſtratur duabus reſolutionibus Sac. Congregationis Concilii.*

52 *Conditiones impoſſibiles appoſita contractibus vitiantur, & vitiant; in ultimis voluntatibus non item, & qua ratione.*

53 *Conditio, ut nihil vitalitii acquiratur Monaſterio, vitiatur, ſed non vitiat, etiamſi apponatur contractui.*

Itemque ſi Profeſſio ſub eadem conditione emittatur. Ibid.

54 *Vitalitia à Regularibus cedi, aut donari non poſſunt in prajudicium Monaſterii.*

55 *Improbatur quoad hoc diſtinctio inter vitalitium reſervatum abſolutè, & reſervatum ſub conditione, ut nihil acquiratur Monaſterio.*

Quid ſi vitalitium relictum fuerit ab harede praſtandum quoties per Monachum requiratur. Ibidem.

56 *Alienatio vitalitii comprehenditur ſub* Extravag. Ambitioſæ.

57 *Fructus vitalitii cedi non poſſunt à Regulari ſine conſenſu Monaſterii.*

58 *Quod etiam procedit quoad fructus decurſos, & non exactos, & reiicitur* Card. de Luca *contrarium aſſerens.*

59 *Praſertim ſi agatur de fructibus notabilem ſummam conflantibus.*

60 *Fructus vitalitii cui Conventui debeantur.*

61 *Regularis fructus vitalitii cedere non poteſt, etiam ſi illud obtineat ex Indulto Apoſtolico.*

62 *Regularis ex fructibus vitalitii non poteſt aliud vitalitium emere, & reiicitur* Caponus *contrarium conſulens.*

63 *Regularis non poteſt peculium in alium transferre donando, vel contrahendo.*

64 *Res empta à Regulari favore tertii, acquiritur Monaſterio.*

65 *Eccleſia, Milites, & Minores, ſi res eorum pecuniis favore tertii empta ſit, arbitrium habent pecuniam repetendi, vel rem emptam retinendi.*

1 INter ſuperiùs explicatos effectus à profeſſione religioſa, & paupertatis voto dimanantes, potiſſima, atque præcipua eſt prohibitio, aliquid proprium poſſidendi; quæ ſanè cum Monaſtica vita natales habuit, nec ab ea unquam diſſociari tutum, Religionum Protoplaſtis viſum fuit; perinde hac ipſa non ſtante, Monachorum ſtatus labefactaretur: ita à communi hominum miſeria edocti, quorum pectora adeò præmit auri ſacra fames, & qui *fœliciſſimam vitam agerent, ſi hac duo verba de medio tollerent, Meum, & Tuum*, ut inquit P. Bleſenſ. *opuſc. de amicit. cap.*10. & concinit dyſtichon:

Si duo de noſtris tollas pronomina rebus,
Pralia ceſſarent, pax ſine lite foret.

2 Non mirum igitur, ſi iidem Patres adeò in ſuis Monachis Religioſæ Paupertatis amantes fuerunt; dum monitum Apoſtoli ſequentes 1. *ad Corinth.*7. eos ſine ſolicitudine eſſe voluerunt; ac paupertatem præcipientes, non aliud velle viſi ſunt, niſi ſubmovere fomitem, & receptaculum omnium malorum, qualis eſt divitiarum cupiditas, ut inquit idem *Apoſt. cap.*6. *ad Thim.* Unde D. Benedict. *cap.*33. *regul.* proprietatem vitium nequiſſimum, ac pernicioſiſſimum appellavit, ac D. Baſil. *cap.*35. *Conſtitut. Monaſt.* Monachum proprietarium uti Apoſtatam, & deſertorem habuit, ibi: *Qui proprium aliquid habere ſtudet, is ſine dubio nihil aliud, quam disjunctionem, & defectionem à cæteris meditatur*: idemque ſenſit Caſſian. *lib.*7. *inſtit. cap.*9. ubi de proprietatis vitio loquens ait: *Eò Monachum rabie*
3 *pertrahi, ut ſuæ profeſſionis efficiatur deſertor*: Jure autem meritoque in nequiſſimos proprietarios plures pœnæ ſtatutæ ſunt, inter quas memorabilis eſt illa, quam practicavit D. Gregorius Magnus cum quodam Monacho, cui Juſto nomen erat, qui laborans extrema ægritudine, deprehenſus fuit occuluiſſe ſibi tres aureos; quem ipſe Gregorius à Fratribus Monachis viſitari uſque ad mortem prohibuit; defunctum verò in ſterquilinio ſepeliri unà cum tribus aureis fecit, unoquoque Fratrum, dum terra profana cadaver operiebatur, exprobrante illi: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*: ut refert idem Sanctus *libr.*4. *Dialog. cap.*55. & ſtatuitur in *cap. ſuper quodam de ſtatu Monach. cap. cum ad Monaſterium, cap. Monachi eod. tit.* Meritò, inquam, tot 4
pœnæ ſtatutæ ſunt contra proprietarios, ac rigoroſiùs procedendum eſſet contra ipſos Superiores Regulares, huic malo opportunè non occurrentes; cùm tamen adeò perecrebuerit, *ut vix ſanctiſſimus locus ſit, quem labes iſta non tetigerit, vix prius quis reperiri poteſt, quem peſtis hac non infecerit*, ut exclamat Bartholom. à S. Fauſto apud Murgam *tom.*2. *diſq. moral. diſq.* 6. *in princip. num.*6. & conſonat Peyrinus *tom.*2. *de Pralat. quaſt.*1. *cap.*5. §.1. ibi: *O crudeliſſima humanorum cordium tyrannis pecunia, qua non mortalium pectora cogis? Quas non munitiſſimas animarum turres expugnas? Quas non decipis? Quas non perdis? Stultus, qui te, cùm contempſiſſet per religionis ingreſſum, in ea te iterum incipit æſtimare. Amore tui, audacter dicam, perire puto, quotquot pereunt in Religionibus animarum myriades.*

Equidem tum Jure communi, tum Jure novo Sacr. 5
Concilii Tridentini, tum Conſtitutionibus Apoſtolicis, tum propriis cujuſque Ordinis ſtatutis interdictum eſt Regularibus utriuſque ſexus, ſolemnia Religionis vota emittentibus, proprium, ſivè peculium in particulari habere; ſublata Superioribus Regularibus omni facultate ſuper eo diſpenſandi; cùm abdicatio proprietatis adeò ſit annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere, ut fatetur Innocent. III. *cit. cap. cum ad Monaſterium in fine*, & dixi *tom.*3. *ad Conſtit.* 5. Alexandr. IV. *num.*42. Pro- 6
indè tàm ſtricta prohibitione poſita, cùm hodie ſatis frequens ſit in Regularibus, ac præſertim in Monialibus annuarum præſtationum, ſeù jurium vitalitiorum, aut livellorum reſervatio, videndum eſt, quatenùs id licitum cenſeri debeat compatibiliter cum voto paupertatis, & prohibitione Juris.

Horum reſolutio maximè pendet ab inſpiciendo, 7
qualis, & quanta ſit Prælati Regularis facultas in concedendo ſuis Monachis licentiam aliquid habendi. Conveniunt ſanè omnes, non poſſe Prælatum Regularem indulgere Monacho habere proprium; nam quamvis id permiſſum ſupponere videatur *Concil. Londonien. can.* 2. ibi: *Generaliter omnes, niſi à Pralatis conceſſa proprietate careant; ſi quis verò aliquid proprii ſine prafata licentia habere in morte fuerit deprehenſus, &c.* Tamen, ultra quòd hoc Concilium eſt Provinciale, ut refert Cabaſſut. *in notis. Eccl. ſacul. XI. ad Ann.* 1075. vel eſt intelligendum de ſimplici uſu compatibili cum ſtatu religioſo, ut infra exponemus; vel certè adverſatur apertis Sacr. Canonum ſanctionibus; Unde, ut doctè advertit Joann: Gerſon. *in tract. contra proprietar. tom.* 1. *fol.*659. & 660. Abbatum permiſſio, vel Capitulorum conniventia, indulgentiaque non poterit unquam canonicæ diſpenſationis locum, & pondus obtinere, quamdiù decretum Innocentii III. in *cit. cap. cum ad Monaſterium*, fulgurabit, intonabitque in aures Monachorum, nec per ipſum quidem Summum Pontificem diſpenſari poſſe, ut non teneantur Regulares ſtricta paupertatis obſervantia, quam Deo voverunt.
Dubium igitur procedit de peculio, ſeù proprio latè 8
ſumpto, prout idem ſonat, ac detentionem, uſum, adminiſtrationem, ſivè poſſeſſionem facti, non juris, quam à Prælato Regulari ad uſus honeſtos, & pios, ac ex cauſa legitima revocabiliter ad nutum indulgeri poſſe, tum Jure antiquo, tum novo Concilii Tridentini, aliqui voluerunt. Alii autem quamvis Jure antiquo id interdictum non cenſeant, agnoſcunt tamen, Concilium huic licentiæ adverſari; quamvis & ex his aliqui ad conſuetudinem contrariam, vel tolerantiam Eccleſiæ recurrant; Alii demum nec ante, nec poſt Concilium id unquam licuiſſe, aut licere aſſerunt, omnem conſuetudinem, aut tolerantiam prorsùs excludentes, & improbantes.

9 Pro

9 Prior ſententia quoad primam ejus partem, quòd ſcilicet Jure antiquo Prælatus Regularis indulgere ex legitima cauſa potuerit peculium ad nutum revocabile ad uſus pios, & honeſtos, pluribus innititur fundamentis; præſertim quia peculium hoc modo ſumptum non adverſatur voto paupertatis, nec quidem Jure naturali, quo inſpecto idem votum non prohibet, niſi uſum rei uti propriæ; prout contingit in ſervo, cui Monachus quoad incapacitatem proprietatis æquiparatur; hìc enim quamvis dominii, & juris incapax ſit, poteſt tamen ex conceſſione Domini peculium, ejuſque liberam adminiſtrationem pro lubito revocabilem obtinere, *leg. quam tuberonis*, *& tot. tit. ff. de peculio*; quod etiam
10 comprobatur, quia ſi habere peculium, cjuſque uſum modo mox explicato, eſſet directè contrarium voto paupertatis, nec Papa id peculii genus indulgere Monacho poſſet, ex *cit. cap. cum ad Monaſterium in fine*; at Papa ſolet Religioſis concedere annuos redditus, ſeù peculium non ſuperfluum, cum Prælati licentia ad ejus nutum revocabile, ut obſervant Ledeſm. *de ſtatu Relig. in comm. cap.4. concl.3. dub.*13. Peyrin. *de Subdito Regular. tom.1. quæſt.*2. *cap.*2. §. 1. & ejus exemplum habetur apud Rotam *deciſ.*508. *num.*5. *cor: Bichio*; unde ſequitur id per ſe voto paupertatis non adverſari, quamvis Jure poſitivo aliud foret diſpoſitum, ut latè diſſerit Paſſerin. *de ſtat. homin. tom.* 1. *quæſt.* 186. *art.* 7. *num.* 283.
11 *cum ſeqq.* At nec etiam Jure poſitivo antiquo aliud eſſe diſpoſitum, adeòut iſtud non aliud nomine peculii intellexerit, niſi proprium, ſeù proprietatem, quatenus hæc directè opponitur voto paupertatis, non autem peculium, etſi immobilium, à Superiore ex juſta cauſa ad uſus honeſtos revocabiliter conceſſum, tenent communiter Moraliſtæ, ac non pauci ex Canoniſtis relati à Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.*3. *alleg.*103. *num.*5. Caſtropal. *tom.*3. *Oper. moral. tract.* 16. *diſp.* 3. *punct.* 7. *numer.* 2. Paſſerin. *cit. art.*7. *num.*290. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.*2. *diſp.*22. *quæſt.*5. *num.*5. Campanil. *in diverſ. Juris Canon. rubr.* 12. *cap.*7. *num.*4. Murga *tom.*2. *diſquiſ. moral. diſquiſ.*6. *dub.*2. §. 1. *num.*x. Lezzana *quæſt. regular. tom.*1. *part.*1. *cap.*6. *num.* 18. Miranda *in Manual. Prælator. tom.*1. *quæſt.* 28. *art.* 8. Caramuel *in comment. ad Regul. D. Bened. num.*898. & alii paſſim hanc ſenten-
12 tiam tenentes, quam primò probant à contrario ſenſu deducto ex *cit. cap. cum ad Monaſterium*, ubi diſponitur, quòd Monacho non committatur à Prælato aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tamquam in ſua ſibi vita locetur; ſed cùm oportuerit amoveri. ſine contradictione qualibet amoveatur; Unde infertur, prohibitum non videri concedere obedientiam, ſeù adminiſtrationem non perpetuò poſſidendam, ſed pro Superioris lubito revocabilem; quod etiam inferunt ex *cit. cap. Monachi*, ubi prohibetur peculium, niſi pro injuncta adminiſtratione fuerit ab Abbate permiſſum; & ex *cap. inſinuante qui Cleric. vel voven.* quem Textum ſingularem, & irrefragabilem vocant, cùm Papa ibi declaret validam profeſſionem in manibus Fratris Ordinis Sancti Auguſtini à quadam muliere emiſſam, eo tenore, ut in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret, quæ profeſſio valida non fuiſſet, ſi, ut inquiunt, valida non eſſet conditio manendi in domo propria cum omnibus ſuis bonis, proindeque Religioſi poſſunt de licentia Superioris propria bona habere, & adminiſtra-
13 re. Ex his triplex peculii genus diſtinguunt: Primum, quod eſt conceſſum irrevocabiliter; & hoc in Monacho non admittunt, utpote directè oppoſitum voto paupertatis; quamvis Navarr. *conſ.*17. *de ſtatu Monach.* conſuluerit, Superiorem Regularem Fratri ſui Ordinis licitè concedere valuiſſe ad illius vitam, Eccleſiam Conventui unitam cum quodam horto, eo pacto, ut ſolveret certos cenſus annuos, ac alia quædam onera ferret; nec Superiori, aut ejus ſucceſſoribus licere abſque peccato mortali dictam conceſſionem revocare; in qua re peſſimè conſuluit Navarrus, ut eum notat Fagnan. *in cit. cap. Monachi num.*3. & conſtabit ex infra dicendis. Alterum peculii genus eſt, quod conceditur quidem revocabiliter, ſed ad quoſcumque uſus ſivè neceſſarios, ſivè ſuperfluos, vel ad uſus tantùm honeſtos, ac neceſſarios, ſed ſine juſta cauſa; & hoc pariter, inquiunt, eſſe illicitum, nec à ſuperiore permitti poſſe; quamvis ſi concedatur ſimpliciter, & indeterminatè, & cum facultate adminiſtrandi, liberè, ac prout ſibi videbitur, & placuerit, cenſeri conceſſum ad uſus licitos, ac reſtringi ad arbitrium boni viri, cenſeat Sanchez *in Summa tom.*2. *lib.*7. *cap.*22. *num.*12. *& cap.*27. *num.*2. Tertium genus eſt, quod ex legitima cauſa ad honeſtos, & pios tantùm uſus, revocabiliter, & pro lubito Superioris conceditur, & hoc prohibitum non cenſeri Jure antiquo tenent præfati Auctores, difficultatem reſtringentes ſolùm poſt Concilium Tridentinum; ex quo etiam probari videtur hæc ſententia, nam dum *cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de regul.* prohibet Superioribus concedere Regularibus uſum ſtabilium, utitur verbo, *deinceps*, quod ſupponere facit, ante Concilium licuiſſe Superioribus Regularibus concedere ſuis ſubditis licentiam habendi peculium.

At quamvis ſolo Jure antiquo inſpecto hæc ſententia 14
non improbabilis videatur, non tamen deſunt graves rationes contrarium ſuadentes. Etenim demus, votum paupertatis comprehendere ſolam proprietatem, ſeù dominium; certè cùm hæc ſint quid fictum, ac nudum jus; nec ab uſu ſeparata prodeſſe, aut nocere valeant; inutile fermè eſſet prohibere Monachis noxiam proprietatem, dum uſus, ex quo proprietas noxia eſt, permittitur: quod argumentum egregiè, & ſolidè tractat Dionyſ. Carthuſ. *de reform. Clauſtr. art.*16. ubi in-
quit: *Magis nocet Religioſo habere uſum peculii ſine* 15
proprietate civili, quàm habere proprietatem ſine uſu: Proprietas namque in ſe non eſt peccatum, nec ad peccatum inducit, niſi per uſum rei. Ejus exemplum eſt, quod puero, vel furioſo non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet facultatem, & libertatem utendi illo cultello; ſed habere libertatem utendi ad placitum communi cultello, eſſet furioſo, ſeù puero valdè periculoſum. Quemadmodum ergo ſtultum, & deriſibile eſſet, ſi quis Paterfamilias prohibeat filio ſuo habere proprium cultellum, ne cum illo ſe læderet; nihilominus daret illi licentiam utendi ad placitum communi cultello domus: ſic ſtultum videtur, & deriſibile, ſi Pater ſpiritualis filio ſuo ſpirituali prohibeat poſſidere aliquod proprium, & nihilominùs aſſignet illi aliquam portionem de communibus bonis Conventus, concedatque ei uſum illius portionis. Quia libertas utendi ea portione eſt ſibi magis periculoſa, quàm eſſet ei proprietas ejuſdem portionis ſine utendi licentia: Quoniam uſus, propter quem vitandum SS. Patres prohibuerunt proprietatem, eſt propinquior libertati utendi, quàm proprietati poſſidendi: imo quantum ad progreſſum de malo in malum, parum aut nihil refert, an habeatur uſus ſine proprietate, an cum proprietate: Quinimò etiam admiſſo, paupertatis voto directè, & per ſe adverſari tantùm primum, & ſecundum genus peculii, non autem tertium; Jus ſanè poſitivum etiam hoc tertium genus improbaſſe videtur, ut præ cæteris tenent Felin. *in cap. cum M. num.* 26. *de Conſtit.* Fagnan. *in cit. cap. Monachi num.* 10. *cum ſeqq.* & alii apud Coton. *controverſ. lib.*4. *contr.*6. *num.*67. Thomaſin. *de benefic. par.*1. *lib.*3. *cap.*21. Van-Eſpen. *tom.*3. *Juris Eccl. par.*2. *de Vitio peculiar. cap.*1. *cum ſeqq.* Quod præſertim pro- 16
batur ex præſenti *Conſtit.* §. 16. *&* 17. ubi Pontifex expreſsè damnat abuſum in nonnullis Monachorum Nigrorum Monaſteriis inductum, quo quilibet Monacho certam pecuniæ portionem habere permittebatur; Prohibens etiam, quòd nulli Monacho certi redditus, aut proventus, aut aliqua penſio pro victu, vel veſtitu, ſeù ex quacumque alia cauſa de cætero concedantur, vel alicui aſſignentur, aut ab extraneis conceſſa, aut donata habere permittantur; ſed in utilitatem Monaſteriorum ipſorum per Abbates proprios convertantur; Hæc ſanè ad tertium peculii genus pertinere videntur, cùm à Superiore pro uſibus neceſſariis, & honeſtis pro victu ſcilicet, & veſtitu concederentur, & tamen Pontifex ea expreſsè prohibet. Similiter *Concil. Lateranenſe in* 17
cit. cap. Monachi apertè prohibet peculium etiam cum licentia Superioris, [illegible] *Nec peculium permittatur habere,*

Digitized by Google

habere, perinde ac dixiſſet, Monachos nedum peculium
habere non debere, ſed nec per Superiorem poſſe eis
concedi; Et quamvis in eodem Textu dicatur: *qui ve-
rò peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro in-
juncta adminiſtratione permiſſum, à communione remo-
veatur Altaris*: Ex quibus verbis, quibuſdam viſum
eſt, licere cuicumque Monacho ex permiſſione Abbatis,
adminiſtrationem ſtabilium obtinere; Nihilominùs ger-
manus illorum verborum ſenſus eſt, non quidem ut poſ-
ſit Abbas indiſtinctè concedere adminiſtrationem pe-
culii, ſed ſolùm ex cauſa adminiſtrationis, nempe pro-
18 pter officium adminiſtrandi, quia Officialis eſt Con-
ventus, ut poſt *Gloſſ.* ibi explicat Fagnan. *num.*42. ubi
etiam Innocent. Abb. Antiquus, Hoſtien. & Jo: Andreas
exemplificant in Veſtiariis, Cellerariis, Eleemoſyna-
riis, aliiſque Officialibus; inter quos, & ſimplicem
Monachum veram differentiæ rationem dat Fagnan. *loc.
cit.* iſte enim obtinens adminiſtrationem bonorum ſtabi-
lium cum facultate convertendi fructus in uſus licitos,
verè, & cum effectu eſt uſufructuarius, cùm eis utatur
fruatur, proindeque titulus adminiſtrationis in ſimplici
Monacho revera eſt palliamentum proprii; Nec refert,
quòd Monacho pro libitu Abbatis auferri poſſit admi-
ſtratio, nam hoc non tollit, quòd durante adminiſtra-
tione habeat jus utendi, & fruendi, ac omni caſu dici
19 poſſet uſufructuarius ad beneplacitum, quod etiam ad-
vertit Van-Eſpen. *cit. cap.*1. *coroll.*2. prout non obſtat,
quòd adminiſtratio reſtricta ſit ad uſus licitos, & ho-
neſtos; cùm hæc reſtrictiva etiam ſit in Clericis benefi-
ciariis, qui ſuperfluos ſuorum beneficiorum fructus non-
niſi in pios uſus erogare valent, & tamen ipſos in vi-
ta eſſe uſufructuarios, communior fert opinio. Cùm
igitur Concilium Lateranenſe regulam ponat, prohi-
bentem Monachis peculium, tantùmque excipiat Offi-
ciales, ſeù Adminiſtratores Monaſterii, regulam in
contrarium firmare videtur; quod etiam elici valet ex
ratione, cui ipſa exceptio innititur; Officiales enim
Monaſterii in hujus ſolùm utilitatem adminiſtrant, ei-
que acquirunt, nec de fructibus diſponere valent, at
conceſſo Monacho peculio etiam tertii generis, cùm
hic de fructibus diſponere poſſit, uſufructuarii notam
20 evitare non valebit. Quæ autem ſupra pro contraria
ſententia dicebantur, non ſatis eam probant; Etenim
quidquid ſit, an paupertatis votum ex ſe, & directè
excludat tantùm jus, & dominium, non autem uſum
ex juſta cauſa, à Superiore revocabiliter conceſſum,
quod eſt peculium tertii generis; certè quidem illud
excludit Jus poſitivum; unde quamvis Papa diſpenſare
non valeat ſuper voto paupertatis, jure tamen diſpen-
ſat cum Religioſis ſuper tertio genere peculii, quod
Jure poſitivo eis prohibetur; proinde cùm Superiores
Regulares nullam ſuper Jure communi diſpenſandi fa-
cultatem habeant, indulgere conſequenter non pote-
21 runt dictum peculium. Nec obſtat exemplum de Ser-
vo; nam primò nimis probat, cùm enim poſſit Do-
minus ſervo proprium indulgere, *leg. is qui in princ.
ff. de de manumiſſ.* illud etiam Monacho Superior con-
cedere poſſet; Prætereà etiam abſolutè conſiderato pe-
culio ſervi, hoc Monacho competere non poteſt; pe-
culium enim ſervi eſt puſillum patrimonium, quod
ſervus Domini permiſſu à rationibus dominicis ſepara-
tum habet, *leg. depoſiti cum ſeqq. ff. de peculio*, illud-
que à ſervo habetur, vel uti proprium patrimonium,
ob liberam utendi facultatem ei indultam, adeòut ſepa-
ratum cenſeatur à rationibus dominicis, quamdiù uſi-
bus ſervi relinquitur, tametſi proprietas civilis maneat
apud dominum, & ipſum peculium etiam quoad uſum
ſervo pro voluntate Domini adimi poſſit; Cùm autem
ex dictis Monacho interdictum ſit habere ſeparatum pe-
culium, ſeù patrimonium, ſequitur ut quoad hoc à
ſervo ad ipſum arguere non valeat, ut latè probat Van-
Eſpen. *cit. coroll.* 2. Ultra quòd inhabilitas ſervi ad ac-
quirendum inducta eſt favore ſolius Domini, cui ipſe
renunciare poteſt, *cit. leg. is qui*, inhabilitas aut Mo-
nachi reſpicit perfectionem ſtatus Religioſi, quod Su-
22 perior Regularis labefactare non debet. Similiter non
multùm refragatur Textus in *cit. cap. inſinuante*, nam
omiſſis pluribus interpretationibus, quas ei dant DD.
apud Barboſ. *ibid. num.* 2. *&* 3. certè Pontifex quamvis
ibi declaret, profeſſionem illius mulieris fuiſſe validam,
nihil tamen determinat de ſubſiſtentia pacti manendi in
propria domo, ut benè conſiderat Fagnan. *cit. cap. Mo-
nachi num.*31. Unde verior videtur interpretatio, quam
dat Gonzal. *in cit. cap. inſinuante num.*6. nempè Tex-
tum eſſe intelligendum juxta priſcum Eccleſiæ morem,
quo mulieribus in domibus propriis profiteri permitte-
batur, emiſſis ſolùm votis obedientiæ, & caſtitatis,
non renunciando bonis propriis, nec clauſuram ſervan-
do, ut in *cap. conſuluit qui Cleric. vel vovent.* quo fieri
valuit, ut mulier, de qua in dicto Textu, profeſſio-
nem validè emiſerit, potueritque in domo propria per-
manere cum ſuis ſubſtantiis.

His porrò, quæ in terminis Juris antiqui probabili- 23
ter pro utraque ſententia dicebantur, ſupervenit diſpo-
ſitio Sacri Concilii Trident., quod in *cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de
Regul.* pro Regulari diſciplina inſtauranda, & conſer-
vanda, præſertim ſtatuit, quòd nemini Regularium tàm
virorum, quàm mulierum, licitum ſit bona immobilia
vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quo-
vis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam
nomine ipſius Conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſta-
tim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporen-
tur. Nec deinceps licere Superioribus bona ſtabilia ali-
cui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel
uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Admini-
ſtrationem autem bonorum Monaſteriorum, ſeù Con-
ventuum, ad ſolos Officiales eorumdem, ad nutum Su-
periorum amovibiles pertinere debere; Mobilium verò
uſum ita Superiores permittere debere, ut eorum ſup-
pellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conve-
niat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod ſit
neceſſarium, eis denegetur, itaut ſi quis aliter quidquam
tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio
activa, & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta
ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur. Hac 24
diſpoſitione Concilii poſita, adhuc nonnulli Auctores
viam inire conati ſunt, qua Superioribus Regularibus
non cenſeretur per Concilium ſublata facultas diſpen-
ſandi cum ſuis ſubditis habere peculium ad pios, & ho-
neſtos uſus ex juſta cauſa ad nutum revocabile, etiam
abſque neceſſitate illud priùs incorporandi Conventui.
Etenim quamvis Concilium prohibuerit Regularibus,
bona immobilia, vel mobilia tamquam propria, aut
etiam nomine ipſius Conventus poſſidere; Itemque etſi
idem Concilium Superioribus prohibeat, bona ſtabilia
alicui Regulari concedere etiam ad uſumfructum, uſum,
adminiſtrationem, ſeù Commendam; id tamen debere
intelligi de conceſſione abſque rationabili cauſa, vel ad
quemcumque uſum etiam non neceſſarium, ſivè ſuper-
fluum; non autem de tertio genere peculii ſupra expli-
cato, quod jure antiquo prohibitum non erat, nec,
inquiunt, prohibitum eſt à Concilio, quod quamvis
clarioribus verbis ſe expreſſerit, non tamen quoad pe-
culium Regularium aliquid novi ſtatuit, ultra id, quod
ſtatutum erat in *cit. cap. Monachi*, ſed tantùm fuiſſe
innovatum, & explicatum jus antiquum, ut poſt Na-
var. *comm.* 2. *de Regular. num.* 15. & *ſeqq. & conſ.* 3.
*num.*32. *& conſ.*14. *de ſtat. Monach.* tenent non pauci
ex Moraliſtis, quos referunt, & ſequuntur Diana *par.*1.
*tract.*6. *reſol.*32. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.*2. *diſp.*
22. *quæſ.*5. *num.*6. Peyrin. *tom.*1. *de ſubdito Regul. qu.*2.
*cap.*2. §. 1. Murga *cit. diſquiſ.*6. *dub.*2. §. 3. *num.*50. Bar-
boſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 103. *num.*4. quam pariter
ſententiam alia ratione ſibi ſuadet Capon. *diſcept.*82.
*num.*6. *tom.*2. quia ſcilicet Religioſi, etiam in arctiſſi-
mis Religionibus, ſine violatione voti paupertatis
utuntur, ac poſſident aliqua mobilia ſibi conceſſa,
& deſtinata pro ſuis particularibus uſibus, ut ſunt ve-
ſtes, libri, imagines, & alia hujuſmodi; cùm autem
quoad hæc eos excuſet licentia Superiorum, hæc etiam
à vitio proprietatis excuſabit, ſi habeant peculium
tertii generis.

Nihilominùs graviſſimi, ac magis cordati Aucto- 25
res, etiam ex Moraliſtis, contrarium tenent, Conci-
lium

lium nempe, etiam novum jus ſtatuendo, indiſtinctè
interdixiſſe Superioribus Regularibus poſſe concedere
ſuis ſubditis quodcumque peculium, etſi ex legitima
cauſa, ac ad uſus licitos, & honeſtos, ut præ cæte-
ris docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. tit.*8. *cap.* 14. *n.*8.
Cordub. *in ſum, quæſt.* 34. Azor. *cit. lib.* 12. *cap.*9. *quæſ.*2.
3. *&* 4. Baſil. Pont. *quæſt. ſcholaſt.* 9. *cap.* 4. Vaſquez
in opuſc. de reddit. cap. 3. *dub.* 2. *num.* 14. Caſtropal.
cit. tract. 16. *diſp.* 3. *punct.* 7. *num.* 5. Leſs. *de juſtit.*
& jure libr. 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *dict.* 5. *num.* 30. & alii
26 apud Murgam *cit. dub.* 2. §. 2. *num.* 47. Verba enim
Concilii æquè apta ſunt comprehendere quodcumque
peculium, etiam ex licentia, & voluntate Superioris;
præcipit enim ut bona tàm immobilia, quàm mobi-
lia, quovis modo acquiſita, ſtatim Superiori tradan-
tur, ac incorporentur Conventui, itaut nec tamquam
propria, nec nomine Conventus poſſint Regulares ea
poſſidere, vel tenere, referendo poſſeſſionem ad id,
quod tamquam proprium & detentionem, ſeù uſum
facti ad id, quod nomine Conventus, hoc eſt cum
licentia Superioris per eos detinetur. Unde abſque
fundamento loqui eos dicendum eſt, qui Concilium
intelligendum eſſe aſſerunt de uſu conceſſo ſine juſta
cauſa, vel irrevocabiliter, ſivè ad uſus ſuperfluos;
Nullum enim verbum ibi legitur huic interpretationi
locum faciens; quinimò contrarium elicitur tum ex
fine Concilii, cupientis penè collapſam Religioſam
paupertatem inſtaurare; Tum quia abſolutè, & abſq;
ulla diſtinctione præcipit, bona quomodocumque quæ-
ſita Superiori tradi, & Conventui incorporari, per-
indeac dixiſſet: pro Religioſa paupertate conſervanda
opportunum eſſe, nec quidem ex juſta cauſa Religio-
ſo concedi bonorum uſum; Tum etiam quia Conci-
lium, illum uſum, ſeù adminiſtrationem, quam ſin-
gulis Religioſis, etiam cum conſenſu Superioris de-
negat, concedit Officialibus Conventus: at his non
conceditur, niſi ex juſta cauſa, & revocabiliter ad
honeſtos uſus: ergo Concilium id denegat aliis Religio-
ſis, Prætereà Concilium ſtatuit, ne deinceps liceat
Superiori Regulari bona ſtabilia alicui Regulari con-
cedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtra-
tionem, ſeù commendam; ubi conſideranda eſt par-
ticula *deiſceps*, quæ indicat ex tunc eſſe prohibitio-
nem, quamvìs antea non fuerit, ut doctè ediſſerit
Caſtropal. *cit. punct.* 7. *num.* 5. & poſt eum latè fir-
mant Fagnan. *cit. cap. Monachi num.* 44. *cum ſeqq.*
Thomaſſin. *par.* 1. *de benefic. lib.* 3. *cap.* 21. *nu.* 11. Van-
Eſpen. *cit. tom.* 3. *par.* 1. *de vitio peculiarit. cap.* 1. *& ſeq.*
27 Quinimò etſi dubia ſit mens Concilii, itaut eam
rimari oporteat: id ſanè tutiùs aſſequi non aliunde
poſſumus, quàm ex declarationibus Sacr. Congregat.
Cardinalium ipſius Concilii Interpretum. Hæc autem
perpetuò ſentire viſa eſt, nullo caſu licere Regulari-
bus de Superiorum licentia peculium obtinere, ſed
ejuſdem Concilii mentem eſſe, omnia tum mobilia,
tum ſtabilia undecumque quæſita, rectà ad Superio-
rem deferenda, Conventuique incorporanda, quò com-
munis inde victus, ac veſtitus omnibus ſuppeditari
poſſit. Unde aliàs hac in re conſulta reſpondit, ex
diſpenſatione inferiorum Summo Pontifice non licere
Regularibus poſſidere, vel tenere agros, annuos red-
ditus, aliaque bona immobilia, vel mobilia ſuperflua;
nec ob talem diſpenſationem, ſeù licentiam Superio-
rum poſſidentes immobilia, vel mobilia ſuperflua ex-
cuſari à culpa, vel à pœna ipſo facto incurrenda;
Itemque minimè adhibendam eſſe fidem Superioribus
aſſerentibus hujuſmodi ſe licentias concedere poſſe;
nec iiſdem Superioribus permiſſum eſſe, dictum Con-
cilii Decretum declarare, & interpretari, ut in De-
cretis generalibus ejuſdem Sac. Congreg. relatis apud
Murgam *cit.* §. 1. *num.* 22. Quaran. *in ſumm. Bullar.*
28 *verb. Caſus reſervati pag.* 157. Item aliàs reſpondens
Poſtulatis Epiſcopi Tornacen. Sac. Limana viſitantis,
ſub die 4. *Julii* 1602. *libr.* 10. *Decr. fol.* 38. *à terg.*
reſcripſit: Nullo pacto licere Superioribus Regulari-
bus uſum, vel adminiſtrationem quarumcumque rerum
ſtabilium, vel eorum mobilium, quæ ſuperflua fuerint,
Regularibus concedere, quamvis ab eorum ſint pa-
rentibus, vel conſanguineis profecta; alioquin ipſum
Regularem, qui illa tenere deprehenſus, vel convi-
ctus fuerit, triennio voce activa, & paſſiva eſſe pri-
vatum, nec auctoritate, ſeù licentia Superioris excu-
ſatum haberi. Ita pariter ſub *die* 12. *Januar.* 1613.
lib. 11. *Decr. fol.* 126. reſpondit, ſi Regulari aliquid
donatum, legatum, vel alia ratione quæſitum fuerit,
id rectà deferri oportere ad manus Superioris Regu-
laris, qui primùm inde provideat neceſſitatibus illius,
cujus opera, vel contemplatione fuerit quæſitum, &
quod reliquum eſt, in uſum totius Monaſterii con-
vertat. Et ſub *die* 17. *Aprilis* 1649. *lib.* 18. *Decr. fol.*
607. propoſito Dubio, An Monachus à Fratre germa-
no hæres inſtitutus, poſſit de licentia Superiorum Re-
ligionis acceptare, & habere uſumfructum bonorum
hæreditariorum pro ſuis indigentiis religioſis, & ne-
ceſſitatibus, non obſtante Decreto Concilii. Eadem
Sac. Congreg. reſpondit, Non poſſe, ut apud Pigna-
tell. *conſ.* 349. *tom.* 1. Ex his non videtur amplius du-
bitandum de mente Concilii, itaut attendi non me-
reantur nonnulli Auctores apud Dian. *tom.* 1. *tract.*6.
reſol. 32. *in fin.* Tambur. *cit. quæſt.* 5. *num.* 7. qui for-
ſan non ſine magnæ temeritatis nota aſſerere auſi ſunt,
has reſolutiones, cùm non magis, quàm ipſum Con-
cilium obligent non poſſe comprehendere peculium à
Superiore ex juſta cauſa conceſſum, quod ſub Conci-
lio non comprehendi reputant, juxta interpretatio-
nem ab ipſis Moraliſtis ei impictam; Etenim eſtò mens
Concilii dubia ſit, cùm tamen ſit ſatis clara, cui-
cumque perſuaſum iri credimus, tutiorem quoad hoc
haberi non poſſe interpretationem, ea quam Sac. Con-
greg. ipſius Concilii Interpres exhibet. At, inquiunt, 29
Concilium eatenus prohibet quodcumque peculium,
quatenus ſupponit, Prælatos ſingulis Religioſis conce-
dere omnia neceſſaria, attentis omnibus circumſtantiis
officii, temporis, imbecillitatis, ætatis, ſivè cujuſli-
bet indigentiæ, ibi: *Nihil etiam, quod ſit neceſſarium,*
eis denegetur. Prælati autem ut plurimum, quæ ne-
ceſſaria ſunt ſingulis Religioſis non concedunt, cir-
cumſtantiis benè attentis, vel ob Conventuum pauper-
tatem, & indigentias, vel ob alias cauſas. Sed primò
his reſpondeat D. Bernard. *ſerm.* 4. *de Adventu*, ibi:
Videmus pauperes aliquos, qui ſi veram haberent pau-
pertatem, non adeò puſillanimes invenirentur, &c. Sed
hi ſunt, qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, ut
nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, ut nullam
inopiam patiantur. Secundò reſpondeat eadem Sacra
Congreg. quæ conſulta. *V. An Superiore, quantumvis*
requiſito, neceſſaria ſuis Regularibus denegante, vel
ſubtrahente, liceat ipſis clam, vel invito eo, illa com-
parare, ſeù retinere. VI. Et quatenus liceat: An ſti-
dem cùm neceſſaria ideò denegantur, vel ſubtrahuntur,
quia facultates Monaſterii non ſuppetunt. Reſpondit.
Ad V. non licere. Ad VI. licere, ſi præciſa neceſſitas
ſit ad individui ſubſtentationem; Cæterùm communem
penuriam ab omnibus perpetiendam uſque adeo, ut ſi
quid privatim alicui delatum, vel ab ipſo partum fue-
rit, id omne ad Superiorem rectà deferri oporteat, qui
ex eo primò ſuccurrat ejus neceſſitati, cujus intuitu illud
obvenerit, ſi peculiari aliqua neceſſitate ultra commu-
nem prœmeretur; reliquum Conventui incorporetur, &
in communem cedat utilitatem, ut habetur in præfatis
Decretis ejuſdem Sac. Congregationis de quiLus apud
Murgam, & Quaran. *loc. cit.* Ex his etiam elicitur 30
quàm levia ſint, quæ io contrarium ſupra dicebantur per
Capon. *loc. cit.* nam mobilia non ſuperflua cum licen-
tia Superioris à Concilio permittuntur, proindeque
ex eo inaniter arguitur ad immobilia, ſivè ad mobi-
lia ſuperflua; quinimò & ex hac permiſſione proba-
tur oppoſitum, ut patet conſideranti. Prætereà hæc 31
eadem luculentiùs comprobantur ex Decretis pro refor-
matione Regularium editis à Clemente VIII. quæ ha-
bentur in ejus *Conſtit.* 21. incip. *Quæ ad proſperam*,
confirmatis ab Urbano VIII. in ejus *Conſtit.* 26. incip.
Sacra, in quibus pro fideliori obſervantia præfati De-
creti Concilii præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi
Supo-

Digitized by Google

Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſivè ex concionibus, ſivè ex lectionibus, aut pro Miſſis, tàm in propria Eccleſia, quàm ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſsidere poſsit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradenda Conventuique incorporanda eſſe, atque cum cœteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundenda, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſsit. Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto licere, eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere; Quòdque nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nullave licentia quantùm ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quo culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent, hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhibendam eſſe præcipit.

32 Ex his deſcendendo ad dubium in principio propoſitum, quatenus ſcilicet cenſenda ſit licita Regularibus, ſivè Monialibus retentio jurium vitalitiorum, ſeù annuarum præſtationum, videtur reſolvi poſſe ex dictis, cùm hæc jura æquè comprehendantur ſub Decreto Concilii, & Clementis VIII. Unde ſatis leviter videtur conſuluiſſe Capon. *diſcept.* 80. *tom.* 2. aſſerens, ſub Decreto pro reformatione Caſsinenſium edito, non comprehendi livellos, ſeù annuas præſtationes; cùm tamen in ipſo Decreto prohibeantur annui redditus, & alia quæcumque bona, ſub quibus comprehenduntur annui red-
33 ditus, etiamſi expreſsè non prohiberentur. Hoc pariter comprobatur ex ſupra relatis, aliiſque reſolutionibus Sacr. Congregat. Concilii, præſertim ex ea, quam refert Murga *cit. dub.* 2. §. 1. *num.* 37. *cum ſeqq.* Fagnan. *in cit. cap. Monachi num.* 1 *&* 76. ubi ſupponendo, quòd in aliquibus Monaſteriis tàm virorum, quàm mulierum Novitii in actu renunciationis bonorum ad favorem Monaſterii, vel in actu profeſsionis reſervent ſibi annuos redditus, ſeù annuam præſtationem pro ſuis Religioſis neceſsitatibus; Et in aliis Monaſteriis item frequenter accidat, ut cenſus annui, ſeù bona ſtabilia relinquantur etiam titulo inſtitutionis à parentibus, vel conſanguineis alicujus Regularis, eo tenore adjecto, ut Superiores concedere debeant eidem Regulari adminiſtrationem dictorum cenſuum, ſeù bonorum ſtabilium, itaut ille poſsit convertere illorum redditus in ſuos honeſtos uſus. In aliis etiam Monaſteriis ſervetur, ut Regulares pecunias ex prædicatione, ſeu lectione, aut aliunde quæſitas tribuant Monaſterio ad hoc, ut ex ea emantur cenſus perpetui, quorum redditus quotannis aſsignari debeant eidem Regulari pro ſuis neceſsitatibus; In aliis denique uſu receptum ſit, ut ex redditibus Conventus unicuique ex Fratribus, vel Sororibus aſsignetur ſingulis annis certa portio, ſivè in pecunia, ſivè in aliis ſpeciebus, ad hoc, ut ex ea paret ſibi neceſsaria ad vitam, nec Monaſterium eis aliquid ultra præſtate, nec ipſi accepti rationem reddere teneantur. Quæſitum idcircò fuit, an in his, & ſimilibus caſibus liceat Regularibus utriuſque ſexus habere prædictos annuos redditus, ſeù proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeù peculium non ſuperfluum nomine Conventus, ac de ſuorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu, adeòut ſint immunes à culpa, & pœna, de qua in Decreto *cap.* 2. *ſeſs.* 25. *de Regular.* Sacr. Congregat. reſpondit, Negativè, videlicet in nullo ex ſupradictis caſibus licere Regularibus utriuſque ſexus prædictos annuos redditus, ſeù proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeù peculium non ſuperfluum nomine Conventus, ac de ſuorum Superiorum licentia, ac dependenter ab eorum voluntate, ac nutu; alioquin non eſse immunes
34 à culpa, & pœna Decreti Concilii. Et nuperrimè cùm duæ Moniales Conventus SS. Trinitatis Neapolis obtinuiſſent à Sacr. Congregat. Epiſcoporum indultum, ut poſſent recipere annuam præſtationem ſcut. 200. à Parentibus ſolvi promiſſam; ita tamen ut Superiorisſæ, ſeù Depoſitariæ traderetur, eroganda ab ipſis Monialibus pro earum indigentiis, ſivè aliis uſibus piis ſibi beneviſis: Reclamantibus contra indultum reliquis Monialibus, utì læſivum vitæ communis, & Conſtitutionum Conventus ex eo, quòd annua præſtatio eroganda eſſet per Abbatiſſam in uſus à præfatis duabus Monialibus deſtinandos; Sac. Congregatio *die* 7. *Aprilis* 1707. reſcripſit, *Servandas eſſe omnino Conſtitutiones, non obſtante indulto.*

His tamen obſtare videtur conſuetudo, quæ præcipuè 35
apud Moniales invaluit, reſervandi ſibi vitalitias præſtationes cum ſolo conſenſu Superiorum; itaut hodie receptum ſit, obligatum dotare, teneri etiam vitalitium Moniali conſtituere juxta morem Conventus, in quo profitetur, itemque illud in dotem computari, ut reſolvit Rota *deciſ.* 671. *num.* 19. *&* 29. *cum ſeq. cor. Merlino*, & quòd hodie conſuetum ſit, ut hujuſmodi vitalitia per conjunctos aſſignentur ingreſſuris Religionem, correſpectivè ſemper ad renunciationes, quas ineunt occaſione ingreſſus, tradit Rota *in Lucana Livelli die*
9. Maii 1707. *§. profecto cor. R. P. D. Anſaldo.* Verùm 36
difficultas non tàm eſt in reſervatione vitalitii, quàm in ejus retentione, & uſu; Idcircò diſtinguendi ſunt caſus, nam aut vitalitium cum licentia Superioris Regulari reſervatum, adminiſtratur ab ipſo Religioſo, etſi revocabiliter, & ad uſus licitos, & hoc caſu quamvis multi aſſerant, id cum licentia Superioris licitum cenſeri etiam poſt Concilium, ut apud Ovied. *in republ. Regul. part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæſt.* 7. *n.* 56. *&* 57. Murga *cit. dub.* 2. §. 4. *num.* 81. vel ſaltem Concilii rigorem conſuetudine temperatum eſſe, ut apud Caſtropal. *cit. diſp.* 3. *punct.* 7. *num.* 6. His tamen primò reſiſtunt adductæ declarationes Sacr. Congregat. reſiſtit etiam Sacr. Concilium, & Decreta generalia Clementis VIII. ex quibus quodcumque peculium cum licentia Superioris, ſeù nomine Conventus prohibetur, ut ſupra probavimus; proinde non videmus quid valeat ſuffragari conſuetudo, niſi hæc ſit compatibilis cum ſtatu paupertatis, nec adverſetur Decreto Concilii, ut rectè conſiderat Suarez *tom.* 3. *de relig. libr.* 8. *cap.* 14. *num.* 13. quatenus ſcilicet vitalitia Conventui incorporentur, & per ejus Officialem adminiſtrentur; fieret autem contra Concilium, ſi quælibet Monialis fructus apud ſe ad uſus ſucceſſu temporis contingentes retineret; Porrò Card. de 37
Luca *de Regul. diſc.* 57. *num.* 17. aſſerit quidem, ex conſuetudine per Eccleſiam tolerata hodie permitti Regularibus vitalitia, ſed ſubdit id permitti, dummodò practicetur compatibiliter cum ſtatu paupertatis, ut ſcilicet pecuniæ detineantur in depoſito, vel arca communi ipſius Monaſterii, atque exinde Religioſus à manu Superioris eas percipiat, eroganturus in Religioſos, & honeſtos uſus, de quibus Superior inquirere poteſt, id denegando quoties non videantur congrui, vel honeſti, ut fuit ſenſus Sac. Congreg. Epiſcoporum in *cit. Neapolitana* 7. *Aprilis* 1707. nec in aliquo ſuffragatur tolerantia Superiorum Regularium, qui non ſolùm poſsunt, ſed omninò debent contrarium abuſum extirpare, Donatus *Rerum Regular. tom.* 4. *tract.* 15. *de Voto paupert. quæſt.* 12. *per to.* Lezzana *in ſumma quæſt. Regul. tit. de obligat. Relig. circa votum paupert. n.* 15. *in fine*, Barth. à S. Fauſto *in Theſaur. Relig. tit. de Voto paupert. quæſt.* 195. *num.* 1. *& ſeqq.* Nec aliàs ſuffragari poterit conſuetudo, quæ, ut pluries alibi diximus, derogare non poteſt Decretis Apoſtolicis, niſi concurrat tolerantia Papæ; quæ ſanè præſumi non debet, dum potiùs conſtat de ejus expreſsa repugnantia, quæ præcipuè elicitur ex eo, quòd Sede Apoſtolica quotieſcumque per Sac. Congregat. Epiſcoporum, aut Concilii facultatem habendi vitalitia Regularibus, aut Monialibus concedit, conditionem adjicere ſolet: *Dummodò annuus redditus à Procuratore Monaſterii exigatur, & recta via deferatur in commune depoſitum, & tunc de manu depoſitarii & de licentia Superiorum ipſe Orator recipiat quantum*

& qua-

& quatenus opus fuerit, *& in ſuas religioſas neceſſita-*
tes applicet, *applicatorumque*, *quoties à Superioribus*
fuerit requiſitus rationem reddat, *& reſiduum in com-*
munes Monaſterii neceſſitates erogetur, ut refert Nicol.
Inſtit. Canon. lib.3. tit.31. de Regular. num.19. Rota *de-*
39 *ciſ.405. num.6. part.16. recent.* Idemque etiam ex eo eli-
citur, quòd cùm Sac. Congreg. Epiſcoporum de Anno
1589. præ cœteris decretis editis pro reformatione Mo-
nialium Civitatis Neapolis, & Salerni, quæ referuntur
tom.2. Bullar. Veter. in fine, benignius agendo diſpo-
ſuiſſet cap.46. ut in Monaſteriis, in quibus uſque tunc
retinebantur per Moniales proviſiones, & ſubventiones,
nec omnia in communi conferebantur, concederetur li-
centia accipiendi aliquam ſubventionem, de manibus
tamen Abbatiſſæ, ſeu Præfectæ Monaſterii, pro Reli-
gioſis neceſſitatibus; quæ verò ſupereſſent, Abbatiſſa
erogare teneretur in communes uſus Monaſterii. Quo
decreto relato ad Clementem VIII. hic addi juſſit, ut
Moniales tenerentur præſtationes omnes ipſis aſſignatas,
Superioribus fideliter notificare, & conſignare in certo
libro notandas, & per communes Officiales Monaſterii
exigendos, ad hoc ut in uſum ipſarum Monialium pro
ſingularum religioſis neceſſitatibus de mandato Abbatiſ-
ſæ per Miniſtros publicos, & communes Monaſterii in
totum, vel pro parte, ut opus eſſet, quotannis eroga-
rentur, ut refert Fagnan. *in cit. cap. Monachi num.66.*
de quo decreto vide, quæ ſcribit Campanil. *in diverſ.*
rubr.12.cap.7. num.27. Reſervatio igitur vitalitii tunc
licita erit cum licentia ſolius Prælati Regularis, ſi red-
ditus cum aliis bonis Conventus incorporentur, ac Su-
periori tradantur; qui tamen primùm inde providere
debebit neceſſitatibus illius, cujus intuitu reſervatum
fuerit vitalitium, reliquum verò in uſum Monaſterii con-
vertet, prout habetur in aliis reſolutionibus relatis ab
Epiſcopo Criſpin. *in Viſit. paſtor. part.2. §.42. num.39.*
& 40. Monacell. *tom.1. Formul. in append. fol.291. nu-*
mer.4. quod etiam ſervandum eſt in quibuſcumque aliis
bonis quæſitis Conventui intuitu Regularis, ut ſuperiùs
dixi, itaut aliàs nulla adſit Monaſterii obligatio ea ſub-
miniſtrandi ſuo ſubdito. Hinc cùm quidam Regularis
Monaſterio dediſſet capitale in pecunia cum pacto, ut
ei quotannis certa ſumma ſolveretur; ſuborto dubio,
an Monaſterium ad id teneretur: Sacr. Congregatio
Epiſcoporum nuperrimè reſcripſit, Monaſterium non
40 teneri. Quinimò Sedes Apoſtolica regulariter non con-
cedit indulta habendi vitalitia, niſi cum præfatis condi-
tionibus, ut patet ex formula ſuperiùs adducta; quam-
vis ex legitimis cauſis quandoque diſpenſet, ſemper ta-
men cum dependentia à Superiore Regulari, ut in
Neapolitana 24. Maii 1670. libr. 26. Decret. pag.345.
in qua Sacr. Congregat. Concilii conceſſit Regulari in-
dultum percipiendi fructus ſcutorum 500. quæ ex ejus
perſona ad Monaſterium pervenerant; dummodo acce-
deret conſenſus Capituli Conventus, ad cujus favorem
fuit factum inveſtimentum; & ipſe Regularis fructus
nonniſi in ſuas indigentias, & religioſos uſus ad nu-
tum ſui Superioris impendere valeret. Similiter in
Andegaven. die 11. Julii 1671. lib.27. pag.148. à terg.
indulſit Regulari, qui pluribus, atque præcipuis ſuæ
Religionis perfunctus muneribus, ſeneſcendo in graves
infirmitates inciderat, ut de Superiorum licentia reci-
pere poſſet quoad viveret eleemoſynas per benefactores
ei annuatim aſſignandas, & de illis cum eorumdem
licentia pro ſuis neceſſitatibus; & uſibus religioſis,
quantùm illi opus fuerit diſponere; reſiduum verò in
41 Religionis utilitatem converti deberet. Et in una *Mi-*
nor. Obſervan. die 13. Junii 1684. lib.18. fol.484. à terg.
indulſit Regulari, ut pro ſubſtentatione ſuæ Matris
pauperrimæ ſuas religioſas eleemoſynas in uſum ne-
ceſſarium illius erogare valeret; Prout ad ſuccurren-
dum Matri ſenio confectæ aliàs fuit Regulari conceſſum
degere extra clauſtra, dummodò extra ea non perno-
ctaret, in *Romana Indulti die 27. Auguſti 1695. & 14.*
Januar. 1696.

42 Contingit autem non raro, hujuſmodi vitalitia Re-
gularibus reſervari, aut aliàs donari, ſivè legari, ad-
dicta conditione, ut nihil ex eis Monaſterio acquira-
tur: quo caſu controverti occurrit, an conditio vitiet
relictum, ſivè potiùs ipſa ſola vitietur, ac pro non ap-
poſita habeatur. Duplici ratione hujuſmodi relicta ſuſti- 43
neri poſſe viſum eſt DD. primò ex eo, quòd conditio
prohibens aliquid acquiri Monaſterio, utpotè contraria
ſtatui paupertatis, ac proinde de Jure impoſſibilis, vitie-
tur, firmo remanente legato, prout vitiatur omnis
conditio turpis, & impoſſibilis de Jure, *leg. conditio-*
nes ff. de condit. inſtitut. & ita tenent Jaſon. *cit. Auth.*
ingreſſi num.37. & 39. Imola *leg. ſi alienam in princip.*
num.3. ff. de hered. inſtit. Angel. *in leg. ſi ſervus ff. de*
hered. inſtit. Vaſquez *cit. opuſc. de reddit. cap.3. dub.2.*
num.12. Caſtropal. *cit. tract.16. diſp.3. punct.6. num.3.* &
alii relati à Sanchez *ad precept. decalog. lib.7. cap.17.*
num.2. Secundò, eadem relicta benignius interpretan- 44
do, itaut conditio intelligenda ſit de proprietate, non
autem de uſu, & commoditate; quæ interpretatio Au-
ctorem habuit Bartol. *in Auth. excipitur num.2. Cod. de*
bonis, quæ liber. leg. ſi alienum num.1. & 2. ff. de hered.
inſtitut. aſſerens, quòd conditio, ut nihil acquiratur
Monaſterio, intelligenda ſit reſpectu utilitatis, non au-
tem reſpectu juris, nempè quòd Monaſterium conni-
ventibus oculis patiatur Monachum habere legatum eo
modo quo poteſt, ad inſtar eorum, quæ de Servo ha-
bentur in *cit. l.4. ff. de manumiſſ.* quam ſententiam com-
muniter ſequuti ſunt Bald. *in leg. unic. num.43. & 44.*
Cod. de his quæ pœna nomine, Abbas *lib.2. conſ.44. nu.1.*
& 3. & conſ.63. num.7. Mantica *de conject. lib.4. tit.5.*
art.10. num.12. Simon de Pratis *de interpretat. ultim.*
volunt. lib.2. interpr.2. dub.2. ſolut.7. num.13. Azor. *cit.*
lib.12. cap.10. quæſt.3. Molina *tom.1. de Juſtit. diſp.140.*
col.2. Card. de Luca *de teſtam. diſc.23. nu.2.* De Franch.
deciſ.718. ubi De Luca *num.5.* Capon. *diſcept.83. nu.2.*
& ſeqq. Manuel *quæſt. regul. tom.1. quæſt.125. art.2.* &
aliis omiſſis pluries firmavit Rota *deciſ.1214. per tot.*
cor. Penia, *deciſ.584. num.11. cum ſeqq. cor. Buratt.*
deciſ.405. num.7. cum ſeqq. deciſ.410. num.11. cum ſeqq.
part.16. recent. Unde hac interpretatione poſita non 45
opus eſt recurrere ad turpitudinem, vel impoſſibilita-
tem conditionis, quod tantùm ſuffragari poteſt in lega-
tis, aliiſque ultimis voluntatibus, quæ per conditiones
impoſſibiles non vitiantur; ſecùs autem in contractibus,
aliiſque actibus inter vivos; Niſi forſan conditio expreſsè
dicat, quòd nihil pertineat ad Monaſterium tum quoad
dominium, tum quoad uſum; quo caſu quamvis aliqui
voluerint, legatum omnino vitiari tum ob perplexita-
tem, tum quia pugnantia continet, ad *Text. in leg. ubi*
pugnantia ff. de regul. Juris; veriùs tamen eſt, eam con-
ditionem haberi uti de Jure impoſſibilem, non autem
uti impoſſibilem ex perplexitate verborum, cujus exem-
plum eſt in *leg. ſi Titius ff. de condit. inſtit.* ut tenent
DD. apud Sanchez *cit. cap.17. num.11.* & firmavit Ro-
ta *cit. deciſ.1214. cor. Penia*, ubi de hæreditate relicta
Regulari cum poteſtate, quòd de ea ad arbitrium ſuum
abſque Superioris, & Conventus licentia, tamquàm li-
ber homo, perinde ac ſi profeſſus non eſſet, liberè diſpo-
nere poſſet. Verùm interpretatio Bartoli, quamvis com- 46
muniter ſit admiſſa, patitur non levem difficultatem,
cùm ſupponat, Monachum cùm licentia Superioris poſ-
ſe habere uſum ſtabilium, quod tamen non ſubſiſtit, ex
dictis, & Abbas *in cit. cap. Monachi nu.8.* illam tempe-
rat, ſi Monacho aliquid relinquatur ad uſum veſtimen-
torum, vel librorum; Proindè doctrina Bartoli poſt
Concilium vix defendi poteſt, ut advertit Fagnan. *loc.*
cit. num.24. & omni caſu non alias ſuſtineri valet, niſi
dicendo, quòd relictum Monacho cum prohibitione,
ut nihil acquiratur Monaſterio, intelligendum ſit, quòd
debeatur Monacho eo modo, quo ejus eſt capax; ipſe
autem non aliàs eſt capax vitalitii, aut alterius relicti,
niſi hoc incorporetur Monaſterio, & recta deferatur ad
Superiorem, à quo Monachus recipere debebit quan-
tùm ei opus eſt, & reliquum in Monaſterii uſus conver-
tendum, quo pacto verificari non poteſt conditio pro-
hibens aliquid Monaſterio acquiri, quantumvis ea be-
nignè interpretetur de commoditate, & uſu facti.
Tutiùs idcircò videtur recurrere ad impoſſibilitatem
conditionis, ex quo ipſa vitiata remaneat, firmo rema-
nente

Digitized by Google

nente legato favore Monachi, juxta ejus capacitatem
ſupra explicatam, ut conſiderat idem Fagn. *cit. cap.*
47 *Monachi nu.* 25. Unde conſiderari poſſunt plures ca-
ſus: primus eſt, ſi conditio expreſsè loquatur, quòd
legatum omninò etiam quoad dominium acquiratur
Monacho, & nullum jus competat Monaſterio; & tunc
conditio conſideranda eſt uti impoſſibilis de Jure, &
conſequenter vitiatur, ſed non vitiat legatum, ut dixi
Alter caſus eſt, dum conditio exprimit ſolùm, ut ni-
48 hil acquiratur Monaſterio, quo caſu intrare poteſt
doctrina Bartoli, ut conditio intelligatur de commodi-
tate rei legatæ; quamvis veriùs dicendum videatur,
conditionem eſſe rejiciendam uti impoſſibilem, ut ſupe-
riùs dixi; Impoſſibile enim eſt de Jure, ut adminiſtra-
tio, ſivè commoditas rei ſtabilis pertineat ad ſolum
Monachum, itaut nihil acquiratur Monaſterio, nec Su-
perior in hac re diſpenſare poteſt, obſtantibus præſer-
tim decretis Clementis VIII. quæ etiam in his lega-
tis ſub hac conditione conceptis, ſervanda eſſe cen-
ſuit Sac. Congr. Concil. in *Leodien. Annuæ præſtatio-
nis die 6. Junii* 1683. de qua mox infrà dicam; idque
etiam agnovit Nicol. *lib.* 2. *Inſtit. Civil. tit.* 20. *de le-
gatis n.* 43. *verſ. ſacra.* Donat. *in praxi Regular. par.*
4. *tract.* 15. *qu.* 13. *nu.* 1. Tondut. *qu. beneſ. tom.* 1. *c.*
96. *nu.* 35. Tertius caſus eſt, ſi præfatæ conditioni ap-
49 poſita fuerit pœna caducitatis, ut eſt caſus cit. *deciſ.*
405. *&* 410. *par.* 16. ubi novitius renuncians bonis,
ſibi reſervaverat vitalitium cum conditione, ut non
permittentibus Superioribus, ſeù Sede Apoſtolica, quòd
dictum vitalitium tam in totum, quàm in partem per-
veniret in utile, & commodum ipſius reſervantis,
tunc Religio nihil prætendere poſſet, ſed totum per-
tineret ad renunciatarium; Unde quæritur, an pœna
caducitatis ſuſtineatur. Certè autem non ſuſtinetur,
ſi in conditione expreſſum fuerit, ut res legata per-
tineat ad Monachum etiam quoad dominium; conditio
enim eſt turpis, & de Jure impoſſibilis; pœna autem
50 appoſita actui à legibus interdicto attendenda non eſt,
etiam neglecto teſtatoris præcepto, *leg. unica in fine
Cod. de his quæ pœnæ nomine.* Quòd ſi conditio ſit, ut
nihil acquiratur Monaſterio, itaut intelligi poſſit de ſo-
lo uſu rei legatæ, juxta doctrinam Bartoli ſopra ex-
poſitam; cenſet Sanchez *cit. cap.* 17. *nu.* 16. pœnam
ſuſtineri, itaut non permittente Superiore, prout ipſe
ſupponit permittere poſſe Monacho integrum uſum le-
gati, hoc caducetur, ac devolvatur ad ſubſtitutum,
cùm pœna adjecta ſit actui licito. Sed contrarium te-
nent Bartol. *in leg. Lucius Titius §. tres heredes num.*
3. *ff. ad Trebell.* Tapia *in auth. ingreſſi ver. ipſo in-
greſſu cap.* 3. *num. ult. Cod. de SS. Eccleſ.* Galganet. *de
condit. & demonſtr. par.* 2. *cap.* 5. *qu.* 11. *nu.* 8. & alii
apud eumdem Sanchez *nu.* 15. nam verè conditio, ut
nihil ex fructibus rei legatæ acquiratur Monaſterio,
eſt contraria diſpoſitioni Sacri Concilii, & decretis
Clementiis VIII. adeòque eſt turpis, & de Jure im-
poſſibilis, ac proinde pœna ipſi appoſita vitiatur,
quemadmodum vitiatur ipſa conditio; Quod etiam
51 ſentire viſa eſt Sac. Cong. Concilii in cit. *Leodien an-
nuæ præſtationis*, in qua Teſtator legaverat Conventui
Monialium pecuniam inveſtiendam, ſub conditione ut
tres Moniales ejus filiæ percipere poſſent eorum vita
durante tercentum florenos annuos pro ſuis neceſſitati-
bus, apponendo pœnam caducitatis in caſu contraven-
tionis; Moniales cupiebant acceptare legatum, at ve-
rebantur, ne permittendo particulare legatum factum
tribus Monialibus filiis Teſtatoris, vulneraretur ſtatus
vitæ communis, ideò ſupplicarunt, præfatis tribus
Monialibus permitti retentionem, & uſum annuæ præ-
ſtationis juxta mentem Teſtatoris, aut alio modo con-
ſuli indemnitati Monaſterii. Sacra Congregatio reſ-
pondit. *Monaſterium poſſe acceptare legatum, & quo-
ad legatum particulare ſervetur decretum ſa. me. Cle-
mentis VIII.* Idemque colligitur ex alia reſolutione in
Mantuana Adminiſtrationis, in qua Novitius pro-
feſſionem emiſſurus, teſtamentum condidit favore ter-
tii, ſibi reſervans annuam præſtationem, ad effectum
in ſui ſervitium erogandi, & diſponendi, abſque eo

quòd jus in favorem alicujus acquiri poſſet. cùm au-
tem ex dicta præſtatione acquiſiviſſet de conſenſu Supe-
riorum prædia, & cenſus, ejuſque Superiores intende-
rent incorporare Conventui annuam præſtationem, &
de adminiſtratis rationem exigere, ſupplicavit declara-
ri, *I. An dicta præſtatio annua reſervata, ſeu fructus
prædii, ob moroſitatem hæredis loco pecuniarum ſubro-
gati, ſpectent liberè ad Oratorem. II. An de redditibus
perceptis ex bonis poſteà acquiſitis, teneatur rationem
reddere.* Sac. Cong. *die* 28. *Novembr.* 1706. reſpondit
Ad I. Negativè, Ad II. Affirmativè.

Hæc equidem planè procedunt, ſi præfata conditio
appoſita ſit in legatis, aut ultimis voluntatibus; At ſi 52
apponatur in contractibus, qui per conditiones impoſ-
ſibiles vitiantur, juxta vulgatam differentiam inter con-
ditiones impoſſibiles appoſitas ultimis voluntatibus, ab
appoſitis contractibus, ut primo caſu vitientur, ſed
non vitient ultimas voluntates; ſecundo verò caſu vi-
tient contractus, *leg. impoſſibilis ff. de verb. oblig. leg.
ſi impoſſibilis ff. de fidejuſſor. leg. certi conditio §. item
quæritur ff. de rebus creditis*; ea præcipua ratione,
quia in contractibus duorum pluriumque conſenſus
concurrit, qui apponentes conditionem, quam im-
poſſibilem norunt, nihil agere, & actui conſentire
noluiſſe viſi ſunt, eiſque, ac maximè creditori im-
putandum eſt, quare ſub impoſſibili conditione contra-
xerit. At in ultimis voluntatibus, quæ unius perſonæ 53
conſenſu conſtant, placuit Prudentibus, conditionem
impoſſibilem per errorem, & ignorantiam, ab homine
cogitatione mortis turbato appoſitam cenſeri, *leg. ſer-
vum §. ſi in non faciendo ff. de hæred. inſtit. leg.* 3. *ff.
de condit. & demonſtr.* ac proinde voluntatem ſuſtine-
ri, rejecta condictione; eo vel maximè, quia Teſtato-
ris intereſt, voluntatem ſuam firmam eſſe, ut enim in-
quit Lipſius *in præfat. ad libr. de Cruce: Solatium fati
eſt voluntas ultra fatum*, latè ediſſerit *Duran. de con-
dit. impoſſib. par.* 2. *c.* 1. *nu.* 40. Quod igitur ad rem
præſentem attinet, dicendum videtur, quòd in jure vi-
talitio reſervato à Monacho ante profeſſionem, ſivè re-
ſervatio fiat in Teſtamento, ſivè in Renunciatione,
aliove actu, conditio quòd ex eo nihil acquiratur Mo-
naſterio, vitietur, ac vitalitium Monaſterio acquiratur
juxta diſpoſitionem Concilii, ut reſolutum refert Fagn.
c. inſinuante n. 23. *qui Cler. vel voven.* & in his termi-
nis procedit Rota *dec.* 405. *&* 410. *par.* 16. *recen.* Qui-
nimò ſi profeſſio ſub eadem conditione emittatur, quòd
hæc, uti contraria ſubſtantiæ profeſſionis ſponte ſua cor-
ruat, ac profeſſionem non vitiet, docet poſt alios Fag.
loc. cit. nu. 22. Thomaſſin. *de Beneſ. par.* 1. *lib.* 3. *c.*
21. *nu.* 12. & paſſim DD. *in cit. cap. inſinuante*, de
qua re nos alibi latiùs dicemus.

Cùm igitur annuas præſtationes reſervare non poſſint
Regulares, quin Monaſterio acquirantur, eique incor-
porentur, ac recta deferantur ad Superiorem, qui con- 54
ceſſo Regulari, cujus intuitu facta eſt reſervatio, quan-
tùm ei neceſſarium fuerit, reliquum in communes Mo-
naſterii uſus poteſt convertere, ſequitur quòd eædem
præſtationes à Regulari, ſivè Moniali cedi, aut do-
nari non poſſint in præjudicium Monaſterii, De Lu-
ca ad Olcam *de ceſſion. Jur. qu.* 63. *per tot.* Rota *dec.*
610. *nu.* 8. *cum ſeqq. cor. Cerro*, *deciſ.* 508. *nu.* 3.
cor. Bichio. concurrente rursùs in Monialibus alia ra-
tione, quia ſcilicet in eis vitalitium regulariter cenſe-
tur pars dotis, ut diximus ſupra *n.* 35. Nec quidem 55
videtur admittenda diſtinctio, quam facit Rota *cit.
dec.* 610. *nu.* 9. inter annuam præſtationem abſolutè re-
ſervatam, & eam quæ reſervatur cum conditione, ut
nihil acquiratur Monaſterio; itaut hoc ſecundo caſu ce-
di poſſit, cùm non adſit præjudicium Monaſterii. Et-
enim malè ſupponitur, poſſe Regularem vitalitium ob-
tinere, & illud Monaſterio non acquiri; conditio enim
quod nihil Monaſterio acquiratur, vel vitiat legatum,
vel potiùs reiicitur uti turpis, & de Jure impoſſibi-
lis; unde cùm ipſa impedire non valeat, quin acqui-
ſitio etiam quoad adminiſtrationem, & uſum fiat favo-
re Monaſterii, ut ſupra dixi, ſequitur quod non ſubſiſtat
ratio diſtinctionis, & proinde nec ipſa diſtinctio, quam

nec admittit Card. de Luca *de dote diſcurſ.* 167. *n.* 15.
quidquid ſit dum vitalitium relictum fuerit ab hærede
præſtandum, quotieſcumque à Monacho reſervatario
requiratur, ut apud Capon. *tom.* 2. *diſcept.* 97. Portò
56 in hac re diſtinguendum eſt inter ipſum jus vitalitium,
& ejus utilitatem, ſeù fructus; illud enim certè cedi,
aut donari non poteſt; cadente ſolùm aliquo dubio,
an ejus alienatio valida ſit cum ſola licentia Superioris
ſivè potius requiratur beneplacitum Apoſtolicum, ut-
potè comprehenſum ſub prohibita alienatione *Extrav.
Ambitioſæ*, ſub qua comprehenduntur jura, annui red-
ditus, & nomina debitorum, quæ loco immobilium
habentur, *Quaran. in ſumm. Bullar. ver. alienatio n.* 26.
qua ratione jura vitalitia non poſſe cedi cum ſolo
conſenſu Superioris, tenent Bordon. *reſol.* 26. *num.*
40. *tom.* 4. Capon. *tom.* 2. *diſcept.* 94. *n.* 37. Card. de
Luca *de alienat. diſc.* 12. *nu.* 1. *&* Quòd ſi de annuali-
tatibus, ſeù fructibus vitalitii loquamur, hæ quamvis
ſub prohibita alienatione non cadant, ac proinde alie-
57 nari poſſint ſine beneplacito Apoſtolico, in quo ſenſu
ſumendus eſt Molpheſ. *tract.* 7. *cap.* 2. *de pœn. nu.* 49.
& ſeq. Capon. *cit. diſc.* 97. *nu.* 21. Card. de Luca *cit.
diſc.* 12. *nu.* 13. non tamen cedi valent per Regularem,
aut Monialem abſque conſenſo Superioris, aut Mona-
ſterii, de cujus intereſſe agitur, tum pro vitando da-
mno, ne ſcilicet Regulari, qui fructus vitalitii ceſſit te-
neatur ſuppeditare neceſſaria, quibus conſulere valuiſſet
cum dictis fructibus, ut conſiderat Card. de Luca *de
dote diſc.* 167. *n.* 15. tum fortiùs, & veriùs, quia niſi
ſtatum paupertatis peſſundare velimus, hæc jura vitali-
tia omninò dici debent acquiſita, & incorporata Mona-
ſterio etiam quoad adminiſtrationem, & uſum, nec de
fructibus diſponere poteſt Regularis, niſi quatenus ei à
Superiore concedatur pro uſibus neceſſariis, & Religio-
ſis, ut ſupra diximus; Et quamvis ex conſuetudine,
ſeù abuſu adminiſtratio relinquatur ipſi Regulari; hìc
tamen non aliàs ſe purgare valet à vitio proprietatis, ni-
ſi dicendo cum authoritate aliquorum laxiorum Mora-
liſtarum, ſe fructus vitalitii percipere, & religioſis uſi-
bus applicare ex licentia Superioris ſaltem tacita; unde
non video quomodo Regularis abſque licentia expreſ-
58 ſa, aut tacita poſſit cedere annualitates, ſeu fructus
vitalitii; nec licentia inſumendi fructus in uſus Religio-
ſos poteſt ſuffragari pro ceſſione reſpectu perſonæ extra-
neæ, aut etiam conſanguineæ. Ex his etiam corruit ſen-
tentia Card. de Luca *cit. n.* 15. *§. mihi*, *& de Regul. di-
ſcur.* 56. aliorumque, quos citat D. Urſaya *in opuſ. de
Lavellis cap.* 1. *§.* 18. *num.* 30. hæc ſolùm admitten-
tium in fructibus, ſeù annulitatibus pro tempore futu-
ro, non autem pro decurſis, & non exactis, in quo-
rum ceſſione licentiam Monaſterii non requiri cenſet,
ſequutus Dian. *par.* 1. *tract.* 6. *reſol.* 19. Nam ſemper
urget, quòd uſus vitalitii conceſſus Regulari pro Reli-
gioſis indigentiis, cum non purgat à vitio proprietatis,
niſi ob licentiam Superioris, qua ceſſante, ceſſat om-
nes proprietatis palliamentum; multò minus igitur po
terit Regularis ſine Superioris licentia abuti vitalitio,
ejus fructus, ſeu annualitates cedendo, etſi decurſas, &
non exactas, in quibus Superior jus habet exigendi,
Conventuique incorporandi, ac inſumendi etiam in
communes uſus, quod agnovit idem Card. de Luca *diſc.*
57. *n.* 5. *de Regul.* nec in effectu contrarium ſentit Dian.
loc. cit. qui dubitat, an Religioſus de vitalitio ad ſuum
uſum reſervato, poſſit parciùs vivendo aliis donare;
& quamvis juxta aliquorum ſententiam id permittat,
cùm alioqui maximè obſtent Conſtitutiones Clementis
VIII. & Urbani VIII. de Largitione Munerum; con-
cludit tamen id non aliàs licitum fore, niſi cum licen-
tia ſaltem tacita Superioris. Quinimò in his annualita-
tibus decurſis, & non exactis, præcipuè ſi ad notabi-
59 lem ſummam aſcendant, Regularis non ſolùm deſtitui-
tur jure cedendi, ſed nec eas ſibi exigere poteſt ex ſola
licentia habendi uſum annualitatum, quæ tantùm ſuf-
fragatur pro ea moderata quantitate, qua Regulares
indigent pro Religioſis, & quotidianis uſibus, non
autem in notabili maſſa conflata ex decurſis annuali-
tatibus, ut rectè advertit idem Card. de Luca *citat.
diſc.* 57. *num.* 5. *§. non tamen.* Unde dicendum eſt,
has annualitates decurſas integrè deberi Monaſterio,
niſi forſan Regularis pro ſuis Religioſis indigentiis de-
bita contraxiſſet diſſolvenda ex iiſdem annulitatibus exi-
gendis. Cadente ſolùm aliquo dubio cuinam Mona- 60
ſterio hæ annualitates acquirantur, in qua re, niſi
adſint peculiaria ſtatuta Religionum, prout eſt in ea
Theatinorum, in qua ſemper acquiruntur Conventui
profeſſionis, ut ex Capitulo Generali celebrato de an-
no 1610. refert Capon. *diſcept.* 97. *n.* 20. & quòd ho-
die Theatinis permittatur uſus vitalitiorum olim per
Conſtitutiones prohibitus, refertur in folio S. Congr.
Concil. in una *Theatinorum facultatis alienandi* 28.
Januarii 1679. Niſi, inquam, adſint peculiaria Reli-
gionum ſtatuta, veriùs eſt deberi illi Conventui, in quo
Regularis degit, cùm hæ annualitates ſint perſonales,
& ſequantur perſonam Religioſi, Card. de Luca *cit.
diſc.* 57. *nu.* 19. & reſolvit Congregatio particularis de-
putata aliquorum Prælatorum, inter quos ego inter-
fui, in *Romana annui redditus* 7. *Junii* 1707. ubi age-
batur de annua præſtatione relicta Religioſo Carmeli
tano, poſt cujus mortem ſubſtitutus fuerat Conven-
tus, in quo eſſet filius; fuitque reſolutum, d. præſta-
tionem poſt mortem Religioſi ſpectare ad Conventum,
cujus erit filius; ipſo autem vivente in futurum ad Con-
ventum, in quo moratur, & pro tempore moram tra-
xerit.

Quæ autem dicebamus, ut annualitates vitalitii ce-
di non poſſint à Religioſo ſine licentia Superioris, 61
procedunt etiam ſi vitalitium obtineat ex Indulto Apo-
ſtolico, quo, niſi id expreſsè conceſſum fuerit, non
poterit de fructibus diſponere, niſi ad uſus permiſ-
ſos, Rota *dec.* 508. *cor. Bichio*; licentiam enim Regu-
lari, ſeù Moniali conceſſa habendi vitalitium ad unum
uſum, ſuffragari, aut extendi ad alium non valet;
adeòut nec ex fructibus, quas honeſtè conſumere pote- 62
rat, aliud vitalitium, cenſum, aut ſtabile emere valeat,
Rodriq. *qu. Regul. tom.* 3. *qu.* 29. *art.* 10. Navarr. *in
comment. de regular. in cap. non dicatis* 12. *q.* 1. *n.* 45.
Rota *cit. dec.* 108. *n.* 8. *cum ſeqq.* Unde apparet quam
leviter Capon. *tom.* 2. *diſcept.* 129. conſuluerit cuidam
Regulari, licitum ei eſſe abſque Superioris licentia con-
vertere peculium ducatorum quinquemillium in emptio-
nem ſtabilis, quod emptum appareret in perſonam ter-
tii ſæcularis, idque eo fine, ut ſi eidem Regulari legi-
timè à Religione exire contingeret, poſſet faciliùs obti-
nere à Superioribus licentiam retentionis illius peculii;
nititur autem pluribus fucatis rationibus, præſertim in
licentia tacita & præſumpta; ſed certè quomodo præ-
ſumi poteſt licentia, quæ expreſsè à Superiore denega-
retur, ſi peteretur. Alioqui autem cum Regularis om-
ninò incapax ſit dominii, & proprietas, & totum ac-
quirat Monaſterio, non poteſt peculii dominium in a-
lium transferre donando, aut aliàs contrahendo Rota 63
deciſ. 1278. *n.* 4. *& ſeqq. cor. Emer. Jun. & in Lithu-
bana donationis* 5. *Maii* 1688. *cor. Card. Caccia*, *&*
10. *Maii* 1698. *cor. Urſino*, *& in Romana pecuniaria*
15. *Januar.* 1706. *cor. Nuto*, *&* 22. *Martii* 1706. *cor.
Eminentiſs. D. Card. Caprara*, in quibus reſolutum
fuit, loca Montium empta à Regulari ex pecuniis ad
ſui creditum depoſitis in Sac. Monte Pietatis, ad favo-
rem perſonæ ſæcularis, transferenda eſſe in Monaſte-
rium, ipſique deberi fructus uſq; ab initio; quinimò
loca Montium ſtatim ac fuit facta emptio, Monaſterio
quæſita fuiſſe, nam quamvis res empta cum aliena pe-
cunia acquiratur emptori, qui tantum remanet debi-
tor pretii; id tamen fallit in Eccleſia, prout etiam in 64
Militibus, Minoribus, & Mulieribus, quibus arbi-
trium eſt pecunias repetere, aut res ſuis pecuniis em-
ptas retinere, Merlin. Pignatell. *cent.* 2. *c.* 67. *n.* 30. Ro-
ta *dec.* 391. *n.* 23. *par.* 17. *rec.* & in terminis emptio-
nis factæ à Regulari favore tertii, Rota *deciſ.* 99. *cor.
Buratt. citat. dec.* 508. *cor. Bichio cit. dec.* 1278. *num.*
4. *cor. Emerix Jun.* & plenè in *cit. Romana pecuniaria
§. idque cor. Muto.*

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO VI.

BENEDICTI XII.

incipiens. (*Ad decorem.*)

EPITOME BULLÆ

BENEDICTUS, &c. AD PERPETUAM Rei Memoriam.

PLura hìc Pontifex præſcribit pro ſpirituali, & temporali gubernio Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini; ac præ cœteris diſtrictè prohibet alienari, aut obligari bona ſtabilia, etiam in caſu aliàs à Jure conceſſo, niſi cum expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *De Ordine Canonicorum Regularium nonnulla adducuntur.*

2 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione quoad eumdem Ordinem.*

3 *Enunciantur item, quæ in eadem Conſtitutione diſponuntur quoad alienationem ſtabilium ipſius Ordinis.*

4 *Regulares quoad alienationem ſtabilium comprehenduntur ſub* Extrav. Ambitioſæ.

5 *Adducitur per extenſum Decretum Urbanum* De rebus Regular. non alienan.

6 *Sub hoc Decreto non comprehenduntur Religiones incapaces ſtabilium.*

7 *Minores Obſervantes, & Capuccini alienare ſine beneplacito poſſunt ſtabilia modo licito eis relicta.*

8 *Sub Decreto Urbano comprehenduntur mobilia pretioſa, libri, & picturæ magni valoris.*
Et hæc mobilia non poſſunt ſine beneplacito alienari per Religiones in communi incapaces Ibidem.

9 *Quod præſertim comprobatur quoad Theatinos, & Minores Obſervantes.*

10 *Theatini quo jure ſint ſtabilium in communi incapaces.*

11 *Stabilia ipſi alienare poſſunt ſine Beneplacito Apoſtolico.*

12 *Sunt capaces acquirendi ſtabilia ad effectum vendendi.*

13 *Theatini alienare non poſſunt ſtabilia acquiſita pro Sacriſtia, aut Fabrica.*
Itemque nec villas, aut hortos recreationis cauſa acquiſitos. Ibid.

14 *Poterunt tamen alienare ſtabilia acquiſita pro Fabrica, aut Sacriſtia, ſi ceſſet cauſa acquiſitionis.*

15 *Theatini non poſſunt alienare ſtabilia acquiſita cum onere Miſſarum perpetuò, cujus hodie ſunt capaces.*

16 *Theatini, ſi recedant ab inſtituto retinendi ſtabilia, non poſſunt hæc alienare ſine beneplacito.*

17 *Receſſus ab aliquo Inſtituto non præſumitur, ſed probandus eſt.*

18 *Theatini quatenus ab inſtituto non poſſidendi ſtabilia receſſiſſe cenſeantur.*

19 *Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu quam facultatem habeat in adminiſtratione Collegiorum, & bonorum Societatis.*

20 *Domus Profeſſæ Societatis Jeſu poſſunt alienare ſtabilia ſine Beneplacito Apoſtolico.*

21 *Sub Decreto Urbani comprehenduntur etiam Carmelitæ, Diſcalceati, itemq; Moniales Convertitæ, & Turris Speculorum.*

22 *Regulares non ſervantes in alienationibus Decretum Urbani, incidunt ipſo facto in cenſuras.*

23 *Nec requiritur declaratoria, niſi quoad forum externum.*

24 *Harum cenſurarum abſolutio reſervata eſt ſoli Sedi Apoſtolicæ.*

25 *Regulares non poſſunt accipere pecunias mutuò, vel ad cambium cum ſolutione alicujus lucri, vel cum obligatione bonorum.*
Itemque quatenus valeant recipere pecuniam ad Cenſum Vitalitium. Ibid.

26 *Hypotheca generalis an comprehendatur ſub Decreto Urbano.*

27 *Affertur quoad hunc articulum varius ſenſus Sacræ Rotæ.*

28 *Sententia Negativa recipitur, & pluribus rationibus comprobatur.*

29 *Hypotheca generalis non comprehenditur ſub* Extravag. Ambitioſæ.

30 *Vigore hypothecæ generalis non poſſunt ſubhaſtari bona Eccleſiæ, niſi cum Beneplacito Apoſtolico.*

31 *Hypotheca generalis favore Eccleſiæ conſtituta poteſt ab ea remitti ſine Aſſenſu Apoſtolico.*
Secus autem in hypotheca ſpeciali, excepto caſu ceſſionis neceſſariæ. Ibid.

32 *Alienationes inter unam Eccleſiam, & aliam non indigere Beneplacito Apoſtolico, aliqui dixerunt.*

33 *Itemque nec inter Monaſteria ejuſdem Ordinis.*

34 *Contrarium veriùs eſſe comprobatur.*

35 *Idemque procedere dicitur, ſi alienatio fiat inter Capellas, ſeu Beneficiatos ejuſdem Eccleſiæ.*

36 *Similiter in alienationibus, quæ fiunt ex uno in aliud Monaſterium ejuſdem Ordinis.*

37 *Diviſio bonorum inter Abbatem, & Conventum non ſuſtinetur ſine Aſſenſu Apoſtolico.*

38 *Prælatus Regularis non poteſt fructus Monaſterii divitis applicare in extinctionem debitorum Monaſterii pauperis.*

39 *Epiſcopus non poteſt ſine Beneplacito Apoſtolico concedere Capitulo bona Menſæ Epiſcopali.*

40 *Explicantur Auctores contrarium ſentientes.*

41 *Regulares pro obtinendo Beneplacito Apoſtolico in alienationibus, non opus eſt ut expediant Breve.*

42 *Concedere Regularibus licentias pro alienationibus pertinet ad Sacram Congregationem Concilii.*

REgularis obſervantiæ aſſertor, ac ſtudioſiſſimus inſtaurator Benedictus XII. poſtquam ſuos Ciſter- 1
cienſes, & Monachos Nigros S. Benedicti ad priſtinum Regulæ nitorem, ſaluberrimis addictis ordinationibus, reſtituerat; non diſſimili tandem conatu Canonicorum Regularium reformationem aggreditur; Horum quippè inclitus Ordo, qui ab Apoſtolis primò inſtitutus, & à D. Auguſtino ad vitam communem redactus, ſub Ivone Carnotenſi refloreſcere cœpit, ut ex Sigeberto *t. 8. ſpicil. fol.* 161. refert Thomaſſin. *de Benefic. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 8. ac de ejus origine, & progreſſu latè dixi *t.* 1. *ad Conſt.* 2. Paſchalis II. Quamvis propriis regeretur Regulis, ex ea præſertim D. Auguſtini excerptis; in pluribus tamen ad Ordinis utilitatem, aut neceſſitatem pertinentibus, ſupplemento, aut reformatione indigere comperiebatur. Idcirco Pontifex, paſtoralis ſolicitudinis partes indeſinenter implens, præſentem edidit Conſtitutionem Avenione Idibus Maii 1339. in qua per ſexagintaquatuor capi- 2
ta, plura diſponuntur, quæ præſertim ad Superiorum electiones, Capitulorum convocationem, bonorumque adminiſtrationem pertinent. Cùm autem, quæ in hac Conſtitutione diſponuntur, potiſſimum immutata ſint in *Conſt.* 7. Martini V. *incip. Sollicitudinis*, & *Conſtit.* 10. Sixti IV. *incip. Etſi cunctis*; præſertim cum 3

malis Ordo in varias Congregationes partitus fuerit,
gubernium ſpeciale agnoſcentes; Ideirco opportunè
ibi remittendo, quæ hic ſpecialiter dicenda eſſent,
nonnulla exponemus ad intellectum §. 42. in quo pro-
hibetur, ne Civitas, Caſtrum, Villa, vel Feudum
notabile, aut juriſdictio alicujus ipſorum, vel Grancia,
ſeu locus, territorium, ſivè magnus poſſeſſionum, vel
terrarum numerus, vendi, vel etiam principaliter, &
expreſsè obligari, vel Monaſterium, ſeu Priora-
tus, aut Ecelesia Religionis ejuſdem in alium tran-
sferri valeant per quotcumque etiam in caſu aliàs
à Jure conceſſo, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſto-
licæ. In ſuperiùs autem *citat. Conſtitut.* 10. Sixti IV.
circa idem aliàs diſponitur, quòd ad hoc ut eadem Re-
ligio uberiori facultate circa utilitatem, & commodum
Monaſteriorum, Ecclesiarum, ſivè locorum ſuorum, ac
illorum jurium gaudeat, Capitulum generale, ac Rector
Major concedere poſſint Præpoſitis, Abbatibus, Prio-
ribus,, ſivè Capitulis Ecclesiarum, Monaſteriorum,
&' locorum ſuorum licentiam permutandi, ſeu alienan-
di, quoties opus fuerit, quæcumque bona immobilia,
pro evidenti utilitate.

Ad plenam horum intelligentiam, altiùs hic repe-
4 tenda ſunt, quæ circa formam in alienationibus bono-
rum, à Regularibus ſervandam, attigimus *tomo* 1. *ad
Conſtit.* 1. D. Leonis *ſect.* 3. *num.* 2. Suppoſitis enim
ibi fusè dictis quoad formam, & ſolemnitates in qua-
cumque bonorum Ecclesiæ alienatione requiſitas: quod
ſpecialiter ad Regulares attinet, ipſi quamvis littera-
liter comprehenderentur ſub diſpoſitione *Extravag.
Ambitioſa de reb. Eccleſ. non alien.* ut ſcilicet alienare
non poſſent, niſi priùs obtento beneplacito Apoſtolico
Nihilominùs cum ferè omnes Regulares privilegia ob-
tinuiſſent, ſine præfato beneplacito alienandi, cum de-
rogatione ejuſdem Extravagantis, prout commemorant
Rodriquez *quæſt. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 27. *nu.* 3. Suarez
de Relig. tom. 4. *lib.* 2. c. 28. *num.* 13. Tamburin. *de
Jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 13. *qu.* 6. *nu.* 6. proindeque
non rarò fieret, ut Monaſteriorum bona nulla neceſſi-
tate, aut utilitate impellente ex Superiorum placito
diſtraherentur; quod quidem in Monaſteriorum perni-
ciem, & Regularis obſervantiæ ſubverſionem cedere
conſiderans ſan. me. Urbanus VIII. juſſit per Sacr.
5 Congregationem Concilii edi Decretum, vulgò di-
ctum, de rebus Regularium non alienandis, quod ex
t. 12. *Regeſt. ejuſdem S. Congr. fol.* 186. hic tranſcribo:
*Sacra, &c. Rerum experimento edocta, quantùm Religio-
nes accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, &
pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebro fa-
ciunt Regulares, Apoſtolicis privilegiis innixi, ac pro-
inde operæ pretium putans, illorum facilitatem aliqua
ratione compeſcere: ſpeciali Sanctiſſimi D. N. juſſu, Ge-
neralibus, vel Provincialibus Capitulis, vel Congrega-
tionibus, Abbatibus; Generalibus, & quibuſcumque a-
liis Superioribus Regularibus cujuſvis Ordinis, Congre-
gationis, Societatis, vel inſtituti; intra fines Europæ
exiſtentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium,
ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pa-
ctum, per quod ipſorum dominium transfertur, cen-
ſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypotecam, locationem,
& conductionem ultra triennium, conceſſionem in feu-
dum, vel emphyteuſim, præterquam in caſibus à Ju-
re permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atque interdi-
cit, abſque ipſius Congregationis Concilii expreſſa li-
centia in ſcriptis, & gratis concedenda; ſub pœna
privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt;
vociſque activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis
ad illa impoſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque
alia declaratione incurrant; ſublata etiam Generali,
& Protetori illam moderandi, aut relaxandi faculta-
te: pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum,
& præſertim fel. record. Pauli II. quæ incip. Ambi-
tioſæ, in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò,
pacta, cenſus, hypotecas, locationes, conductiones, &
conceſſiones quaſcumque contra hujuſmodi prohibitionem
faciendas, Sanctitatis ſuæ auctoritate, ipſo jure nullas
atque irritas decernit. Non obſtantibus Conſtitutioni-
bus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarum-
cumque perſonarum, atque Ordinum tàm Mendican-
tium, quam non Mendicantium, Militarium etiam
S. Jo: Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum,
ac cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in
individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum,
Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quo-
rumcumque, necnon illorum etiam juramento, confir-
matione Apoſtolica, vel quamvis firmitate aliàs robo-
ratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemora-
bilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis
ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſ-
cumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque ef-
ficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus
decretis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de
Apoſtolica poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodoli-
bet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis
conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis,
etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eo-
rundem totis tenoribus, ac formis, ſpecialis, & in-
dividua, ac de verbo ad verbum, non autem per
clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæ-
vis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita for-
ma ſervanda eſſet; tenores hujuſmodi præſentibus pro
expreſſis habentes, quibus quoad ea, quæ præſenti decre-
to, ac prohibitioni adverſantur, illis aliàs in ſuo robore
permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè Sanctitatis ſuæ au-
thoritate derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.
Datum Romæ die 7. Septembris Anno 1624.*

Ex quo ſanè decreto, quamvis alienandi ſine Bene-
placito Apoſtolico facultas Regularibus ſublata fuerit, 6
quia tamen ipſis alienare permiſſum erat, nedum ex
præfatis privilegiis, ſed ex datu aliquarum Religio-
num, quæ utpotè etiam in communi incapaces, ſta-
bilia non aliàs acquirunt, vel acquirere poſſunt, niſi ad
effectum alienandi, & prætium erogandi in religioſas
neceſſitates: Hinc quippè factum eſt, ut iis Religio-
nibus, quæ ante eumdem decretum erant, modòque
ſunt ſtabilium capaces, facultas ſine aſſenſu Apoſtolico
alienandi non ſuffragatur; ſuffragari autem iis, qui-
bus non quidem ex privilegiis, ſed ob ſtabilium in-
capacitatem alienatio permiſſa, ſeu potius neceſſaria
eſt, ut communiter docent DD. apud Sanchez *ad præ-
cept. decal. libr.* 7. *cap.* 26. *num.* 30. Molina *de Juſtit.
diſp.* 224. Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 23. *q.*
11. Gratian. *diſcept.* 202. *num.* 37. Aldan. *in Compen.
Canon. lib.* 3. *tit.* 8. *n.* 16. Urſell. *in Exam. Apum con-
cluſ.* 85. *nu.* 291. Capon. *contr. foren.* 1. *n.* 54. *& ſeqq.*
& dixi *cit. Conſt.* 1. D. Leonis *ſect.* 4. *nu.* 37. Et no-
viſſimè, me citato, firmavit Rota *in Neapolitana Præ-
lationis die* 11. *Maii* 1708. §. *quandoquidem*, *& die* 10.
Junii 1709. §. *quod enim cor. R. P. D. Molines Deca-
no*. Hoc autem, quod generaliter de Jure certum, fir-
mumque eſt, pariter nonnullas in particulari difficultates
cùm Religionum in communi incapacium non idem ſit
ſtatus; pro majori idcirco hujus materiæ claritate, non
leve operis pretium eſſe duxi, eaſdem Religiones ſin-
gillatim conſiderare.

Occurrunt etenim primò Minores Obſervantes, &
Cappuccini, de quibus numquam dubitari occurrit, an 7
ſub præfato decreto comprehendantur; Etenim cùm
ſub altiſſima, & verè Seraphica paupertate vivant, ſta-
bilium omninò ſunt incapaces, ut declaravit Sac. Con-
cil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 3. & plenè dixi *to.* 2.
ad Conſt. 5. Honorii III. *ſect.* 4. *per tot. & tom.* 3. *ad
Conſt.* 4. Innoc. IV. *ſect.* 1. *& hoc tomo ad Conſt. III.*
Joannis XXII. *n.* 43. *& ſeqq.* Ideòque legata modo li-
cito eis facta, alienari poſſunt nullo Beneplacito Apo-
ſtolico requiſito, ut in ſpecie advertit Card. de Luca *de
alienat. prohibit. diſc.* 9. *n.* 5. ac pariter dixi ad *cit. Conſt.*
1. D. Leonis *ſect.* 4. *nu.* 40. Attamen cùm ſub eodem 8
decreto comprehendantur non ſolùm immobilia, ſed
etiam mobilia pretioſa, quinimò etiam libri manu-
ſcripti antiqui, ac pretioſi, itemque picturæ magni va-
loris, ut reſpondit S. Cong. Conc. in *Florentina* 23. *Fe-
bruar.* 1647. cùmque aliquæ Religiones quantumvis in
communi incapaces, mobilia pretioſa retinere valeant,

ſequi-

Digitized by Google

ſequitur ea alienare non poſſe abſq; Aſſenſu Apoſtolico, & alienantes incurrere pœnas à Jure ſtatutas, ut notat Ventrigl. *in prax. par.* 1. *c.* 1. §. 4. *n.* 4. Barb. *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 95. *n.* 59. Giballin. *de negot. t.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *art.* 4. *conſect.* 4. *verſ. addit*, & quoad Theatinos tradit Del Bene *de Immun. t.* 2. *c.* 17. *dub.* 22. *numer.* 30. *cum ſeqq.* Peregrin. *in Compend. privil. verſ. Alienatio*, quidquid oſcitanter dixerit Novar. *in ſumma Bullar. par.* 1. *comment.* 6. *nu.* 19. *in fine*, cui adhæret Diana *oper. Moral. to.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 6. Caſtropal. *oper. mor. t.* 2. *tr.* 12. *punct.* 15. §. 1. *nu.* 13. Etenim vera ratio cur Theatini, aliique ſtabilium inca-
9 paces, non comprehendantur ſub decreto de rebus Regularium non alienandis, eſt ipſa incapacitas, quæ utpotè reſtricta ad ſtabilia, non valet præbere cauſam neceſſariam alienationi Mobilium; Unde eſt, quòd dum S. C. declaravit, Theatinos non comprehendi ſub dicto decreto, id reſtrinxit ad ſtabilia, ut mox infrà dicam; quod etiam ad evidentiam comprobatur ex eo, quoad eadem Sacra Congr. ſub *die* 15. *Aprilis* 1628. concesſerit Theatinis facultatem hypothecandi, & alienandi bona mobilia pretioſa in caſu neceſſitatis uſque ad ſummam ſcutorum vigintiquinque, cui quidem conceſſioni Sanctiſ. annuit; ut refertur *lib.* 13. *Decr. pag.* 434 *à tergo*. Accedit quod incapacitas Theatinorum non eſt major, imò longè minor ea Minorum Obſervantium qui tamen mobilia pretioſa alienare non poſſunt ſine Aſſenſu Apoſtolico, ut declaravit eadem Sac. Cong. in *Segnien. alienationis mobilium pretioſorum, die* 15. *Martii* 1692. in qua cùm proponeretur, Miniſtrum Provincialem Minorum Obſervantium Provinciæ Croatiæ, cum conſenſu Diffinitorii, & approbatione Capituli Generalis, bona fide ſine aſſenſu Apoſtolico alienaſſe ex Sacrario Eccleſiæ B. Mariæ Tartactenſis (ubi triennio ſteterat B. Virgo Lauretana) Calices, Patenas, & alia mobilia pretioſiora gemmis, & auro contexta, eò potiſſimum quia mobilia pervetuſta erant, nec quotidiano uſui accomodata, eorumque pretium in Provincialium Conventuum egeſtates, & in uſualia ipſius Eccleſiæ ornamenta erogaſſet: propoſitis idcirco dubiis, *I. An dicta alienatio mobilium pretioſorum fuerit, & ſit valida. II. An alienans ſine Beneplacito Apoſtolico aliquam pœnam inciderit*. Sac. Congr. reſpondit, *Ad* 1. *Negativè*. *Ad* 2. *incidiſſe in pœnas Sac. Canonum, Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Decreti. ſa. m. Urbani VIII. & pro abſolutione ſupplicet Sanctiſſimo*.

De Theatinis, ſtatim ac prodiit præfatum Decretum
10 Urbani VIII. dubitatum fuit, an ſub eo comprehenſi cenſerentur. Dubitandi ratio erat, quòd ipſe nec per profeſſionem, nec per Sac. Canones ſtabilia in communi poſſidere prohibentur, quinimò id eis permittitur à Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 3. tametſi voluntariè, abſque ullo obligationis vinculo, ſe à ſtabilium poſſeſſione abſtineant, ut habetur ex eorum Conſtitutionibus *par.* 2. *c.* 1. quarum particula refertur à Rota *deciſ.* 698. *in fine cor. Pœnia, & Bonden. collect. legali* 8. *nu.* 29. *& ſeqq.* Verùm quamvis ipſi ſtabilium poſſeſſionem voluntariè abdicent, in effectu tamen quoad alienandi facultatem exæquantur iis Religionibus, quæ ſtabilium de Jure ſunt incapaces; etenim alienatio ſemper ex cauſa neceſſaria oriri cenſetur, ſi ex ſtabilium incapacitate oriatur, ſivè hæc de Jure indicta ſit, ſivè ex majori Religionis perfectione recepta. Un-
11 de eadem Sac. Congr. ſub *die* 14. *Decembris* 1624. ſuper hac re conſulta, reſpondit, *Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, ſecundum ea, quæ proponuntur, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita, de rebus Regularium non alienandis*, ut habetur *lib.* 12. *Decret. fol.* 219. Idemque reſpondit in alio ſimili decreto apud Corrad. *in prax. diſpenſ. lib.* 9. *cap.* 1. *nu.* 13. Novar. *cit. Comment.* 6. *nu.* 19. Pignatell. *tom.* 1. *conſul.* 289. *nu.* 1. Del Bene *cit. dubit.* 22. *num.* 28. in quo cùm ex parte Præpoſiti Generalis Theatinorum porrectus eidem Sac. Congregationis fuiſſet libellus tenoris ſequentis. *Generalis Theatinorum Regularium exponit humiliter, qualiter ejus Religio nullo unquam tempore poſſedit bona aliqua immobilia, animo ea retinendi, cum id expreſsè prohibeant Conſtitutiones ejuſdem Religionis: à tali enim poſſeſſione voluntariè abſtinet, quò liberius, & promptius paupertatem Chriſti Domini imitetur. Et licèt ſtabile quoddam Panormi eidem Religioni relictum, non alienatum ſit, hoc fuit inopia emptorum, & multitudine litium. Nunc verò temporis Propoſito Domus ejuſdem dictæ Civitatis injunctum eſt à Capitulo generali, ut quàmcitiſſimè quocumque modo illud vendat, & quocumque pretio. Quapropter humiliter eadem Religio poſtulat ab hac Sac. Congregatione declarari, non comprehendi ſub prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, promittendo, prout opus eſt nunc & in futurum juxta formam Conſtitutionum ejuſdem Religionis, firmiter obſervaturam ſupradictum Inſtitutum, nec ullo unquam tempore recepturam, ſeù accepturam bona aliqua immobilia titulo vel eleemoſynæ, vel emptionis, vel quocumque alio, niſi ad effectum ea vendendi, vel pro uſu Fabricæ Eccleſiæ, ſeù Monaſterii, & in tantum intendit tale decretum gratioſum ſibi ſuffragari, in quantum hujuſmodi inſtitutum eſt ſervatura. Super qua petitione factum fuit Decretum tenoris ſequentis. Sacra Congregatio cenſuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quandiu Inſtitutum ſuperius propoſitum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis*.

Cùm igitur Theatini ex eorum Conſtitutionibus vo-
luntariè abſtineant à poſſeſſione ſtabilium, ſequitur ip- 12
ſos eſſe capaces acquirendi ad effectum vendendi, tum titulo hæreditatis, & legati, aliove contractu oneroſo, vel lucrativo; tum titulo ſucceſſionis ex perſona profeſſorum, ut diximus *tom.* 3. *ad citat. Conſtit.* 1. Clem. IV. *ſect.* 1. *nu.* 7. & tradunt Scoppa *ad C. Fabrian. lib.* 1. *tit.* 3. *explanat.* 31. *num.* 13. Rota *in Romana legati die* 12. *Junii* 1690. *cum aliis confirmatoriis cor. Priolo*. Ipſorum enim Conſtitutiones abdicant ſolam poſſeſſionem, & retentionem ſtabilium, non autem acquiſitionem ad effectum vendendi. Ex quo ſequitur, ipſis eadem ſtabilia abſque aſſenſu Apoſtolico alienare permiſſum eſſe, ut ultra citatos tradunt Capon. *t.* 3. *diſcept.* 157. *nu.* 6. Panimoll. *deciſ.* 60. *annot.* 3. *n.* 40. *tom.* 2. Pignatell. *conſultat.* 28. *num.* 5. *tom.* 10. & me citato, plenè firmavit Rota *in citat. Neapolitana Prælationis die* 11. *Maii* 1708. §. *quandoquidem*, & *die* 10. *Junii* 1709. §. *de illis*.

Id autem multiplicem patitur limitationem; primò quidem in mobilibus pretioſis, quæ Theatini acquirunt, & retinere poſſunt, proindeque in his non intrat cauſa neceſſitatis, ex qua licitè ſtabilia alienare poſſunt ſine aſſenſu Apoſtolico, ut dixi ſupra *num.* 9. Secundò, etiam attento eorum primævo inſtituto, limitatur in iis ſtabilibus, quæ non pro victu, & alimentis Religioſorum, ſed pro Sacriſtia, Fabrica Conventus, aliiſque Eccleſiæ indigentiis acquiruntur; idque elicitur ex fine, quo ſtabilia abdicarunt, quod quidem fuit, ut quoad quotidianum victum, ſpem omnem in Domino collocarent, memores verborum ejus, *Nolite ſoliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis*; ita pro quotidiano victu cogitatum in Domino jactantes, ab ipſo munificè enutriendi. Cùm igitur, non obſtante voluntaria abſtinentia à poſſeſſione ſtabilium, iidem Patres ea acquirere, & retinere poſſint pro indigentiis Sacriſtiæ, & Fabricæ; ſequitur ea alienare non poſſe ſine aſſenſu Apoſtolico, ut conſiderat Rot. *in cit. Neapolitana Prælationis die* 10. *Junii* 1709. §. *de illis*, & *priùs die* 10. *Maii* 1708. §. *hiſce rationibus*, ubi refertur Sacr. Congregat. Epiſcoporum annullaſſe de Anno 1704. venditionem ab iiſdem Patribus factam de capitali pecuniarum legato pro conſtructione, & ornatu Capellæ ſitæ in ipſorum Eccleſia; prout nec alienare poſſunt hortos domui contiguos, aut villas cauſa recreationis acquiſitas, ut notat Del Bene *citat. dubit.* 22. *numer.* 45. quod etiam generaliter in terminis Religionum incapacium dixi ad *citat. Conſt.* 1. D. Leonis *ſect.* 4.

num. 29. & ſequitur Card. de Luca *de alien. probib.*
diſc. 19. *n.* 5. & 6. At ſi acquiſitio rei ſtabilis eo titulo
14 facta, ut etiam retineri valuerit, veluti eſſet pro Sacri-
ſtia, Fabrica, aut ſimili, eò deveniat, ut titulus ac-
quiſitionis ceſſaverit, ceſſante utilitate, aut neceſſita-
te Fabricæ, vel Sacriſtiæ, itaut non alio titulo ſtabile
retineatur, niſi pro quotidiano victu Fratrum; tunc alie-
nari poterit, perinde ac acquiſitum fuiſſet, non ad ef-
fectum retinendi, ſed vendendi, ut firmavit Rota *in*
cit. Neapolitana Prælationis die 10. *Junii* 1709. §. *Eo-*
que minus, ubi validam judicavit alienationem Palatii
empti pro ampliatione Plateæ Eccleſiæ, factam ſine Be-
neplacito Apoſtolico à PP. Theatinis SS. Apoſtolorum
Neapolis, poſtquam iidem Patres deliberaverant ad di-
ctam ampliationem amplius non devenire; idque etiam
elicitur ex declaratione Capituli Generalis Anni 1650.
relata per Gaſton. *t.* 2. *diſcept.* 38. *n.* 4. in qua diſpo-
nitur: *Licèt autem bona ſtabilia eorumque redditus ad*
ſacras ſuppellectiles, Eccleſiaſque exornandas, necnon
ad domos noſtras conſtruendas habere poſſimus: attamen
cùm hæc omnia peracta fuerint, ſtatim à nobis aliena-
ri debent, ut perfectius noſtræ paupertatis inſtitutum ex-
15 *colamus*. Tertiò nec alienare poſſunt ſtabilia acquiſita
cum perpetuo onere Miſſarum; Etenim ex hoc titulo
hodie Theatini acquirunt, & retinent ſtabilia, cùm in
Capitulis Generalibus Anni 1641. & 1650. derogave-
rint Conſtitutioni de non acceptandis perpetuis Miſſa-
rum oneribus, ut refertur in folio Congregationis Con-
cilii in una *Theatinorum facultatis alienandi die* 25.
Februarii 1679. & ipſos eſſe capaces legati ſtabilium
cum onere miſſarum, ſuppoſuit eadem Sac. Congr. in
Romana Legati die 5. *Maii*, 23. *Junii*, & 18. *Auguſti*
1708. quam retuli *tom.* 3. *ad cit. Conſtit.* 1. Clem IV.
ſect. 1. *num.* 7. Unde poſita capacitate dicti oneris per-
petui, poterunt etiam retinere ſtabilia pro eo relicta
juxta præſcriptum in Bulla Urbani VIII. de Celebratio-
ne Miſſarum, ac proinde in his non intrat neceſſitas
alienandi ſine Beneplacito Apoſtolico.

Demum cùm Theatinorum incapacitas, non à Ju-
16 re, ſed à voluntaria abſtinentia oriatur, ut jam di-
ximus, & firmavit Rota in *citat. Romana legati*
die 24. *Novembris* 1692. §. *verum coram Priolo*,
Sacra autem Congregatio Concilii declaraverit, ip-
ſos eſſe quidem exemptos à d. decreto de rebus Re-
gularium non alienandis, non abſolutè, ſeù perpe-
tuò, ſed quamdiù Inſtitutum de non poſſidendo ſta-
bilia retineant, ut dixi ſupra *num.* 11. Hinc eſt, ut
ſi de facto ab eorum Inſtituto receſserint, prout ali-
cubi receſſiſse videntur, alienare non valeant ſine
Beneplacito Apoſtolico, cùm verè dicta reſolutio Sac.
Congregationis prodierit ſuppoſito facto expoſito per
Generalem, quòd Religio bona vendere ex Inſtituto
debuiſset, eaque poſſidere non valeret, & Sac. Con-
gre. reſolutionem reſtrinxit ut quamdiù Inſtitutum
prædictum retineat, non ſubdatur neceſſitati obtinen-
di Beneplacitum Apoſtolicum. Cœterùm cùm receſ-
17 ſus ab aliquo Inſtituto de Jure non præſumatur, ni-
ſi perſpicuè probetur, ut notant Felin. *cap. cum ac-*
ceſſiſſent numer. 30. *de conſtit.* Rota *in Conſtantien.*
Præcedentiæ ſuper remiſſoria die 16. *Januar.* 1708. §.
hinc proindè cor. R. P. D. Anſaldo, & *in Tarraco-*
nen. Juriſdictionis die 2. *Decembris* 1705. §. *multo-*
que minus coram R. P. D. Molines, & in terminis hu-
jus Inſtituti Theatinorum firmavit eadem Rota *in cit.*
Neapolitana Prælationis die 10. *Junii* 1709. §. *ob-*
ſervantia; Tametſi iidem Patres frequentius ſtabilia
retineant, non idcircò tamen irrefragabiliter probatur
à primœvo Inſtituto receſſiſse, nam dici poſset ipſos
poſſidere pro Fabrica, aut Sacriſtia, quod eorum In-
ſtituto non refragatur; refragaretur autem, ſi pro quo-
tidianis indigentiis poſſiderent, quod quidem legitimè
fieri non potuiſset, niſi cum conſenſu totius Religio-
nis, quæ ſtabilium incapacitatem ſibi voluntariè indi-
xerat; vel ſaltem ex diſpenſatione Præpoſiti Generalis,
qui forſan id facere potuit, cùm ſui Ordinis Conſtitu-
tiones innovare, & declarare poſſit, ut refertur apud
D. Marinis *alleg.* 101. *n.* 4. & 5. Certè autem ex Ca-
pitulis Generalibus Anni 1641. & 1650. hic receſsus à
primœvo Inſtituto non elicitur, & malè quidem aliqui
ſentire viſi ſunt, qui dixerunt id firmaſse Rotam *in cit.*
Romana Legati, quæ verè loquitur de capacitate ſtabi-
lium ad effectum acquirendi tantùm, non autem reti-
nendi. Si autem Theatini etiam pro quotidiano victu 18
Fratrum ſtabilia hodie poſſideant, veriùs eſt facto ipſo,
& ſenſim à primœvo inſtituto receſſiſſe, urgente ſcilicet
neceſſitate, & Fidelium charitate in elargendis eleemo-
ſynis frigeſcente. Unde in citata *Theatinorum faculta-*
tis alienandi, propoſito Dubio, *An Religio Clericorum*
Regularium Theatinorum in præſens comprehendatur in
decretis de rebus Regularium non alienandis. Sacra Con-
gregatio ſatiùs duxit non reſolvere dubium, ſed reſpon-
dit ad mentem, quæ fuit, ut denegaretur licentia alie-
nandi, prout hodie denegatur, niſi concurrant requiſita
in alienationibus, quæ fiunt per Religiones ſtabilium
capaces; & ex dictis rationibus ſicuti ſervantes abdica-
tionem poſſeſſionis ſtabilium non ſubjacent neceſſitati
Beneplaciti Apoſtolici, & non ſervantes, ſcilicet poſſi-
dentes ſtabilia, tenentur eo uti in eorum diſtractione,
prout in mobilibus pretioſis, ita etiam tenentur ſervare
decretum *de reb. Regul. non alien.* quoad cenſuum impo-
ſitiones, ut declaravit Sacr. Cong. Concilii *die* 5. *No-*
vembris 1648. apud Pignatell. *conſult.* 289. ubi ponde-
ratur, exemptionem Theatinorum à decreto de non
alienandis, eſſe quatenus conſervetur Inſtitutum non
poſſidendi, & ſic cauſativè tantùm.

Exemptionem pariter à diſpoſitione *Extravag. Am-*
bitioſæ obtinuerat Societas Jeſu ex conceſſionibus Pau- 19
li III. & Gregorii XIII. ut referunt Tamburin *de Ju-*
re Abbat. tom. 3. *diſp.* 13. *quæſt.* 6. *nu.* 2. Roderic. *q.*
Regular. tom. 1. *qu.* 22. *art.* 3. concedentibus præſer-
tim Præpoſito Generali abſolutam adminiſtrationem Col-
legiorum, & bonorum Societatis, ut apud Suarez *tom.*
4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. *nu.* 11. Pellizar. *in manua-*
li c. 119. *cum ſeq.* quæ tamen certè revocata, aut mo-
dificata ſunt in præfato Decreto Urbani VIII. ut adver-
tit Card. de Luca *de donat. diſc.* 23. *num.* 17. & de-
claravit Sacra Congregatio Concilii, ut infrà. Nec
contrarium firmavit Rota *in Sabinen. Reintegrationis*
18. *Aprilis* 1701. §. *non obſtante*, *coram Eminentiſſi-*
mo Card. Caprara, ubi quòd ex antiqis privilegiis Præ-
poſitus Generalis in celebrandis contractibus, ac litibus
aliiſque negotiis componendis nulla indigeat facultate
Apoſtolica; Etenim id admittendum eſt, quoad privile-
gia non revocata in dicto Decreto Urbano, & in ca-
ſibus ibi non contentis. Prout nec obſtat eadem Rot. *in*
Camerinen. Electionis ſuper renunciatione 15. *Junii*
1708. §. *his conſequenter. coram R. P. D. Molines De-*
cano, in qua quidem habita fuit uti valida renunciatio
à præfato Præpoſito Generali ſine Beneplacito Apoſto-
lico facta, hæreditatis relictæ Societati cum onere eri-
gendi Collegium; ſed agebatur de jure querendo,
in cujus renunciatione Beneplacitum aliàs non requi-
ritur, ut ibi advertit Rota, & alibi dicam de jure
querendo: Verùm cùm Domus Profeſſæ ejuſdem So-
cietatis, quamvis ſint capaces acquirendi, ſunt tamen
omninò incapaces retinendi, ac poſſidendi ſtabilia, 20
aut certos redditus, ut dixi *tom.* 3. *ad Conſtit.* 4. In-
noc. IV. *ſect.* 1. *num.* 2. & 3. idque tum pro quotidia-
no victu Fratrum, ut in Theatinis, tum etiam pro Sa-
criſtia, aut Fabrica, ut ex eorum Conſtitutionibus tra-
dit Sanchez *ad præcept. Decal. lib.* 7. *cap.* 27. *n.* 7. ubi
num. 12. quòd Domus Profeſſæ debeant ſubſtentari elee-
moſynis, nec poſſint juvari bonis Collegiorum: Hinc
ſanè eſt, ut ſtabilia ab iiſdem Domibus alienari poſſint
ſine Beneplacito Apoſtolico, cùm incapacitas poſſiden-
di ſuppeditet alienationi cauſam neceſſariam, ut dixi
tom. 1. *ad Conſtit.* 1. D. Leonis §. 4. *nu.* 38. & notant
Capon. *diſcep.* 157. *n.* 6. *t.* 3. Panimoll. *dec.* 60. *annot.*
3. *n.* 38. Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 59. *n.* 95. Card. de
Luca *de alien. & contract. probib. diſc.* 1. *nu.* 120. Qua-
ranta *in ſumm. Bullar. ver. alien. n.* 41. Card. de Lugo
de juſt. & jur. diſp. 3. *ſect.* 5. *num.* 99. & *reſp. moral.*
li. 4. *dub.* 45. *num.* 4. Rota *deciſ.* 245. *num.* 15. & 16.
& ita in praxi ſervari mihi retulit Procurator Generalis
ejuſdem

Digitized by Google

ejuſdem Societatis. Nec obſtat Decretum S. Congr. Concilii 31. *Julii* 1627. *tom.* 13. *decret. pag.* 305. ibi: *Sacra Congregatio cenſuit, Domus Profeſſas Societatis Jeſu ſub decreto de reb. Regul. non alien. comprehendi.* Quia intelligi debet quoad ſuppellectilia ſacra, vel hujuſmodi pretioſa, quæ poſſidere valent pro Sacriſtia, aliiſq; cauſis permiſſis; Unde ſubditur verè, ſed cauſativè tantum non exigunt beneplacitum, in iis ſcilicet, quæ retinere non valent, & ſic in Collegiis, quæ poſſidere indiſtinctè valent ſtabilia, eaq; retinere, indigent beneplacito in venditione ſtabilium, & quoad impoſitiones cenſuum, etiam requiritur beneplacitum, ut diximus de Theatinis, & ita io praxi ſervatur, ut Collegia recurrant in omnibus ad S. C. juxta Decreta Urbani; Domus verò Profeſſæ in iis recurrunt, quæ ex inſtituto alienare non debent, & committitur ſæpè executio R. Præpoſito Generali cum ſolita clauſula; *ſi in evidentem*; vel ut denuò inveſtimentum ita fiat; vel pro ære alieno ſolvendo; ex quo elicitur, poteſtatem Generalis nunc eſſe reſpectu ſolemnitatum ipſius Societatis, quorum bonorum adminiſtratio ei competit, non autem reſpectu Beneplaciti Apoſtolici non impetrandi, cùm aliàs requiritur.

De Carmelitis Diſcalceatis, quicquid aliàs dubitatum
21 fuerit, certum eſt ipſos eſſe capaces acquirendi, & poſſidendi ſtabilia in Italia, ut dixi ad *cit. Conſt.* 4. Innoc. IV. *ſect.* 1. *nu.* 7. ac proinde alienare non poſſunt ſine Beneplacito Apoſtolico, prout jampridem eadem Sacra Congregatio *die* 19. *Maii* 1626. reſponderat, *Religionem Carmelitarum Diſcalceatorum comprehendi ſub Decreto de rebus Regularium non alienandis, ſed tamen per privilegium ſa. me. Pauli V. illis ſuffragari, ut poſſint licentiam ab ipſa Congregatione gratis obtinere.* Prout eodem die declaravit, Moniales Turris Speculorum ſub præfato Decreto comprehenſas cenſeri, ut habetur in *lib.* 12. *Decret. fol.* 351. quod etiam de Monialibus Convertitis reſpondit in *Romana* 21. *Novembris* 1627. *lib.* 13. *Decretor. fol.* 347.

Præfatis igitur Religionibus in communi incapaci-
22 bus exceptis, omnes Regulares, quibuſcumque privilegiis non obſtantibus, alienare non poſſunt, niſi ſervata forma d. generalis Decreti, prævio ſcilicet Beneplacito Apoſtolico, à Sacra Congregatione obtinendo. Regulares autem contrafacientes incidunt in pœnas in eodem Decreto comminatas, & quidem cenſuras ibi contentas ipſo facto incurrunt, nec opus eſt præcedenti declaratione, ut eadem Sac. Congregatio reſpondit in *Romana Ciſtercienſium lib.* 21. *Decret. fol.* 56. in qua propoſitis dubiis. *I. An Abbates, qui præſunt Monaſteriis, ære alieno, cenſuario nomine gravatis, teneantur ipſos cenſus redimere, quamvis tempore antecesſorum conſtitutos: ac proinde an deponere teneantur ratas partes, quæ juxta legem præſcribi ſolitam ab hac Sacra Congregatione, cum largitur Monaſteriis facultatem ſubjiciendi ſe cenſibus, deponi ſingulis annis debuiſſent ab Antecesſoribus, nec tamen depoſitæ ab iis fuerunt. Et quatenus teneantur. II. An negligentes incidant in pœnas in Decreto de rebus Regul. non alienan. præfinitas. III. An ad effectum ut eas incidendi, opus ſit præcedenti declaratione, licet in antedictis decretis dicatur, ipſo facto.* Sub die 1. Septembris 1657. reſpondit. *Ad I. teneri. Ad II. incidere in pœnas comminatas in licentia conſtituendi cenſus, & contentas in ipſo decreto. Ad III. ad effectum incurrendi in cenſuras non requiri.* Quod ſanè intelligendum eſt quoad forum animæ, nam in foro externo requireretur declaratio, ut
23 alias in *Dubio Incurſionis in pœnas* reſpondit eadem Sac. Congregatio, ubi ad Dubium: *An Prælatus Regularis, qui abſque ulla licentia S. Sedis, vel Superiorum ſui Ordinis oppignoraverit ſex candelabra argentea &c. incurrerit in pœnas à dicta Conſtitutione inflictas, videlicet privationis Officiorum abſque ulla alia declaratione.* Sub die 1. Octobris 1672. *lib.* 27. *Decretor. fol.* 310. reſcripſit: *Requiri declarationem facti in foro ex-*
25 *terno.* Ab his autem pœnis Regulares abſolvi non poſſunt, niſi à Papa, vel à Sacra Congregatione Concilii nec ullam quoad hoc facultatem habent Nuncii, aut Epiſcopi, ut eadem Sac. Congr. declaravit in una *Regularium die* 14. *Novemb.* 1648. *libr.* 18. *Decret. fol.* 541.

Porrò quamvis in præfato decreto generali prohibeatur Regularibus, Cenſus imponere, alioſque contractus 25
facere ſuper bonis ad eorum Monaſteria pertinentibus; hancque prohibitionem ipſi eluderent, pecunias ad cambium, vel mutuò accipientes cum ſolutione alicujus lucri, & cum obligatione bonorum: hinc eadem Sac. Congr. aliud edidit decretum, quod extat *lib.* 12. *Decr. pag.* 187. ibi: *Cum poſt editum decretum de rebus Regular. non alienan. compertum ſit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur Cenſus imponere, & alios contractus facere ſuper bonis ad eorum Monaſteria pertinentibus loco cenſuum, & contractuum hujuſmodi, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum ſolutione alicujus lucri etiam ceſſantis, vel damni emergentis, & cum obligatione, ſeu hypotheca bonorum, aut dato pignore Cumque ex hujuſmodi contractibus eludatur mens Sacræ Congregationis, cui imprimis in votis fuit conſulere Religionum indemnitati, quæ ex dictis contractibus plurimum læduntur; eadem Sacr. Cong. Sanctiſſimo Domino Noſtro approbante, decrevit, ac declaravit, non licere Regularibus pecunias, ut propònitur, accipere, & ſi acceperit, in ipſius Decreti pœnas ipſo facto incidere. Datum Romæ die* 21. *Martii* 1626. quod etiam decretum iterum editum fuit die 4. Julii 1633. *lib.* 14. *Decr. pag.* 746. Porrò ſub hac etiam prohibitione comprehenduntur cenſus vitalitii, ut cavetur in eodem Decreto Urbani VIII. & reſolvit S. Congr. Concilii in *Montis Politiani* 2. *Decembris* 1644. *to.* 17. *Decr. pag.* 414. ubi reſcriptum fuit Epiſcopo, quòd notificaret Monialibus, non poſſe eas accipere ad cenſum vitalitium, niſi prævio Beneplacito Apoſtolico. Adhuc autem, poſitis hujuſmodi decretis, videtur dubitari poſſe, an ſub præ- 26
fata prohibitione comprehendantur obligationes, ſeù hypothecæ generales, quæ à Superioribus Regularibus fiunt occaſione emptionis bonorum pro ſuis Monaſteriis; Et quatenus non comprehendantur, an earundem vigore, poſſit ſine Beneplacito Apoſtolico deveniri ad ſubhaſtationem bonorum Monaſterii, aut Eccleſiæ. Quoad primum pro affirmativa dici poſſet, quòd tum Extrav. *Paulina*, tum decretum Urbani VIII. generaliter prohibet omne pactum, conceſſionem, & hypothecam attento præſertim fine ejuſdem decreti Urbani, arcendi ſcilicet à Conventibus Regularium omne detrimentum, quod ex his contractibus eis obveniebat, qua ratione prohibitas cenſeri etiam obligationes, & hypothecas generales teſtis Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 166. *nu.* 2. *cum ſeqq.* Hic articulus fuit pluries, & plenè diſcuſſus per
Rotam in *Amerina Bonorum*, in qua, occaſione em- 27
ptionis ſtabilis factæ per Monaſterium, cum pacto ſolvendi fructus recompenſativos pro parte pretii non ſoluti, prætendente ſubinde Monaſterio nullitatem contractus ob defectum Beneplaciti Apoſtolici, in prima propoſitione cauſæ *die* 19. *Aprilis Ann.* 1641. *cor. Veroſpio*, reſolutum fuit, contractum eſſe validum, ad relaxandum eſſe mandatum tantùm ſuper ſtabili per Monaſterium in eodem contractu acquiſito; & in ſequentibus *dec.* 161. 205. & 230. *coram Royas*, in quibus confirmata prima parte deciſionis quoad validitatem contractus, fuit receſſum à deciſis quoad ſecundam partem, ſcilicet exequutionem non eſſe reſtrigendam ad bona empta, ſed poſſe ſubhaſtari bona Monaſterii pro debito contracto ſub obligatione generali. Verùm revocatis de ordine ſa. me. Innocentii X. his deciſionibus ad trutinam, prodiit magiſtralis *deciſ.* 261. *coram eodem*, in qua perſtitum fuit in deciſis quoad validitatem contractus, & obligationis generalis, recedendo à firmatis quoad ſecundam partem, quod ſcilicet in vim hypothecæ generalis ſine Beneplacito Apoſtolico factæ, poſſent ſubhaſtari bona Monaſterii.

Ex his ad reſolutionem dubii deſcendendo, verius videtur, obligationem, ſeù hypothecam generalem non 28
comprehendi ſub prohibitione non alienandi ſine Beneplacito Apoſtolico. Etenim prohibitio hypothecandi bona Eccleſiæ potiſſimum ex tribus Juribus eli-

citur, quæ normam dant alienationibus bonorum Eccleſiarum. Primò quidem ex *cap. nulli de rebus Eccleſ. non alien.* in quo prohibitio reſtringitur ad ſpecialem hypothecam, adeòque comprehenſa non cenſetur hypotheca generalis, ut ibi notant Abb. *num.* 3. Jo: Andr. *num.* 1. Butr. *in* 3. *notab.* Secundò id habetur in *Extrav. Ambitioſa*, quæ quamvis ſimpliciter loquatur de
29 hypotheca, adeòut comprehendere poſſe videatur etiam generalem, ut tenet Quaranta *in Summ. Bull. verb. Alienatio nu.* 17. Tamen veriùs eſt, & communiter receptum, ſub ea hypothecam generalem comprehenſam non cenſeri, quæ directè, & principaliter non ordinatur ad alienandum, nec per eam transfertur jus aliquod in re, prout in hypotheca ſpeciali, & ita poſt Rotam *in citat. Amerina bonorum*, docent Card. de Luca *de Alienat. prohib. diſc.* 1. *num.* 40. De Marinis *lib.* 2. *reſol.* 27. *num.* 7. Giballin. *de negotiat. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *art.* 4. *conſect.* 12. *num.* 2. Merlin. *de Pignor. lib.* 2. *tit.* 2. *qu.* 85. *num.* 7. Panimoll. *cit. dec.* 60. *annot.* 3. *n.* 70. Caſtrop. *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 12. *diſp. un. punct.* 15. §. 2. *num.* 2. Rota *dec.* 103. *num.* 23. *cor. Zarata*. Cùm igitur in *Extravag. Ambitioſa* non prohibeatur hypotheca generalis, nec prohibita cenſebitur in decreto Urbani VIII. quod præſervat caſus à Jure permiſſos, atque iiſdem fermè verbis eſt conceptum; Unde S. C. Conc. aliàs declaravit, ſub decreto de rebus Regul. non alien. non comprehendi generales hypothecas, ut refert Fagnan. *in cit. cap. nulli num.* 32. Rota *citat. dec.* 261. *n.* 5. *cor. Royaſ.* ac in eodem ſenſu fuit eadem Sacr. Congr. in *Romana Beneplaciti* 13. *Januarii* 1691. in qua cùm Patres S. Pauli de Arenula domum emiſſent, ac pro parte pretii non ſoluti ſolvere promiſiſſent fructus recompenſativos cum hypotheca bonorum omnium Conventus, reſervato, quatenus opus eſſet, Beneplacito Apoſtolico, quod tamen numquam impetrarunt; reſolutum fuit in nullam pœnam incidiſ-
30 ſe. Hujus autem generalis hypothecæ vigore, ſine Beneplacito Apoſtolico factæ, poterit quidem Creditor agere utili Salviano, pro ſibi ſatisfaciendo ſuper fructibus, in quibus præferendus erit Creditoribus chirographariis; non autem eadem hypotheca exerceri poterit ſuper bonis ipſius Eccleſiæ, niſi, & Beneplacitum Apoſtolicum concurrat. Etenim ratio, qua ſuſtinetur hypotheca generalis ſine Beneplacito Apoſtolico eſt, quòd ex ipſa nullum jus in re concedatur Creditori ſuper proprietate bonorum; quod ſanè non contingeret, ſi ejus vigore poſſent bona Eccleſiæ ſubhaſtari, ut rectè conſiderat Bero. *in cit. cap. nulli num.* 14. Rodoan. *de reb. Eccleſ. non alien. quæſt.* 2. *cap.* 6. *num.* 13. *&* 16. Quemadmodum enim res Eccleſiæ alienari non poſſunt, niſi prævio aſſenſu Apoſtolico, ita nec ſine eo poterunt ſubhaſtari; nam cùm ad ſubhaſtationem devenitur, res certè pervenit ad caſum, à quo ſine eodem aſſenſu incipere non poteſt, ut concludit Rota *cit. dec.* 261. *num.* 6. *cor. Royas, deciſ.* 103. *num.* 24. *cor. Zarata*. Ut igitur bona Eccleſiæ vigore hypothecæ generalis ſubhaſtari poſſint, interveniſſe debet aſſenſus Apoſtolicus, ſivè initio obligationis, ſivè tempore diſtractionis, nec aliàs intelligendum eſt, aſſenſum Apoſtolicum non requiri in diſtractione judiciali bonorum Eccleſiæ, quatenùs ſcilicet adhibitus fuerit aſſenſus in principio obligationis, ut poſt Baldum *in l. ſi pupillorum* §. *ſi pupillus ff. de reb. eorum, qui ſub tutela*, tradunt paſſim DD. apud Panimol. *citat. adnot.* 3. *nu.* 73. Salgad. *in labyrint. credit. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Rota *cit. dec.* 261. *num.* 11. Porrò ex eadem ratione, qua hypotheca generalis validè conſtituitur in
31 bonis Eccleſiæ ſine aſſenſu Apoſtolico, dicendum pariter eſt, tandem hypothecam ab Eccleſia in bonis tertii acquiſitam, ſine aſſenſu remitti poſſe; quod tamen non procedit in hypotheca ſpeciali, quæ ſub prohibitione alienandi comprehenditur, ut latè penes Urceol. *de tranſact. qu.* 23. *num.* 19. *& ſeqq.* Niſi forſan agatur de ceſſione neceſſaria facienda debitori Eccleſiæ, vel tertio poſſeſſori ſolventi integrè debitum, cùm enim tunc Eccleſia cogatur ſibi recipere ſuum creditum, cogitur etiam hypothecam remittere, ut rectè conſiderat de Marinis *lib.* 2. *reſol.* 27. *num.* 3.

Non recedendo ab interpretatione decreti Urbani
VIII. quæri hic poteſt, an ſub eo comprehendantur a- 32
lienationes, quæ de uno in aliud ejuſdem Ordinis Monaſterium fiunt. Pro reſolutione dubii præmittendum eſt, nonnullos Auctores voluiſſe, prohibitionem alienandi ſine Beneplacito Apoſtolico locum non habere in alienationibus, quæ fiunt in Eccleſiam, eò potiſſimùm quia ceſſat ratio prohibitionis, quæ fuit conſulendi indemnitati Eccleſiæ, non tàm particularis, quàm univerſalis, cui ſanè nihil deperit, dum alienatio ſequitur inter particulares Eccleſias, ut aliis citatis tenent Ricc. *in praxi par.* 1. *reſol.* 35. Tamburin. *de Jure Abb. par.* 3. *diſp.* 13. *qu.* 2. *num.* 19. quod etiam probabile reputat Diana *part.* 4. *oper. moral. tract.* 4. *reſol.* 223. Alii autem id reſtrinxerunt ad ſolàm permutationem, utpotè permiſſam in *cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alienan.* nec expreſſam in *Extravag. Paulina*, ut apud Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 95. *numer.* 55. Caſtropal. *tom.* 2. *tract.* 12. *punct.* 15. §. 3. *num.* 7. Demùm in terminis alienationum inter Monaſteria ejuſdem Or-
dinis, jure ſocietatis univerſitatem conſtituentibus, ac 33
eumdem Prælatum Regularem habentibus, eas validas eſſe ſine aſſenſu Apoſtolico cenſet Card. de Luca *de Regular. diſc.* 32. *num.* 16. ad differentiam Monaſteriorum, quæ cum proprio Prælato de per ſe independenter ab aliis regitur. Verùm contrarium eſt veriùs, &
communiter receptum, ita ut nec quidem inter Eccle- 34
ſias validè fiant alienationes, aut permutationes, niſi præviis ſolemnitatibus etiam jure noviſſimo præſcriptis. Equidem primò non ſubſiſtit, quòd per prohibitionem alienandi conſultum ſit tantùm indemnitati Eccleſiæ univerſalis; nam dominia rerum cujuſque Eccleſiæ non ad Eccleſiam univerſalem, ſed ad ſingulas Eccleſias ſpectant, *can. videntes* 12. *qu.* 2. Ulterius, ratio prohibendi alienationem bonorum Eccleſiarum, *in Extrav. Paulina* expreſſa, non ſolùm fuit, ne eadem bona profanis uſibus applicarentur, ſed etiam, & potiſſimè ne cum maximo Eccleſiarum, & divini cultus detrimento ab alienarentur, quæ quidem ratio æquè procedit, ſi in Laicos, ac ſi in Eccleſiam alienatio fiat; unde eſt, quòd etiam in alienationibus, & permutationibus, ſeù tranſactionibus, quæ inter Eccleſias fiunt requiratur Beneplacitum Apoſtolicum, Quarant. *in Summa Bullar. verſ. Alienatio numer.* 15. Rodoan. *de rebus Eccleſiæ non alien. qu.* 71. *cap.* 18. *num.* 19. Card. de Luca *de alienat. prohib. diſc.* 1. *num.* 104. De Marin. *lib.* 1. *reſol.* 6. *num.* 14. Rota *dec.* 299. *num.* 11. *cor.* Dunoz. Seniore, *dec.* 540. *cor. Cocc. dec.* 220. *num.* 16. *coram Othob.* ubi invalida fuit declarata tranſactio ſine Apoſtolico Beneplacito facta inter Capitulum Cathedralis Acernenſis, & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi ejuſdem Diœceſis, qua conveniebatur, quòd eveniente caſu Sedis Epiſcopalis vacantis, Capitulum Collegiatæ nominare deberet tres perſonas habiles pro munere Vicarii Generalis dicti Oppidi, ac una ex eis à Capitulo Cathedralis eſſet confirmanda. Quod ſanè etiam verum
eſt in alienationibus, quæ fiunt inter Capellas, ſeù Be- 35
neficiatos ejuſdem Eccleſiæ, id enim eſſet ſpoliare unum Altare pro cooperiendo altero, ut reſpondit Rota *dec.* 277. *num.* 7. *& ſeqq. par.* 4. *tom.* 2. *deciſ.* 561. *num.* 8. *par.* 5. *dec.* 191. *numer.* 12. *par.* 7. *dec.* 234. *numer.*
19. *par.* 12. *recent.* ex his pariter conſtat, alienationes 36
inter duo Monaſteria ejuſdem Ordinis, non ſuſtineri ſine Beneplacito Apoſtolico, ut probat Del Bene *de Immunit. par.* 2. *cap.* 17. *dub.* 3. *num.* 12. & ita ad inſtantiam Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum declaravit Sacr. Congr. Concilii in una *Regularium Alienationis*, in qua propoſito dubio, *An alienationes, de quibus agitur in decreto de rebus regul. non alienan. quatenus inter Monaſteria ejuſdem Ordinis, & quidem cum utriuſque contrahentis Monaſterii utilitate fiant, ita prohibitæ, atque interdictæ cenſeantur, ut abſque Sacr. Congregationis licentia perfici ne poſſint:* Sub die 27. Februarii 1666. reſpondit, *Ita eſſe prohibitas:* quam declarationem Sanctiſſimus probavit, ut habetur *tom.*
25. *Decretor. pag.* 50. *à ter.* qua etiam ratione, nec ſi- 37
ne aſſenſu Apoſtolico ſuſtinetur diviſio bonorum inter

Abbatem,

Abbatem, & Conventum, ut tenent Navar. *conſ. 9. &*
10. de reb. Eccleſ. non alien. Rot. *cit. dec.* 234. *num.*
20. *p.* 8. *rec.* ac ſimilem diviſionem menſe Abbatialis
à Conventuali approbare renuit eadem Sacr. Congregat.
in *Gneſnen. Confirmationis Concordiæ* 15. *Jan.* 1707. Con-
ventus enim Regularium, quamvis ſint ejuſdem Ordi-
nis, ſunt tamen inter ſe Collegia diſtincta, ac præſer-
tim quoad adminiſtrationem bonorum omninò indepen-
dentia, adeòut Prælatus Regularis non poſſit redditus
38 exuberantes unius Monaſterii convertere in ſolutionem
debitorum alterius Monaſterii indigentis, ut reſpondit
eadem Sacra Congr. in una *Congregationis Montis Oli-
veti* 27. *Julii* 1647. *to.* 18. *Decret. pag.* 376. ibi: *Sacra
&c. cenſuit non eſſe concedendam facultatem convertten-
di, ut inquit, gli avanzi de frutti de Monaſterj ric-
chi, o ben governati in ſolutionem debitorum, quæ ab a-
liis Monaſteriis ſolvi debent.* Eademque ratione Bene-
59 placitum Apoſtolicum requiritur in aſſignatione reddi-
tuum menſæ Epiſcopalis, quæ ab Epiſcopo fit favore
Capituli Eccleſiæ Cathedralis, ut reſolutum fuit in *Li-
paren. Applicationis Fructuum* 5. *Martis* 1689. ubi ad
Dubium, *An abſque Sedis Apoſtolicæ Beneplacito po-
tuerit, aut poſſit Epiſcopus applicare in perpetuum Ca-
pitulo Eccleſiæ Cathedralis dictam ratam redditurum
Menſæ Epiſcopalis in cauſam diſtributionum.* Sacra
Congregatio *die* 5. *Martii* 1689. reſpondit *Negative*,
& in *Nicoteren.* petente Epiſcopo applicari certæ Ca-
pellæ Cathedralis quamdam decimam, quam Menſa e-
xigebat à Piſcatoribus diebus feſtivis, Sacr. Cong. Con-
cilii reſpondit *die* 2. *Auguſti* 1710. *Suplicet Sanctiſſi-
mo*, quia requiritur hujus beneplacitum, & *die* 30. *Au-
guſti* reſcripſit *quod audiatur Capitulum*, cùm requira-
tur ejus conſenſu in alienatione bonorum Menſæ; Con-
trarium tamen aliqui cenſent, quod ſcilicèt poſſit Epiſ-
copus alienare ſaltem in Capitulum bona Menſæ; ita
dixerunt Hoſtien. *in cap. novit num.* 7. *de his, quæ fiunt
à Prælat. ſine conſ. capit.* Imola *conſil.* 65. *num.* 36. Ro-
doan. *de reb. Eccleſ. non alien. quæſt.* 51. *cap.* 10. & alii
apud Turricell. *eodem tract. cap.* 15. *num.* 77. *cum ſeqq.
Controverſ.* Boſcol. *art.* 4. *num.* 49. poſt Card. de Luca
de Feudis, Rota *deciſ.* 756. *num.* 3. *part.* 1. *diverſ. de-
ciſ.* 160. *num.* 20. *par.* 11. *recen.* hi enim, vel intelli-
40 gendi ſunt ad terminos juris communis, ex quo in aliena-
tionibus rerum Eccleſiæ ſufficit conſenſus ſolius Epiſcopi;
& Rota *in cit. deciſ.* 756. ſe fundat in diſpoſitione Tex-
tus in *cap. requiſiſti de Teſtament.* ubi agitur de aliena-
tione neceſſariò facienda Capitulo per Epiſcopum ex
diſpoſitione fundatoris, quæ nec hodie cadit ſub prohi-
bita alienatione, ut dixi *tom.* 1. *ad cit. Conſtit.* 1. D.
Leonis *ſect.* 4. *numer.* 43. *& ſeqq.* Vel ſaltem ſunt in-
telligendi de alienatione fructuum valitura ad vitam E-
piſcopi, non autem de alienatione perpetua, quæ non
afficit ſucceſſorem, niſi concurrat Beneplacitum Apo-
ſtolicum, ad Textum in *capit. veniens* 8. *de tranſact.*
Rota *deciſ.* 152. *num.* 1. *coram Buratto*, *deciſ.* 152. ubi
Adden. *num.* 3. *coram Ludoviſ.*

Hæc autem licentia, ſeù Beneplacitum Apoſtolicum
41 quoad Regulares impetrari poteſt à Sacra Congregatio-
ne Concilii, gratis concedenda, nec opus eſt, ut ali-
qua fiat expenſa pro expediendo Brevi in Secretaria Bre-
vium, vel pro expeditione à Dataria, ut pluries ex ora-
culo Sanctiſſimi declaravit Sacra Congregatio Concilii,
ut in *Romana* 17. *Junii* 1630. *tom.* 14. *pag.* 300. & no-
viſſimè *die* 1. *Decembr.* 1691. *tom.* 41. *Decretorum pag.*
348. ibi: *Juſſu ſ. m. Urbani VIII. dudum hæc Sac. Con-
gregatio, Religionum indemnitati conſulere cupiens pro-
hibuit, atque interdixit omnibus Generalibus, Capitu-
lis, vel Congregationibus, Abbatibus generalibus, &
quibuſcumque aliis Superioribus Regularibus cujuſvis Or-
dinis, Societatis, vel Inſtituti omnium rerum, & bono-
rum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem,
omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfer-
tur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, lo-
cationem, & conductionem ultra triennium, conceſſio-
nem in feudum, vel emphyteuſim, abſque expreſſa ipſius
Sacr. Congregationis licentia in ſcriptis, & gratis con-
cedenda, ſub pœna privationis omnium Officiorum vocis
activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis &c. ipſo facto &c.
Inviolabiliter abinde citrà Decreto huic paruerunt omnes
Religionum Superiores, & in quocumque caſu recurrentes,
comprobata evidenti Religionum utilitate, petitas licen-
tias gratis reportarunt. Quia verò nuperrimè, nullo alio
ſupervento Decreto in ſcriptis, hujus, & Sac. Congrega-
tionis Epiſcoporum, & Regularium Secretar. quando
agitur de contractibus perpetuis, & ad tempus prætendunt,
& de facto remittunt expeditiones, vel ad Secretariam
Brevium, vel ad Datariam; hæc exponentes Procurato-
res Generales Religionum ſupplicant idem Decretum om-
ninò ſervari, ut ſervatum fuit pro præterito, petita à
Regularibus beneplacita per ſimplex Decretum, & gratis
concedenda. Die &c. Sacra &c. ſi Sanctiſſimo D. Noſtro
placuerit Decretum præfatum omnimodæ executioni de-
mandandum eſſe, ac impoſterum obſervandum juxta illius
formam, & tenorem; & facta per Secretarium relatio-
ne Sanctiſſimo die 4. ejuſdem menſis Decembris, Sancti-
tas Sua Sacræ Congregationis ſententiam benignè appro-
bavit, & Decretum ſupradictum reſpectivè confirmavit,
ac quatenus opus ſit renovari mandavit, ita ut gratis, &
per Sac. Congregationem Concilii, Regularium in eo-
dem Decreto contentorum contractus expediantur.* Et ve-
rè hujuſmodi licentiæ pro Regularibus à Sac. Congreg. 42
Concilii expediri debent, ex vi dictorum decretorum,
nec per aliud organum; imò notatum reperitur in *lib.*
18. *Decret. pag.* 416. eamdem Sacram Congregationem
die 19. *Novembris* 1647. injunxiſſe Cardinali Ginnetto
Præfecto Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regula-
rium, ne in hac Congregatione in futurum expediren-
tur facultates alienationum, hypothecarum, locationum,
& aliorum contentorum in Decreto de rebus Regularium
non alienandis; cùm hæc facultas privativè ſpectet ad
Sacr. Congregationem Concilii.

CONSTITUTIO VII.

BENEDICTI XII.

incipiens (*Quoniam*)

EPITOME BULLÆ.

BENEDICTUS AD PERPETUAM rei memoriam.

EXcommunicationem latæ ſententiæ ful-
minat hic Papa contra promovendos ad
Beneficia Eccleſiaſtica, qui alios loco ſui
in examine ſupponunt, in eoſque qui pro
illis hujuſmodi examen ſubeunt; Et inſu-
per ſtatuit, quòd promovendi careant im-
petratis; pro eiſdem verò examinati, be-
neficiis obtentis ſint eo ipſo privati, &
ad alia obtinenda inhabiles remaneant.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Leges inutiles ſunt, & damnoſæ, niſi pœnæ con-
tra inobſervantes ſtatuantur.*

2 *Referuntur pœnæ ſtatutæ in hac Conſtitutione con-
tra promovendos ad Beneficia, qui alios loco
ſui in examine ſupponunt.*

3 *Eædem pœnæ procedunt contra promovendos ad
Epiſcopatum.*

4 *De pœnis uſurpantium alienum nomen, & cogno-
men. Remiſſive.*

5 *Illiterati ſunt irregulares, & quatenus cum eis
diſpenſari poſſit à Papa.*

6 *In Bullis Beneficialibus apponitur clauſula, ſi im-
petrans reperiatur idoneus.*

7 *Litte-*

Digitized by Google

7 *Littera gratioſa in Beneficialibus quatenus concedantur per Papam.*

8 *Litteræ in forma Dignum quid importent, & quo caſu concedi ſoleant.*

9 *Idoneitas intrinſeca, ſeù morum in dubio præſumitur.*

10 *Idoneitas extrinſeca, ſeù litterarum ſemper eſt probanda.*

11 *Examen eſt præcipuum litteraturæ experimentum.*

12 *Litteraturam non ſatis eſt probari per Teſtes, ſed per examen Examinatoribus præſentibus.*

13 *Examen omitti poteſt in notoriè litterato.*

14 *Doctores, ſeù Graduati an poſſint dici notoriè idonei, & an ſaltem in eis præſumatur ſcientia.*

15 *Semel repertus in examine idoneus, non eſt iterum examinandus ad aliud conſimile Beneficium.*

16 *Limitatur ſi agatur de Beneficiis Parochialibus, vel de ſimili Beneficio exiſtente in Eccleſia nobiliori.*

17 *Similiter etiam ſi ob negligentiam in ſtudiis, dubitari poſſit de ſuperveniente ignorantia.*

18 *De aliis ad hanc materiam pertinentibus. Remiſſivè.*

SAtis non erat, Summos Eccleſiæ Moderatores in Juris Divini, & Canonum obſequium, quibus illitera-
1 ti, & imperiti ab Officiis. & Beneficiis Eccleſiaſticis arceantur, in eam tantùm incumbuiſſe curam, ut Promovendi ſuæ doctrinæ experimentum in rigoroſo examine ſubirent, niſi contra hujuſmodi ſanctiones machinantes pœnis coerceantur debitis; Ea eſt enim omnium conditio, ut datis novis legibus, novam trahant occaſionem delinquendi, itaut ad id alludens ait *Tacit.* 8. & 11. *Annal.* ibi: *Leges plurimæ corruptiſſimam reddunt Rempublicam, niſi pœnalibus ſanctionibus earumdem ſanctitas tueatur, & muniatur*, & conſonat Ariſtotel. 10. *Ethicorum, cap. ult.* Providè itaque Bene-
2 dictus XII. hac edita Conſtitutione Avenione die 19. Decembris Anno 1339. in promovendos ad Eccleſiaſtica beneficia animadvertit, qui ſe minùs idoneos ſentientes, alios loco ſui ad examen ſupponunt, irritas, & nullas declarando quaſcumque expeditiones tali fraude obtentas, necnon pœnam excommunicationis latæ ſententiæ decernendo, tàm in hujuſmodi machinatores, quàm in eos, qui eorumdem mentitis nomine, & cognomine, examen ſubeunt, & inſuper hos falſarios ipſo facto privat beneficiis Eccleſiaſticis; & inhabiles declarat ad alia obtinenda, ut diximus in Epitome. Similibus etiam ſenſibus ad obviandas hujuſmodi fraudes in examine promovendorum, aliam Conſtitutionem promulgavit Paulus IV. incipiens *Inter cæteras*, *in ordine* 12. quarum quidem Conſtitutionum perfunctoriè, & tranſeundo meminerunt Scortia *ad Conſtitut. ſelect. epit.* 25. *theor.* 70. & 71. & *epit.* 69. *Theſaurus de pœnis par.* 2. *verb. Beneficium cap.* 2. Card. Lauræa *epit. Canon. verbo examen*, Pax Jordan. *tom.* 2. *de Benef. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 126. Barboſ. *de Epiſcop. par.* 3. *alleg.* 50. *num.* 124. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 15. *num.* 89. Lotter. *de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 29. *num.* 110. Bonaccin. *de cenſur. in part. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 28. Leo Theſ. *for. Eccleſ. par.* 3. *cap.* 32. *nu.* 41. Cherubin. *ſil. ad hanc Conſtit. ſchol.* 1. ubi quòd hujuſmodi
3 Conſtitutiones ſibi vindicent locum etiam in examine Epiſcoporum, ex regula generali, quòd nomine Beneficii comprehendatur Epiſcopatus, & noviſſimè R. P. D. Anſaldus *in adnotat. ad ſuas deciſ. in ord.* 64. *num.* 24.

Nequidem etiam Nos latiùs immemorabimur, di-
4 ſcurrendo ad materiam noſtræ Conſtitutionis de his, qui alienum uſurpant nomen, & cognomen, an, & quando falſum committere dicantur, & qua pœna puniendi ſint, cùm hujuſmodi provinciam expleverim ad *Conſtit.* 1. Cœleſtini III. *Sect. unic. per tot. tom.* 2. *pag.* 179. Verùm alteram partem hujus noſtræ Conſtitutionis pervagando; Summa quidem ſuadente ratione noſter Pontifex contra promovendos ad Eccleſiaſtica beneficia, Examen ſubterfugientes, plures pœnas imponit, & primò excommunicationem ipſo facto impoſitam à Benedicto in hac Conſtitutione, prout expeditiones beneficiorum nullæ ſint, & irritæ, ac obtentis priventur, & ſi non habeant, inhabiles eo ipſo reddantur ad ea obtinenda in odium fraudis, qua circumvenire ſatagunt Apoſtolicam Sedem; verùm etiam quia ſua malitia nemini patrocinari debet, & mendax præcator carere debet impetratis, *cap. ſuper literis, & cap. poſtulaſti de reſcriptis, leg. itaque fullo ff. de furt.* & in caſu notat *Scortia in cit. theor.* 71. Præterea promotus, vel promovendus examen ſubire recuſans, ſuam inſufficientiam, & imperitiam palam facit, ut firmat Rota *in deciſ.* 115. *num.* 4. *coram Pamphil.*

Quare opportunè ad materiam noſtræ Conſtitutionis
animadvertere abs re non erit, quod inexorabili Ca- 5
nonum præcepto, & divinæ Legis diſpoſitione penitùs illiteratì ab officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis arceri debent, *can. qui Eccleſiaſticis diſt.* 36. *cum concor.* adeòut Irregularitas, quæ provenit ex ignorantia impediente exercitium Ordinis, vel officio beneficio annexi, non tantùm eſt defectus intolerabilis, *can. ſi in Laicis diſt.* 58. ut collatio hujuſmodi illiteratis facta eſt ipſo Jure nullá, Felin. *in cap. per tuas num.* 1. *de Simonia*, Garzias *de benef. par.* 7. *cap.* 7. *num.* 13. Pax Jordan. *eodem tract. lib.* 10. *tit.* 22. *num.* 44. verùm etiam eſt regulariter indiſpenſabilis tamquam à Jure divino promanans, ut ex Turrecr. *in cit. can. ſi in Laicis*, & Felin. *in cap. inquiſitionis de ſentent. excom.* tradunt. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 4. *num.* 43. Pariſ. *de reſign. lib.* 5. *qu.* 3. *num.* 101. Majol. *de Irregul. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 13. Gibalin. *eodem tract. cap.* 3. *quæſtio* 3. *propoſ.* 2. *ſect. unic.* Quidquid autem ſit, an Papa, juſta accedente cauſa, vel dummodò ſit ſpes profectus in ſtudiis, de plenitudine poteſtatis valeat cum hujuſmodi imperitis ad Ordines, vel Beneficia diſpenſare, ut contra Felin. *in cap. inquiſitionis numer.* 4. *de ſent. excommun.* alioſque ejus aſſeclas relatos per Majol. *de Irreg. cit. cap.* 32. *nu.* 13. benè affirmant Lotter. *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 50. *à numer.* 10. *ad* 26. Guttierez loco *cit.* Sayrus *in Theſ. cap.* 13. *num.* 9. *lib.* 6.

Hoc tamen pro comperto habemus, quòd Summi
Pontifices optimè perpendentes quantùm obſit Eccle- 6
ſiæ Dei ignorantia in his, qui ejus munera adimplere debent, non tantùm diſtrictè mandarunt, quòd nonniſi idonei ad beneficia Eccleſiaſtica aſſumantur, ut in *can. viliſſimis* 1. *quæſt.* 1. & *can. licèt* 8. *quæſt.* 1. *cap. quamvis de ætat. & qualit. cap. unico ut Eccleſ. benef. cap. grave nimis de præb. cap. ad decorem de Inſtitution. cap.* 1. & 2. *eodem tit. in* 6. Quinimo ſoliciti ne beneficiorum collationes, quæ ab Apoſtolica Sede impetrantur, cadant in minùs idoneos, conſultò ſtatuerunt, ſemper in litteris clauſulam apponi debere, *quatenus perſona idonea reperiatur*, ut apparet in *cap. cum adeo de reſcript. cap. dudum de præſumpt. cap. accepimus de ætat. & qualit.* adeòut ex hoc inconcuſſo ſtylo deſumat Gonzalez, quòd licèt in eiſdem omittatur, de Jure ineſſe cenſeatur, ne Eccleſia Dei tacitè diſpenſare videatur cum indignis quoad illiteraturam, *in cit. cap. cum adeo num.* 3. Fagnan. *in cit. cap. accepimus numer.* 5. *de ætat. & qualit.* Lotter. *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 50. *numer.* 77.

Hinc equidem laudabilis inolevit ſtylus in Dataria
Apoſtolica, numquam expediendi litteras gratioſas in 7
beneficialibus, quæ ſcilicèt nulla juſtificatione indigent, & proviſionem faciunt à principio perfectam; itaut exequutori demandetur ſimplex exequutio, & miniſterium, niſi ſufficienter conſtet de idoneitate, & habilitate proviſi, vel per litteras commendatitias Ordinarii, vel per examen, vel tandem ob ſpecialem cognitionem Papæ, ſivè ejuſdem Datarii, ut notat Rota *in deciſ.* 292. *par.* 14. & *deciſ.* 249. *num.* 1. *p.* 18. *rec.* & *deciſ.* 832. *num.* 3. *coram Cerro*, & alibi paſſim, Card. de Luca *de Benef. in Summa* §. 37. *n.*
249. Cùm etenim ſatis non conſtat de idoneitate im- 8
petrantis, tunc equidem non datur eidem proviſio

niſi,

niſi, *in forma dignum*, in qua Papa Beneficium non confert, ſed mandatum dat Ordinario de providendo, quatenus perſona habilis, & idonea reperiatur, ut proſequuntur Card. de Luca *de Beneſit. in Summa cit.* §. 33. *numer.* 250. Amyden. *de Stylo Dataria lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 1. *numer.* 37. *&* 50. Rota *dec.* 503. *numer.* 10. *&* 11. *coram Peutinger & deciſ.* 227. *numer.* 24. *cor. Cardin. Cerro*. Reſcripta namque in forma dignum concepta, tacitam hanc habent clauſulam, quatenus impetrans dignus, & idoneus reperiatur, ut notat Gonzalez *in cap. accepimus numer.* 3. *de ætat. & qualitat* quæ inquam potiùs ſonat in monitionem, & inſtruunt exequutorem, ut intelligat qualis eſſe debeat ille cui providet, cùm ex ſupradictis in qualibet Benefici proviſione de Jure inſit, & punctualiter notat Barboſa *de Clauſulis clauſul.* 66. *nu.* 1. *& clauſul.* 151. *num. eodem*.

Hujuſmodi itaque litterarum peritia neceſſarium re-
9 quiſitum ex Jure Divino ad conſequenda Officia, & Beneficia Eccleſiaſtica, tam enixè à Sac. Canonibus inculcata, & à Summis Pontificibus ſummo zelo in eorum collationibus volita, cùm non præſumatur, eſt neceſſariò ab Impetrantibus Beneficia probanda; Quamvis enim idoneus quis in dubio præſumi debeat, niſi contrarium probetur, ex Textu expreſſo in *cap. ultim. de præſumpſ. & leg. cum quidem ff. de legat.* 2. attamen concluſio utique procedit quoad idoneitatem, quam dicunt intrinſecam, ad mores ſcilicèt pertinentem, juxta illud generale principium, quòd homo præſumatur ex ſui natura bonus, apud D. Thom. 1. 2. *qu.* 62. *art.* 1. omnia enim virtutum ſemina à natura nobis inſita ſunt, ut ait *Philoſ. lib.* 2. *Ethic. cap.* 1. At verò Idoneitas extrinſeca, quæ ex ſolo labore, & induſtria ho-
10 minis contingit, ut eſt in caſu litterarum peritia, numquam præſumitur, ſed ſpecialiter probanda eſt, natura enim non facit artem, quamvis diſponat ad artem, *leg.* 12. *& leg.* 65. *ff. de legat.* 3. & hanc diſtinctionem comprobant *Repetentes in cit. cap. final. de præſumpt.* & ſpecialiter Abbas, Felinus, & Gonzalez, Lotter. *de re beneſ. lib.* 2. *q.* 50. *num.* 62. Pariſ. *de reſign. lib.* 10. *quæſt.* 3. *à num.* 54. *ad* 65. Maſcard. *de prob. concluſ.* 878. *num.* 1. *ad* 4. Menoch. *de præſ. lib.* 6. *præſ.* 91. *num.* 18.

Singularis quippè modus ad probandam idoneitatem
11 ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica, quæ circa ſufficientem ſcientiam verſatur, conſtituitur in examine promovendi, ex Textu communiter allegato *in capit. ſi forte de elect. in* 6. & facit Rota *in deciſ.* 166. *num.* 6. *par.* 19. *rec.* optimum quippè doctrinæ experimentum, in quo non ex præparato quis loquens, ſed ſubitò deprehenſus quantùm ſit animi, quantùm ingenii, quantùm etiam profectus ſermone retegit, ut ſcitè ſcripſit Seneca *in Epiſt.* 11. *in princ. & ex Anchar.* notat Lotter. *loco cit. num.* 64. notabiliter etiam ſubdens, quòd ob id examinandus omninò tenetur ſe conſpectui examinatorum præſentare, nec aliter in abſentia approbari valet, Rota *in deciſ.* 18. *num.* 4. *verſ. ſecundus de conceſſ. præb. in novis*, & quòd neque Examinatores abſen-
12 tes ſuper idoneitate ſuffragium ferre poſſunt, ex Rota *in Carthaginen. die* 10. *Decembris* 1600. *coram Lancellot.* Cavendum itaque eſt à Gonzaleg. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 4. *num.* 106. Pariſ. *de reſignat. lib.* 10. *quæſt.* 3. *num.* 65. aliiſque autumantibus, quòd per Teſtes idoneitatem in litteratura probari poſſit; nam incautè concluſionem deſumpſerunt ex *deciſ.* 8. *de probat. in novis*, *& deciſ.* 6. *de Teſtib.* aliiſque, quæ optimè firmant, idoneitatem, quæ circà mores, & ætatem verſatur, per dicta Teſtium probari poſſe; quòd verò ſcientia, & litteratura per Teſtes probari nequeat, ſed ſolo examine experiri debeat, non obſcurè firmavit Rota *in cit. deciſ.* 8. *in fine*, & clariùs in *deciſ.* 18. *de conceſſ. præbend. num.* 4. *verſ. ſecundus*, ubi noſtram concluſionem corroborando dixit, informationem ſuper vita, moribus, & fide impetrantis recipi poſſe etiam ipſo abſente per Teſtes, non autem ſuper ſcientia, & litteratura, quæ exigit præſentiam hominis, nec alio modo poſſe conſtare, niſi per examen, & cum hac diſtinctione procedit etiam Garzias *de beneſ. part.* 6 *cap.* 2. *num.* 235. latè Lotter. *loco cit. num.* 63. *cum ſeqq.* & tandem quidquid ſit in puncto Juris, quòd de ſtylo litteratura probetur tantummodò per examen, teſtatur Pariſ. *de reſign. lib.* 10. *tom.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 66.

Hujuſmodi autem examen, quamvis ſemper requiratur ad probandam idoneitatem quoad litteraturam, 13
non eſt tamen neceſſarium requiſitum in collatione omnium beneficiorum, niſi à Sac. Canonibus ſit expreſſè præſcriptum pro forma, ut dicemus in Collatione Parochialium; cæterùm quando quis eſt notoriè litteratus, & habilis, tunc poteſt abſque alio experimento promoveri, Gonzalez *ad reg.* 8. *gloſſ.* 4. *num.* 86. Bellett. *diſquiſ. Cleric. par.* 1. §. 4. *de diſcipl. cleric. nu.* 42. *verſ. niſi talis*, Barboſa *de Episcopo par.* 3. *alleg.* 60. *num.* 85. Mandoſ. *in reg.* 24. *de malè prom. quæſt.* 3. *n.* 4. *cum ſeqq.* Graſſ. *de effect. cleric. in prælud. num.* 128. Nicol. *in floſc. verb. Doctor. num.* 31. An verò, ut firmant mox citati DD. Graduati, ſeù Doctores poſſint dici notoriè idonei, ex quo prævio examine gradum 14
in Academia conſequuti fuere, tu videris, ex quo plures quotidiè oumereotur Doctores, qui nec prima callent Legum principia, itaut non incomptè dixerit Pax Jordan. *de re Sac. lib.* 1. *tit.* 19. *num.* 3. quòd hodie privilegium non facit Doctorem, ſed Doctoratum; Eccleſiam autem Dei indigere doctis Viris, non verò Aſinis Laureatis, dicebat Pius II. relatus à Felino *in cap. ſi quando num.* 7. *de reſcript.* non ita autem mordicus diſſerendo, quòd Doctor, niſi aliunde quàm ex privilegio ſit notoriè doctus, in impetrationibus beneficiorum, & officiorum Eccleſtiacorum examine experiri debeat, juris meritò probatur; nam ex probatione gradus inferri quidem poteſt ad præſumptionem, ſed non ad probationem ſcientiæ, & habilitatis neceſſariæ in promovendo, Rota *in dec.* 444. *num.* 4. *coram Penia*, & ait Lotter. *de re benef. in appar. num.* 128. quòd ex ſimplici Doctoratu non benè infertur ad effectivam doctrinam, quem ſequitur, aliis DD. cumulatis, D. Anſald. *in proem. ad ſuas deciſ. num.* 30. ubi verò requiritur probatio, non ſufficit præſumptio, ut in noſtris terminis concludit idem Lotter. *cit. lib.* 2. *quæſt.* 50. *à num.* 70. *ad* 76. ubi contrariam opinionem refellit, Mandoſius *ad regul.* 6. *Cancell. quæſt.* 13. *num.* 3. *verſ. hodie video*, & priùs Abbas *in cap. cum ſecundum num.* 13. *de præb.* & faciunt allata per Corrad. *in praxi beneſ. lib.* 2. *cap.* 4. *à num.* 118. *ad finem*, Menoch. *de arbitrar. caſ.* 425. *num.* 38.

Conſecutivè etiam ad regulam ſupra poſitam, quòd notoriè idoneus promoveri poteſt abſque examine, eve- 15
nit quòd ſemel examinatus, & repertus idoneus non eſt iterum ad ſimile beneficium, vel dignitatem examinandus, multoque minùs ſi ad minora beneficia promoveatur, ut ſi quis idoneus ſit repertus ad Curata, idoneus etiam reputabitur ad beneficium ſimplex, ut firmant Fagnan. *in cap. accepimus de ætat. & qualit. numer.* 24. 32. *&* 39. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 4. *num.* 88. Barboſa *de Episcopo par.* 3. *alleg.* 60. *num.* 89. Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *quæſ.* 9. Maſſobr. *in praxi habendi concurſum prælud.* 3. *dub.* 3. *numer.* 30. Rota *in deciſ.* 259. *num.* 6. *dec.* 269. *numer.* 9. *& deciſ.* 783. *n.* 3. *coram Emerix Jun.* Verùm difficultatem non modicam in hac concluſione ingerere videtur Rota *in deciſ.* 1323. *coram Seraphino*; ubi latè firmat, quòd quidquid ſit de Jure communi, tunc inſpecta ſanctione Concilii Tridentini cæptus beneficiari, in quolibet aſcenſu denuò examinari debet, cùm novus quæratur titulus; quam theoricam ſequitur Campanil. *in diverſ. Jur. Can. rub.* 5. *cap.* 3. *num.* 8. Niſi omnem diſputationem adimeret Stylus Curiæ, ex quo ſemel examinatus, & approbatus, non ampliùs ad ſimile beneficium examinatur; ut teſtantur præcitati DD. & eſt mens Sac. Congregationis Concilii in *Derthonen. Caravana* 16. *Julii* 1689. in qua cenſuit, quòd cùm quidam Canonicus in actu adeptionis Canonicatus examinatus, & idoneus repertus fuiſset, iterum examinandus non eſset in aſſecutione alteriùs Canonicatus; & quòd Canonici, & Beneficiati ſemel approbati non

ſint

Digitized by Google

ſint iterum examinandi; niſi nova ſuperveniente cau-
ſa, cenſuit in *Tiraſonen. Martii* 1589. *lib.* 5. *decret.*
pag. 265. ſenſus autem Rotæ *in cit. deciſ.* 1323. utiq;
16 procedit quando examen pro forma eſt requiſitum, ut
in collatione Parochialium; quo caſu limitatur regu-
la, quod notoriè idoneus examinari non debeat, ut ſu-
pra diximus, & firmat Gonzalez *citat. Gloſſ.* 4. *numer.*
89. Lambertin. *de Jurepat. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 11. *ar-*
tic. 3. *num.* 1. *&* 2. Garzias *de beneſ. par.* 6. *cap.* 2. *n.*
253. *cum pluribus ſeqq.* ubi plura Sac. Congr. Concilii,
& Rotæ decreta refert, firmantes novum examen re-
quiri, etiamſi quis pluries ad Parochiales eſſet appro-
batus, & idoneus repertus; vel etiam quando quis ad
ſimile beneficium promoveatur in Eccleſia tamen ma-
jori, aut nobiliori, ſivè celebriori; pro magnitudine
enim; vel celebritate loci, major, vel minor ſcientia
in Beneficiato eſt neceſſaria, Abbas *in cap. cum in cun-*
ctis, & cap. qualiter de electione; Aut tandem ſi præ-
ſumatur, cum poſt examen ſe negligenter in ſtudio lit-
17 terarum geſſiſſe, & oblitum eſſe ejus, quod antea di-
dicerat, Azor. *Inſtit. moral. lib.* 6. *cap.* 6. *quæſ.* 9. Bar-
boſa *in cit. allegat.* 60. *n.* 90. *&* 91. ubi alias limitatio-
nes congeruntur; An verò Regulares ſemel ab Epiſco-
po examinati, & approbati ad confeſſiones perſonarum
ſæcularium audiendas poſſint iterum examinari, & re-
perti inhabiles reprobari, dicam in *Conſtit.* 133. *S. Pii*
V. incip. Romani.

Congruum ſanè nunc eſſet poſt has generales cogni-
18 tiones deſcendere ad particularia, diſſerendo ſcilicèt
quando quis cenſeatur notoriè idoneus ad Beneficia
ſimplicia, & quando ad Canonicatus, aliaque Benefi-
cia, & Officia Eccleſiaſtica, ut abſque examine ad ea
promoveri poſſit; & numquid in collationibus Bene-
ficiorum in forma dignum à Dataria impetratis, ne-
ceſſariò, & pro forma requiratur examen. Verùm cum
propriam ſedem hujus materiæ alibi in hoc opere in-
venimus, ibi favente Deo latè proſequemur.

CONSTITUTIO I.

CLEMENTIS VI.

Incipiens (*Solicitudinis*)

EPITOME BULLÆ.

CLEMENS ABBATI MONASTERII S. Mariæ de Monte Oliveto, &c.

IMpartitur facultatem Abbati Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti retinendi, & acquirendi nova loca, ac Monaſteria, ibiq; Sacramenta adminiſtrandi.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Clementis VI. ad Pontificatum aſſumptio refertur.*
2 *Ejus mores, doctrina, ac dignitates in Minoribus obtentas indicantur.*
3 *Referuntur ejus geſta in Pontificatu.*
4 *Statum Venaiſinum à Joanna Regina Neapolis emit.*
5 *De Inſtitutione Congregationis Montis Oliveti. Remiſſivè.*
6 *Indicantur diſpoſita in hac Conſtitutione quoad eamdem Congregationem.*

SUcceſſor Benedicti XII. in Sedis Apoſtolicæ regi-
mine à Cardinalibus, in Conclavi apud Conven-
1 tum PP. Prædicatorum Avenione peracto, deſigna-
tus extitit Petrus Rugerius Monſtrius, Præsbyter Car-
dinalis ex Ordine Divi Benedicti; Is enim nobilibus,
licèt pauperibus parentibus natus, in loco Melmontis 2
Lemovicenſis Diœceſis, in ſcientiis Philoſophiæ, ac
Theologiæ maximè præfulſit, itaut Petrarca literatiſ-
ſimum eum decantaverit. Variis muneribus exercitus,
ad Epiſcopatum Arelatenſem promotus, deindè Seno-
nenſem, ac Rothomagenſem Eccleſiam obtinuit: Car-
dinalis demùm creatus à Benedicto XII. in Summum
Pontificem renunciatus fuit die 9. Martii, ac corona-
tus die Pentecoſtes 14. Kal. Julii Ann. 1342. Apud
omnes magni, eximiique Viri exiſtimationem prome- 3
ruit; & quidem nulli Pontificum ceſſurus, ſi agnatis
caruiſſet, in quos profuſior fuit, quàm ſua dignitas po-
ſtulabat. Ludovicum Bavarum Imperatorem iterum ex-
communicavit; ſtatum, ſeù Comitatum Venayſinum
propè Avenionem à Regina Neapolis Joanna emit, 4
non autem à Philippo pulchro, ut alii aſſerunt; licèt
fuiſſe antea de dominio Sedis Apoſtolicæ alii autuma-
verint, tempore ſcilicet Gregorii X. Annum Jubilæi in
Urbe maximo fidelium concurſu in 50. annos reduxit,
ac celebravit anno 1450. Obiit Avenione 8. Idus De-
cembris Ann. 1352. ac in ejus Cathedrali ſepultus fuit,
cùm ſediſſet in Pontificatu annis decem, ac ferè ſeptem
menſibus.

Inſtitutionem Congregationis Montis Oliveti ſub re- 5
gula D. Benedicti retuli ſupra *Conſtit.* 15. Joannis XXII.
ibique mentionem habui hujus Bullæ, quæ edita fuit
ab hoc Pontifice 12. Kal. Februarii Anno 1344. Sum-
mus etenim ille Pontifex Benedictinam familiam ſum-
moperè amore ferventi proſequutus, hanc novam Con-
gregationem ſub illius regula militantem, & recenter
approbatam à Sede Apoſtolica, novis eam favoribus
cumulare ſtatuit, impartiendo facultatem, ut nova loca 6
acquireret in Italia; cum enim Monaſterium S. Mariæ
Montis Oliveti caput exiſteret iſtius Religionis, ac ejus
Sodales propagari cœpiſſent, nova loca, & Monaſte-
ria recipi permiſit Clemens in hac Conſtitutione; Ve-
rùm quoad modum conſtruendi novos Conventus quo-
ad omnes Regulares adeſt *Conſtitut.* 99. Clemen. VIII.
in qua praeſcribitur forma ſervanda, de qua ſuo loco
dicam; prout circa facultatem miniſtranda Sacramen-
ta in Eccleſia Regularium quoad ſæculares, alibi erit
ſermo, cùm adſint ſpeciales Conſtitutiones.

CONSTITUTIO II.

CLEMENTIS VI.

incipiens (*Regimini*)

EPITOME BULLÆ.

CLEMENS AD PERPETUAM rei memoriam.

REformationem Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ à Benedicto XII. Incœptam, hic Papa perficit, & obſervandam præcipit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *De Fratrum Servitarum origine, & progreſſu: Remiſſivè.*
2 *Servitarum Ordo quàm impensè à B. V. Maria protegatur.*
3 *Reformatio hujus Ordinis à Benedicto XII. promota, & à Clemente VI. perfecta fuit.*
4 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
5 *Innuuntur aliæ ejuſdem Ordinis ſequentes Reformationes.*

6 *Primævus hujus Ordinis Reformatio quatenùs à S. Philippo Benitio promota fuerit.*
7 *Diviſio Servitarum inter Conventuales, & Obſervantes undè originem habuerit.*
8 *S. Pius V. Servitas in una Congregationem redegit, eamque reformavit.*
9 *Gregorius XIII. novam Reformationem Servitis indixit.*
10 *Referuntur aliæ Reformationes factæ à Clemente VIII. & Urbano VIII.*
11 *Quæ præſcripſerit Clemens VIII. pro conſervatione Eremi Montis Senarii ejuſdem Ordinis.*
12 *Sub Ordine Servitarum militant Fratres, & Sorores Tertii Ordinis Servitarum.*

DE Fratrum Servorum Beatæ Mariæ, ſivè Servitarum origine, primœvo progreſſu, & privilegiis
1 ſupra dixi ad *Conſtitut.* 1. Benedicti XI. *incip. Dum Levamus tom.* 3. *pag.* 557. in qua idem Benedictus regulam, atque inſtitutiones Apoſtolica auctoritate communivit, & comprobavit; In præſenti verò, ad noſtram Conſtitutionem alludendo, quantò magis Servitarum Ordo ſub ſpeciali tutela, & protectione Bea-
2 tiſſimæ Virginis Mariæ, jugiter in tranquillitate Spiritus gratum Deo impendebat famulatum, eò ſanè majoribus impetitus fuit inſidiis ab Inimico Mulieris, juxta illud: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*, *Geneſ. cap.* 3. 15. & qui *iratus eſt Draco in Mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei: Apocalyp. cap.* 12. 17. adeòut non ſemel hujus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Religioſum progreſſum conturbaverit, numquam tamen proſtraverit; quippè toties Ordo ipſe vegetior reſurrexit, quoties ejuſdem refrigeſcentem charitatem Summi Pontifices excitarunt.
3 Siquidem inter alia, quæ huic primæ reformationi cauſam dedere, recenſetur, quòd Petrus quidam de Tuderto Generalis Prior, adeò contra primœvæ charitatis, & æquanimitatis inſtitutum in ſua adminiſtratione, & regimine ſe gerebat, ut nonnulli Religioſæ obſervantiæ zelotes, quaſi quod integra non ampliùs eſſet res ad conſulendum intra monaſticos parietes, ad Benedictum XII. confugerunt, atque ſincerè expoſitis omnibus maculis, quibus obnubilabatur hæc Religio, iterum atque iterum expoſtularunt, ut Apoſtolica providentia, & auctoritate ad priſtinum, & ſibi innatum ſplendorem redigeretur. Seriò igitur idem Benedictus eo, quo flagrabat deſiderio Regularis profectus, incubuit ad hujus Ordinis reformationem, ut ad S. Sedem evocato eodem Petro de Tuderto, nonnulliſque Prioribus, & Fratribus ſtudia partium componere curaverit, atque, ut ſolet, inter diſceptandum detectis, quæ tàm in capite, quàm in membris reformatione, & correctione indigebant, dum idem Benedictus omnibus ſalubriter providere ſatagebat, morte præventus,
4 provinciam hanc explendam ſucceſſori reliquit; quam quidem non minori Zelo, & Studio perſecit Clemens VI. immediatus in Apoſtolica auctoritate Succeſſor, hac edita Conſtitutione Avenione 10. Kal. Aprilis Anno 1346. in qua plura ſtatuit quoad Prioris Generalis, Provincialis, & Conventualis munera, Capitulorumque Generalium, & Provincialium celebrationem.

Cùm verò poſt hanc Conſtitutionem non ſemel re-
5 formatus, & in meliùs, ut tempora ipſa diuturna experientia docuerunt, directus hic Servorum B. Mariæ Ordo, nobis inferiùs recurrat, & potiſſimè in *Conſtitutione* 103. S. Pii V. *incip. Poſtquam & in Conſtitut.* 60. *Clem. VIII. incip. Nullus*, atque in ipſamet Religione Conſtitutiones generales pro bono regimine totius Ordinis editæ, & ab Urbano VIII. ut infra, confirmatæ, ad umquem in præſenti ſerventur, quemadmodum bonos Religioſos decet, adeòut tamquam antiquata noſtræ Reformationis Capitula in eadem Religione habeantur; quapropter potiùſquam inſiſtere in particularibus noſtræ Bullæ, nonnulla adiiciam in generali quoad reformationes, & obſervantias hujuſce Servitarum Ordinis; ut exindè præſens ejuſdem ſtatus eliei poſſit, & qui antea fuerit; Ut itaque in *cit. Conſtitut.* 1. Benedictus XI. dixi, primùm inſtitutus fuit hic eximius Ordo Servitarum in Monte Senario propè Florentiam à ſeptem Nobilibus Viris, anno noſtræ recuperatæ ſalutis 1216. Primùm verò Reformatorem, 6
vel meliùs dicam propagatorem agnoſcit S. Philippum Benitium, qui viſione Cœleſti in Servorum familiam nuper inſtitutam vocatus, aſperioris vitæ cupidus ſuo eximio virtutum exemplo leniter, & ſuaviter ferè collapſam regulæ puritatem reſtituit, ut non incongruè nominari poſſit novus ejuſdem Ordinis quaſi Inſtitutor, & propagator; qua verò charitate, & animi prudentia facilè inde elicitur, quod ad moderandum, & inſtruendum totum Chriſtianum Orbem ab aliquibus Cardinalibus evocatus fuerit in comitiis poſt Clementis IV. obitum; ſed ipſe, humilitate duce, paſtorale regimen latitando reſpuit, ut habetur in Sacra Legenda *lect.* 4. *& 6. die* 23. *Auguſti*. Senſim itaque in Monaſteriis Servitarum introduci cœpit hujuſmodi reformatio temporibus Martini IV. circa finem ſeculi decimitertii; cùm verò non omnes meliora chariſmata emularentur,
prior etiam vivendi modus in aliis quibuſdam Mona- 7
ſteriis remanſit, indeque originatam diſtinctionem Fratrum Servitarum Conventualium, & obſervantium potiſſimè in Lombardia, probabiliter cenſet Morigia *in hiſt. Relig. c.* 30. Marul. *in Oceano Religion. lib.* 4. *pagin.* 302. *cum ſeqq.* Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 24. *quæſ.* 4. *num.* 64. Novo iterum Inſtauratore indiguit hæc Servitarum Religio, clavum Eccleſiæ regente Benedicto XII. quo quidem tempore opportuna, & proficua habita ſunt pro totius Ordinis regimine, quæ in præſenti Conſtitutione diſponuntur, ut ſupra la-
tè dixi; Profectò autem S. Pius V. animadvertens quan- 8
tò meliùs in unitate ſpiritus proficerent Fratres Servitæ, qui in duas familias ſupra recenſitas abſque ſpeciali, & expreſſa Apoſtolica auctoritate diviſi militabant: antiquato Congregationis nomine, quod Servitæ Obſervantes ſibi aſciverant, in unum idemque corpus, ac in unam eamdemque familiam, uni dumtaxat capiti ſubjectam, ſub eadem regulari vita reduxit, ut inquit in principio *Conſtitut.* 103. incip. *Poſtquam*, quæ quidem unio uſque nunc impensè colitur, ut omnium unus ſit Servitarum Generalis Miniſter, cujus gubernio, & adminiſtrationi totus Ordo paret. In eadem verò Conſtitutione edita anno 1570. S. Pius V. poſt hujuſmodi unionem factam certa quædam, bonum omne in Religione pervertentia (ut ait) præcidit, nova edita reformatione in trigintatres capitulis diſtincta; Succeſſivè autem in Comitiis generalibus Parmæ celebratis
26. Maii 1579. unanimi Servitarum conſenſu electi 9
fuere ex ipſis tres Viri doctrina, & rerum experientia inſignes, ut nonnulla eorumdem Conſtitutionibus adderent, & inſtruerent ad majorem obſervantiam unionis, & reformationis ultimodictæ, qui ſanè laudabili cura, & induſtria quædam corriggendo, declarando, & abuſus tollendo Conſtitutiones Ordinis Servorum B. Mariæ ediderunt, quæ tamquam ſummoperè conſona regulari profectui, & primœvorum hujus Ordinis Fundatorum menti, vivæ vocis oraculo primùm, deindè verò ſuis litteris in forma Brevis confirmata fuere à Gregorio XIII. ut apparet inter Conſtitutiones Ordinis Servitarum.

Neque ſanè tot tantiſque Apoſtolicis ſanctionibus,
quibus Summis Pontifices, prout præcipuè in Domino 10
amore proſequuntur, ita ſæpeſæpiùs Ordinem Servorum correxerunt, & reformarunt, ſatis eorumdem profectui fuiſſe proviſum, ex aliis decretis ad id editis elicitur; Etenim poſtquam Clemens VIII. in *Conſtit.* 60. incip. *Nullus* decreta generalia pro reformatione Regularium tàm Monachorum, quàm Mendicantium cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti edidit, ut vetus Regularis diſciplina, in quo collapſa eſſet reſtauraretur; cùm compertum fuerit in Ordine Fratrum Servorum, penitùs eadem decreta negligi, Congregatio Viſitationis, & Reformationis Apoſtolicæ ejuſdem Ordinis Generali Miniſtro tunc nuper electo, ejuſque pro tempore Succeſſoribus in vim Sanctæ Obedientiæ, atque aliis

pœnis

Digitized by Google

pœnis fulminatis, diſtrictè injunxit eorumdem decretorum obſervationem, atque ulteriùs ſpeciali ejuſdem Clementis VIII. mandato plura ad particularem reformationem Servorum in trigintatribus capitibus diſtincta, ut perpetuò, & invincibiliter in ſæpèdicto Ordine ſervarentur præſcripſit, ut in calce *cit. Conſtit.* 60. Tandem verò, regnante f. m. Urbano VIII. pro totius Ordinis Servitarum bono regimine editæ fuerunt Conſtitutiones ex Apoſtolicis recenſitis ſanctionibus deſumptæ, atque in Comitiis Ordinis coactis ab anno 1625. ad annum uſque 1633. declaratæ, & auctæ, quæ ab eodem f. m. Urbano VIII. confirmatæ, & explicatæ fuerunt in *Conſtitut.* incip. *Sacroſancti*, ſub datum 23. Februarii 1639. & in ejus declaratoria in Bullario non impreſſa, & hæ quidem Conſtitutiones, tamquam noviſſima Sedis Apoſtolicæ decreta, jugiter in Servitarum Ordine præ oculis habentur, ut ſupra innui.

Demùm verò, ne Sacræ Eremi Montis Senarii me-
31 moria excideret, in qua, ut dixi, Servitarum Ordo in-
choatus fuit, & primùm à S. Philippo Benitio reforma-
tus, inibique ſeptem Inſtitutorum corpora requieſcunt,
ſupplicantibus Priore generali totius Ordinis Servita-
rum, ac Priore Conventuali Monaſterii Beatæ Mariæ
Annunciatæ Civitatis Florentiæ, Clemens VIII. beni-
gnè annuit, ut in ampliorem formam ibi redigeretur
Conventus, ſeù Domus, cui Sacræ Eremi Montis Se-
narii denominatio eſſet, atque ibi introducerentur ſe-
ptem Fratres profeſſi, qui primœvum Ordinis inſtitu-
tum in vita Eremitica ſervarent, certis præſcriptis
Conſtitutionibus, ſub regimine tamen Generali totiùs
Ordinis Servitarum, & immediato gubernio Prioris
prælaudati Conventus Sanctiſſimæ Annunciatæ, qui
neceſſaria pro victu, & veſtitu eiſdem Eremitis ſub-
miniſtrare teneretur, atque in Eremo deputare ſingu-
lo quoque biennio Vicarium, ut ſui loco præeſſet, a-
liaque idem Clemens VIII. præſcripſit tàm pro ſpiri-
tuali, quàm temporali eorundem Eremitarum progreſ-
ſu in *Conſtitut.* 80. incip. *Decet*; quarum quidem or-
dinationum nonnullam modificavit Paulus V. in *Con-
ſtitut.* 79. incip. *Sedis*. Neque tandem eſt prætereun-
32 dum, quod ſub Servitarum Ordine militant quoque
Fratres, & Sorores Tertii Ordinis Servorum Beatæ
Mariæ Virginis, quarum Conſtitutiones confirmavit
Martinus V. in *Conſtitut.* 16. incip. *Sedis*, ut infra
latius dicam.

CONSTITUTIO III.

CLEMENTIS VI.

incipiens (*Etſi*)

EPITOME BULLÆ.

CLEMENS AD PERPETUAM rei memoriam.

CONfirmat Conſtitutionem Joannis XXII. contra ſupponentes aliquo modo loca Patrimonii S. R. Eccleſiæ alicui, aut ea uſurpantes in dominium, Advocatiam, aliamque ſuperioritatem.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Clemens VI. quas pœnas ſtatuerit contra uſurpantes dominium, vel juriſdictionem in aliquo loco ſtatus Eccleſiaſtici.*

2 *Cura Summorum Pontificum in conſervando Sacro Romanæ Eccleſiæ Patrimonio.*

3 *Proponuntur tractanda in præſenti Commentario.*

4 *Quid Jo: XXII. & Clemens VI. ſtatuerint contra uſurpatores ejuſdem Patrimonii.*

5 *Pius IV. revocavit infeudationes abſque neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ Romanæ factas.*

6 *Bulla Piana de non infeudandis quid diſponat, & quatenùs ab aliis Pontificibus fuerit confirmata.*

7 *Innocentius IX. Bullam Pianam pluribus declarationibus roboravit.*

8 *Idemque impenſis præſtitit Clemens VIII.*

9 *Sub Bulla Piana non comprehenduntur feuda confiſcata ob delictum.*

Bulla Cœnæ quid quoad hoc diſponat. Ibid.

10 *Clemens VI. prohibuit, ne loca Eccleſiæ Romanæ ſe traderent ſub alterius Advocatia, ſeù Clientela.*

11 *Advocatia nomen quid importet, & quatenùs Eccleſia expediat habere Advocatos.*

12 *Subditi non poſſunt, inconſulto Principe, ſub alterius Advocatia ſe ponere.*

13 *Itemque nec ligam, ſeù confœderationem facere. Nec duæ Civitates mutuam defenſionem promittere poſſunt abſque Principis Auctoritate. Ibid.*

14 *Innuuntur rationes, cur Civitatibus ſubditis non debeat permitti ſibi externos Advocatos adſciſcere.*

15 *Civitates ſubditas poſſe etiam irrequiſito Principe alterius Advocatiæ ſubjici, aliqui voluerunt.*

16 *Advocatia, ſeù juri protegendi nulla eſt adnexa juriſdictio.*

17 *Confœderationes ad defenſionem ſtatus, & perſonæ, omnibus ſunt permiſſa.*

18 *Firmatur, Civitatibus eſſe prohibitas Advocatias ſine conſenſu Principis.*

19 *Confœderationes non ſunt permiſſa Civitatibus ſubditis.*

20 *Jus defenſionis naturalis non permittit Civitatibus ſe dare in alterius clientelam, inconſulto Principe.*

21 *Subditi, quos Princeps tueri non valet, poſſunt ſe dare in alterius Advocatiam.*

22 *Itemque ſi ab eo tirannicè tractentur.*

23 *Prohibitio ſe ſupponendi in alterius Clientelam militat tantum in veris ſubditis, & qui iſti ſint.*

24 *Hæc prohibitio non comprehendit recurſum ad Patrocinium Summi Pontificis, vel Imperatoris.*

COnſulturus indemnitati dictionis Pontificiæ, di-
verſimodè à præpotentibus Viris his temporibus
labefactatæ, Clemens VI. hac edita Conſtitutione A- 1
venione die 21. Julii Anno 1346. veſtigia Joannis XXII.
prædeceſſoris preſſit, ſpiritualibus, & temporalibus pœ-
nis animadvertendo contra uſurpantes in ſtatu Eccle-
ſiaſtico alicujus Civitatis, oppidi, vel Caſtri dominium,
Superioritatem, Capitanearum, Advocatiam, Juriſdi-
ctionem præeminentiam, ſivè præſidentiam quam-
cumque, nulla ſpeciali Apoſtolicæ Sedis licentia ſufful-
tos; atque ſimilibus pœnis obnoxias Civitates ipſas,
Caſtra, vel Oppida idem Pontifex edixit, quæ hujuſ-
modi Juriſdictiones recognoſcerent, ſivè ſubjectionem
quamcumque profiterentur independenter ab Apoſtoli-
cæ Sedis auctoritate; Confirmata tandem, & inno-
vata Conſtitutione ejuſdem Joannis XXII. cujus te-
nor in fine hujus Conſtitutionis ſummatim inſeritur.
Hanc ſanè ſolicitudinem integram illibatamque
conſervandi Eccleſiæ Romanæ temporalem ditionem, 2
plerique Summi Pontifices impensè geſſerunt, qui uti
noſtro œvo proximiores, ita majori rerum experientia
informati, meliùs ſacro ejdem Patrimonio conſuluerunt, omnibus ſibi propoſitis caſibus, quibus vel aperta vi, quaſi per rapinam, vel ſubdolè, & per inſidias diſcindi, aut adverſus ipſum moliri poſſe, tempora ipſa docuerunt; Itaque non minùs fore gratum, ac æquè utile cenſeo in præſenti Conſtitutione, quæ multarum ſequentium tamquàm veſtibulum erit, omnes Summorum Pontificum ſanctiones ad id editas, & in Collectione

ctione Cherubini diſperſas, unitim ſub oculis ponete
quaſi per epitomen, ut ex tot Bullis diverſimodè pro
indemnitate Status Pontificiis conceptis, unica quaſi
Conſtitutio, & Summorum Pontificum mens reſultet,
quam Provinciam neque compoſitè, ſeù integrè ex-
plevit Cardin. Laurea *in Epitome Canonum*, aliàs
diligentiſſimus Sacror. Canonum, & Extravagantium
Collector, & Summator. Primùm igitur in Bullario
4 operam hanc navaſſe comperitur Joannes XXII. in *cit.
Conſtitut.* 8. *incip. Inter cætera*, in qua nullas, & om-
ninò irritas declaravit alienationes, & ſubmiſſiones
quaſcumque, auctoritate Officialium, & Rectorum
ditionis Pontificiæ factas; Latiùs in præſenti Conſtitu-
tione Clemens VI. excommunicationis interdicti, a-
liiſque temporalibus pœnis animadvertit contra Uſur-
pantes Dominium, Superioritatem, vel Advocatiam
in Terris, & locis Romanæ Eccleſiæ ſubjectis, atque
in ipſa Loca, quæ voluntariè in hujuſmodi ſubjectio-
ne perſiſtunt. Quamvis verò ſubſequentibus tempori-
5 bus non ita imprudenter hujuſmodi Ditionis Eccleſia-
ſticæ Uſurpatores inſurgerent: perpendens tamen Pius
IV. quòd plerumque ejuſdem Civitatum, & Locorum
alienationes, ceſſiones, & infeudationes obreptitiè, &
ſubreptitiè, aliiſque malis artibus, & importunis pre-
cibus fuiſſe à Summis Pontificibus extortas, quapro-
pter edita *Conſtitut.* 104. *incip. Apoſtolica* hujuſmodi
alienationes, & infeudationes abſque neceſſitate, vel
evidenti utilitate Romanæ Eccleſiæ, aut ſaltem ſine
competenti recompenſa factas irritat, & revocat, non
obſtante etiam longiſſimi temporis præſcriptione; Ve-
rumtamen eſt in hac re attendenda Conſtitutio Cle-
mentis VIII. infrà recenſenda. Latiùs indemnitati Ec-
6 cleſiaſtici ſtatus providit Sanctus Pius V. dum edixit,
quòd ejuſdem Civitates, & Loca etiam hactenus in
feudum; aut quamvis in alienationis titulum dari ſo-
lita, ad Sanctam Sedem quomodolibet devoluta, &
pro tempore devoluenda, abſque uberiori declaratio-
ne, & poſſeſſionis apprehenſione, eo ipſo Sedi, & Ca-
meræ Apoſtolicæ incorporata cenſeantur perinde ac ſi
numquam in feudum, aut alium titulum conceſſa fuiſ-
ſent; ſub excommunicationis verò, aliiſque graviſſimis
temporalibus pœnis prohibuit quoquomodo conſule-
re, vel tractare ex quacumque cauſa de infeudationi-
bus, ſeù alienationibus Civitatum, & Locorum, e-
tiam quæ in feudum dari ſolerent; revocavit itidem
idem Pontifex privilegia quæcumque de eiſdem Civi-
tatibus, & Locis meliorandis, & retinendis uſque ad
expenſarum refectionem; Cavit tandem, ut hanc Bul-
lam obſervandam Cardinale in aſſumptione pilei jura-
rent, utpotè ipſemet Pontifex noviter electus, atque
ſuis litteris ſpecialibus eamdem renovaret, & confir-
maret, ut in ejus *Conſtitut.* 35. *incip. Admonet*; Hæc
quidem Conſtitutio, veluti ſummoperè proficua, at-
que ad conſervandam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Juriſ-
dictionem, & dignitatem ſalutaris, ut Sanctus Pius
inſinuavit, à pleriſque Summis Pontificibus Succeſſo-
ribus innovata, & confirmata fuit, inter quos à Gre-
gorio XIII. in *Conſtitut.* 3. *incip. Inter cætera*, Sixto
V. in *Conſtitut.* 20. *incip. Quanta*, Gregorio XIV. in
Conſtitut. 1. *incip. Romanus*, Innocentio IX. in *Con-
ſtitut.* 1. *incip. Quæ*, Clemente VIII. in *Conſtitut.* 1.
incip. Ad Romani, Paulo V. in *Conſtitut.* 13. *incip.
Inter*; Urbano VIII. in *Conſtitut.* 4. *incip. Sacroſan-
cti*, Innocentio X. in *Conſtitut.* 3. *incip. in Supremo*;
7 Inter tot verò Summos Pontifices Innocentius IX. præ-
cipuè cordi habuit ejuſdem Pianæ Conſtitutionis inte-
gram illibatamque obſervationem, declarando ex ipſa
prohiberi omnem, & quamcumque infeudationem,
& Civitatum, locorumque alienationem tàm imme-
diatè, quàm mediatè S. Sedi ſubjectorum, non ſolùm
poſt eorumdem devolutionem, ſed etiam antequam
devolvantur, & omnem, & quamcumque in perpe-
tuum, vel ad tempus prorogationem inveſtiturarum,
ac conceſſionum nondum finitarum, adeòut earum-
dem Civitatum, & locorum incorporatio ad effectum
impediendæ alienationis, & prorogationis hujuſmodi,
non à die devolutionis, ſed à die ipſius Conſtitutionis,
ipſo Jure Cameræ, & Sedi Apoſtolicæ facta cenſea-
tur, ut in *cit. Conſtitut.* 1. Innoc. IX. *incip. Quæ* §. 4.
Quemadmodum Clemens VIII. ut radicitùs quicumque 8
alienationum, & infeudationum prætextus evellerentur,
in recenſita Conſtitutione declaravit, eamdem Pianam
Conſtitutionem prohibere, & interdicere Civitatum,
& Locorum alienationes, & infeudationes, tàm quæ
numquam antea in feudum conceſſa, quam quæ aliàs
ſæpiùs alienata, & infeudata fuerunt, devoluta, &
nondum devoluta etiam ex cauſa neceſſitatis, aut ab-
ſolutæ, evidentis, & veræ utilitatis; adeòut juramen-
tum à Cardinalibus ſuper ejuſdem Conſtitutionis obſer-
vantiam præſtandum, caſum hunc neceſſitatis, & ve-
ræ utilitatis comprehendat; Nihil obſtante declaratio-
ne à Gregorio XIV. in Conciſtorio ſecreto emiſſa, quòd
Conſtitutio Piana non prohibet, feudum nondum de-
volutum, vera utilitate, vel neceſſitate ſuadente, ite-
rùm infeudari; quam quidem declarationem de una-
nimi aſſenſu Cardinalium revocavit, & annullavit idem
Clemens VIII. in *cit. Conſtitut.* 1. *incip. ad Romani* in
declaratoria *Sanctiſſimus* §. 6. *cum ſeqq.* Declaravit ve-
rò Gregorius XIII. quòd Ducatus, & Dominia ob de- 9
licta confiſcata non comprehendantur in recenſita S. Pii
V. Conſtitutione de bonis devolutis in feudum non
concedendis, ut in *Conſtitut.* 65. *incip. Tanta* §. 13.
Atque tandem pro indemnitate Eccleſiaſticæ Ditionis,
quotannis in Bulla die Cœnæ Domini publicari ſolita
ſolemniter excommunicantur, & anathematizantur qui-
cumque; per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè
quocumque quæſito colore invadentes, occupantes,
detinentes, vel deſtruentes Loca ſub Romanæ Eccle-
ſiæ dominio mediatè, vel immediatè ſubjecta, eorum-
que adhærentes, & fautores, ut in §. 20. ejuſdem Bul-
læ in Cœna Domini.

Hæc itaque ad uſque noſtra tempora ſtatuerunt Sum-
mi Pontifices, ne Sacrum Eccleſiæ Romanæ Patrimo- 10
nium, ſivè per rapinam, ſivè per inſidias diſcindere-
tur, & latiùs præ viribus reaſſumemus in ſingulis rela-
tis Conſtitutionibus; In præſentia autem, inſiſtendo
in præcipua hujuſmodi Conſtitutionis parte, in qua
Clemens diſpoſuit, ne quis in Civitatibus, ſeù locis
Romanæ Eccleſiæ ſubjectis Advocatiam, Superiorita-
tem, Capitaneatum, Præeminentiam, ſivè Præſiden-
tiam audeat ſibi vindicare, neque eadem Loca, & Ci-
vitates hujuſmodi Advocatiis, & Clientelis ſe commen-
dent. Jam ſupra diximus Advocatiæ vocabulum nil a- 11
liud importare, niſi munus protegendi, & tuendi tàm
in Bello, quàm in Pace, ad *Conſtitut.* 7. Gregorii IX.
numer. 4. *cum ſeqq. tom.* 2. *pag.* 538. atque ibidem la-
tè proſequuti ſumus, an expediat, Eccleſias Eccleſiaſti-
caque bona his Advocatiis committere; In *Conſt.* verò
4. Gregorii XI. infra exponenda, nonnulla dicemus de
Advocatiis in ordine ad Regulares Viros, an ne pro-
ficuum eiſdem ſit hujuſmodi Advocatos, ſivè Protecto-
res adſciſcere, & in quibus eorumdem munus verſetur;
Operæ pretium igitur nunc eſt immorari in Advoca-
tiis, & Protectionibus, quibus tempore Clementis VI.
ſe dabant Eccleſiaſtici Status Civitates, & Caſtra; &
quidem conſentanee Clemens VI. in præſenti Conſti-
tutione indiſtinctè prohibet hujuſmodi Advocationum,
& Clientelarum uſum inconſulto Summo Pontifice, ſi-
vè ad politiæ regulas, & rectam gubernandi rationem,
ſivè ad Juris principia habeatur reſpectus:

Quandoquidem Subditi inconſulto Principe, & ir-
requiſito ejuſdem conſenſu omninò nequeunt alterius 12
protectioni, ſivè Advocatiæ ſeſe committere, ex Textu
in *leg. divinè Cod. ne liceat potentioribus patroc. litis
præſtare*, in quo ſancitur, jactura cauſæ afficiendos eſ-
ſe eos, qui ſibi potentiorum patrocinium advocarunt,
leg. unica, Cod. de iis qui potent. nomine, *Novell.* 17.
de mand. Princ. §. *titulos autem*, & expreſſiùs in pro-
poſito in *leg.* 1. *Cod. ut nemo ad ſuum patroc. ſuſcip.
ruſtic. vel vicos eorum lib.* 1. ubi ſub graviſſimis pœnis
prohibetur, ne quis ad alienum patrocinium confugiat,
neque in Clientelam ſuam quiſque alienos Colonos re-
cipiat; ex quibus ſanè concluſionem firmant Cujac. *in
leg.* 2. *Cod. ut nemo ad ſuum patroc. Choppin. de doman.
lib.* 3.

Digitized by Google

lib. 3. *tit.* 19. Maull. de Homag. *tit.* 11. *num.* 6. HopingK. *de Jur. protect. Concluſ.* 29. Marth. Stephan. *de Juriſdict. lib.* 2. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 128. Michael. *de Juriſdict. Concluſ.* 138. Magerus *de Advoc. armata c.*
13 6. *num.* 296. *cum ſeqq.* Quapropter qui Superiorem recognoſcit, non poſſe aliter confœderationem, vel ligam facere, niſi ejus auctoritas interveniat, firmant Gigas *de crimin. læſa Majeſt. par. ult. quæſt. penult. in fine*, Gregorius *de Republ. lib.* 7. *c.* 3. *num.* 8. Farinac. *in pract. crim. tom.* 4. *quæſt.* 113. *num.* 35. Quinimò neque Civitates duas poſſe inter ſe uniri, & mutuam defenſionem ad invicem ſpondere abſque Principis auctoritate, docet Lauren. *in deciſ. Aven.* 128. *num.* 4. & facit Franc. Marc. *deciſ. Delphin.* 364. *par.* 1. Et ſanè
14 triplici ex ratione, quam vocant, Status, fulciri poteſt hujuſmodi Concluſio, quòd Civitates, ſivè Perſonæ ſubditæ in alterius protectionem, ſivè Advocatiam abſque auctoritate Principis ſe committant, ſivè quia Principem ipſum non levi injuria afficerent, quaſi quòd vel ipſe nequiret ſe, & ſuos ſubditos defendere, & extraneos inſultus propulſare; vel ſaltem ſi Princeps ſit notoriæ potentiæ, iniquum gerat animum, ut alienam defenſionem contra ejuſdem violentias præparare neceſſe ſit, ut innuit Mager *de advoc. armata cit. cap.* 6. *nu.* 299. Ulterius in nullo benè ordinato dominio hujuſmodi Advocatiæ, ſivè Protectiones extraneæ permitti debent; cùm maximum Principis diſcrimen, & præjudicium in ipſis verſetur, vel quia ſubditi cùm ſe niti ſciant potentiorum clientelæ, publicam quietem & finitimos infeſtant, paulatim ab obedientia ſui Principis deficiunt, quinimò plerumque adverſus ipſum inſurgere audent, Hopingh. *de Jure protect. concluſ.* 32. Myter. *de Advoc. cap.* 5. Stephan. *de Juriſd. lib.* 2. *cit. cap.* 2. *num.* 132. vel ſi non eſt cur dubitetur de morigeratis ſubditis, ſemper urget ſuſpicio, quòd hujuſmodi Advocati, ſeù Protectores ad proprium quæſtum, atque utilitatem jus protegendi vergant, & ſub ſpecioſo protectionis prætextu, juriſdictionem, & dominium ſenſim uſurpent, ut ſcitè dixit Bald. *in cap.* 1. *in* 2. *repet. num.* 9. *de Judic. Propter iſtam rationem Advocatiarum multa Regna hodie non ſunt ſub Imperatore, quæ olim fuerunt*, & latè perpendit Michael *de Juriſdictione concluſ.* 138. Mager. *de Advoc. armat. cap.* 6. *n.* 299. *cum ſeqq.* quibus æquidem militaribus rationibus mirari non ſubiit, cur qui de ratione ſtatus ſcripſerunt, vehementer inſurgant adversùs hujuſmodi Advocatias, Protectiones, & Clientelas, ut enixè Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 7. *verſ. ſed aliena, & lib.* 5. *cap.* 6. Hopingh. *de Jure prot. concl.* 29. Beſold *in polit. de Clientelis*.

Non deſunt tamen, qui voluerunt, omninò permiſ-
15 ſum eſſe ſubditis, nedum non expectata licentia, ſed etiam inconſulto Principe Advocatorum, & Protectorum defenſioni ſe ſubmittere; tum quia per Protectoris ſuſceptionem nil Juriſdictioni Principis detrahitur, unde non eſt cur licitè hujuſmodi Advocationes prohibeantur ex regula, quod tibi non nocet, & alteri prodeſt omninò permittendum eſt, ex *leg.* 2. §. *quamquam ff. de aqua pluvia arcen. leg. reſcripta C. de precib. Imper. offer.* ſiquidem cùm Juriſdictio Principis ſalva remanet, Subditi naturali libertate in omnibus frui debent, ut diſtinguantur à Servis, *leg. dubium C. de contrahen. emptione*, *leg.* 2. *in fine ff. ſi quis à Parent. manumiſſ.* quod verò abſque præjudicio Supremæ Juriſdictionis alterius tutelæ Subditi ſe committere poſſint, apertiſſimum eſt in Jure ex *Tex. in cap. recepimus de privil.* in quo clarè deciditur, quod Juri protegendi nulla ſit annexa Juriſdictio, quæ integra, & illibata remanet penes Ordinarium, & latè dicam infra ad *cit. Conſtit.* 4. Gregorii XI. Verùm etiam hanc aſſertionem Doctores infracitandi probari poſſe authumant, cùm hujuſmodi Advocatiæ, & Protectiones ad id ſolùm inventæ ſint, ut clientes protegantur, & ab injuriis defendantur, ut ſupra innui; defenſio autem tamquam ex Jure naturæ, ſivè Gentium oriens, nullo Jure prohibetur, nec facto Principis interdici poteſt, ad *Tex. in leg. ut vim ff. de Juſt. & Jur. cum concord.* quapropter confœderationes, ſivè ligas ad defenſionem ſtatus, & perſonæ undique honeſtas, & licitas cenſeri, ideóque omnibus permiſſas, ex *Tex. in l.* 1. §. 1. *ff. de Colleg. illic.* firmant Farinacc. *in pract. Crim. p.* 4. *quæſt.* 113. *nu.* 38. Boſſ. *in praxi tit. de Crim. læſa Majeſt. num.* 23. *& ſeqq.* Bertazzol. *conſ.* 77. *num.* 12. *lib.* 1. quibus ſtantibus principalem concluſionem firmant Otho *de Jure public. cap.* 11. §. *fœdus clientelare*, Gaill. *lib.* 2. *obſerv.* 54. *num.* 4. latiſſimè Schurff. *conſ.* 23. *per tot. cent.* 3. Albert. Brun. *conſ. feudal.* 86. *num.* 2.

Hæc inquam, aliaquæ, quæ latiùs mox citati DD. adducunt, mihi tanti ponderis eſſe non videntur, ut ſub- 18
vertam ſupra à nobis amplexam opinionem, quòd ſubditi inconſulto Principe nequeant alterius patrocinio ſe committere; ſiquidem non negamus, quòd Jus Advocatiæ juriſdictionem non importet, quæ inviolata de Jure remanet penes Ordinarium, ut ex *cit. Tex. in cap. recipimus de privil.* attamen ex communiter accidentibus, quæ attendi debent, experientia docet, quod hujuſmodi advocatiæ, & protectiones non ſolùm infeſtæ plerumque ſunt Juriſdictioni Principum; ſed aliquando eamdem pœnitùs ſubvertunt, juxta ſupra allatam auctoritatem Bald. *in capit.* 1. *in* 2. *rep. nu.* 9. *de Judit.* adeòut optimè dixerit Mager. *de Advoc. armata cit. cap.* 6. *num.* 393. Clientelas cum aſſenſu proprii Principis à Subditis initas, vix quidem ſalva ejuſdem juriſdictione continuari poſſe; ſi verò abſque ejuſdem Principis conſenſu introducantur, ſemper eſſe ipſis præjudiciales; & ſanè ut fatale ab Hiſtoricis animadverſum eſſe, quòd plerumque, & faciliter ab officio protectionis, fiat tranſitus ad uſurpationem Juriſdictionis, ut dicam infrà ad *Conſt.* 4. Greg. XI. & priùs notavi ad *cit. Conſtitut.* 7. Gregorii IX. *num.* 12. *tom.* 2. *pag.* 538. Neque ex *cit. Tex. in cap. recepimus de privileg. & l. deſertorem* §. *fin. ff. de re milit.* communiter à Doctoribus pro contraria opinione adductis, probari poteſt, quòd Protectiones iniri poſſint abſque proprii Principis conſenſu; ſed dumtaxat ex eiſdem Juribus deduci poteſt, quod validè introduci poſſint, legitima ſcilicet interveniente auctoritate, vel aliis ex cauſis infra recenſendis; Prout in Statu Eccleſiaſtico permittitur Civitatibus ſibi adſciſcere aliquem in S.R.E. Cardinalem, ſubditum Sedis Apoſtolicæ, qui earum negotia in caſibus emergentibus apud Summum Pontificem tueatur; quo etiam fine eædem Civitates ſibi eligunt Agentes in Curia, ut eadem negotia promoveant, quibus proindè certum ſalarium conſtituitur, quique ex permiſſione, & voluntate Papæ eligi ſolent. Quod verò iidem DD. adducunt de Confœderationibus, & ligis omninò permiſſis pro defenſione perſonæ,
& rerum ſuarum, noſtris terminis applicari nequit, 19
cum Confœderationes propriè dictæ verificentur tantum inter Principes alioſque Imperii jura habentes, *leg.* 1. *ff. de Senator*: numquam verò inter privatos, & Subditos, in quibus hujuſmodi fœdera non dantur, & tandem ſi impropriè pro Conventiculis ſumantur, numquam eiſdem permittuntur etiam ad defenſionem, niſi ex auctoritate Principis, Bald. *in l. fin. Cod. de Colleg. illic. Marth. de Juriſdictione par.* 2. *numer.* 8. Boſſ. *de Crim. læſa Majeſt. in praxi numer.* 24. latè Lauren. *in dec. Aven.* 89. *per tot.* & videnda ſunt, quæ dixi ſupra ad *Conſtit.* 10. Joannis XXII. *à num.* 4. *ad* 11.

Ex ulteriùs verò adductis à ſæpedictis Doctoribus,
quòd Advocatiæ, & protectiones, quæ ad ſolam defen- 20
ſionem ſunt inventæ, interdici nequeunt, cùm defenſio ex Jure naturæ proveniat, *leg. ut vim ff. de Juſtit. & Jur.* quamvis ſanè ex recta diſcurrendi ratione deduci non poſſit, quòd hujuſmodi Advocatiæ abſque proprii Principis aſſenſu permitti debeant; cùm via ordinaria, & Juris Ordine ſervato quilibet ſe defendere debeat, ne ob privatam injuriam, ſtatus totius Reipublicæ turbetur, ut dixi in *cit. Conſtitut.* 10. Joannis XXII. *numer.* 3. *cum ſeqq.* ſi verò vim vi repellere neceſſe ſit, tunc ad proprium Principem eſt confugiendum, nam de Principis Majeſtate ſemper habenda eſt ſumma ratio, ut in ſimili propoſito ait Mager. *de Advoc. armat. cap.* 6. *numer.* 173. *&* 186. Veruntamen ex hujuſmodi defenſionis principio ad limitationem noſtræ concluſionis firmari debent plures caſus, in quibus Subditi licitè, & liberè poſſunt abſque aſſenſu proprii Prin-

cipis,

Digitized by Google

cipis, quinimò ipſo contradicente, ad extranei po-
tentioris auxilium confugere; & quidem id procedit,
21 ſi Princeps Subditos deſerat, & defendere nolit, vel ſi
commodè defendere nequeat; itaut in manibus inimi-
corum eoſdem relinquat; tunc enim iidem Subditi ſui
Principis fulcro deſtituti, cujuslibet patrocinium advo-
care poſſunt, & undecumque quærere naturalem defen-
ſionem, ad Text. *in l. ut vim ff. de Juſtit. & Jure*, fir-
mant Gigas *de crim. leſæ Majeſt. lib. 1. qu.* 56. Decian.
tract. crim. lib. 7. cap. 49. num. 29. Mager. *de Advocat.
armat. cit. cap. 6. num.* 340. *cum ſeqq.* Stephan. *de Juriſ.
lib. 1. par. 2. cap. 2. num.* 128. Michael *eodem tract. loc.
cit.* Arumnæus *de Jure public. diſc.* 31. *quæſt.* 8. Itidem-
22 que Subditi in alterius Clientelam ſe dare poſſunt, &
ſibi protectorem facto proprio adſciſcere, cùm à pro-
prio Principe immoderatè gravantur, vel miſerè nimis
habentur, tamquam à Tiranno; quippè ſi Princeps
eos ut Subditos non habeat, neque Subditi ut Prin-
cipem eumdem venerari debent, ſed ipſo facto ab e-
juſdem Juriſdictione exempti cenſentur, ut concluſio-
nem exornant ex Text. *in leg. 5. C. de Jure Fiſci, l.* 33.
in fine C. de decurion. latè Mager. *loco cit. num.* 349. *cum
plur. ſeq.* Hoping. *de Jure prætect. concl.* 33. Gaill. *lib.* 1.
obſer. 17. Boet. *dec.* 304. *in princ.* Gramm. *dec.* 104. *per
tot.* ubi ratiocinatur Proſper Petra Abavus; hæc tamen,
ut dixi, intelligenda ſunt cùm Princeps injuria Vaſ-
ſallos ſuos laceſſiret, ſi verò jure eoſdem mulctaret,
& opprimeret tunc enim ipſi ad propriam defenſionem
Potentioris patrocinium invocare nequirent, ex gene-
rali illo principio, quod quando eſt licita offenſio,
illicita eſt defenſio, ut cum Bart. *in l. ut vim ff. de Juſt.
& Jur.* omnes ferè DD. conſentiunt.
23 Duo tandem ad hujuſmodi Commentarii complemen-
tum prætermitti non debent, videlicet, quæ diximus
de Advocato ſivè Patrono non adſciſcendo abſque con-
ſenſu Principis, militant dumtaxat in veris Subditis;
non verò in his qui impropriè ſunt tales, ut ſunt
Principes, qui ſub certis tantùm pactis, & condi-
tionibus ſupremo cuidam Principi parent, ac eun-
dem Superiorem agnoſcunt; in cœteris tamen ſua
fruuntur libertate, quinimò Jura imperii in ſua ditio-
ne habent; hi enim abſque Supremi Principis con-
ſenſu Advocatum ſibi quærere poſſunt, cùm protectio
non concernat Jus Principis reſtrictum, & limitatum,
neque in ipſis conſideretur indefinita illa ſubjectio,
quæ propriè Subditos facit, ut latiùs adductis rationi-
bus probat Gaill. *lib.* 2. *obſer.* 54. *num.* 4. Schurff. *cenſ.*
23. *per tot. cent.* 3. aliique, quos plena manu recenſet
Mager. *de Advoc. armata cap. 7. n.* 11. *cum ſeqq.* & latè
cap. 6. num. 76. *cum ſeqq.* ubi perſonas hujuſmodi, quæ
Advocato ſe ſubmittere poſſunt abſque auctoritate Su-
premi Principis recenſet, dum verò *ibid. nu.* 221. *cum
ſeqq.* inter has etiam enumerat Vaſſallos, ſeù Feuda-
tarios, firmando, eoſdem etiam abſque conſenſu pro-
prii domini poſſe in alterius Clientulam ſe dare, ſta-
tim ejuſdem dictis non acquieſco; quapropter cùm
latiùs de Feudatariis agam, quæſtionem pro veritate
24 reaſſumam. Alterum poſtremò, quod addere volui,
eſt hujuſmodi concluſionem de Patrono non advo-
cando à veris Subditis abſque proprii Principis con-
ſenſu, non procedere, quando iidem Subditi ad Sum-
mi Pontificis, & Imperatoris patrocinium confugiunt,
quod planè abſque conſenſu Principis fieri poteſt, ex
ſuprema eorundem auctoritate, adeòut cùm eorundem
patrocinium expetitur, nemini fiat injuria, ut firmant
Peregr. *de Jure Fiſci lib. 1. tit. 2. num.* 40. Maul. *de Ho-
mag. cap.* 11. Mager. *de Advoc. cit. cap. 6. num.* 368. Et
quidem de Summo Pontifice neque eſt ambigendum,
cùm inter Catholicos ſuprema ejuſdem veneretur Ju-
riſdictio in univerſa Eccleſia Militanti; quapropter ab
exordiis uſque Eccleſiæ ſæpeſæpius in diverſis Mundi
partibus Sedes Apoſtolica perſonas, & loca in ſua
protectione benigniter ſuſcepit, abſque eo quod eſſet,
qui reclamaret, ut in noſtro hoc opere patet ex tot,
tantiſque Bullis, quas recenſere operoſum eſſet. De
Imperatore verò dictum Mageri, aliorumque DD. in-
telligerem procedere quoad Imperii dependentes, cum
compertiſſimum ſit, quod Imperator juriſdictionem
hodie non habeat in univerſo Orbe, ut antiquitus di-
cebant, firmant Corſett. *de poteſt. Reg. part. 4. num.* 4.
Borell. *de præſt. Reg. Cathol. cap. 5. nu.* 25. Petrus Greg.
de conceſſ. feudi parte 1. quæſt. 4. num. 10. latè Oliva *de
foro Eccleſ. par. 1. q. 5. per tot.*

CONSTITUTIO IV.

CLEMENTIS VI.

Incipiens (*Ad Spiritualis.*)

EPITOME BULLÆ.

CLEMENS PHILIPPO REGI FRANCIÆ.

IN Cathalogo Sanctorum Confeſſorum adſcribit Ivonem Presbyterum Trecorenſem Gallum, qui ſola pietate patrocinabatur in judiciis Pupillos, & Orphanos; unde Advocatos Pauperum dictus fuit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Proponuntur tractanda in præſenti Commentario.*
2 *S. Ivonis natales, ac pietatis, litterarumque ſtudia referuntur.*
3 *Clericali militia nomen dedit, ac Parochi munere fungitur.*
4 *Ejus in pauperes charitas, præſertim in eorum cauſis patrocinandis innuitur.*
5 *Miracula ab eo patrata, & adſcriptio in Cathalogo Sanctorum.*
6 *Celebre ejus nomen maximè eſt ob gratuitum patrocinium pauperibus litigantibus præſtitum.*
Inter Sanctos adeſſe alios, Advocati munere in Terris functos. Ibid.
7 *Advocati munus gratuitum apud Romanos, & Athenienſes fuiſſe comprobatur.*
8 *Idemque apud Græcos in more poſitum fuit.*
9 *Similiter Advocati Chriſtiani id ſervare debent.*
10 *Advocatis nullo jure prohibetur recipere honorarium pro patrocinio.*
11 *Advocati mercenarii improbantur.*
12 *Advocatis non ſalarium, ſed honorarium debetur.*
13 *Advocati ex officio tenentur pauperibus patrocinium præſtare gratis.*
14 *Advocatus Pauperum, prout & Fiſci à Principe deputandus eſt.*
15 *Epiſcopus deputare debet Advocatum pro Pauperibus in ſua Curia, qui gaudet Immunitate.*
16 *De munere Advocati Pauperum in Urbe, ejuſque prærogativis.*
17 *Advocati Pauperum, & Fiſci quatenus intervenire debeant, dum Judices cauſas diſcutiunt.*
18 *Advocatus Pauperum deſtinari oportet etiam in cauſis civilibus.*
19 *Commendantur piæ Cauſidicorum Congregationes inſtitutæ pro defendendis cauſis Pauperum.*
20 *Refertur pium opus in Urbe erectum à Felice Amadorio pro defendendis cauſis Pauperum.*
21 *Duæ Congregationes Cauſidicorum pro defendendis cauſis Pauperum quatenus permitti poſſint.*
22 *In magnis Civitatibus quatenus permittantur duæ Congregationes ejuſdem Inſtituti.*

MAximum Argumentum præbet hæc Conſtitutio, à Clemente Sexto, edita Avenione 11. Ka-

lendas Julii Anno Domini 1347. qua inter Sanctos
adſcripſit Ivonem, Pauperum Advocatum dictum, ut
ſicuti ſpeciali veneratione tantum veneramur Confeſſo-
rem, ita aliqua dicamus de æquè eximio, ac pio o-
pere patrocinandi Pauperes, in Curia Romana præ-
cipuo jure proſequendo, dum in ea Caput Eccleſiæ
viſibile præeſſe agnoſcitur. Ut igitur normam ali-
quam Pauperum defenſoribus tradamus, meritò præ-
clara geſta Ivonis referam, ut tanto exemplo præun-
te, Cauſidici omnes opus tam pium, non ſolùm am-
plecti non dedignentur; ſed & anxiè recipiendum;
retinendumque curent.

2 Minor Brittania, Provincia una inter plurimas,
quæ Regi Galliæ Chriſtianiſſimo obtemperarunt, pa-
triam continet Ivonis, cùm in Trecorenſi agro ortum
ipſe agnoverit ex nobilibus parentibus; Cùmque pri-
mas Luteriæ literas didiciſſet, Aureliam venit, ubi
Theologiæ, Jurique Pontificio operam dedit, in quo-
rum exercitio vitam cælibem, ac corpus macerationi-
bus afflictum continuò detulit. Judex deindè fori Ec-
cleſiaſtici evectus, innata ejus pietate diſſidentes liti-
gantium animos mira facilitate conciliavit; Sed Divi-
3 narum rerum contemplationi vacare cupiens, ſponte ſe
juriſdicendi munere abdicavit; Presbyter factus, Paro-
chialem Eccleſiam Lohaneri gubernandam recipit, in
quo munere maximè enituit ejus vitæ auſteritas, cili-
cium induens, ſomno victuque parciſſimo utens, nudo
humo cubans, vel in ſtratis humi ſtipitibus, bibliorum
codice, vel ſaxo capiti, inſtar pulvinaris ſuppoſito; me-
dia nocte ad Eccleſiaſticum Officium aſſiduò ſurgebat;
Orationi adeò addictus fuit, ut aliquoties cibi, & po-
tus oblitus, diu in ea perſeveraret; Eluxit cum tot ejus
4 virtutibus perſonalibus maxima quoque charitas erga
proximus, tum pabulo prædicationis eos nutriens, tum
peregrinos recipiens, tum pauperibus liberalitate ſub-
veniens, tum demum cauſas eorum apud Judices gra-
tis patrocinatus; his tandem laboribus confectus, obi-
tus ſui diem prædicens, Sacra Unctione munitus, 14.
Kal. Julii ſanctè in Domino obdormivit, ac ſepulturæ
traditus fuit in Eccleſia Trecorenſi. In ejus vita plura re-
5 cenſentur miracula, ſed poſt obitum ad tumulum ejuſ-
dem percrebuere innumera ferè, & totius Armeniæ Pro-
vinciæ, ſpecialiſque Trecorenſis Diœceſis Advocatus
fuit nuncupatus; Unde Clemens Papa V. precibus Joan-
nis III. Ducis Brittanniæ, Epiſcoporum, Procerumque
Provinciæ, ſacrum Corpus de terra levari, ac ſepara-
tim in theca reponi mandavit; Continuatis poſtmodum
miraculis, quibus demum permotus, ac examinato vi-
tæ tenore per tres Galliæ Prælatos de mandato Romani
Pontificis, Clemens VI. in minoribus eidem Sancto de-
votè addictus ſolemni Canonizatione illum inter San-
ctos adſcripſit, ut in hac Bulla refertur, aſſignata feſti-
vitatis die 19. menſis Maii recepitque Pontifex iſte mer-
cedem à Sancto ſpecialis erga ipſum devotionis; quia
Archiepiſcopus Narbonienſis, nepos ejuſdem Pontificis,
cujus deſperata erat vita medicis, plena ſanitate dona-
tus extitit.

6 Ivo itaque Presbyter iſte, vitæ ſanctitate celebris cer-
tè fuit, ſed celebrior factus, quòd omnium Viduarum,
Pupillorum, & Pauperum cauſas patrocinabatur gra-
tis, unde à toto Chriſtiano Urbe Advocati Pauperum
nomen, & laudem promeruit, typus, norma, & tutela-
ris patronus eorum, qui piiſſimum hoc exercent munus
& primum ex Advocatorum ordine Beatum fuiſſe dixit
Beyerlinch. *in Theat. vita humanæ*, ſed verè hoc munus
dignatus fuit ſubire D. N. JESUS CHRISTUS, dum
Advocatum generis humani Sacri Scriptores ſæpè ſæ-
pius eum appellant, pluresque Advocatos inter Sanctos
fuiſſe adſcriptos refert Marta *de ſucceſſ. leg. par. 4. qu.* 18.
art. 4. n. 48. & Advocati munus ſatis conducibile eſſe ad
æternam ſalutem aliqui dicunt, aliis aſſerentibus diffi-
cultatem in eo munere, ac multa impedimenta concur-
rere, de quibus vide Scacciam *de ſentent. & re judic.
cap. 1. gloſ. 4. quaſt. 1. num. 34. & ſeq.* Alvarez *de Velaſ.
tract. de jur. perfect. rubr. 15. annot. fin. num. 3. & ſeq.*
Guazzin. *ad defen. præfat. num. 2. & 3.* Chriſtin. *ad leg.
municip.* Merlin. *tit. 1. art. 2. num.* 8. Cavalc. *dec. 33. n.*
21. Azor. *inſtit. moral. part. 3. lib. 13. cap. 29.* Filiuc.
in ſumm. ver. Advocatus, Hoſtienſ. *in ſumm. in proam.
numer. 8.*

Hoc autem Advocati munus gratuitò apud Romanos 7
exerceri conſueviſſe, ait Cicero *lib. 3. de offic.* ibi: *Di-
ſerti hominis, & facilè laborantis, quodque in patriis eſt
moribus, multorum cauſas, & non gravate, ſed gratui-
tò defendentibus, beneficia, & patrocinia latè patent.*
Sic Germanicus Caligulæ pater, quem omnes miris præ-
coniis extollunt, Advocati etiam munus exercuiſſe ſcri-
bitur apud Svetonium *in Caligul. c. 3.* Sic ante Conſula-
tum Hortentius, cauſas ſemper peregit, & poſt Con-
ſulatum occaſione mercedis adinventæ illas dimiſit, te-
ſte Marco Tullio *in Bruto*; ſic Plinius Junior antequam
Tribunus eſſet Advocationem exercuit, & cùm Tribu-
nus eſſet abſtinuit à cauſis agendis propter mercedem,
quæ dabatur, *lib. ep. 1. & lib. ep. 5.* ait: *Quoniam me ju-
vat, quod in cauſis agendis, non modo pactione, dono,
munere, verùm & Xeniis ſemper abſtinui, oportet qui-
dem, quæ ſunt inhoneſta non quaſi illicita, ſed quaſi
pudenda vitare*, & ſcribens ad Ruſum ait: *Omnes quid-
quid negotii haberent, jurare prius quàm agerent jube-
bantur, nihil ſe ob advocationem cuique dediſſe, promi-
ſiſſe, caviſſe*, & Tacit. *lib. 13.* dixit: *Multa arbitrio
Senatus conſtituta ſunt, ne quis ob cauſam orandam mer-
cede, aut donis emeretur*, & rurſus: *repetitum crede-
bantur Senatus Conſultum, pœnamque Cincia legis ad-
verſus eos, qui pretio cauſas oraviſſent*; Unde Plutar-
chus refert, Ciceronem neque dona, neque mercedem
ab ullo in cauſis patrocinandis recepiſſe, munera à Sicu-
lis ingentia magnificaque ultrò delata conſtantiſſimè re-
nuiſſe; & Cimonem Athenienſem, Perſam quendam,
qui ſuo patrocinio uti voluerat, pateras duas offerentem,
alteram aureorum Barricorum plenam, argenteorum
alteram, eò acerbiter à ſe reiiciſſe, ut diceret, *Merce-
narium non eſſe, quin ſi ſe amico uti vellet, quæ mune-
ra obtuliſſet ea ſecum referret*; & Ovidius ipſe hoc diſ-
ſimulare ſua libertate non omiſit *lib. 2. Eleg.*

Turpe Reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe Tribunal opes.

Nedum itaque apud Romanos, & Athenienſes, ſed 8
apud Græcos Advocatia venalis turpis quoque fuit, te-
ſte Ariſtotele Peripateticorum Principe *in præcept. Rhe-
torica*, ſcribens ad Alexandrum: *Te igitur*, ait, *grati
id obire muneris oſtende, adverſarium verò dicito ne
parvo quidem pretio Advocatum aſſiſtere; quàm eum,
ut aliquid argenti injuſtè capias in judicium ire*; Irrident
atidem verſibus hoc Advocatorum venalium genus,
quamplurimi; *Saxo* enim Grammaticus in *Hiſt. Dani-
ca lib. 6.* inducit Scarratherum, Danicum virum, his
verſibus loquentem:

Dicere ſæpe foro, turpique inhiare lucello
Gaudet, & hoc ſtudio vatem ſolatur inertem,
Venali celebrans commiſſa negotia lingua.

Aliaque hujuſmodi reperienda ſunt apud Juvenal. *ſatyr.
7.* & Martial. *lib. 1. ep. 126. & lib. 7. Epigr. 52. & lib. 5.
epigr. 85.*

Mirum igitur non eſt, ſi Gentilium mores, majori 9
veritate illuminati Chriſtiani in hoc ſequuti ſunt, unde
Simmachus Papa in Epiſtolis laudat quendam Julianum
Cauſidicum, quod nunquam in mercedem linguæ con-
cepit meritum; hiſque opitulatur id, quod per Nero-
nem Imperatorum lege ſtatutum fuiſſe fertur, Advoca-
tos nempè gratis patrocinari debere, juxta id, quod
ſcripſit Alexander ab Alexandr. *lib. 3. dierum Genialium
c. 5.* & videntur etiam ſtatuiſſe Imperatores in *leg. quiſ-
quis C. de poſtulando*, alibique, quòd operas ſuas locare
non debet Advocatus; ſatis enim dedecet ejus nobile
munus pro pecunia illud in mercimonio ponere.

Verùm prædicta ſunt fœdere diſtinctionis illuſtran- 10
da; non enim unquam lege publica fuit Advocatis in-
junctum gratuitum patrocinium pro quibuſcumque; le-
gem enim Neronianam fictitiam eſſe authumant DD.
apud Menoch. *de arbitr. caſu 369. nu. 1.* Gratian. *diſcep.
59. num. 3.* Tiraquell. *de nobil. cap. 29. nu. 26.* imò adeſ-
ſe plures Civiles Leges, nedum permittentes pro pa-
trocinio aliquid recipere, ſed inter credita recen-
ſentes,

ſentes; ex quibus oriatur actio, ut in *leg. qui operas 41. ff. locati*, *leg. 1. §. in honorariis ff. de var. & extraord. cognit. leg. 1. C. de ſuffr. leg. ſumptus ff. de pact.* Prohibetur enim à Jure in Advocatis turpis quæſtus, & quod non recipiatur merces, cùm iſtud nomen mechanicis operariis conveniat, ſed honorarium, licèt ſubſtantialiter idem ſit, certè ex dictis Juribus liquet poſſe, ac deberi lucrari, *cit. leg. 1. ff. de var. & extraord. cogn.* Rip. *de priv. contr. cauſa peſtis n. 117.* Ceph. *conſ. 79. n. 7. & conſ. 71. n. 2.* Surd. *dec. 219. nu. 50. & conſ. 41. n. 20.* Capon. *diſcept. 109. num. 16. to. 2.* unde exempla adducta Gentium, aliarumque nationum percurrunt caſus, quibus aliqui majori liberalitate ſapientiæ iſtius fructus pecunia commutare noluerunt; vel eos, qui pro amicis, conſanguineis, aut pauperibus patrocinari nolebant, quia intercedebat merces; præſertim ſi ſint pauperes Clientes; cùm enim munus eſt publicum, nequit denegari, & ſic licèt verum ſit, quod ex ſe ſumpto munere gratis debet eſſe patrocinium; ſed non exinde arguitur contrarium, ut non liceat recipere aliquid in honorem patrocinii, quod non datur ſine fructu, & donis; hinc contra lucri
11 turpis cauſa venditores hujus nobilis patrocinii, applicari debent Satyricorum proclamata, de quibus etiam Seneca *in ludo de morte Claudii* dixerat, *Venale genus*, & alibi, *Canes acerrimos, qui nonniſi oblato cibo manſueſcunt*, & Apulejus *lib. 10. Metamorph.* nuncupat iſtos, *viliſſima capita forenſia pecora, ac togatos Vultures*, & Julius Pollux *lib. 5.* ex Græc. traduct. eos dicit loquaces pro pecunia, ob argentum, pro mercede vocem proferentes, ad gratiam loquentes, ad voluptatem conciones fingentes, apud Tribunalia ſemper viventes. Iſtos enim poſtulatores, patronoſque uti abjectos, atque degeneres à propria nobilitate Juriſprudentiæ antiquitas exprobravit, qui vili pretio, ſivè turpi quæſtu, aut injuſta extorſione patrocinium præſtant, non autem eos, qui gravitate Juriſconſultorum ſervata, veritate inſpecta pro ultimo fine, iſtam patrocinantur, qui honorarium meritò promerentur, unde Imperatores ipſi in *leg. cit. quiſquis*, ajunt: *Apud Urbem autem Romanam etiam honoratis, qui hoc officium putaverint eligendum, quouſque liceat orare, quoiſque maluerint, videlicet, ut non ad turpe compendium, ſtipemque deformem hac arripiatur occaſio, ſed laudis per ea argumenta quærantur, nam ſi lucro pecuniaque capiantur, veluti abjecti, atque degeneres inter viliſſimos numerabuntur.* Imò ipſa Lex Canonica, Advocatos, qui primariò in palæſtra litteraria ſe exercent pro laude conſequenda, veritateque tuenda, honorarium obtinere poſſe certè permittit pro ſui labore, ut eſt Textus in *can. ult. 14. q. 5. poſt princip.* ibi: *Quia vendit Advocatus juſtum patrocinium, Juriſperitus verum conſilium*, & docent Theologi poſt D. Th. 2. 2. *q. 71. art. 4.* aliique communiter, ac cum diſtinctione citata procedunt DD. inter turpes, & nobiles Cauſidicos, Barboſ. *cit. leg. quiſquis*, ubi alii *Cod. de poſtulando*, latè Zacch. *de Salario q. 52.* Capon. *cit. diſcep. 109. n. 15.* ubi Advocato, an, & quando debeatur ſalarium, Pacion. *de locat. c. 15. nu. 70. & ſequ.* Menoch. *cit. num. 2. & ſeq.* ubi de
12 conſuetudine totius Orbis recipi honorarium, vulgò etiam ſalarium aliquando dictum, licèt erroneè; quia ſalarium, & merces ea ſunt, quæ compenſantur labori; quid enim compenſabit tot laboribus, vigiliis, ſudoribus optimi Advocati, ut benè ponderat Zacch. *cit. n. 2. & 3.* ubi plura ponit de quæſtione mercedis, ſeù honorarii Advocatorum. Recedant igitur, non dicam à Romana Curia, à qua abeſſe credendum eſt hujuſmodi Advocatos, à moribus antiquitatis, à Canonibus Sacris, legibuſque Imperatorum repulſos, ſed ſubſiſtant quidem pro Reipublicæ conſervatione, veritatis indagatione, Civium tutela Advocati juxta leges, & Canones patrocinia præſtantes, qui honorarium quod juſtè debetur, accipiant. Prout agunt eximii Advocati præſertim in Urbe, qui minimum recipiunt honorarium pro immenſis laboribus, quique potiùs pro laude, ac honoribus conſequendis palæſtram hanc duram aggrediuntur, ut videamus paſſim ad majores Magiſtratus, & ſacram Purpuram promoveri.

Tenentur tamen Advocati ex ſui munere publico 13
gratis patrocinare pauperes, quia cùm ceſſet in iis vera ratio mercedis, ſed tantùm honorarium, debent proinde petenti juſtitia comitante patrocinium præſtare, imò poſſunt cogi, & ſic non habens Cliens unde honorarium præbere, ceſſat in ipſo obligatio, firmaque remanet ea Advocati, ut uno ore docent DD. ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per Judicem, *leg. 1. §. ait prætor ff. de poſtul. leg. procedendum, C. eod.* Menoch. *loc. cit.* & quidem ſub pœna peccati mortalis, D. Thom. *cit. loco*, Guazz. *cit. n. 5.* Grat. *diſcep. for. c. 55. n. 46. & c. 56. n. 32.* Chriſtinæus *dec. Belgic. 102. n. 4. vol. 2. & dec. 169. n. 9. vol. 5.* Scannar. *de viſit. carcer. lib. 1. par. 8. c. 3. per tot.* Diana *par. 4. tr. 4. reſol. 215. verſ. Ad exemplum Advocati*, Ricc. *collect. 2207. in fine*, Vivius *dec. 159.* Carocc. *de locat. par. 3. tit. de libert. qu. 7. num. 4. & ſeqq.* Nicol. *in floſc. ver. Advocatus num. 1.* Zacch. *cit. quæſt. 52. num. 109. & ſeqq.* itaut non poſſit, neque petere, neque accipere, ubi plura latè adducit, quando id procedat, & quomodo dicatur pauper in hoc Cliens.

Verùm quia circa hanc paupertatem plura in facto 14
contingere valent, ut verè pro tali haberetur, & plures cavillationes poſſet intervenire; ideò optimi Principes Advocatum pro pauperibus ſumptibus publicis deputant, ac id ſervatur in omnibus Curiis quoad cauſas criminales, quia ſicuti deputatur Advocatus Fiſci, ita Princeps conſulendo pauperibus, deputat Advocatum Pauperum pro defendendis Reis inopia preſſis; imò in qualibet Provincia, in qua Tribunal erectum eſt, Audientiæ in Regno Neapolis, ultra illum exiſtentem in Civitate Neapolis Regni capite, eligitur Advocatus Pauperum à Catholico Rege Hiſpaniarum, ut refert Paſchal. *de viribus patriæ poteſt. par. 2. c. 2. n. 88.* Nicolaus Toppius *de origine Tribunalium part. 1. lib. 3. c. 7. num. 13.* & latè Petra Genitor *tom. 1. ad Ritus Magnæ Curiæ rit. 23. n. 2. & ſeq. & n. 5.* ubi id ſervari apud Germanos, & Hiſpanos pluribus adductis refert; quæque autem dicantur pauperes perſonæ ad hunc effectum latè agit *eod. tomo ritu 17.* in quibus locis plura luculenter ſpectantia ad hujuſmodi Advocatos Pauperum pertractat; cujus Advocati electio ſolet etiam fieri
in Tribunalibus Eccleſiaſticis, & piiſſimi Epiſcopi pro- 15
priis expenſis ſalaria præſtant, ut refert Monacel. *in in for. to. 2. tit. 1. for. 9.* qui gaudet privilegio fori, & exemptionis ab oneribus perſonalibus, Sac. Congregatio Immunitatis apud Riccium *in Synopſi decret. ver. Advoc. Pauperum nu. 3.* cùm & Epiſcopi pauperes de Advocato providere ex officio teneantur, *c. ex litteris 1. de offic. Judic.* ubi Gloſſ. *in princip.* prout à Principe ſolet præſtari ſalarium Advocato Pauperum laicorum, & de ſalario Advocati Pauperum in Civitate Neapolis, quodque Officialis dicatur, proſequitur *citat.* Genitor
rit. 23. n. 3. In Urbe autem adeſt Advocatus Pauperum 16
Apoſtolicis Conſtitutionibus inſtitutus, ex publico ærario ſalarium recipiens, ut latè apud Scannarol. *de viſitat. Carceratorum lib. 1. cap. 3. ſect. 2. per tot. & in append. c. 6.* eſtque exemptus ab omni Irregularitate, habetque plures prærogativas ibi enunciatas, ſoletque eſſe unus ex Advocatis Conciſtorialibus, ut notat etiam Card. de Luca *in relat. Romana Curia diſc. 46. numer. 65.* & Rota *dec. 716. cor. Seraph. nu. 14.* ubi quòd non proindè obtinet locum potiorem intra dictos Advocatos, niſi illud proprium antianitatis, & latè De Rubeis *de origine, ac munere Advocatorum Conciſtorialium c. 1. n. 27. & 28.* quique ſedet in Tribunali Cameræ, Carcerum viſitationi intervenit, prout in Congregationibus Criminalibus Gubernatoris, A. C. Vicarii, & Capitolii, habet facultatem quaſi eſſet unus ex Judicibus Ordinariis interponendi Decreta in contractibus minorum, & mulierum, audientiam in diebus ordinariis, & extraordinariis Papæ obtinet, emolumentaque habet, ut latè apud *cit.* Card. de Luc. *diſcur. 46. §. 5. per tot.* quodque poſſit ſcribere extra proprium munus in cauſis civilibus; Criminales autem etiam ad defen-

Digitized by Google

ſam cum præmio tueri non poteſt, ne magis deditus hujuſmodi lucro, pauperum cauſas deſerat. Juſtè quidem pauperum ſublevamini Principes conſulere ſolent hujuſmodi electione, ne miſerabilium perſonarum cauſæ in incerta ſint defenſione, cùm non de facili inveniantur, neque ſint frequentes SS. Ivones, qui ex charitate proprio ære alia deferendo negotia ad id ſedulò incumbant. Præcedit Fiſco in Urbe Advocatus Pau-
17 perum, tamen iſte non intervenit, dum Judices votant, prout adeſt Fiſci Patronus, contra quem ipſum exclamat cit. Petra Genitor *loc. cit. tit.* 23. *n.* 4. ac pluribus adductis docet, hoc privilegium Fiſco à jure non fuiſſe conceſſum, & in ſpem ſe erigit, vel utrique à Rege hoc denegatum iri, vel utrique concedendum; imò durius eſt quando Advocatus Fiſci votat, ut ſervatur in Urbe, aliiſque locis, ut proſequitur citato Genitore, D. Raynald. *tom. 2. obſer. crim. c.* 19. §. 1. *n.* 145. *& ſeq.* ubi tuetur, Advocatum Pauperum debere in eis intervenire, & ita aliquando fuiſſe ſervatum in Urbe, prout ipſe intervenit uti Procurator Pauperum; ſed in contrarium nunc videtur praxis, ut vidi ſervari in Congregatione criminali Eminentiſſimi Urbis Vicarii, in qua plures interveni uti adjunctus.

18 Licèt enim hujuſmodi Pauperum Advocati deputentur pro cauſis criminalibus, in quibus magis viget neceſſitas tuendi reos, cùm agatur de pœnis corporalibus, ultimum ſupplicium aliquando importantibus; ſatis utilitati publicæ conſuleretur, ſi pro cauſis civilibus pauperum aliquis deſtinaretur Patronus, qui gratis eorum cauſas defenderet; ſed hoc non eſt in uſu, ut citati DD. dicunt, & praxis docet; Verum in peculiari caſu debet à Judice pauperi dari Advocatus, qui tenetur munus ſubire, ut proſequuntur citati DD. Scannarol. *cit. loc. cap.* 3. *ſect.* 1. & dixi ſupra ad *Conſt. 2. Benedicti XII. num.* 36. & praxim cogendi plenè refert cit. Rayn. *n.* 158. *& ſeq.* & ſi Judex non id fecerit peccat, & debet Advocatum renuentem ſuſpendere, ne patrocinetur in aliis cauſis. In Civitatibus autem ut pluri-
19 mùm ſolent adeſſe piæ Congregationes Advocatorum, & Curialium, in quibus cauſas pauperum primum diſcutiunt inter ſe, & quatenus juſtas recognoſcant, per turnum eas patrocinantur expenſis ſodalitatis, vel alicujus ejuſdem Officialis, ut Neapoli cum maximo pauperum ſublevamine adeſt in Cœmeterio Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Clericorum Theatinorum ſub titulo S. Ivonis ſodalitas quædam pia, quæque feſtivum diem 19. Maii in honorem hujus noſtri Sancti ſolemnizat, de qua meminit Capycius Latro *dec.* 169. *lib.* 2. Sanfelic. *in praxi judic. ſect.* 16. *verſ. Noviſſimè*. In Urbe verò, in qua maxima elucet Advocatorum Curialiumque pietas, nedum tale onus pauperum cauſas patrocinandi ſubire debent Advocati Conciſtoriales, ut ex Brevi S. Pii V. apud Scannarol. *in appendice cit. loc.* & innuit Card. de Luca *cit. loco n.* 69. ubi etiam de cauſis civilibus ſermo eſt, ac feſtum S. Ivonis in Archigymnaſii Sapientiæ Eccleſia die 19. Maii concelebrant cum Capella Cardinalitia quolibet anno; ſed rurſus adeſt pia Congregatio modo, quo ſupra dixi Neapoli, erecta in Eccleſia S. Caroli ad Catenarios, in qua Curiales tale pietatis opus quàm maxima diligentia exercent ſub cura alicujus Prælati, qui ſolet de proprio egenis litigantibus etiam ſubvenire; & demum adeſt aliud plum
20 opus pro pauperibus litigantibus, nam Felix Amadorus nobilis Florentinus anno 1639. inſtituit Prælaturam, cum menſtrua ſubventione ſcut. 100. ex ſuis bonis Prælato perſolvenda, quodque uni Auditori, & alteri Sollicitatori eligendis certum aſſignaretur emolumentum annuum, quique omnes incumbere deberent defenſioni omnium cauſarum Viduarum, Pupillorum, Orphanorum, & Pauperum cujuſcumque Nationum in Urbe litigantium, dummodò cauſæ juſtæ forent, aut ſaltem dubiæ, recognitis tamen priùs meritis earum, ac reſiduum hæreditatis erogaretur, etiam ad favorem pauperum, ut litibus finem imponere valerent, etiam pro expeditionibus earum; Electionem verò Prælati poſt extinctam lineam teſtatoris voluit fieri per nominationem duorum nobilium Florentinorum, vel Status Magni Ducis Hetruriæ, qui ſint Doctores Utriuſque Juris, ex quibus prævio examine eligeretur unus pro Prælatura, qui teneatur etiam aſſumere gradum Sacerdotalem, ac nomen, & inſignia Amadori, & in præſenti eam obtinet R.P.D. Vincentius Manerius priùs, nunc Amadorus nuncupatus, Votans Signaturæ Juſtitiæ, quem ob ejus virtutes ampliores gradus in Curia obtenturum ſperare juſtè licebit.

Antequam finem brevi Commentario imponam, prætermittere nolo controverſiam ad rem hujuſmodi Sodalitatum S. Ivonis, quam refert Capyc. Latro *cit. dec.* 21
169. lib. 2. Prætendentibus enim aliis piis Cauſidicis Neapoli aliam inſtituere Congregationem ſub titulo Sancti Eleazarii apud PP. Societatis Jeſu, cum opere etiam patrocinandi cauſas pauperum, contradixerunt Sodales primæ Congregationis S. Ivonis, pluribus rationibus adductis, non licere aliam Sodalitatem ejuſdem inſtituti erigi in eadem Civitate, prout inhibitum fuit primis, ne ultra ad dictam novam Congregationem erigendam procederent, quod fuit confirmatum per Collaterale Conſilium reſpectu perſonarum laicalium id tentantium, pluribus argumentis in deciſione adductis, & præſertim *Bulla* 115. *Clement. VIII.* incipiens *Quæcumque*, quæ nullo modo erectionem alterius Confraternitatis, vel Inſtituti permittit in eodem loco. Contrarium tamen videtur ſentire Petra Genitor *cit. tit.* 27. *num.* 8. *verſ. equidem*, Franciſcus Maria Pratus *cent.* 2. *diſcep. for. c.* 30. verè deciſio præfata Capycii Latri tota ſe fundavit in æmulatione ſatis clara, ex eo quod talis nova erectio evenerit ex diſſidio in electione Officialium in prima Congregatione erecta cum aliorum diſſenſu, quique minitari non erubuerunt in eodem actu deſtructionem illius cum novæ erectione, ut initio deciſionis refertur, & *n.* 33. qua ſtante notoria æmulationis cauſa, nil dubitandum de juſtitia inhibitionis; Cæterùm his ſemotis amplectenda eſt ſententia contraria, ut liceret novam erigere Sodalitatem illam, ſi fiat præſertim cum nomine diverſo, vel cum aliquo addito, & in magna Civitate, in qua rigor Clementinæ aliquando mitigatur, ut populo excreſcenti opus pium reddatur facilè, & magis operoſum, ut apud citatos DD. & etiam S. C. Concilii cenſuit in Andrien. & Sacr. Congr. Epiſcoporum in Baren. ut refert Card. de Luca *diſc.* 10. *n.* 12. *de præemin.* ſed de hac materia Confraternitatum alibi latiùs dicam.

CONSTITUTIO V.

CLEMENTIS VI.

Incipiens (*Licet*.)

EPITOME BULLÆ.

CLEMENS AD PERPETUAM REI Memoriam.

PLura in hac Conſtitutione præſcribuntur ſervanda circa Cibum, Potum, & ſervitium S. R. E. Cardinalium, in Conclavi pro electione Papæ exiſtentium.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Summi Pontificis electio quàm ardua; & gravis res ſit.*
2 *Enumerantur plurima diſpoſitiones circa hoc à Summis Pontificibus edita.*
3 *Chriſtus qua forma D. Petrum ſibi Succeſſorem elegerit.*

4 D. Pe-

4 *D. Petrus D. Clementem ſibi in Cathedra Succeſſorem dixit.*
5 *Expenduntur variæ DD. ſententiæ circa quæſtionem, An Papa poſſit ſibi Succeſſorem eligere.*
6 *Affertur opinio affirmantium, eorumque rationes.*
Exempla, quibus Pontifices ſibi Succeſſores elegerunt. Ibid.
7 *Negantium ſententia affertur, eorumque rationes.*
8 *Exempla D. Petri, & Bonifacii Papæ ſibi Succeſſores eligentium examinantur.*
9 *Plurium Pontificum Auctoritas affertur, aſſerentium Papam non poſſe ſibi Succeſſorem eligere.*
10 *Alii aſſerunt, Papam poſſe ſibi Succeſsorem eligere, ſi id poſtulet evidens Eccleſiæ utilitas, ſivè neceſſitas.*
11 *Quo jure D. Petrus D. Clementem ſibi Succeſſorem elegerit.*
12 *Epiſtola D. Clementis ad D. Jacobum an ſit apochripha.*
13 *D. Clemens quamvis Petro immediatè non ſucceſſerit, fuit tamen ab eo Succeſsor electus.*
14 *Conveniens fuit Pontificum aſsumptionem Eccleſiæ electioni relinqui.*
15 *Papæ poteſtas eſt immediatè à Deo, non ab Electoribus.*
16 *Papa habet plenam poteſtatem poſt electionem, nec ulla indiget confirmatione, ut alii inferiores.*
17 *Qua ratione Papa ante coronationem non ſe nominet ſimpliciter Epiſcopum, nec utatur integra Bulla.*
18 *Uſque à primis ſæculis electio Papæ fuit pènès Romanum Clerum.*
19 *Clerus Romanus quo jure in electione Pontificis potior fuerit.*
20 *In defectum Cardinalium electio Papæ hodie pertineret ad Clerum Romanum.*
21 *Imperatores quo jure in electione Papæ ſe immiſcuerint.*
22 *Opera Valentiniani, & Honorii Imperatorum qualis fuerit in electionibus Damaſi, & Boniſatii.*
23 *Quid ſentiendum de edicto Regis Odoacri prohibentis eligi Pontificem ſine ejus conſenſu.*
24 *Gothorum Reges quo jure electionem, ſeu confirmationem Romani Pontificis ad ſe trahere nixi ſint.*
25 *Quatenus idem jus Conſtantinopolitani Imperatores uſurparint, & quo ordine tunc fieret electio.*
26 *Afferuntur variæ Auctorum ſententiæ de privilegio ab Hadriano Papa conceſso Carolo Magno circa electionem Romani Pontificis.*
27 *Hoc privilegium commentitium eſse pluribus argumentis comprobatur.*
28 *Conſtitutio Stephani V. de non conſecrando Pontifice, niſi præſentibus Legatis Imperialibus, quanti ſit facienda.*
29 *Expenditur ad rem* Can. quia ſancta, & Can. Ego Ludovicus diſt. 63.
30 *Quatenus Pontificum conſecratio à præſentia Legatorum Imperialium vendicata fuerit.*
31 *Jus eligendi Pontificem à Leone VIII. Pſeudopontifice Imperatoribus conceſsum quanti ſit ponderis.*
32 *Quanti item faciendum ſit ſimile privilegium à Paſchale II. Henrico V. conceſsum.*
33 *Nicolaus II. Pontificis electionem ſolis Cardinalibus Epiſcopis conceſſit.*
34 *Populi partes in iiſdem electionibus quales fuerint.*
35 *Papa poteſt præſcribere modum eligendi Pontificem, etiam cum decreto irritante.*
36 *Poteſtas eligendi Pontificem quatenus in ipſo Pontifice eſse dicatur eminenter, & regulativè.*
37 *Quid circa Pontificum electionem ſanciverit Alexander III.*
38 *Quàm optimo jure Pontificis electio in Cardinalium Collegio poſita ſit.*
39 *De uſu Conclavis, & legibus in eo ſervandis prudentiſſimè à Gregorio X. Clemente V. & Clemente VI. præſcriptis.*

PEramplum, & uſque adhuc in noſtris hiſce laboribus 1
illibatum theorema, relatum nobis offert hujus Conſtitutionis Epitome circa Summi Eccleſiæ Præſulis electionem; ſublimem quidem, & arduam rem, & omnium, quæ humano conſilio explicari poſſunt longè maximi momenti, à qua Eccleſiæ, & totius Chriſtianæ Reipublicæ amplitudo, & decor ſatis pendet; Totius enim corporis ſalus agitur, cùm de capite conſulitur: Meritò itaque tantùm poſuere curæ, & ſtudii Summi Eccleſiæ Adminiſtri, ut non caro, & ſanguis, aut humana ſapientia, vel privatæ utilitatis calculus aliquid in ea habeant momentum, ſed Electorum corda ab omnibus mundanis affectibus vacua, Spiritus ſancti gratia dirigantur. In corpore juris operam hanc 2
navaſſe primum comperimus Simmachum Papam in *can. ſi quis* 2. & *can. ſi tranſitus diſt.* 79. deindè Bonifacium III. in *can. nullus* 2. *diſt.* 79. Stephanum III. in *can. quia ſancta diſt.* 63. *can. oportebat*, *can. nullus*, *can. ſi quis* 3. *diſt.* 79. Adrian. I. *can. nullus*, *can. Adrianus*, *diſt.* 63. Leon. IV. in *can. inter nos ead. diſt.* 63. & *can. ſi quis* 4. *diſt.* 79. Nicol. II. in *can. in nomine*, *diſt.* 23. *can. ſi quis* 1. & *can. ſi quis* 5. *diſt.* 79. Alexandr. III. in *cap. licet de elect.* Gregor. X. in *cap. ubi periculum eod. tit. in* 6. & Clement. V. in *clem. ne Romani de elect.* Inter Extravagantes verò primò ſe nobis offert Clemens noſter in præſenti Conſtitutione edita Avenione die 6. Decembris Anno 1351. ſubinde Julius II. in *Conſt.* 3. incip. *Cum tam divino*, Clem. VII. in *Conſt.* 26. incip. *Cum Chariſſimus*, Paulus IV. in *Conſt.* 17. incip. *Cum ſecundum*, Pius IV. in *Conſt.* 63. incip. *In eligendis*, & omnium latiſſimè Gregorius XV. in *Conſt.* 13. incip. *Aeterni*, & *Conſt.* 18. inc. *Decet*, & tandem Urbanus VIII. rem perfecit in *Conſt.* 45. inc. *Ad Romani*. Cùm ergo Romanorum Præſulum electio ſecundùm tempora plures ſit paſſa viciſſitudines, ut multiplicatis indiguerit proviſionibus, nec in noſtra Conſtitutione ſit cautum ſatis, quin ſalubrioribus conſiliis in ſequentibus Conſtitutionibus partim aucta, partim moderata recurrat; & potiſſimè in *Conſt.* 63. Pii IV. incip. *In eligendis*; Ideò hic morem gerendo, noſtrum in præſenti erit potiuſquam in ejuſdem diſpoſitione inſudare, præcipuas Summorum Pontificum electionis viciſſitudines altiùs repetere, & ad tempora uſque Clementis VI. hujus Bullæ Conditoris perducere, ut Deo dante in remanentibus Conſtitutionibus ad præſentes mores trahamus.

In ſinum Patris reverſurus Chriſtus Dominus, ma- 3
ximus, & æternus novæ Legis Pontifex volens Eccleſiæ ſuæ viſibili Summum Paſtorem viſibilem relinquere, qui vicariam ejus poteſtatem retineret uſque ad conſummationem ſæculi, quindecim, vel viginti circiter diebus à ſua reſurrectione ad littus Maris Tyberiadis videndum Apoſtolis ſe præbuit, & accerſito ad ſe Petro, trina commiſſione Eccleſiæ Militantis Summum Paſtorem, & Magiſtrum ſuomet divino ore primum deſignavit, Joann. 21. 15. *cum ſeqq.* Divus verò Petrus, cùm, peragratis variis Orbis partibus confirmandi ſtabiliendique cauſa Eccleſias, Romam primariam, & prin- 4
cipem totius Orbis arcem expugnaſſet, prævidens ſua morte ibi æternum Principatus Eccleſiaſtici Domicilium ſe relicturum, & cum ſanguine totam doctrinam profuſurum, ut inquit Tertull. *de præſcr. c.* 36. Clementem Romanum, quem priùs baptizarat, & Diaconum ſibi aſſiſtentem elegerat, deindè Presbyterum, mox Epiſcopum ordinaverat, in auribus totius Eccleſiæ ſibi Summi Pontificatus ſucceſſorem elegit, Cathedramque, & Eccleſiam diſponendam commiſit. Accuratiſſimè ſucceſſum narrat ipſe Clemens in Epiſtola ad Jacobum Fratrem Domini, his verbis: *Simon Petrus in ipſis diebus, quibus vitæ finem ſibi præſenſit, apprehenſa manu mea, in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit*

verba; Clementem hunc vobis ordino Epiſcopum, cui ſoli mea prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado, quem præ cæteris expertus ſum Deum colentem, homines diligentem, caſtum, diſcendis ſtudiis deditum, ſobrium, benignum, juſtum, patientem, & ſcientem ferre nonnullorum, etiam ex his, qui in verbo Dei inſtruuntur, injurias; Ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſolvendi; ligabit quod oportet ligari, & ſolvet, quod expedit ſolvi, tamquam qui ad liquidum noverit regulam Eccleſiæ, cujus Epiſtolæ contextus mancus refertur in *can. unde ipſe* 8. *q.* 1. & confirmatur à SS. Patribus, & DD. infra recenſendis; At Clemens poſt D. Petri Martyrium, divino forſan conſilio ſuæ nominationi renunciavit, & Pontificatui ceſſit, ut recenſet Ciaccon. *in Vita D. Clem. in princ.* & concors eſt omnium traditio.

5 Sed in hac prima Pontificia electione, ſeu mavis dicere deſignatione, parumper eſt immorandum circa exagitatam quæſtionem, an Summus Pontifex poſſit ſibi eligere ſucceſſorem; In hanc arenam deſcendendo Doctores, tria agmina efformantes, acriter inter ſe pugnant; Quippè nonnulli abſolutè loquendo, Papam ſibi ſubſtituere poſſe ſucceſſorem docent; Alii abſolutè hanc poteſtatem Summo Pontifici negant. Et tandem aliqui, medium inter hos tenentes, affirmant, quòd nonniſi urgente neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, non verò per modum ordinarium Pontificem ſucceſſorem Prædeceſſor ſtatuere poſſit. Qui primam ſententiam tuentur, potiſſimè adducuntur, cùm Chriſtus Do-
6 minus ſibi ſucceſſorem inſtituerit Petrum, Petrus verò elegit Clementem, ut ſibi ſuccederet, nec alia deſunt hujus facti exempla, ut aliqui autument, in primordiis Eccleſiæ electionis modum in proviſione Apoſtolicæ Sedis vacantis fuiſſe extraordinarium, cùm plerumque Papa, hora ſuæ mortis inſtante, ſibi ſucceſſorem, ſuffragante Clero, deſignaret; & deducunt ex Epiſtola Symmachi relata in *can. ſi tranſitus diſt.* 79. ibi: *Si tranſitus Papæ inopinatus evenerit, ut de ſui electione ſucceſſoris antè decernere non poſſit, ut ſupra placuit: ſiquidem totius in unum convenerit Eccleſiaſtici Ordinis electio, conſecretur electus Epiſcopus. Si verò (ut fieri ſolet) ſtudia coperint eſſe diverſa, eorum, de quibus certamen emerſerat, convincat ſententia plurimorum*. Neque hujuſmodi abſolutæ poteſtatis ſpecimen in ſuorum dumtaxat ſucceſſorum deſignatione Summi Pontifices explicabant, ſed aliis quoque inferioribus non difficulter communicabant, ut legitur in *can. poſuiſti* 7. *q.* 1. in quo Zacharias Papa Bonifacio Epiſcopo Moguntino indulget, quod *hora, qua de præſenti ſæculo migraturum cognoveris, præſentibus cunctis tibi ſucceſſorem deſigna, ut huc veniat ordinandus*. Itemque ab Hadriano I. electionem Summi Pontificis Carolo Magno attributam fuiſſe, expreſsè videtur in *can. Hadrianus diſt.* 63. & à Leone VIII. Othoni I. *in can. in Synodo ead. diſt.* Sicuti igitur Chriſtus fecit, executus eſt S. Petrus, aliique antiqui ævi Pontifices, vel per ſe, vel per alios etiam laicos, concludunt hujus ſententiæ Doctores, perperam hæc poteſtas cuilibet Pontifici negatur, qui unctione eſt Chriſtus, poteſtate Petrus, ut ait D. Bernardus. Sed pro invicto argumento tandem præferunt; quippe cùm innegabile ſit, quòd ad ipſos Summos Pontifices ſpectat præſcribere modum circa Pontificiam inſtitutionem, manifeſtè conſequitur hoc jus primariò in eiſdem eſſe radicatum, & conſequenter poſſe ſibi eligere ſucceſſorem. Hæc quidem pro hac opinione latiùs proſequuntur Victoria *in relect. de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 2. *prop.* 10. *num.* 2. & 3. Bonaccina *in tract. de elect. Papæ diſp.* 1. *punct.* 4. *quæſt.* 3. Vaſq. *tom.* 3. *oper. moral. in* 3. *par. diſp.* 244. *cap.* 3. Cæſar de Meneſes *de Eccl. Hier. diſp.* 1. *per tot.* & ſignanter *n.* 4. Suar. *de fide tr.* 1. *ſect.* 4. *n.* 16. Turrian. *de Hier. Eccleſ. lib.* 3. *c.* 10.

7 Recentiores autem Canoniſtæ, & Theologi ſecundæ propoſitionis aſſertores, videlicet quòd abſolutè loquendo Papa nequeat ſibi eligere ſucceſſorem, non ſolùm ſecundùm Canonicas regulas, ſed prohibente Jure Divino, & naturali, vel ut alii dicunt Jure naturali, & quaſi Divino indiſpenſabili; præciſè, inquam, inſiſtunt, quòd Chriſtus Dominus Pontificiam auctoritatem Petro contradens, eidem facultatem non fecit eligendi ſucceſſorem: aliud enim eſt paſcere, aliud ſucceſſorem eligere, qui paſcat, communiter allegato Textu in *l. inter Artifices, ff. ſolut.* Cùm igitur, ſubdunt itidem Doctores, extra poteſtatem Petro, & ejuſdem ſucceſſoribus attributam, ſit actus eligendi ſucceſſorem; hinc eſt, quòd à D. Petro uſque ad hæc tempora nullus Pontifex ex inſtitutione Anteceſſoris Papatum geſſit; Et quidem quia Chriſtus, uti ſupremus Dominus in ſua Eccleſia Vicarium ſibi ſubſtituit D. Petrum, non eſt trahendum ad exemplum, cùm non ut homo, ſed ut Deus operatus ſit, *can. ita Dominus, can. omnes, diſt.* 22. & *cap. ſolitæ §. potuiſſes de major. & obed.* Quod
verò de S. Clemente circumfertur, triplici elidunt ra- 8
tione; primò enim dicunt, factum B. Petri, ſibi B. Clementem ſubſtituentis, non eſſe trahendum ad conſequentiam, cum motus fuerit ex inſpiratione Divina. Secundò quia ſubſtitutio illa effectum non habuit, martyrii namque laurea coronato eodem Petro, Clemens animadvertens pernicioſi exempli eſſe, ut Prædeceſſor in Pontificatu ſibi eligat ſucceſſorem, Papatui renunciavit, ut diximus. Tertiò tandem cùm traditio ejuſdem facti debili nitatur fundamento, ſiquidem deſumitur ex Epiſtola ejuſdem S. Clementis ſcripta poſt S. Petri obitum ad Jacobum fratrem Domini, & tamen certum eſt eumdem Jacobum ad Dominum iviſſe ante S. Petrum; Et tandem validiſſimum deſumunt argumentum ſemper reprobandæ, ut dicunt, electionis ſucceſſoris in Pontificatu ex facto Bonifacii, qui ſibi in ſucceſſorem elexit Vigilium Diaconum, ſiquidem narrante Anaſtaſio *Bibliot. in Vita Bonifac. Eodem tempore facta iterum Synodo, hoc conſueverunt Sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctæ, & quia contra Canones fuerat hoc factum, & quia culpa eum reſpiciebat, ut ſucceſſorem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt Majeſtatis, quod Diaconem Vigilium ſua ſubſcriptione Chyrographi ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli conſtituiſſet, ac ipſum conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio conſumpſit*, & etiam recenſet Baron. *ad Ann.* 521. & 571. quo meritò S. Sylverius Papa in Epiſtola ad eumdem Vigilium Diaconum Pſeudopontificem exprobavit: *Quia contra Jura Canonica temporibus ſ. m. Bonifacii Papæ, & ipſo vivente, deſignari conaberis, niſi tibi ampliſſimus Senatus obviaſſet, juſtitia tunc providentia Paſtorali, ac Pontificali auctoritate, tua execranda jam debuerant auſpicia detruncari, ſed dum parvum vulnus in te eſt neglectum, inſanabile tunc*
crevit apoſtema. Non tantùm verò antiqui ævi Summi 9
Pontifices exprobatiſſimam habuere electionem ſucceſſoris in Pontificatu, ſed etiam juxta venerabilia Antiquorum exempla noſtri etiam propè temporis Pontifices, fertur enim cùm Cœleſtinus III. gravi morbo laborans renunciare vellet Papatui, & Card. Jo. de S. Paulo tit. S. Priſcæ ſui ipſius loco eligi cuperet, Cardinales diſſenſierunt, aſſerentes id inauditum eſſe in Eccleſia Dei, ex Amico *in curſu Theolog. to.* 4. *diſp.* 6. *ſect.* 6. *n.* 204. *cum ſeqq.* Refert etiam Fagnan. *in cap. accepimus de pactis num.* 30. Paulum III. perſuaſum à Cardinali Piſano, ut ſibi ſucceſſorem in illis temporum anguſtiis eligeret, omninò reſpuiſſe: & Victor. *in addit. ad Ciaccon. in Vita Pii IV.* memorat, quod anno 1563. idem Pius IV. in Conciſtorio Cardinales alloquens, expoſuit ætatem ſuam ſenio confectam in occaſum præcipitem ferri; adjecitque, ſcire ſe, quæri à Juriſconſultis, An Romanus Pontifex ſibi ſucceſſorem deligere queat, & ſub Paulo IV. agitatam quæſtionem eſſe, An idem Pontifex adjutorem cum futura ſucceſſione adſciſcere poſſit? & quamvis nonnulli id affirment, eam tamen ſententiam Pius uti falſam reiiciendam cenſuit, volebatque declarare, Pontificem Cardinalibus etiam aſſentientibus id facere non poſſe; major Cardinalium numerus decretum faciendum judicavit, ſed Gambara dixit, declaratum olim à Pontifice in Conciſtorio, & decreto firmatum hoc à Pontifice; quare ajebat, videndum, quibus verbis conſtitutio fa-

cienda

Digitized by Google

cienda eſſet. Pius auditis ſententiis, decretum non inutile futurum aſſeruit, ſeque declaraturum, Pontificem non poſse ſucceſſorem adjutoremvè cum futura ſucceſſione ſibi eligere; hæc ex Victorell. Quas quidem rationes, & exempla latiùs reaſsumunt, & ornant Fagnan. *in cap. accepimus ex n. 16. de pactis*, Card. Zabarella *in c. licet n. 9. de elect. & in Clem. 5. n. 5. ead. tit.* Card. Turrecr. *in ſumma Eccleſ. lib. 2. c. 51.* Card. Jacobatius *de Conc. lib. 5. ar. 22. n. 2. & lib. 8. art. 18.* Card. Alban. *de Cardin. q. 32.* Card. Cajetanus *to. 1. Opuſc. tr. 3. in Apol. Auctor. Papa cum Conc. par. 2. c. 22.* Aengna *in Decret.* Gratian. *part. 1. diſt. 79. cap. 10. n. 1.* Card. Baronius *ad Annum Chriſti 11. & ad Ann. 571.* Cohel. *in notitia Card. cap. 13* Vincentius Candidus *in peculiari diſs: An Papa poſſit ſibi eligere ſucceſ. impr. in fin. to. 2. operum*, *Mancinus genial. c. 178.* alioſque, quos plena manu recenſet Barboſa *de Jur. Eccleſ. lib. 1. c. 1. nu. 40. cum ſeqq.* Diana *part. 10. tr. 5. reſol. 2.*

10 Qui tandem tertiam, & mediam inter has ſententiam ſequuntur, nec ſcilicèt negando ſimpliciter poteſtatem Papæ eligendi ſucceſſorem, nec abſolutè concedendo; ſed firmantes, quòd tunc Pontifex legitima poteſtate à Prædeceſſoribus eligatur, cùm Eccleſiæ neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſtulat; iiſdem ferè argumentis utuntur, quibus prima opinio probatur; Ait verò, ſubdunt, ſi hujuſmodi electio in apertam injuſtitiam vergeret, ut putà ſi Papa quaſi ex teſtamento dignitatis ſuæ hæredem inſtitueret, vel ſi tamquam per viam ordinariam hunc modum eligendi ſucceſſorem præſcriberet, tunc prorſus dicendum eſt, extra Papæ auctoritatem id eſſe, quia vergeret in perniciem, & deſtructionem Eccleſiæ; etenim Summi Pontificis poteſtas, ut ajunt, à Deo inſtituta eſt ad ædificandum, non ad deſtruendum; Siquidem quidquid potiùs ratiocinando dicant nonnulli ad probandum, quòd omnium convenientiſſimus eſſet hic modus ſubſtituendi ſucceſſorem in electionibus Pontificiis, evitandi gratia Schiſmata, & ambitiones, exemplo ſumpto à Romanis, qui durante adhuc magiſtratu deſignabant futuros Conſules; Veruntamen iidem Doctores ſubdunt, verendum nimis eſſe, ne ſæpeſæpiùs Summi Pontifices in ſuprema auctoritate ſubſtituerent Nepotes, & Conſanguineos ex naturali impetu, quo omnes in eo ferimur, notat Textus in *lege nec in ea, ff. ad leg. Jul. de Adult.* & Gloſ. *in can. pervenit 13. prima q. 3.* ut latiùs proſequuntur Suarez *de Fide, Spe, & Charitate, diſp. 10. ſect. 5. numer. 16.* Amicus *in curſu Theol. tom. 4. diſp. 6. ſect. 6. nu. 204. cum ſeq.* & noviſſivè Dominicus à SS. Trinit. *tom. 3. de Eccl. Milit. ſect. 4. de Summo Pontif. c. 9. concl. 5. §. inſertur 2. in Bibliot. Pontif. Roccaberti.*

11 Hæc quidem momenta ſunt tripartitæ ſententiæ in hac arduiſſima quæſtione; Nobis autem datum non eſt in parva hac mole magnam hanc quæſtionem perſtringere; ſufficiat itaque animadvertere pro nunc, quòd his, qui de Jure Divino, vel naturæ Summum Pontificem eligere non poſſe ſucceſſorem autumant, non parum obſtet electio hujuſmodi de S. Clemente facta, à D. Petro; data enim hujus facti veritate, quis dicet Apoſtolorum Principem contra Juris Divini, & naturæ regulas egiſſe? piè autem meditantur, & certè non ad veritatem eruendam, ſed ad facti vim eludendam, qui dicunt, divino impulſu ad hanc deputationem B. Petrum motum fuiſſe, ſiquidem cur ita aſſerant, nemo, quem viderim, rationem aſſignat; Quinimò animadverſione eſt dignum, quòd hujuſmodi deputatio ob renunciationem D. Clementis effectum non fuit ſortita, quapropter ſi ad extraordinarium Divinum impulſum hujuſmodi factum trahi libeat, potius eſt dicendum, ideò D. Petrus ſibi ſubſtituit, & ordinavit D. Clementem, ut nos erudiremur, quod Summus Pontifex ex abſoluta poteſtate poſſit ſibi eligere ſucceſſorem; Clemens verò ob id Pontificatui poſt mortem D. Petri ceſſit, ne in poſteriorum exemplum ordinariæ Papæ electionis tranſiret: multoque magis abſque fundamento, & contra liberam, & communem traditionem aſſerunt alii, D. Petrum ſolummodò deſignaſſe S. Clem. ut poſt ejuſdem obitum eligeretur; Siquidem antiquorum Patrum communi, ut dicam, teſtimonio dicendum eſt, quod præ- 12 vidente Petro ſui martyrii tempus inſtare, ipſe ſibi ſubſtituit, ordinavit, & elegit in Pontificatu Clementem, ut diximus; Quippè quidquid ſit, an genuina, vel potiùs apocripha dijudicari debeat Epiſtola prima ejuſdem Clementis ad Jacobum fratrem Domini, poſt mortem D. Petri ſcripta, cùm Jacobus ante Petrum martyrii palmam receperit, hujus facti veritatem aſſerunt Damaſus Papa *in Vita D. Petri, & in Pontif. cap. 2. 3. & 4.* Anacletus Papa *in Epiſt. 1.* Joann. III. Papa *in Epiſt. ad Epiſc. Germaniæ*, D. Hieron. *lib. 1. contr. Jovinian. & in c. 52. Iſaiæ*, Tertull. *de præſcript. cap. 32.* S. Epiphan. *in ſect. 27.* Ruffin. *in præfat. relect. & recognit.* Beda *lib. 2. hiſt. Anglic. c. 4.* quibus equidem tot Patrum teſtimoniis nonnulli moderniores coacti dixerunt, ſæpedictum S. Clementis Epiſtolam mendosè ad Jacobum fratrem Domini inſcriptam eſſe in exemplaribus, cùm potiùs ad Simonem pariter fratrem Domini poſt D. Petrum ſuperſtitem probabiliter fuiſſe directam ſuſpicandum ſit, Poſſevin. *in Apparat. Sac. verſ. Clemens Romanus*, Binius *in notis ad dictam Epiſtolam*; Atque tandem nec vim mihi facit Card. Baron. *ad Ann. 69.* qui ex plurium auctoritatibus enixè probat, Clementem non ſucceſſiſſe Petro in Pontificatu, ſed poſt Linum, & Cletum Pontificium Clavum moderatum fuiſſe; Quippè non ideò conſequitur, quod idem Clemens non fuerit 13 à B. Petro ſibi ſubſtitutus; Verùm quia hujuſmodi ſubſtitutioni ipſe renunciavit, ideò electus fuit Linus, deindè Cletus, poſtmodum denuò Clemens, ut apertè edocet Ciaccon. *in Vita S. Lini*, ibi: *Et licèt Petrus Clementem ſucceſſorem ſibi deſignaſſet, Clemens tamen modeſtia uſus, juri ſuo ceſſit: & Linus Pontifex Romanus electus fuit. Clemens igitur, ſecundus fuit Petri ordinatione, non Eccleſiæ nominatione, Petri jure, non functione, & adminiſtratione, quæ Lino fuit tributa Divino Conſilio, ne in poſterorum exemplum tranſiret, ſucceſſores ſibi eligendi, & libertas, & providentia Eccleſiæ in conſtituendo ſibi Paſtore iſto modo fuiſſet adempta*, hacque diſtinctione uſus, putat Gozal. *in cap. licet nu. 8. de Electione*, hoc magnum diſſidium ad concordiam redigiſſe.

14 Renunciante itaque Clemente, negotium primò ſuit Eccleſiæ circa ſucceſſoris in Pontificatu deſignationem. Quia igitur primis illis Chriſtianæ Religionis propagatoribus optimè compertum erat, quod non ſicut carnale antiquæ legis Sacerdotium, novæ legis Pontificatus propagari deberet; tranſacta enim lege neceſſe eſt & Sacerdotium transferri, ut ait *Apoſt. ad Hebr. cap. 2.* quapropter Redemptor noſter non ex Levitica Tribu, cui inſitum erat Sacerdotium, ſed ex Tribu Judæ naſci voluit, ut omnem carnalis ſucceſſionis umbram a ſuo Sacerdotio expungeret, advertente S. Ambroſio in *can. Moyſes 8. qu. 1.* Atque etiam, quod neque per civilem ſucceſſionem Sanctuarium, Dei jure hæreditario poſſideri debet, per Text. *cap. conſuluit de jurepat. can. pleriq. & can. Apoſtolica 8. quæſt. 1.* turpe enim eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, ut verbis utar Concil. Lateranen. relati in *cap. nulla de conceſs. præb.* ideò, inquam, primi fideles ad electionis modum cæteris meliorem, & aptiorem, quo non ſanguini Sacerdotium defertur, ſed vitæ, *can. Moyſes 8. quæſt. 1.* implendi cauſa D. Petri Cathedram confugerunt. Quippe, ut ait D. Anacletus Papa: *Licèt Summorum Pontificum ejectionem ſibi Dominus reſervaverit, eorundem tamen electionem bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus Populis conceſſit*, *can. electionem diſt. 79.* undè D. Auguſtinus *ad Hebr. 5.* ad hæc alludendo expreſſit: *Cooperatores Dei ſumus, & ideò ſemper non eſt expectanda vocatio Divinæ ſententiæ, ſed illum eligit Deus, quem eligit charitas Eccleſiæ, & communis conſenſus eligentium.*

15 Profectò Deus eſt, qui verè Pontifices eligit, qui ipſis Clavium poteſtatem tradit; Electores autem, puri ſunt Miniſtri, & Divinæ voluntatis veluti inſtrumenta,

Digitized by Google

ut qui perſonam tantummodò deſignant, cui immediatè Chriſtus Pontificiam poteſtatem conferat, *can. Valentinianus diſt.* 63. *cap. ubi periculum*, §. *cæterum de elect. in* 6. Fagnan. *in c. accepimus n.* 40. *de pactis*, Card. Cajet. *in opuſc.* 1. *de poteſtate Papæ c.* 14. Suarez *de Fide diſp.* 10. *sect.* 4. *num.* 3. alioſque, quos congerit Barboſa *de Jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 47. Hinc eſt, quod Pontificia aucto-
16 ritas non, ut aliæ inferiores, à confirmatione electionis dependet; ſed legitimè conſummata ipſa electione, Electus ſtatim ſubitò plenam, & abſolutam juriſdictionem obtinet exercibilem ſupra totum Orbem, Gloſ. *in cap. data*, *verbo Pontific. de reg. jur.* Azor. *inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *q.* 1. Dominicus à S. Thoma *in manual. Thomiſtico tom.* 4. *de Eccl. sect.* 4. *q.* 3. & omnes paſſim; Unde animadvertendum eſt in terminis juris merè cœremonialis, & conſuetudinarii ſiſtere, quod nonniſi coronatus Pontifex Lateranenſis Eccleſiæ poſſeſſionem nanciſcatur, & quod ante conſecrationem, & coronationem nec Pontificatus annum ſcribat in litteris, nec ſimpliciter Epiſcopum ſe nominet, ſed dumtaxat ſe ſubſcribat, *Data ſuſcepti à Nobis Apoſtolatus officii anno, &c. N. electus Epiſcopus.* Itemque nec obſignat integra Bulla; poſt coronationem verò Epiſcopum ſimpliciter ſe appellat, Pontificatus annum à die coronationis apponit, & integra bulla utitur, ut advertit Gloſſ. *in cit. c. data ver. Pontificatus de regul. jur. in* 6. Azor. *loc. cit. c.* 5. *quæſit.* 5. Hæc inquam, me-
17 rè cæremonialia ſunt, nam ſi quis ad jus ea reducere præſumpſerit, Apoſtolicas litteras impugnando ex hujuſmodi prætextibus, quòd ſcilicet Summus Pontifex ante ſuæ coronationis inſignia providere, reſervare, diſpenſare non poſſit, nec ſe in litteris Epiſcopum ſimpliciter, ſed tantùm electum Epiſcopum ſcribere, nec etiam uti integra bulla, in qua ipſius nomen exprimatur, excommunicationis ſententia innodatur à Clemente V. in *Extrav. quia nonnulli de ſent. excomm. inter Communes.*

18 His adnotatis, quamvis in Eccleſiaſticis monumentis non ſatis exprimatur, quomodo S. Clementis ſuæ deſignationi à S. Petro factæ cedenti, Linus ſucceſſerit, num ex ipſius S. Petri deſtinatione, vel miraculoſo aliquo ſigno, ut Divina providentia primævis illis temporibus aſſolebat ad firmandam naſcentem Fidem, ut notat Acorona de Card. *tr.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Verumtamen probabiliſſimum etiam eſt, quòd à Clero Romano fuerit Linus in Cathedra Petri locatus. Pro comperto enim eſt, quòd à primordiis Eccleſiæ Summi Pontificis electio apud Presbyteros, & Diaconos Urbis Romæ erat, qui à Petro in locum abſentium Apoſtolorum per Regiones Urbis conſtituti erant; A temporibus verò S. Silveſtri, ſub quo publicè Chriſtiana Religio profiteri cœpit, nonnullæ etiam fuere partes univerſi Romani Populi in Summi Pontificis electione, teſtimonium ſcilicet ejuſdem vitæ, & converſationis præbendo; colligitur ex *can. factus* 7. *q.* 1. *can. in nomine*, *diſt.* 23. & paſſim *per tot. diſt.* 63. deſumunt communiter Theologi, & Canoniſtæ, quos refert Gonzal. *in c. licet n.* 12. *de elect.* Barboſ. *de Jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 1. *nu.* 49. Azor. *inſtit. mor. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *quæſ.* 2. aliique paſſim.

19 Meritò quidem Summi Pontificis electio inque à principio Romano Clero affixa fuit; etenim cùm Papa univerſalis Eccleſiæ Monarcha, ſimul etiam ſit particularis Epiſcopus Romæ, ſummo jure convenit, quòd à Clericis ipſius Eccleſiæ eligatur, exemplo ducto ab Electione Metropolitani, qui à Clero Metropolitanæ Civitatis dumtaxat eligitur, quamquam Provinciæ univerſæ ſit præfuturus, ut in jure vulgatiſſimum eſt, & ex Sidonio colligit Thomaſſin. *de Benef. par.* 2. *lib.* 2. *c.* 3. *nu.* 11. *ad* 3. quidquid dicant, qui ad Concilium Generale univerſam Eccleſiam repræſentans, hujuſmodi Pontificis electionem referre conantur, contra quos aſſurgunt Acorona de Cardin. *tract.* 1. *c.* 10. §. 3. Alban. *eod. tractat. concluſ.* 35. aliique, quos colligit Tuſchus *to.* 3. *verb. electio Papæ concl.* 75. Prima itaque
20 opinione tamquam veriori retenta, conſequitur quòd toto Sac. Cardinalium Collegio, cui nunc ſumma poteſtas competit, vel in captivitate retento, vel omnibus vita functis, Pontificia electio iterum in Romano Clero conſolidaretur, & propriè ad Canonicos Lateranenſis Baſilicæ, quæ Papæ eſt Epiſcopium, ſpectaret, ut aliis probabiliorem, & tutiorem ſententiam dixere Abbas, Hoſtien. Ludovic. Roman. *in cap. licet de elect.* Imola *in Clem. ne Romani eod. tit.* Barboſa *ibid. nu.* 23. *& de Jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 75. D. Antonin. *par.* 3. *Summæ tit.* 22. §. 2. *num.* 4. Azor. *cit. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *quæſ.* 11. Lavor. *tom.* 1. *par. tit.* 4. *c.* 6. *num.* 27. Dionyſius *de vera quatuor Patriarch. elect. c.* 16. *n.* 13. quamvis alii in hac caſus contingentia hanc poteſtatem Concilio aſſeruere, inter quos Decius *in cit. cap. licet*, Auguſtin. de Ancona *in ſumma q.* 3. *art.* 3. nonnulli verò ad quatuor Patriarchas ſpectare dixerunt, Bald. *in leg. ub. adſunt*, *ff. de Tut. & Curat.* Conrad. *in templo omn. Jud. lib.* 2. *c.* 1. §. 2. *n.* 6.

Juxta nunc dictum modum per quatuor circiter ſæ- 21
cula ſumma in Eccleſia Romana viguit libertas in eligendo à Presbyteris, & Diaconibus Summo Paſtore, ſuffragante univerſo Populo. At deinde per longum temporis decurſum Imperatorum, & Regum auctoritas magnam partem in hujuſmodi electionibus ſibi vindicare cœpit, an canonicè, vel indebitè, nobis non eſt probandum, cùm ipſa facta ſe ſatis condemnent, vel juſtificent; Porrò autem primus omnium, qui in hanc meſſem manum impoſuit, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus recenſetur Valentinianus Imperator in electione 22
Damaſi; orto enim ſchiſmate inter ipſum Damaſum, & Urſicinum, in quo tantum fuiſſe inter partes animi æſtum, ut vulneribus, & cœdibus utrinque perpetratis, in ſola Baſilica Sicinini ſeptem ſupra centum triginta cadavera reperta fuerint, narrant Ruffin. *Hiſt. lib.* 1. *cap.* 20. *& lib.* 11. *cap.* 10. Marcellin. *lib.* 27. componendi cauſa itaque ſchiſma, ipſe Imperator Damaſi electionem confirmavit, expulſo ab uſurpata Sede Urſicino, Sozom. *lib.* 4. *c.* 11. Socrates *lib.* 2. *c.* 23. Theodoretus *lib.* 1. *c.* 15. & ex modernioribus Card. Baron. *ad Ann.* 367. & Ciaccon. *in Vita S. Damaſi*. Nec abſimili pacis reddendæ ſtudio Honorius Imperator Anno reparatæ ſalutis 419. ſchiſmate alio exorto inter D. Bonifacium I. & Eulalium, advocatis ambobus Ravennam in Synodo Epiſcoporum, utriuſque Juribus diſcuſſis, adverſus Schiſmaticum Eulalium reſcribens, Bonifacius favit, ut latiùs commemorat Card. Baron. *ad Annum* 419. Brict. *eod. anno*, Ciaccon. *in Vita S. Bonif.* Cùm verò Honorius ad rogatum S. Bonifacii conſtituit, quòd ſi impoſterum duo ſeſe in Apoſtolica Sede conſovere certarent, neuter illorum ſit Papa, ſed nova electione communi conſenſu tertius eligatur, bis verbis relatis in *can. ſi duo diſt.* 79. *Si duo forte contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his futurum Sacerdotem permittimus, ſed illum in Sede Apoſtolica permanſurum cenſemus, quem ex numero Clericorum nova ordinatione Divinum Judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit*, quæ quidem Conſtitutio prudenti explicatione indiget, videlicet quando neuter fuerit canonicè electus, nec uti jacet indiſtinctè eſt intelligenda, quippe lata eſt à laico Principe in Eccleſiaſticis Canonibus non verſato, ut notat Briet. *loco cit.* & Gloſſ. *in cit. can. ſi duo in explic. caſus*.

At Odoacer Rex per Baſilium Urbis Præfectum edicto cavit, ne novus Pontifex abſque ſuo conſenſu im-
poſterum eligeretur, affirmans ſe à B. Symmaco Sim- 23
plicio Papâ, dum in extremis laboraret ad hanc conſtitutionem edendam exoratum fuiſſe, ne conſueti ſtrepitus, & diſſentiones in electione ſui ſucceſſoris orirentur, quam Baſilii legem recenſet Gratian. *in can. bene diſt.* 96. Sigon. *de Imper. Occiden. lib.* 15. *Anno* 478. Naucler. *gener.* 17. Verùm cum Card. Baronio *ad Ann.* 483. *num.* 10. exclamare non dubito; Vides quibus actibus ſæculares poteſtates immiſcere ſe conatæ ſunt in electione Romani Pontificis; potuit fortè rogare Odoacrem Simplicius, ut ad comprimendas Turbas diſſidiaque vitanda, præſtò eſſet futuræ electioni ſucceſſoris, non verò, ut abſque ejus conſultatione electio haud fieret; ut infra ex ſententia Romanæ Synodi commemora-

Digitized by Google

morabitur; Sub Theodorico etiam Rege Anno 498. laceſſita Romana Eccleſia diro Schiſmate inter S. Cœlium Symmachum, & intruſum Laurentium, ipſimet Romanæ Sedis prætenſores, neceſſitate urgente, eumdem Regem, quamvis Ariana labe infectum, electionis arbitrium conſtituerunt, ut rem narrat Anaſtaſius Bibliothecarius *in vita Symmachi*, ibi: *Pacta contentione, hoc conſtituerunt Partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici; qui dum ambo introiſſent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primò ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima cognoſceretur, ipſe ſederet in Sede Apoſtolica*. Sicque hoc verè æquitatis, & injuſtitiæ judicio S. Symmachus Pontificatum pacificè rexit, ut etiam recenſent Thomaſ. *de Beneſ. par. 2. lib. 2. c. 6. n. 17.* Briet. *ad Ann. 498. in fine*, Ciaccon. *in Vita S. Cœlii Symmachi*.

24 Hæc quidem fuerunt primordia, ex quibus deinceps in ſervitutem redacta fuit Domina Gentium, & Regina Provinciarum facta eſt ſub tributo, ut S. Gregorii in hac re verbis utar in *Pſalm. 5. Pœnit.* inde inquam opprimi cœpta eſt à Regibus, & Principibus electionum Summorum Præſulum libertas; Quippè parum juvit, quòd in Synodo III. Romana, Conſtitutio memorata Baſilii, circa Romani Pontificis electionem lata, abrogata fuerit, & exprobata, omnibus ſuffragantibus Patribus, & diſtinctam cenſuram proferentibus, ut legitur in *tom. Conciliorum Synod. Rom. 3. cap. 12. relat. in canon. benè diſt. 96.* Etenim vel nominari, vel confirmari à ſeipſis debere Romanum Pontificem Gothi Reges impoſterum plerumque voluerunt; Poſt Joannis enim Papæ I. obitum, Rex Theodoricus ſibi procaciter arrogare cœpit Romani Pontificis electionem, in Petri Sedem intrudendo Felicem poſtea dictum IV. ſed vel impietas ipſa ſuggerere digniſſimum elegit, omnibus requiſitis, & virtutibus ornatum, vel ex politica ratione, ne ſcilicet poteſtati ſuæ refragari poſſet, niſi qui una digniſſimo adverſaretur; Verumtamen à Clero, Populoque Romano, ſui Juris eligendi retinentiſſimo primò tamquam intruſus rejectus fuit Felix, ſed tandem, ut violentiæ cederent, & evitandi cauſa Schiſma, omnes unanimiter in eodem utì digniſſimo conſenſerunt, ut commemorant Oldoin. *in addit. ad Ciaccon. in Vita Felicis IV.* Briet. *ad Ann. 526. §. Joannes* Bzov. *de Rom. Pontiſ. cap. 2.* Hunc verò Theodorici impium morem imitati ſunt quamplurimi ex Gothorum Regibus, atque inter alias coactas electiones de Silverio Papa ſcribit Anaſtaſius in ejus Vita: *Hic levatus fuit à Tyranno Theodato ſine deliberatione decreti, qui Theodatus corruptus pecunia dono, talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur; jam autem ordinato Silverio ſub vi, & metu, propter adunationem Eccleſiæ, & Religionis, poſtmodum ſubſcripſerunt Presbyteri*.

25 Sed auctoritatem in eligendis Summis Pontificibus, quam de facto, & aliquando uſurparunt Italiæ Reges, quaſi certo jure nixam, ordinariè ſibi, & ſucceſſoribus in C. P. Imperio auſu temerario vindicavit Juſtinianus Imperator, ea prætexente cauſa, ut Orientis Imperator certior fieret de novi Pontificis elevatione, ne in Italia, quam à Gothis Dux ejus Narſes recuperaverat, contra Jura Imperii à novo Pontifice electo moliretur, ſi minus gratus Imperatoribus forſan fuiſſet; Ita quidem nova Pontificis electio tunc explebatur; Mortuo Pontifice Romano Clerus, ſuffragante Populo, Candidatum eligebat; verùm novus electus Pontifex, non antea conſecrari, & ordinari ab Epiſcopis poterat, quàm ejus electio ab Imperatore C. P. probaretur, & confirmaretur; ipſeque litteris ſuis facultatem eidem electo concederet, ut ordinari, & conſecrari poſſet, atque Pontificiam Juriſdictionem tum obtineret, cujus quidem facultatis habendæ cauſa neceſſe erat, ut novus Pontifex certam pecuniæ quantitatem Imperatori tranſmitteret, Azor. *Inſtit. moral. part. 2. lib. 4. c. 5. quæſ. 2.* Bzov. *de Romano Pontiſ. cap. 2.* Thomaſ. *par. 2. lib. 2. cap. 16. num. 5. cum ſeqq.* Ad hunc itaque nunquam ſatis exprobandum morum pertinent verba Anaſtaſii *Bibliot. in Pelagii II. Vita*: *Hic ordinatur abſque juſſione Principis, eo quod Longobardi obſiderent Civitatem Romanam, nec poſſet quiſquam Roma progredi.* Hinc referenda ſunt verba Jo: Diaconi *in Vita S. Gregorii Magni*, qui omni conatu apicem dignitatis, ad quam concordi animo à Clero evehebatur, ſuo diſſenſu evitare non valens: *Conſenſurum ſe tandem aliquando ſimulavit, & Imperatori Mauritio, cujus filium ex Lavacro Sancto ſuſceperat, latenter litteras deſtinavit, adjurans, & multa prece depoſcens, ne unquam aſſenſum Populis præberet*; expreſsè verò adſit Aimon. *de geſtis Francorum lib. 3. c. 64.* non certè licere tunc temporis ad Pontificatum promoveri abſque juſſione Principis C. P. Profectò autem Summi Eccleſiæ Candidati ad iniquam hanc penſionem tempore electionis præſtandam obnoxii fuere ad tempora uſque Agathonis Papæ; imperante enim Conſtantino Pogonato, Heraclii pronepote, tandem à nefanda hac præſtatione Eccleſia Romana ſublevata fuit, ſed adhuc in ſervitutem detinebatur, ut niſi jubente Imperatore Pontifex conſecrari non liceret, ut ex Anaſtaſio refertur in *can. Agatho diſtin. 63.* ibi: *Hic ſuſcepit ab illo divalem, ideſt Regiam Epiſtolam ſecundum ſuam poſtulationem, per quam revelata eſt quantitas pecuniæ, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda: ſic tamen ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam Urbem, ut cum eorum conſcientia, & juſſione debeat ordinatio proſperari*. Sed tandem à turpiſſimo etiam ſervitutis jugo Romanæ electiones ſolutæ fuerunt à piiſſimo eodem Principe Conſtantino Pogonato, qui datis litteris ad Clerum Populumque Romanum conſtituit, ut deinceps, quem Clerus, ac Populus Romanus Pontificem delegiſſet, is, nulla alia Imperatoris electione expectata, more antiquo ſtatim Pontifex conſecraretur, ut idem Anaſtaſius proſequitur, & recolunt Gonzalez *in c. licet n. 12. de elect.* Thomaſ. *part. 2. lib. 2. c. 16. num. 10.* Azor. *cit. lib. 4. c. 5. quæſ. 2.*

26 At continuando viciſſitudinum ſeriem, quibus Summorum Pontificum electio jactata eſt; dum ad Caroli Magni tempora deſcendimus, quid potiùs Scriptores dixerunt, quàm quòd verè geſtum eſt affirmare, rerum obſcuritas nos impulit. Primùm rem faceſſit vulgatus Textus in *Can. Hadrianus diſt. 63.* in quo Gratianus, auctore Sigeberto Hiſtorico recenſet, Hadrianum Papam, convocata Synodo 153. Epiſcoporum, Carolo Magno inſigne, & uſque ad ejus tempora inauditum privilegium elargitum eſſe, videlicet vacante Romana Sede, eligendi, quem ſibi liberet, in Romanum Pontificem, atque omnibus Epiſcopis jus dandi inveſtituras; In hoc igitur inſigne privilegium inſurgunt DD. Alii quidem Sigeberti, & Gratiani fidei ſe prorſus committendo, abſque alia diſquiſitione narratis acquieſcunt inter quos Pigh. *libr. 5. cap. 13. Hier. Eccl.* Boet. *Epo. libr. 1. de Regal. numer. 144.* Vvalden. *de dignit. Regis Hiſpaniæ, cap. 20. n. 26.* Boz. *de Statu Italiæ lib. 3. cap. ult.* Lavor. *variar. lucubr. tom. 1. tit. 4. cap. 4. num. 23. & 24.* & hujuſmodi privilegii bullam Pariſii, tamquam gemmam in Regni Theſauro aſſervatam, jactant Gloſs. *in Prag. Sanct. tit. de Annal. verb. Regalia*, Guillel. de Benedict. *in c. Raynut. ver. & uxorem n. 61. de Teſtam.* Nonnulli verò DD. ulteriùs affirmant, Carolum Magnum hujuſmodi privilegium ab Hadriano ſibi oblatum non acceptaſſe, ſed ſpontè ſua renunciaſſe, uti tanti honoris immeritum; quapropter neque Carolum, nec aliquem ex ſuis ſucceſſoribus tali jure eligendi Pontificem uſos eſſe, ex Hiſtoriis liquet, Cardin. Alban. *de Card. q. 5.* Ruff. *pro Pontiſ. max. num. 39. & 40.* Navar. *in rubric. de jud. num. 69.* quos refert Barboſa *in cit. can. Hadrianus num. 6.* Aliqui verò paruumper ab his diſcedendo autumant, non Carolum, ſed Ludovicum Pium ejuſdem filium Apoſtolicæ conceſſioni renunciaſſe, adducentes *can. ego Ludovicus*, *can. conſtitutio*, & *can. ſibi Domino*, & *can. Sacrorum diſt. 63.* & defendunt D. Antonin. *in Chron. par. 2. tit. 16. cap. 1. §. 2.* Volater. *in Geographia lib. 3. cap. de Pipini, & Caroli geſtis*, Barboſ. *de Jur. Eccleſ. lib. 1. c. 1. num. 54.* & probabiliorem hanc ſen-

Digitized by Google

ſententiam cenſet Gregor. *ſintag. jur. lib.* 15. *cap.*3. *nu.* 20. Atque tandem quamplurimi hujuſmodi privilegium umbratilem fabulam, & commentum fictitium Sigeberti eſſe aſſerunt, quod nimis credulus Gratianus ſuæ Canonum collectioni conſarcinavit, ut enixè oſtendunt Card. Baron. *in Ann. ad Ann.* 774. *n.* 10. *Ann.* 964. *nu.* 22. Card. Bellarm. *in apolog. contra Regem Angliæ*, Grethſerus *in apolog. pro Card. Baron. cap.* 1. & 2. Suar. *contra Regem Angliæ lib.* 3. *cap.* 29. Thomaſſin. *par.* 2. *cit. cap.* 20. *n.* 5. & *cap.* 23. *n.* 2. Cabaſſut. *in not. Ecclef. ſæc.* 13. *ad Conc. Lugdun. diſſertat.* 2. Morinus *in hiſtor. pro Rom. Pont. temporali poteſtat.* Natal. Alexan. *in Hiſt. ſæc.* 13. *diſſert.* 8. *art.* 1. Paſquierius *lib.* 3. *diſqu. c.* 35. Marca *de Concord. lib.* 8. *c.* 12. Victorell. ad Ciacc. *in Vita Hadriani I.*

27 Non tantùm verò præſtantia DD. adductus, ſed fundatiſſimis momentis ultimæ ſententiæ ſubſcribere non vereor, Excreſceret autem ultra propoſitum hujus Commentarii moles, ſi omnia hic delibare intenderem, quæ fictitium hoc privilegium demonſtrant; clariora verò ſunt, quòd nullus ex antiquis Eccleſiaſticis Scriptoribus, illam inter Caroli Magni geſta de hujuſmodi eligendi Summum Pontificem grande privilegio memoriam facit; numquid ſanè à diligenti calamo Anaſtaſii Bibliothecarii aufugiſſet? nec quidem Eginhardus, Caroli Magni à ſecretis, qui ejuſdem geſta poſteritati mandavit, hoc magni momenti poſthabuiſſet; Atque nec ementita 153. Epiſcoporum Synodus, cujus in eodem *can. Hadrian.* fit mentio; in faſtis Eccleſiaſticis enumeratur, quamvis omnem paginam revolviſſent ad eandem perquirendam Card. Baron. Card. Bellarm. Alemann. aliique. Primus enim omnium Sigibertus Monachus Gemblacenſis Schiſmaticus, fabulam hanc commentus eſt, trecentis pluſquam annis Caroli Magni poſterior; Maximi autem ſibi fuit hoc privilegium fingere; quippe cùm Imperatoris Henrici partes adverſus Summos Pontifices propugnaret in vindicandis notiſſimis inveſtituris, non parum patrocinii ſuæ cauſæ hoc adducto exemplo adjungebatur; omnium verò argumentorum evidentiſſimum eſt, quòd tempore Caroli Magni Eccleſiaſticæ electiones liberè prorſus manſerunt, qui in eiſdem nedum non ſe ingerebat, ſed omni ſtudio earundem libertati intendebat; etenim ex quo idem Carolus, Deſiderio Longobardorum Rege expulſo, Italiam libertati donavit, Romano Clero libera omninò fuit Romanorum Pontificum electio ad Leonem uſque VIII. ſic teſtante Floro, qui ſcripſit tempore Caroli Calvi in *frag. Hiſt.* ibi: *Sed & in Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus, abſque interrogatione Principis Pontifices conſecrari*; & probat Thomaſſin. *de benef. par.* 2. *lib.* 2. *c.* 20. *cum ſeqq.* improbabile igitur proculdubio eſt, Hadrianum Papam privilegiis, & gratiis eundem Carolum decorare voluiſſe à ſua pietate, religione, & genio prorſus alienis.

28 Sed creſcunt hujus ævi in electionibus Pontificiis ambiguitates, cùm eodem tempore contradictoriæ Conſtitutiones occurrant; inſerit quippe Gratianus *in ſua collectione, can. quia Sancta diſt.* 63. in quo Stephanum V. loqui facit; quia Romana Eccleſia Pontifice viduata, ut plurimùm violentiis ſubjicitur, eo quod abſque Imperiali notitia Pontificis fit conſecratio, nec Canonico ritu, & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuntii, qui ſcandalis ſua auctoritate obvient; conſtruitur igitur Stephanus, ut deinceps novus Pontifex nonniſi præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur. Circa verò id tempus Ludovicus Pius in piiſſima
29 Conſtitutione edita in Conc. Aquiſgranen. relata *in can. Ego Ludovicus eadem diſt.* 63. undequaque liberam Romani Pontificis electionem aſſeruit, qui ſolummodò poſt ſui conſecrationem, legationem ad Imperatorem deſtinare deberet, qua ad amicitiam, & pacem conſociandam de ſua promotione faciat certiorem; Inſuper decedente eodem Stephano V. in Paſchali I. electione, vel coronatione, neque aſſenſum, vel præſentiam Imperialium Legatorum, juxtà memoratam Stephani Conſtitutionem intercesſiſſe, legitur in Anaſtaſio Biblior. In hujuſmodi itaque documentorum varietate, cùm tam firmiſſima ſit Ludovici Pii conſtitutio, quàm certiſſimum, quod in immediatis Pontificis electionibus Imperiales Legati non adfuerunt; remànet affirmandum, prælibatum Stephani Decretum, vel non acceptatum ab eodem Ludovico Pio, vel prorſus commenticium exiſtere, cum Card. Baron. *ad Ann.* 816. *art.* 102. & Thomaſſin. *cit. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 3.

Verumtamen veriſimile admodum eſt, quod Ludo- 30
vici ſucceſſores moliti fuerint, ut Pontificis electi retarderetur conſecratio, donec Imperiales Legati adeſſent; ſed veriſſimum item fatendum, quod Summi Pontifices, & Romanus Clerus totis viribus his conatibus obſtiterint; id elucet ex *Anaſt. Biblior.* in electione Leonis IV. *Romani novi electione Pontificis gaudentes, cœperant iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine Imperiali non audebant auctoritate futurum conſecrare Pontificem.* Sed Leonem ipſum concordia inita cum Lothario, & Ludovico Auguſtis, relata in *Can. inter nos, & vos diſt.* 63. hujuſmodi Imperialibus conatibus obviam iviſſe interpretatur Thomaſſin. *loc. cit. n.* 4. §. *fateri, & n.* 5. Expreſſiùs autem fortitudo, & cautio Romani Cleri emicat in electione Hadriani II. vehementer enim dolentibus Ludovici Legatis, qui tunc Romæ degebant, quod ad ſupremam electionem nec invitati fuiſſent, ingenuè à Clero eiſdem fuit reſponſum, *quod non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu hoc commiſſum fuerat, ne videlicet Legatos Principum in electionem Romanorum Præſulum expectandi mos, per hujuſmodi fomitem inoleſceret.* Quibus rationibus emolliti Legati, ad ſalutandum electum Pontificem humiliter acceſſerunt; legitur in *Can. cum Hadrianus diſt.* 63. Atque tandem Hadrianus III. Decreto firmavit, ne in creando, vel conſecrando Pontifice Imperatoris auctoritas expectaretur, ut refert Ciaccon. *in ejuſdem Vita*, Azor. *inſtit. moral. par.* 3. *lib.* 4. *c.* 5. *quæſt.* 2.

Ab his verò temporibus intacta, ſeu meliùs dicam 31
non admodum à Laicis labefactata manſit libertas electionis Pontificiæ ad Otthonem uſque hujus nominis primum; Coacta enim Romana Synodo, cùm exauctoratus fuiſſet Joannes XII. Leo dictus VIII. qui in Petri Cathedram ſe ejuſdem Otthonis opera intruſit, in compenſationem forſan uſurpati honoris, ſacrilegè omnem eligendi Romani Pontificis auctoritatem à Clero, Populoque Romano in jus Imperatoris tranſtulit, non tamen iis verbis, & ſenſibus, quibus regiſtratur à Grat. *in can. in Synodo diſt.* 63. ut notat Card. Baron. *ad Ann.* 774. *n.* 13. & *ad Ann.* 963. *n.* 38. & *ad Ann.* 964. *n.* 22. & 23. Quicquid verò ſit de hujuſce conſtitutionis veritate, pro cujus fictione latè diſceptat *cit.* Card. Baron. ceterùm etiam in ſui eſſe relicta, nullius ſanè ponderis, & omninò infirma eſſet, tanquam edita à Pſeudopontifice, ut Card. Baron. Bellarminus, & Grethſerus, relati à Victorell. *in addit. ad Ciaccon. in Vita Hadriani I.* §. *Decretum*, advertunt; undè Brietius meritò ſcripſit ad Ann. 964. *Quæ autem à Leone conceſſa ſunt Imperatoribus, tantum habent ponderis, quantum ejus valet auctoritas; cujus vis, & externa violentia tribuit auctoritatem.* Nihilominus Germani Imperatores jure in memorata Conſtitutione conceſſo plerumque uſi ſunt ad Gregorium uſque VII. ſtrenuum libertatum Eccleſiaſticarum Aſſertorem, qui occaſione Schiſmatis orti inter Benedictum, Silveſtrum, & Joannem ſub Henrico II. Imperatore, liberam etiam poteſtatem in eligendis Summis Pontificibus Imperatoribus ad Clerum, Populumque Romanum revocavit. Ultimò tandem fuit
Henricus V. Imperator, qui Romam incendere mi- 32
nitans, à Paſchali II. in vinculis ſacrilegè, & contra Sacramentum ab eodem retento, pactiones libertati eligendi Pontificem, etiam præjudiciales ad Pontem Salarium extorſit; Paſchalis verò hoc medio libertati donatus, coacta Synodo apud Lateranum, omnia, quæ Henrico promiſerat, revocavit, cùm coactus, non libens, armis, non rationibus aſſenſum præſtitiſſet, inſtantibus Cardinalibus captivis, Populoque Romano, qui ab Henrico bello vexabatur; ut quavis con-

ditio-

Digitized by Google

ditione Pacem componeret, cui revocationi nec ipſe
Henricus minis cœleſtibus territus refragare auſit, Ciac-
con. *in vita Paſchalis II.* Cabaſſut. *in not. Eccleſ. Sæculi*
XIII. ad Conc. Lugdun. 11. *diſſ.* 11. Azor. *inſtit. mor.*
par. 2. lib. 4. c. 5. quæſ. 3.
33 Jamdiù verò diverſimodè perturbata Summi Præ-
ſulis electio, non ſolùm relatis Principum violentiis,
quin etiam variis ſeditionibus, & tumultuoſis impreſ-
ſionibus ipſiuſmet Romani Cleri, & populi ambitione,
vel privatis cupiditatibus corrupti, & utinam nunquam
res ſancta ſimoniaca labe fuiſſet coinquinata; Nico-
laus tandem II. ſummæ prudentiæ, & nunquam ſatis
laudis Romanus Pontifex, primus omnium fuit, qui
futuris caſibus prudenter occurrendo, certam formam,
& methodum in providenda Romana Sede præſcri-
pſit; quippè anno 1059. eodem Nicolao auctore, in
Concilio Lateranenſi ſtatutum fuit, quòd ſolùm Car-
dinales Epiſcopi præduces ſint in promovenda Summi
Pontificis electione, & penès ipſos ſumma ſit auctori-
tas concluſionis; reliquis autem Cardinalibus Clero,
Populoque Romano remaneret dumtaxat electioni ab
ipſis factæ conſentire, ut refertur in famigerato *Cano-*
ne In nomine diſt. 23. & inter Synodales Canones recen-
ſetur in *Collect.* Cabaſſut. *can.* 1. ibi: *Primo inſpectare*
Deo eſt ſtatutum, ut electio Romani Pontificis in pote-
ſtate Card. Epiſcoporum ſit, itaut ſi quis Apoſtolicæ
Sedi ſine præmiſſa concordi, & canonica electione eo-
rum, ac deinde ſequentium Ordinum Religioſorum, Cle-
ricorum, & Laicorum conſenſu intronizetur, is non Pa-
pa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur. Qua-
propter meritò ſcripſit Petrus Damiani, penes Baron. *ad*
Ann. 1033. *n.* 8. *Ille ſimoniacus eſt, qui Epiſcopis Car-*
dinalibus reclamantibus, intronizatus eſt; ille præferen-
dus, quem Cardinales Epiſcopi vocaverunt, quem Clerus
elegit, quem Populus expetivit. Quæ autem fuerit potiſ-
ſima cauſa hujus Nicolai Conſtitutionis, jam dixi ad
Conſt. unic. Jo: XV. ſect. unica n. 20. *tom.* 1. *pag.* 152. vi-
delicet retundendi cauſa ſuperbiam Imperatorum, in-
hiantium abſolutam poteſtatem in hujuſmodi electioni-
bus; At formam, qua proximis ſuccedentibus tempo-
ribus in vim hujus Statuti Pontificiæ electiones exple-
bantur, recenſent Barboſa *in can. In Nomine Domini*
n. 6. diſt. 23. & de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. n. 55. Card.
Alban. *de Card. q.* 11. Lavor. *var. lucubr. to. 1. tit. 4. c. 5.*
n. 9. Compertum tamen eſt, Populi acclamationes, pe-
34 titionem, deſiderium, atque applauſum hoc Canone
non fuiſſe in Pontificibus eligendis excluſum, ut quid-
quid nonnulli dicant contra ejuſdem litteram, & ſub-
ſequutam obſervantiam, patet in electione Gregor. VII.
relata ab Anaſtaſio I. *Diaconus dixit: Placet ne Vobis?*
Responderunt placet: ſubjunxit iterum, Vultis eum? reſ-
ponderunt; volumus, & tertio laudatis eum? Lauda-
mus, omnes reſponderunt; Tunc ab omnibus Clericis,
& Populo acclamatum fuit Gregorium Papam S. Petrus
eligit. Atque probat Petrus Damiani *lib. 1. Epiſt.* 20.
Nimirum in electione illa fieri debeat per Epiſcoporum
Cardinalium principale judicium, ſecundo loco jure præ-
beat Clerus aſſenſum, tertio Popularis favor attollat
applauſum, & notat Azor. *Inſtit. moral. tit. lib. 4. cap.*
5. quæſ. 4.
35 Non eſt autem cur dubitandum, an Nicolaus Papa,
aliique Summi Eccleſiæ Præſules ſuam poteſtatem ex-
plicare valeant in hac conſtituenda forma Pontificiæ
electionis etiam cum decreto irritanti; quippè cum Chri-
ſtus Dominus jus collativum Papalis dignitatis reli-
querit in Eccleſia, nec certæ formæ, nec determinatis
perſonis affixum; reliquum eſt, quòd ejuſdem Vicarius
in Terris poſſit eam regulare, & præſcribere, & ſecun-
dùm temporum viciſſitudines variare, ita tamen quòd
ab Eccleſia eandem non abſtrahat, putà laicis com-
mittendo, vel in quemcumque modum, qui in mani-
feſtam Eccleſiæ totius detrimentum, & perniciem ver-
geret; quapropter variè, & pluries mutatus fuit mos
eligendi Pontifices, Apoſtolica interveniente auctori-
tate, ut in *can. in nomine diſt. 23. cap. licet de elect. cap.*
ubi periculum eodem tit. in 6. Clem. ne Romani eodem tit.
& firmant Dominicus à SS. Trinitate *de Summo Pontif.*
c. 9. penès Roccabert. *tom.* 10. *pag.* 256. Dominicus à S.
Thoma *de Eccleſia ſect.* 10. *ibid. pag.* 168. Azor. *inſtit.*
mor. par. 2. lib. 4. c. 5. quæſit. 2. cum ſeqq. Pariſ. *de reſign.*
lib. 2. q. 2. n. 13. Lavor. *cit. tom. 1. tit. 4. cap. 3. num.* 13.
atque tandem eſt receptiſſima ſententia, etiam ab his,
qui Papam ſucceſſorem eligere ſibi non poſſe autu- 36
mant. Hi enim ita diſtinguunt: Poteſtas electiva Pa-
pæ non eſt formaliter in Papa tamquam in ſubjecto,
adeòut per ſe ipſum poſſit eam explicare; ſed ſolum-
modò virtualiter, quaſi eminenter, regulativè, & ar-
chitectonicè, ut quaſi Supremus Architectus certis re-
gulis præſcribere, & regulare eam poſſit, ſicuti ad
artem ſuperiorem, & architectonicam formaliter per-
tinet inferiores poteſtates dirigere; non tamen opera
præſcripta exequi, & per ſe ipſam ad eſſe perduce-
re, ut Card. Cajet. *in tract. 2. de auctor. Papæ apolog.* 2.
cap. 22. §. reſpondeo cum ſeqq. & omnes ferè Scriptores
concordant.
Verumtamen non ſatis proviſum ex laudata Nicolai 37
II. Conſtitutione, ſuo malo expertus eſt Alexander III.
ſchiſmate Victoris dicti IV. laceſſitus; adeo quòd potiſ-
ſimè faventibus popularibus tumultibus, & Imperialibus
factionibus, plerumque apoſtaticum Caput Romanæ
Sedi ingereretur; Sedatis itaque tumultibus, cordi ipſi
Alexandro magnopere fuit ſalubriter providere, ne hu-
juſmodi monſtra tàm faciliter conſurgerent; Convoca-
to enim Generali Lateranenſi Concilio in Conventu
trecentorum Epiſcoporum, propemodum divinam ſan-
xit Conſtitutionem circa Summi Pontificis electionem
in *can.* 1. videlicet, quòd tunc demum canonicè electus
Papa cenſeretur, in qua duæ ex tribus Sacri Collegii
Cardinalium partes conſenſiſſent, quòd ſi quis tertiæ
partis etiam nominatione confiſus, Pontificium So-
lium aſcendere præſumpſerit, tàm ipſe, quam hi, qui
illum receperint excommunicationis ſententiæ, aliiſque
ibi ſtatutis pœnis ſubjacerent; Nec mirum quippè,
ut ipſe Alexander ait, quòd ita præter aliarum ele-
ctionum ſtylum, in quibus major pars prævalet, in
Pontificiis electionibus conſtituatur, ſiquidem quod in
eis dubium evenerit, Superioris poterit judicio defini-
ri; In Romana verò Eccleſia ſpeciale aliquid conſtitui-
tur, quia non poteſt ad Superiorem recurſum haberi, ut
refertur in *c. licet de vitanda de elect.*
Magno, inquam, Eccleſiæ bono, noſtro œvo vigen- 38
tem perſpicimus, & in perpetuum duraturam conſici-
mus conſultiſſimam hanc Alexandri Conſtitutionem;
quicquid enim perperam dicant nonnulli hanc gloriam
referre contendentes Nicolao II. ipſi Alexandro debe-
mus, quod ſumma pace noſtri temporis Pontificiæ ele-
ctiones ſuccedant. Ab ipſo primùm fœliciſſimo ſuc-
ceſſu populares conſenſus, & Imperiales violentiæ per
tot ſæcula graſſantes, à Pontificiis electionibus fue-
runt ſecluſæ, & ad Sacr. Cardinalium Collegium ſo-
lummodo revacta fuit integra Summorum Pontificum
electio; Blaceret igitur ad ſui ſatietatem Jo: Vviclefus,
electionem Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſſe in-
troductam, nam omnibus Catholicis DD. compertiſſi-
mum eſt, quod ſicuti Cardinalatus officium ab Apoſto-
lorum tempore derivavit, juxta ſenſus Epiſtolæ Eugenii
IV. ad Epiſcopum Cantarienſem, ita ex inſtitutione
Apoſtolica eidem annexum fuit jus, & prærogativa eli-
gendi Summum Pontificem, ut expreſsè notat Barboſa
de Jure Eccleſ. lib. 1. c. 1. num. 49. Unde jure meritò ſta-
timatque Romani Senatus Hominibus Cardinalatus no-
men acceſſit, Cardinalibus aſſeritur Summi Præſulis
electio; Petrus namque Damiani ſcripſit *Epiſt. 1. Ro-*
mana Eccleſiæ Cardinales Romanum Pontificem prin-
cipales eligunt, & commemorat Card. Baron. *ad Ann.*
1033. *num.* 8. atque aurea ſententia id confirmavit Card.
Cajet. *in Comm. in Act. Apoſt.* videlicet, quòd Cardi-
nales ſemper in Summorum Pontificum electione par-
tem, & quidem maximam habuere, quinimò, *quod eli-*
gant, eiſdem competit ex ſui natura; quod vero ſoli eli-
gant, ex Privilegio Apoſtolico.
Exigebatur tandem ad perfectam methodum ele- 39
ctionum Summorum Pontificum, quod Gregorius X.
in Concilio Generali Lugdunenſi coacto Ann. 1274.
inter

Digitized by Google

inter plures proficuas reformationes, poneret modum, ne Comitia magno totius Chriſtianæ Reipublicæ malo, & incommodo longiùs protraherentur, ob id inſtituto Conclavis uſu; optimum quidem remedium ad occurrendum longiſſimis interregnis, in quo cibus in dies parcior, & incommoda fiunt ſtimuli ad celeriter maturandam electionem, quæ quidem leges in Comitiis Romani Pontificis ſervandæ, referuntur in *Conc. Lugd. can.* 2. penes Cabaſſut. *relat. in cap. ubi periculum de elect. in* 6. perantea enim Cardinales, vita functo Summo Pontifice, ſummo mane ſingulis diebus, ſi Romæ Vacatio Sedis contigeret, Laterani, vel in Baſilica Vaticana, aut alibi, ut occaſio erat; Si verò extra Urbem, in Eccleſia illius Civitatis Principe, una ad hujuſmodi electionem explendam conveniebant, teſte Ciaccon. *in Vita Gregorii X. in princ.* His verò Gregorii Legibus de Pontificalibus Comitiis confirmatis, nonnulla addidit, & ſupplevit Clemens V. in Concilio Generali Viennenſi coacto Anno 1311. Conſtitutione relata in *Clem. Ne Romani de elect.* & demum eorum rigorem mitigavit, & modificavit Clemens VI. hac edita Conſtitutione Avenione Anno 1351. ad cujus quidem Conſtitutionis decorem non pigebit tandem referre verba Ciacc. *in Vita ejuſdem Clementis* §. *fin.* de hac præſenti Conſtitutione loquentis: *Nullam autem Conſtitutionem poſteris relictam celebriorem exiſtimamus ea, quæ de victu Cardinalium lata eſt, quoties ad eligendum Pontificem conveniunt, quæ inter acta Concilii Conſtantienſis reperitur.*

CONSTITUTIO I.

INNOCENTII VI.

INCIPIENS (*Cum omnes.*)

EPITOME BULLÆ.

INNOCENTIUS ÆGIDIO TITULI SANCTI Clementis, Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ac in temporalibus Vicario Generali.

CArdinalem Ægidium, Legatum Sedis Apoſtolicæ, deputat Vicarium in temporalibus in Statu Eccleſiaſtico, Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecto, intra terminos ſuæ legationis, eique plurimas facultates concedit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Innocentii VI. natales, & ad Pontificatum aſſumptio refertur.*
2 *Ejus præclara geſta durante Pontificatu.*
3 *Cauſa mittendi Cardinalium Ægidium Legatum quæ fuerint?*
4 *Cardinalis Ægidii natales, & præclarum ingenium indicantur.*
5 *Referuntur eximia ejus geſta in præfata Legatione, aliaque munera, & obitus.*
6 *Proponuntur tractanda in hoc Commentario ad interpretationem Conſtitutionis Ægidianæ.*
7 *Sixtus IV. extendit Aegidianam pro Urbe, totoque Statu Eccleſiaſtico, præſervatis tamen ſpecialibus locorum ſtatutis.*
Idemque fecerunt Concilium Lateranenſe, & Paulus III. Ibid.
8 *Conſtitutiones Carpenſes quæ ſint, & quæ loca obligent.*
9 *Aegidiana quoad appellationes non comprehendit Eccleſia, aut bona Eccleſiaſtica, & qua ratione, & n. ſeqq.*
Hujus non comprehenſionis ratio vulgò refunditur in defectum poteſtatis ſpiritualis in Cardinali Aegidio. Ibid.
10 *Veriùs eſt, Aegidium habuiſſe poteſtatem in ſpiritualibus, uti Legatum à Latere, & n. ſeqq.*
11 *Pontifices, dum ab Urbe diſcedunt, conſtituunt Legatum etiam in temporalibus.*
12 *Affertur vera ratio cur Aegidiana non comprehendat Eccleſias, & Eccleſiaſticos quoad appellationem.*
13 *Statuta Urbis confirmata à Papa afficiunt Eccleſiaſticos in iis tantùm, in quibus de illis fit mentio.*
14 *Aegidiana prohibet appellationem in judicio poſſeſſorio.*
15 *Idemque etiamſi agatur de plenario poſſeſſorio.*
16 *Quæ prohibitio procedit tantùm in ſuſpenſivo, non autem in devolutivo.*
17 *Aegidiana non prohibet appellationem in poſſeſſorio habente mixturam petitorii.*
18 *Quid ſi contineat diverſa capita, quorum unum ſit appellabile, alterum non.*
19 *Aegidiana non intrat in appellatione à ſententia revocatoria alterius, & quatenus id procedat.*
20 *Quid ſi Judex habeat facultatem procedendi in ſecunda inſtantia tamquam in prima.*
21 *In Judicio ſummariſſimo non intrat Aegidiana.*
22 *Manutentio, ſi concedatur per ſententiam, quatenus ab ea detur appellatio.*
23 *In Curia regulariter datur appellatio à ſententiis ſuper manutentione.*
24 *Manutentio, in qua incidenter fuit diſcuſſum petitorium, non impeditur per appellationem.*
25 *Signatura quatenus variè reſcribat, dum in judicio manutentionis adeſt aliqua turbiditas pendens à petitorio.*
26 *Sententia ſi ſit notoriè nulla, vel injuſta, non intrat Ægidiana.*
27 *Quid ſi nullitas, vel injuſtitia ſit turbida, & quomodo tunc Signatura reſcribat.*
28 *Ægidiana afficit tantùm loca immediatè ſubjecta S. Sedi.*
29 *Non autem Statum Parmæ, & Regnum Neapolitanum, prout nec olim Statum Urbini.*
30 *In Statu Avenionenſi, & Venaiſino, quatenus habeat locum Aegidiana quoad ſolemnitates in contractibus Minorum aliorumque.*
31 *Refertur nuperrima reſolutio Congregationis Avenion. ſuper hac re edita.*
32 *An in eodem Statu habeat locum Aegidiana quoad appellationes.*
33 *Sententia affirmativa uti verior comprobatur.*
34 *Et quid ſi non adſint ſtatuta peculiaria contraria Aegidianæ.*
35 *In ſententiis latis extra Statum Eccleſiaſticum, etiam inter ſubditos Papæ, non intrat Aegidiana.*
36 *Eccleſia, & Eccleſiaſtici non comprehenduntur in Aegidiana, & quid in immiſſione vigore obligationis cameralis.*
37 *Requiritur tamen quod ſint in cauſa tempore ſententiæ.*
38 *Eccleſia, & Clerici comprehenduntur in Aegidiana, ſi ſint in cauſa uti defenſores laici.*
39 *Clericus veniens ad cauſam ante ſententiam non afficitur Aegidiana.*
40 *Amplia etiam ſi Clericus ſuccedat laico poſt litem conteſtatam.*
41 *Inſtantia incepta contra laicum coram Judice laico, non tranſit in Clericum ſucceſſorem.*
42 *Ad effectum ut Aegidiana non habeat locum contra Clericum, attendendum eſt tempus ſententiæ, non principium inſtantiæ.*

43 *Cle-*

Digitized by Google

43 *Clericus ſuccedens laico poſt ſententiam, afficitur Aegidiana.*
44 *Et ſi ſententia tranſierit in judicatum, executio facienda eſt coram Judice Eccleſiaſtico.*
45 *Quod ſi ob reſcriptum Signaturæ res judicata ſuſpendatur, quatenus, & coram quo Judice procedatur per appellationem.*
46 *Dum Clericus eſt in cauſa, Aegidiana excluditur etiam favore laici.*
47 *Similiter ſi adſit mixtura bonorum Eccleſiaſticorum, & laicalium.*
48 *Et quid ſi eo caſu proferantur duæ ſententiæ, & adſit jus connexum.*
Cauſa Clerici, & laici quatenus cenſeantur habere jus connexum. Ibid.
49 *Bona emphyteutica Eccleſiæ non ſubduntur Aegidianæ, etiamſi lis ſit inter laicos de dominio utili.*
50 *Qualitas Clericatus, ſeu bonorum Eccleſiaſticorum excludit Aegidianam, ſi allegetur poſt ſententiam.*
51 *Ignorantia hujus qualitatis excuſat partem ab attentatis.*
52 *Et quid ſi concurrat ſcientia veriſimilis hujus qualitatis.*
53 *Appellatio in vim Aegidianæ non excluditur, niſi ſententia ſit prolata in foro laicali.*
54 *Et quid in ſententiis latis ab A.C. & à Rota.*
55 *Aegidiana non afficit loca habentia ſpecialia ſtatuta contraria.*
56 *Bona patrimonialia Clericorum eximuntur ab Aegidiana, & quid in bonis fideicommiſſi ordinatis à Clerico.*
57 *Bona Clerici defuncti reputantur Eccleſiaſtica, quouſque adeatur hereditas.*
58 *Loca Eccleſiaſtica erecta auctoritati Ordinaris non cadunt ſub Aegidiana.*
59 *Quid de piis Confraternitatibus erectis abſque auctoritate Ordinarii.*
60 *Ordines Militares, præſertim Alcantara, Calatravæ, & S. Stephani an comprehendantur ſub hac Conſtitutione.*
61 *Milites Hieroſolymitani eximuntur ab Aegidiana tum quoad bona Religionis, tum quoad bona propria patrimonialia.*
62 *Idemque dicendum de Tertiariis.*
63 *In bonis laicis, quorum Adminiſtrator, ſeu Executor eſt Eccleſiaſticus, quatenus intret Aegidiana.*
64 *Clerici non habentes requiſita Concilii an ſubdantur Aegidianæ. Remiſſivè.*

1 Vix obitus Clementis VI. Galliarum Regi innotuit, quòd magno itinere Avenionem versùs contendit, Pontificem ſibi benevolum eligi curaturus; quam periculoſam feſtinationem agnoſcentes Cardinales, ne Summi Paſtoris creandi libertati officeretur, electionem peragere quàm citiùs curarunt; nam altera ab Inceptis Comitiis die, in Summum Pontificem deſignarunt Stephanum filium Alberti, Patria Lemovicenſem, Provinciæ Aquitaniæ, mediocri genere ortum, ſed eximia eruditione præditum, qui Innocentii nomen aſſumpſit. Hic cauſarum patronus in minoribus fuit in Romana Curia; deindè Sacris initiatus Epiſcopatum Claromotenſem obtinuit, & à Clemente VI. inter S. R. E. Cardinales cooptatus, Epiſcopus Oſtienſis fuit, deindè Pontifex Summus renunciatus extitit in Civitate Avenionenſi 15. Kal. Jan. 1352. Porrò
2 plura egit pro ſedandis turbis in Urbe, dum adhuc viduata erat Romani Pontificis præſentia, de qua re infra dicam; Scriptores eundem laudibus plurimis proſequuti fuere, tum ob ejus conſtantiam, tum ob mores præclaros; Reſidentiam indixit Prælatis Eccleſiarum omninò ſervandam, domeſticas expenſas imminuit, ut pecuniam in utilitatem Sedis Apoſtolicæ, præſertim locorum Italiæ tunc tot tyrannis oppreſſæ converteret; Familiaribus domus ſuæ probatiſſimis uſus fuit, Cardinalibus exemplarem præſcripſit vitam, & demum nono ſui Pontificatus Anno obiit Avenione, animi perturbationibus afflictus ob tot præſertim Italiæ diſſidia, pridie Idus Septembris Anno Domini 1372. Ejus Corpus ſepulturam obtinuit in Templo Carthuſianorum Villæ Novæ propè Avenionem ab ipſo extructo. Præcipua ejus cura fuit, ut Eccleſiaſtica beneficia, & dignitates dignis conferrentur; ſtatuendo, *ut non quàm dives, aut quàm nobilis, ſed quàm eruditus, quàm ſtudioſus quis eſſet, ratio haberetur; homines ad Sacra admittendos, non de cenſu, vel ſtemmate, ſed de virtute, & pietate cenſeri oportere*, ut refert Cardinalis Ægidius, de quo agit hæc Bulla, relatus à Victorello *in add. ad Ciacconium.*

Hoc enim tempore, dum Italiæ res ob abſentiam 3
Romani Pontificis magis, atque magis in pejus ruerent, ac Status temporalis Sedis Apoſtolicæ ſub variis tyrannis premeretur; tentantibus iſtis, ut Pontifices ab Italiæ dominatu omninò excluderentur, & Joannes de Vico multorum Urbium Eccleſiæ Romanæ dominatu tumidus, Romam ipſam ſubiiciendam meditabatur; Tanto gravi facinori conſulens Innocentius noſter, Legatum miſit in Italiam Cardinalem, Ægidium Alvarum Albernotium, titulo S. Clementis, eique Vicariatum addixit pro certo iſtatu Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubjecto pro recto ejus in temporalibus gubernio, cujus Vicariatus facultates exprimuntur in hac Bulla edita apud Villam Novam propè Avenionem 2.
Kal. Junii Anni 1353. Cardinalis etenim iſte exemplar 4
proponi valet S. R. E. Cardinalibus, quippè qui natione Hiſpanus, patria Chonchenſis, ex nobiliſſima Albernotiorum familia progenitus, Patrem habuit Garciam Alvarum, plurium feudorum dominio præditum, ac Regia ſtirpe Legionenſi præclarum; Matrem verò Thereſiam de Luna eodem loco natam, Aragonum Regum ſanguine illuſtrem; litterarum ſtudiis addictus, in Jure Pontificio præſertim enituit, ut clariſſimus evaſerit, præſertim morum ſanctitate conjuncta. Hinc illo in Juribus Regni arduis negotiis uſus fuit Alphonſus Rex Caſtellæ, hæc ab eo ad Archiepiſcopatum Toletanum nominatus extitit; expeditionem pluries contra Mauros nedum promovit, ſed victoriæ magna pars fuit, dum Regis à latere nunquam diſcedens, illumque penè deſertum à ſuis, & in confertos hoſtes irruere parantem voce, manuque retinuit, ne triſtis hic caſus certam victoriam eluderet. Poſt autem victoriam præclariſſimam reportatam, magna cæde facta Maurorum, ſupra ducentamillia ferro, & fuga arreptorum, obiit Alphonſus, cui ſucceſſit in Regno Petrus, qui ob ejus ſævitiam Ægidium conſiliarium non paſſus, ejus vitæ moliri auſus eſt, unde tàm optimum Præſulem à ſuo Regno diſcedere coegit, ad Clementem VI. R. Pontificem ſe confugientem, qui illius virtutes agnoſcens, inter S. R. E. Cardinales eum adſcripſit, quem porrò Innocentius, Clementis ſucceſſor, creavit S. R. E. Legatum in Italia, ac Vicarium Generalem in Statu Eccleſiæ immediatè ſubjecto, intra fines ſuæ Legationis exiſtente etiam pro temporalibus, ut dixi, & refertur in hac Conſtitutione. Compertiſſimum enim Innocentio erat hujus eximii viri præclarum ingenium, & merita, quæ in hac Conſtitutione ita deſcribit: *Attendentes, quod tu potens opere, & ſermone, quem in magnis expertum, & arduis, probitate, ac fidelitate probatum, gratiarum Dominus, ſcientiæ magnitudine, induſtria claritate, maturitate conſilii, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis inſignivit, in cujus affectu geritur, ut indubitanter tenemus, pacificare diſcordes, ſedare fluctuationes, & turbines, juſtitiæ terminos colere, & errantes ad vitam rectam reducere valeris &c.*

Ægidius itaque Legationis, ac Vicariatus munus 5
aſſumens, nedum politiæ artibus uſus fuit, ſed etiam artes militares adhiberi oportuit; priùs enim Ditionem Eccleſiæ à Tyrannis occupatam recuperare opus fuit, ut Populis deinde in pace agentibus leges, ac ſtatuta indicaret, pro recto ſtatus temporalis gubernio. Utrumque exquiſitiſſimè perfecit Cardinalis; nam ac-

citis

Digitized by Google

titis militibus variarum nationum, Avenione diſcedens honorificè exceptus extitit Mediolani, ac Florentiæ. Patrimonium D. Petri à Tyrannis eripere incæpit, ac feliciter obtinuit, prout Æmiliam, aliaſque Civitates Sedis Apoſtolicæ in libertate poſuit; pluresque poſteà leges promulgavit, quæ ſub nomine Ægidianæ Conſtitutionis æditæ reperiuntur, ut mox dicam. Avenionem, ut fertur, poſteà reverſus, ab Innocentio, maximo, ut par erat, honore exceptus, Italiæ rebus Præpoſitus deſtinatus fuit; ſed Italiam rursùs petere coactus eſt, ut repullulantibus ſeditionibus conſuleret, ac eas coerceret, quod etiam fleici eventu ei contigit, nam pacatis omnibus Urbanum V. Innoc. ſucceſſorem Italiam accedere Ægidius invitavit, ut pace ejus laboribus parta frueretur; Legatus etiam in Regno Neapolitano, ac in Sicilia extitit, epiſtolis Urbani ad tantum onus confortatus, quæ referuntur à Rayn. *ad Ann.* 1356. *n.* 9. & 10. in quibus eum conſolatur ob plures detractores, illius famam deturpare conantes, ſic ajens: *Et ſi hujuſmodi (ſcilicet detractorum) cederetur ſermonibus, rarò, vel nunquam eſſet Legatus, vel Præſes Provinciæ, qui in commiſſo ſibi regimine poſſet diutiùs commorari.* Anno itidem 1366. Urbanum Italiam proficiſcentem Avenione per mare Corneti exceptus menſe Junii Viterbii obiit, Epiſcopus jam Sabinenſis creatus; qui obitus evenit die 24. Aug. ejuſdem Anni; hæredem inſtituit Collegium erigendum in Urbe Bononiæ pro Hiſpanis, quod paulò poſt erectum extitit, & nunc celebre adeſt; Ejus corpus Aſſiſii ſepulturæ traditum in Eccleſia D. Franciſci, Toletum translatum fuit in Eccleſia S. Idelphonſi, vel ut alii volunt cor ſolum Hiſpanias delatum extitit. Modeſta inſcriptio in ejus tumulo deſcripta fuit: *Aegidius de Albernots Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus*; Sed Joannes Baptiſta Urſi nobile elogium evulgavit, quod refertur quoque apud Ciaccon. *in notitia Cardinalium in ejus vita to.* 2. *pag.* 505. *Anno* 1342.

8 Viget memoria tanti Præſulis, nedum ob tot egregia geſta, ſed ob Leges, & Conſtitutiones tàm proficuas ab ipſo promulgatas in Statu Eccleſiaſtico; maximè autem ob Conſtitutionem, Ægidianam vulgo dictam, quæ per ora Curialium circumfertur; unde cùm facultates in hac Bulla dicto Cardinali Legato conceſſæ, præcipuæ illæ ſint contentæ in §. 2. ejuſdem Conſtitutionis, ut ſcilicet deputetur Vicarius in temporalibus Papæ in Statu Eccleſiaſtico immediatè ſubjecto, ac reformator, cum facultate regendi, gubernandi, & adminiſtrandi, ac in eis juriſdictionem plenariam exercendi; Ideò relinquendo tractationem de aliis facultatibus ſpecialiter expreſſis in eadem Conſtitutione, de quibus alibi occurret ſermo agendo de Cardinalibus Legatis; ſtrictè tantùm de Ægidiana Conſtitutione loquar, in qua facultatem prædictam regendi, gubernandi, reformandi in praxi Cardinalis poſuit, plures edendo regulas pro recto gubernio, & præſertim in quibus cauſis appellari non valeat; ut in *c.* 2. *lib.* 5. ejuſdem Ægidianæ, de qua Rubrica paſſim in Curia, Statuque Eccleſiaſtico tractari occurrit; proindè de iſta re agam, reliqua acturus quoad contenta in eadem Conſtitutione alio loco, præſertim cùm in ea Conſtitutione nedum continentur leges à Cardinali Ægidio latæ; ſed etiam aliàs latæ ab aliis Legatis, quæ unà ſimul in unum volumen redactæ fuerunt, ſex libris diſtributum, typis impreſſum, cui gloſſas addidit Gaſpar Gaballinus, ejuſque leges confirmavit, ac ſervari mandavit etiam in Urbe, totoque ſtatu Eccleſiæ immediato Sixtus IV. *Conſt.* 15. *inc. Et ſi to.* 1. *Bull.* & ſic extendit ad loca, quæ non fuerant ſub Vicariatu dicti Cardinalis, præſervando tamen ſtatuta ſpecialia locorum, ac Conſuetudines, Indultaque; & Concilium Lateranenſe ſub Leon. X. in Bulla reformationis Curiæ apud Labbè *to.* 14. *pag.* 227. iſta ſtatuit: *Ad bonum verò, & quietum regimen Civitatum, ac locorum omnium Romanæ Eccleſiæ ſubjectorum, Conſtitutiones bo. me. Aegidii Epiſcopi Sabinenſis olim editas innovamus, eaſque inviolabiliter ſervari præcipimus, & mandamus*, & Paulus III. *Conſt.* 17. *inc. Officiis to.* 1. *Bullarii*, item confirmavit ex eo, quod non obſtante confirmatione, & prorogatione ad Urbem, ex non uſu prætendebatur poſſe ejus obſervantiam evitari; hinc Paulus denuò inviolabiliter in Urbe, & toto Statu Eccleſiaſtico ſervari mandavit; Cùm etenim Cardinalis Ægidius facultate pollebat intra fines ſuæ legationis, quæ non ſe extendebat ad Urbem, & totum Statum Eccleſiæ, præſertim poſteà recuperatum, ideò ob qualitatem dd. legum, ſatis bono publico faventium, & ut detur uniformitas in omni Ditione Eccleſiaſtica, ſervari juſtè demandatum fuit, & quidem procedente Papa per viam confirmationis in forma ſpecifica, ut firmat D. Conſtant. *ad Stat. Urb. to.* 2. *annot.* 44. *ar.* 8. *nu.* 811. *& ſeq.* cui Conſtitutioni Ægidianæ additæ fuerunt Conſtitutiones Carpenſes, à Cardinali Carpenſi conditæ, quæ pro Marchia tantùm vigent, ac ſunt ſervandæ, juxta Conſtitutionem præfatam Pauli III. ut ſuo loco dicam.

Agendo itaque de Rubrica Appellationum prohibitarum in Conſtitutione Ægidiana; paſſim per ora cujuſcumque Curiæ tyronis volitat, ea non ligari Ec- 9
cleſiaſticos, & Eccleſiaſtica bona; Cùm etenim Jure Canonico appellatio permiſſa ſit in quocumque judicio poſſeſſorio, eam denegat Conſtitutio illa, quæ non obligat Eccleſiaſticos, cùm Cardinalis Ægidius, uti deputatus tantùm ad temporalia, non habuiſſet Juriſdictionem diſponendi, ut uno ore docent noſtri Curiales DD. & S. Rota, Cherub. Jun. *ad Bull.* 17. *Sixti IV. ſcol.* 2. ubi ex deciſione *in Peruſina hæreditatis* 27. *Junii* 1587. *cor. Bravo* ait, quod res caret omni difficultate, Honded. *conſ.* 20. *n.* 8. *vol.* 2. Ridolph. *in praxi par.* 2. *c.* 6. *n.* 156. *& ſeq.* Scaccia *de Jud. lib.* 3. *c.* 2. *q.* 17. *lim.* 6. *memb.* 3. *num.* 14. Marcheſ. *de Commiſſ. par.* 2. *in comm. appell. c.* 2. *n.* 55. 63. & 68. ubi plures Rotæ deciſiones adducuntur, Veſtr. *in prax. lib.* 7. *c.* 3. *n.* 5. *verſ. ampliùs*, Card. de Luca *de Judic. diſc.* 37. *nu.* 60. *& de feud. diſc.* 60. *n.* 11. *diſc.* 93. *n.* 7. *de Juriſd. diſc.* 61. *n.* 2. *de Dote diſc.* 164. *n.* 4. *& de Donat. diſc.* 20. *n.* 1. Rota *dec.* 315. *n.* 6. *cor. Buratto*, Caval. *dec.* 493. *n.* 2. *& dec.* 6. *n.* 1. *&* 2. *cor. Card. Cerro*, *dec.* 32. *n.* 2. *par.* 1. *dec.* 283. *n.* 4. *par.* 9. *dec.* 117. *n.* 10. *part.* 12. *dec.* 218. *n.* 2. *par.* 19. *rec.* & paſſim alibi. Cœterum quamvis, ut plurimum DD. hujus concluſionis eam rationem afferant, ſcilicet quòd Cardinalis Ægidius fuerit tantùm Legatus in temporalibus, quacumque carens Legati in ſpiritualibus auctoritate; hæc tamen ratio mihi non arridet, cùm verè ille fuerit miſſus à Papa, uti Legatus à Latere, cui poteſtas in ſpiritualibus confer- 10
tur ſatis ampla, cum majoribus forſan, vel minoribus facultatibus, ut dixi ad *Conſt.* 13. *Alex. III. ſect.* 1. *n.* 1. *to.* 2. Nec faciunt, ut ab hac mea opinione recedatur ea, quæ à DD. ſeſe cæca fide ſequentibus, & ab ipſa Rota pluries ad confirmandam dictam rationem aſſeruntur, quòd ſcilicet juxta diploma in hac Bulla contentum, deputatùs tantùm fuerit ad temporalia; Etenim etſi Papa hic ei concedat poteſtatem in temporalibus, præſupponit tamen jam illum Legatum Apoſtolicum deputatum, & tantùm ei adjunxit poteſtatem Vicarii in temporalibus intra fines ſuæ Legationis; hinc ea poteſtate, quam importat in ſpiritualibus qualitas Legati à Latere, frui ac uti potuerat; Congruebat enim illis præſertim temporibus, ut in temporalibus quoque conſulerentur, ideò talem facultatem Vicarii in temporalibus adjunxit, conceſſis ſpecialibus facultatibus ad tantùm concernentibus; Cùm enim Romani Pontifices longè abeſſent ab Italia, tyrannorum præpotentia preſſa, ac Status Eccleſiæ temporalis etiam labefactaretur, conſulto hujuſmodi etiam poteſtatem Legato prædicto communicavit Innocentius, imitatus Vigilium Papam, qui Conſtantinopolim profecturus conſtituit Legatum, etiam in temporalibus Valentinum Silvæ Candidæ Epiſcopum, pro Statu Eccleſiæ gubernando, Baron. *to.* 7. *ad Ann.* 546. *pag.* 378. prout Clemens VII. Bononiam acceſſurus, ubi cum Carolo V. Imperatore convenire debebat, ut refertur in ejus *Conſt.* 23. Itemque Paulus III. ad Urbem Placentiæ accedens pro componendis controverſiis inter eundem Imperatorem, & Franciſcum

Primum

Digitized by Google

Primum Galliarum Regem, ut etiam refertur in ejus *Conſt.* 16. Legatos à Latere Cardinales crearunt, ne dum pro ſpiritualibus rebus, ut natura Legati importat; ſed pro temporali gubernio Status Eccleſiaſtici; quod etiam practicatur in Legatis Bononiæ, Ferrariæ, Æmiliæ, & Urbini, quibus plura conſignantur diplomata, quæ reſpiciunt poteſtatem ſpiritualem, & temporalem; Hoc enim maximè congruebat in deputatione Ægidii Cardinalis, Papa longè, & diu abſente à Statu Eccleſiæ in Italia, in quo temporale opprimebatur à tyrannis, & ſpirituale à tot hæreſum ſectis, morumque deformatoribus, pro quibus exturpandis gladius uterque requirebatur ſpiritualis, ac temporalis; Rurſus inconveniens eſt aſſerere, Ægidium facultatis ſpiritualis fuiſſe expertem, cùm leges ab eo conditæ, à Concilio, ut dixi, Oecumenico Lateranenſi approbatæ fuerint; improprium que ſatis fuiſſet, ut Cœtus Eccleſiæ robur confirmationis adjiceret pluribus ſtatutis ab eo Cardinali emanatis de Epiſcopis, aliiſque perſonis, ac rebus Eccleſiaſticis diſponentibus, prout
11 continet liber tertius ejuſdem Ægidianæ, ac nimia temeritate Cardinalis ille eximius notaretur, quòd ſine legitima facultate id egiſſet circa ſpiritualia, & non bene Sixt. IV. & Paulus III. eas leges ſervari demandaſſent, utpotè à Legiſlatore carente auctoritate emanatas; Hæ etenim rationes ſufficerent pro firmanda veritate noſtræ aſſertionis contra vulgarem opinionem, quòd ſcilicet non ex eo, quòd Cardinalis Ægidius fuiſſet deputatus tantùm pro temporalibus, Aegidiana quoad appellationes Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas, ac res non comprehendat. Sed ulteriùs id evincitur ex alio diplomate apud Rayn. *to.* 16. *Ann.* 1353. *n.* 2. & Ciaccon. *in Vita d. Cardinalis cit. loco*, qui per extenſum ponunt aliud Breve ejuſdem Innoc. IV. directum eidem Cardinali, in quibus, relatis cauſis ejus Legationis ob hæreſes in Italia gliſcentes, aliaſque rationes ſtatum ſpiritualem populorum reſpicientes, eumdem S. R. E. Legatum conſtituit à Latere, vices ſuas, ac plenum legationis munus commiſit, & omnia, quæ ad cultum Dei, Apoſtolicæque Fidei augmentum, gerendi auctoritatem tribuit pro tota ferè Italia, excepta Sicilia, Sardinia, & Corſica; & in ipſo volumine Conſtitutionis Aegidianæ adſunt plura Brevia cum hujuſmodi facultatibus ſpiritualibus. Bulla verò, de qua hìc à Cherubino recollecta, reſpicit ſpecialem facultatem ab Innocentio tributam eidem Cardinali Legato, quoad Statum Eccleſiæ temporalem ibi expreſſum, & infra terminos ſuæ Legationis Italiæ contentum. Hinc optimè videtur ſentiiſſe Card. de Luca *diſc.* 174. *num.* 4. *de dote* exclamans, Aegidium facultatem habuiſſe comprehendendi ſuis Conſtitutionis etiam Eccleſiaſticos; ac antiquos Curiæ in hoc ſenſu olim fuiſſe; & verè non adducta ratione defectus poteſtatis, imò præſupponendo facultatem comprehendendi Clericos, vidi etiam Rotam ſingulariter id ſupponere in *dec.* 1859. *num.* 1. *cor. Coccino*.

12 Verum igitur non eſt, quòd oſcitanter fuit dictum à tot DD. & Rotæ deciſionibus, Aegidianam quoad appellationes non comprehendere Eccleſias, ac Eccleſiaſticos ob defectum poteſtatis Cardinalis Aegidii deputati tantùm quoad temporalia; Etenim non comprehenſio Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, non ex defectu poteſtatis ſpiritualis, quæ ex dictis aderat, ſed ex aliis rationibus petenda eſt, ſcilicet vel dicendo, quòd Legatus à Latere non poterat diſpenſare contra Jus Canonicum permittens appellationes hujuſmodi in poſſeſſoriis, & ſummariis, & ſic immutare diſpoſitionem Canonis, & reducere ad jus Civile tales appellationes denegans, ut præcisè dixit Rota *cit. dec.* 1859. *num.* 1. *cor. Coccino*; Quamvis & hæc ratio frigeſcat, quia cùm Conſtitutio Aegidiana fuerit confirmata à Concilio Lateranenſi, & aliis Romanis Pontificibus, remaneret in robore ejus diſpoſitio ſaltem ex vi confirmationis, & quidquid ſit de poteſtate Legati diſponendi contra Canones, de quo alibi dicam, hoc certum eſt, quod vera ratio hæc non eſt; prout poſſet dici, quod Cardinalis voluerit uti tantùm poteſtate temporali in compilatione Aegidianæ, tum quia in initio ſe appellat Vicarium in Statu Eccleſiæ, quem titulum obtinuit in hac Bulla, quæ inſeritur in principio dictæ Aegidianæ, & ſic videtur voluiſſe facultatem temporalem tantum exercere, quod non implicat in habente duplicem facultatem; ut videmus in Papa, qui etſi utroque gladio potiatur, ſi legem promulget uti Princeps temporalis in ſuo Statu, Eccleſias non comprehendit; & licèt in tertio libro dictæ Aegidianæ plura ſint reſpicientia Eccleſias, potuerunt eſſe tantum ab eo compilata, ac prius emanata ab aliis habentibus, & exercentibus facultatem ſpiritualem: Sed neque arridet hæc ratio, utpotè in facto non verificato, & valdè facilè non verificabili, quòd omnes leges diſponentes circa Eccleſias, ac Eccleſiaſticos fuerint ab aliis emanatæ, potientibus auctoritate etiam ſpirituali. Placet tutiùs ad rem ratio illa, quod ſcilicet poſito uſu poteſtatis temporalis in Cardinali Aegidio, non ſatis erat, ut Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici comprehenderentur in Statutis, & Legibus, in quibus ſpecialis mentio de his Legiſlator non fecit, ut præcisè dixit Rota *in cit. dec.* 1859.
n. 1. *cor. Coccino*, & licèt fuerit confirmata Aegidiana 13
à RR. Pontificibus, intelligitur confirmatio juxta ea, quæ exprimebantur in matrice confirmata, & ſic ſi loquatur de Clericis, & Eccleſiis, confirmatio procedit in his: ut habemus in Statutis Urbis confirmatis a Papa, quæ afficiunt quidem Clericos, & Eccleſias auctoritate Papæ ſuper inducta, ſed quatenus in iis fiat mentio de illis, Bald. *in cap. Eccleſia S. Mariæ de Conſtit.* Rota *dec.* 58. *n.* 28. *par.* 6. *dec.* 52. *n.* 10. *part.* 12. *dec.* 264. *part.* 17. & dixi ad *Conſt.* 4. *Honor. III. n.* 103. *to.* 2. *pag.* 433. proindè firmum remanet tàm ex vera ratione, quàm ex praxi fori, Aegidianam non comprehendere cauſas Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, quidquid dixerit Card. de Luc. *cit. diſc.* 184. *de dote*, non animadvertens ad dictas rationes.

Proſequendo itaque materiam hujuſmodi, certum eſt 14
Aegidianam in *cit. cap.* 2. *Quibus cauſis appellari non valet*, in pluribus cauſis appellationem denegare, & præſertim in judiciis poſſeſſoriis, in quo diſcordat à Jure Canonico, quod permittit appellationem in quocumque judicio poſſeſſorio, *c. cum ad ſedem*, ubi Gloſs. *verb. Interdictum de reſtit. ſpol.* & reſtrinxit, ac limitavit juxta jus civile, quod eam denegat in *leg. un. C. de moment. poſſeſſ.* cujus obſervantiam dicta Conſtitutio reducit in Statu Eccleſiæ, in quo alioqui jus Canonicum ſervari deberet, juxta plenè adducta per cit. Caball. *in addit. ad Aegidian. litt. K. num.* 1. *cit. cap.* 2. & Rota *dec.* 6. *num.* 1. & 2. *cor. Card. Cerro*, & alibi paſſim. Unde cùm dicta Juris Civilis diſpoſitio ſe extendat, ne
dum ad judicium poſſeſſorium plenarium, ſed etiam 15
ſummarium, hanc eamdem acceptionem habet Conſtitutio Aegidiana, appellationem denegans in quocumque judicio poſſeſſorio, Gratian. *dec. Marchia* 55. *per tot.* Pax Jordan. *Lucubr. vol.* 3. *lib.* 14. *tit.* 26. *num.* 255. Ridolp. *in prax. cit. c.* 6. *n.* 22. & *ſeq.* Pacif. *de ſalv. inſp.* 4. *c.* 2. *per tot.* Rota *dec.* 11. *cor. Merlin.* & in citatis au-
ctoritatibus ſupra adductis. Hinc impedit appellari in 16
judicio reintegrandæ, Salviani, adipiſcendæ, aſſociandi, immiſſionis, ac hujuſmodi, & quidem in ſuſpenſivo tantùm, nam in devolutivo appellatio eſt præſervata, & ita ſervatur religiosè à Signatura Juſtitiæ in commiſſionibus cauſarum, cauſas committendo, & Signatura Sanctiſſimi, Scapucc. de Salviano *lib.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 6. & *ſeq.* Gratian. *diſcept.* 74. *per tot.* & 383. *nu.* 23. & *ſequent.* Ludoviſ. *deciſ.* 493. *numer.* 2. & *deciſ.* 354. *num.* 1. *par.* 9. *rec.* & quidquid dixerit Card. de Luca *diſc.* 184. *n.* 10. *de dote*, in terminis Salviani pro credito firmavit Rota *dec.* 155. *num.* 7. & 8. *cor. Alex. VIII.* & *dec.* 293. *n.* 7. *par.* 18. *rec.* cum aliis ibi cumulatis, & Signatura ita reſcribit.

Excluduntur tamen ab hac Aegidianæ diſpoſitione 17
omnes caſus, quibus Jure Civili permittitur appellari in dictis Judiciis poſſeſſoriis, ut expreſsè in ea diſponitur, ibi: *Et ſimiliter in præfata cauſa poſſeſſorii liceat appellari in omnibus aliis cauſis à jure civili permiſſis*; hinc non habet Aegidiana in hoc locum, ubi cauſa

poſſeſ-

poſſeſſorii mixturam proprietatis habet, ut jus civile limitant DD. in *cit. leg.* 1. & animadvertit ad terminos Aegidianæ Caball. *in cit. n.* 2. imò eadem Conſtitutio expreſsè dictum caſum mixturæ excepit alio ſimili, dum voluit, quòd ſi ſententia ſuper poſſeſſorio contineret condemnationem in fructibus, vel expenſis, qui videtur continere aliud quàm poſſeſſorium, appellatio debet dari, & quidem à tota ſententia, *cit.* Caball. *lit. I. n.* 2. Verùm id procedit, ſi ſententia fuerit lata per
18 unicum caput, ſecùs ſi per diverſa capita, quia tunc erit tantùm appellabilis quoad caput appellabile, Scapucc. *cit. lib.* 3. *q.* 2. *num.* 8. *& ſeq.* latè Rota *dec.* 354. *num.* 21. *& dec.* 379. *part.* 9. *recent.* Si verò adſit dependentia unius capitis ab altero, ac connexio, tunc utrumque caput redditur appellabile, Scacc. *cit. lim.* 6. *memb.* 8. *n.* 36. Poſth. *de manut. obſer.* 106. *n.* 80. *verſ. etiamſi*, Rota *dec.* 356. *n.* 6. *part.* 1. *diverſ. dec.* 198. *nu.* 3. *part.* 13. *rec. dec.* 575. *n.* 2. *cor. Emerix jun.* Ita ſi fuerit conceſſa immiſſio in cauſam hypotecæ; vel condemnatus quis ad dimittendam rem, & hujuſmodi, datur appellatio, quia egreditur fines ſimplicis poſſeſſorii, Scapuc. *cit. quæſt.* 2. *num.* 4. *& ſeq.* Gratian. *diſcept.* 266. *num.* 3. Rota *cit. dec.* 354. *n.* 19. *& ſequ. & dec.* 379. *par.* 9. *rec. dec.* 29. *num.* 1. *cor. Merlino*; Si tamen imponatur ſilentium, & reiiciantur moleſtationes reſpicientes poſſeſſorium, non intrat appellatio, ut benè Rota *dec. cit.* 354. *num.* 22. *par.* 9. ubi etſi adfuiſſet liquidatio ad effectum taxandi quotas pro immiſſione.

19 Ex eadem cauſa mixturæ, ſi una ſententia revocet primam, non eſt locus Aegidianæ, etſi in poſſeſſorio, ita ſi virtualiter contineret cauſam nullitatis primæ, Ridolph. *cit. c.* 6. *num.* 159. Rota *dec.* 505. *coram Cavalerio*, dummodò tamen mixtura ſit in ſententia, quod procedit etſi per caput ſeparatum fuerit prima revocata, Rota *dec.* 299. *n.* 2. *cor. Emer. Jun. dec.* 702. *num.* 1. *&* 2. *par.* 18. *rec.* quando agitur de re connexa, & indiviſibili; Unde ſi ſecundus Judex in vim clauſulæ
20 *quam, & quas*, poſſit procedere, prout in prima inſtantia abſque revocatione primæ ſententiæ, tunc illius ſententia promulgata tamquam in prima, non erit appellabilis, & intrat Aegidiana, ut in *cit. deciſ.* 354. *par.* 9. Judex enim poteſt tunc procedere uti Judex primæ inſtantiæ, nec tenetur revocare uti nullam primam ſententiam, niſi tamen à parte ab initio fuiſſet proteſtatum, ut interloquatur ſuper validitate prioris ſententiæ, Rota *dec.* 305. *num.* 3. *&* 4. *part.* 6. *rec.* quod quidem opus eſt facere ante terminos ſubſtantiales, antequam guſtatum fuit de meritis, & juſtitia, Rota *cit. dec.* 354. *num.* 18. *par.* 9. *rec. & dec.* 387. *num.* 1. *& ſeq. par.* 13. & faciunt Scapucc. *cit. lib.* 3. *quæſt.* 3. Gratian. *diſcept.* 266. Bich. *dec.* 29. *n.* 4. & Dunoz. Jun. *dec.* 793. *n.* 2. *& ſequ.*

21 In judicio verò ſummatiſſimo, quod Hiſpani nuncupant *Interim*, non debet diſputari an intret Aegidiana, quia in eo non datur appellatio, cùm etiam Jure Canonico, quo permittitur appellatio in quocumque poſſeſſorio, non habeat ea locum in tali judicio, cùm ſit remedium momentaneum, & hodie uni datur, cras alteri, Caball. *in cit. lit. K. num.* 11. aliique DD. citati. Fuit tamen aliquando diſputatum in Signatura Juſtitiæ, an ſi fuerit conceſſa manutentio,
22 non per decretum, ut fieri debet, ſed per ſententiam, debeat dari tunc appellatio ſuſpenſiva; Et licèt ſententia ſe limitet in puro ſummariſſimo, nec contineat mixturam judicii appellabilis in eodem capite, aut liquidationem, aut condemnationem expenſarum, aliquando etiam vidi in Signatura non dari appellationem ſuſpenſivam, ac reſcribi cum clauſula, *Sine præjudicio*, quia Judex non poteſt parti præjudicare, ſed hoc procedere vidi potiùs in ſententiis latis in Regionibus, in quibus ſolet ex ſtylo concedi manutentio per ſententiam ut apud Card. de Luca *de*
23 *Judiciis diſc.* 44. *num.* 84. nam regulariter in ſententiis latis in Curia ſuper manutentione conceditur appellatio, quia videtur partem acquieviſſe ejus prolationi per cedulæ exhibitionem, & publicationem procuratam, ut fit in Curia, & ſic ſe ſubiiciſſe tali appellabilitati, ac noluiſſe uti beneficio momentaneo manutentionis, quod per decretum in Curia expediri debet, juxta reformationem, & poteſt ab eodem Judice revocari, proindè pars nolens ſubdi huic revocabilitati, ſententiam procuraſſe dicendum eſt, ideòque debet ſtare malo inde reſultanti, Card. de Luca *de Judic. diſc.* 37. *n.* 58. & ita ſervatur in Signatura. Quandoque tamen vidi etiam dubitari, an ex eo, quod fuerit diſputatum etiam eodem tempore petitorium, ac manuten- 24
tio, in hac debeat dari appellatio, prout in primo caſu; Et in hoc dicendum eſt, quod petitorium aut incidenter fuit diſcuſſum ad elidendam exceptionem rei, & non inducit mixturam, etiamſi fuerit lata ſententia ſuper eo ſeparata, Rota *dec.* 233. *n.* 17. *&* 18. *part.* 12. *& dec.* 502. *n.* 12. *& ſeq. part.* 14. *rec.* etſi enunciativè aliquid de petitorio fuerit facta mentio, ut in *Urbevetana fideic.* 15. *Nov.* 1696. *Ponente D. Paſſerino* in Signatura Juſtitiæ. Unde hoc caſu præſervatur executio in decreto manutentionis, & conceditur appellatio quoad ſententiam in petitorio; Quandoque tamen ſolet concedi appellatio etiam in judicio manutentionis cum clauſula, *Alteri cum facultate manutenendi* 25
quem de jure, ſi videatur aliqua turbiditas in poſſeſſione, quæ dependet ab ipſo petitorio diſcuſſo, ad quem effectum Rota aliquando reſcribit, ut videatur de bono jure etiam ad effectum poſſeſſionis: hoc enim non impedit, ut manutentio retineat inappellabilitatem; ſed facit ut Signatura ſoleat committere cauſam etiam manutentionis utcumque modo turbidæ cum clauſulis adæquatis judicio manutentionis, nempè prima vice, *Alteri cum facultate manutenendi quem de Jure*, & ſecunda vice, *Alteri qui ad legitimam executionem*, & etiam aliquando tertio vidi cum clauſula, *Alteri qui ad ulteriorem legitimam executionem mandati de manutenendo*, itaut eodem tempore cauſa petitorii in illis inſtantiis diſcutiatur; non impedit tamen, quod etſi guſtato petitorio per aliquam deciſionem, non retardetur aliquando executio mandati de manutenendo, ſi poſſeſſio clara eliciatur, cùm aliquoties uni manutentionem, alteri petitorium adjudicari etiam contigant, & tamen illius præſervatur executio.

Maxima limitatio, ne intret Aegidiana eſt nullitas, 26
vel injuſtitia ſententiæ, latè Caballin. *loc. cit.* Rota *dec.* 19. *num.* 1. *part.* 1. *dec.* 88. *num.* 1. *par.* 6. *dec.* 283. *nu.* 27. *& dec.* 286. *num.* 9. *dec.* 424. *num.* 11. *& ſeq. part.* 9. *dec.* 89. *num.* 15. *part.* 10. *dec.* 175. *num.* 9. *part.* 12. *dec.* 174. *num.* 6. *& dec.* 179. *num.* 1. *part.* 13. *rec.* Bich. *dec.* 29. *num.* 5. *& ſeq.* Merlin. *dec.* 11. *num.* 1. *& ſeq. & dec.* 710. *num.* 2. *par.* 18. *deciſ.* 79. *num.* 1. *part.* 19. *tom.* 1. *& dec.* 479. *num.* 1. *& dec.* 682. *num.* 1. *part.* 19. *to.* 2. *rec.* & frequenter alibi; quod cum ſequenti diſtinctione ſervatur in Signatura, quòd ſi nullitas ſit clara, vel notoria injuſtitia nullitati æquivalens, quod in praxi difficile eſt, datur appellatio cum clauſula *de appellatione*, prout in judiciis de ſui natura appellabilibus, niſi ſit locus circumſcriptioni ex claro defectu citationis, juriſdictionis, vel mandati. Si tamen concur-
rat dubietas juſtitiæ, vel nullitatis, imò turbiditas arti- 27
culi juris facti, conceditur quidem facilè appellatio cum clauſula, *Conſtito quod ſit locus Aegidianæ*, quæ clauſula præſervat, ut Judex appellationis poſſit exequi ſententiam ſi conſtet eſſe locum Aegidianæ, quando ſententiam cognoverit validam, & juſtam, quæ ſunt duo neceſſaria requiſita ad eam, & ita cauſa non ſit appellabilis in totum, ſed potiùs datur reviſio judicati, itaut ſententia debeat juſtificari ex actis, ac conſtare debet probata fuiſſe extrema, Urceolus *conſultat. forenſ. capit.* 24. *numer. primo*, Ridolphin. *citat. capit.* 6. *numer.* 164. Gratianus *diſceptat.* 490. *&* 550. Scaccia, Scapucc. aliique citati, qui conſulendi ſunt pro pluribus caſibus.

Iſta autem Aegidiana prohibens appellationem, ha- 28
bet locum in toto Statu Eccleſiaſtico immediatè ſubjecto S. Sedi, quia pro eo tantùm Cardinalis Aegidius leges eas condidit, pro quo Vicariatum habebat in temporalibus; & viget hodie etiam in Urbe, & toto Statu Ec-

cleſiæ

clesiæ immediato ex ſubſecutis Conſtitutionibus Sixti IV. & Pauli III. procedentibus in Statu tantùm immediato, & proindè in Statu mediatè S. Sedi Apoſtolicæ ſubjecto non habet robur, Scaccia *de appell. quæſt.*17. *limit.*6. *memb.*6. *num.*10. Mohedan. *deciſ.*5. *de conſt.* Rota *dec.*182. *num.*4. & 5. *part.*3. *diverſ.* R. P. D. Maſſerius *in tract. de moribus, & legib. Avenion. & Æmil. libr.* 1. *cap.* 35. *num.* 71. & 72. ſed in toto ſtatu immediato, Ridolphin. *in praxi part.*1. *cap.*6. *nu.*139. D. Conſtant. *ad Stat. Urb. tom.*2. *annot.*44. *art.*8. *n.*768. & 795. Rota *deciſ.*317. *num.*40. *part.*18. *recent.* & alibi
29 paſſim. Hinc non intrat in Statu Parmæ, & Placentiæ, Scaccia *cit. loc. num.*10. Rota *dec.*187. *lib.*3. *par.*3. *div.* Nec in Regno Neapolitano, cùm non agatur de Statu immediatè ſubjecto S. Sedi, Rota *deciſ.*98. *num.*3. *part.*4. *tom.*2. *recent.* imò Scaccia dixit, ex eadem ratione neque intrare in Statu Urbini, quia tàm tempore editionis, quàm confirmationis erat ſub dominio immediato Ducum; hodie tamen eſt ſub immediato S. Sedis dominatu, utì ad eam devolutus, & ideò intrare dixit Rota *deciſ.* 19. *num.* 8. poſt Card. de Luca *de Teſtamentis*, & facit idem Card. *de fand. diſc.*83. *num.*13.

30 Sed nunquid in Statu Avenionenſi, & Venaiſino in Gallia, ſubjecto Sedi Apoſtolicæ, intret Ægidiana. Et negat Cantard. *de moment. poſſeſſ. ver. Ægidiana qu.* 3. *num.*6. & *ſeq.* Paul. de Cadecombe *in ſua nova diſquiſit. legal. de fructib. in hypotegaria, aut ſalviano reſtituendis cap.*11. *num.*15. *ad nu.* 24. Sed in hac re diſtinguendum eſt inter Rubricam de Appellationibus, de qua loquimur in præſenti, & aliis partibus Ægidianæ, præſertim circa contractus Minorum, aliorumque prohibitorum ſine certis ſolemnitatibus; nam quoad hoc ultimum varia ſane fuit opinio S. Rotæ, cùm affirmativam ſententiam tenuerit in *Carpentorat. ſeu Vaſionen. Primogenituræ* 17. *Martii* 1703. §. *præterea cor. Eminent. Card. de la Tromoville*, & *die* 19. *Novembris* 1703. §. *indiſcriminatim cor. D. Anſaldo*, impreſſa in Mantiſſa *deciſ. ad ornatum* Card. de Luca *lib.*6. *deciſ.*2. & 13. ſed non ſemper conſtans fuit in hoc ſenſus S. Rotæ, ex eo præſertim, quia nunquam hujuſmodi ſolemnitates obſervatæ fuere in dictis locis, & ſtrages fieret innumerorum contractuum; Idcircò fuit nuperrimè ſupplica-
31 tum S. D. N. ut dignaretur talem obſervantiam, etiam ſuo oraculo comprobare, quæ inſtantia à R. P. D. Auditore ejuſdem, cui fuit memoriale remiſſum, cognoſcenda tradita fuit per Congregationem Avenionenſem, inſtitutam in Curia plurium Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium, & Prælatorum ad negotia dicti Status reſolvenda, die 16. Maii 1710. in qua referente R. P. D. Becchetto Subdatario, & Secretario dictæ Congregationis, doctrina, & morum ſuavitate ſpectabili, ac in Romana Curia per Advocationis munera optimè verſato, reſcriptum fuit: *Conſtitutionem Ægidianam quoad ſolemnitates in contractibus Minorum tantùm non eſſe ſervandam.*

32 Quoad primum autem ſupradictæ diſtinctionis membrum, ſcilicet an Ægidiana in prædicto Statu intret quoad appellationes in judiciis, in quibus Ægidiana eam denegat, affirmativè docent Pontan. *de ſpolio lib.*4. *cap.*3. *num.*42. *in fine*, Marcheſan. *de commiſſ. appell. in poſſeſſ. ſalviani par.*1. §. 2. *num.*5. *fol.*997. Saccia *eodem tract. lib.*3. *cap.*2. *quæſt.*17. *lim.*6. *mem.* 3. *num.* 9. Paciſ. de Salv. *inſp.*4. *cap.*2. *num.*24. D. Advocatus Conſtantinus *cit. annot.*52. *art.*1. *ſect.*3. *n.*150. & 151. Antonell. *de loc. legali lib.*2 *cap.*11. *num.*177. Urſel. *concl.*63. *n.*4. D. Maſſerius *cit. lib.*1. *cap.* 35. *num.* 73. & antiquus fuit ſenſus Rotæ uſque ab anno 1552. in *Aveninen. ſpolii* 23. *Maii*, quam refert *deciſ.* 226. *lib.* 1. *coram Verallo, ſeù Caputaquen.* & ſecuta fuit Rota *deciſ.*272. *coram Ruxas*, Add. *ad dec.*5. *alias* 47. Mohedan. *litt. A. de Conſtit. verſ. Item Civitatem Avenionenſ. deciſ.*208. *num.*2. *par.*10. *dec.*4. *n.*1. *par.*12. & *dec.*203. *n.*1. & *ſeq. par.*13. & plures relati in *dec.* 43. *n.*1. *cor. Celſo*, in qua tamen re S. Rota articulum reliquit in ſuſpenſo, prout dubitavit in *dec.*812. *n.*3. *par.*18. *tom.*2. *rec.* additque ſaltem talem dubietatem excuſare ab attentatis aliquem capientem poſſeſſionem in judicio, in quo aliàs intrat Ægidiana.

Tandem videtur magis conſona opinio affirmativa ex 33
rationibus plenè adductis in citata antiqua deciſione *coram Verallo*, quia Conſtitutio habet locum in Civitate Avenionis, ſicuti in aliis Civitatibus ſubjectis Romanæ Eccleſiæ, cùm militet eadem ratio in Civitate Avenionenſi, quæ in aliis; & licèt Ægidius ediderit illam pro cèrtis locis, ubì erat Vicarius; tamen eam ampliavit Sixtus IV. ad omnes Terras Eccleſiæ, & cùm Civitas Avenionenſis ſit ſub poteſtate Eccleſiæ, & quidem tempore extenſionis Sixti, videtur potius venire per viam comprehenſionis, quàm extenſionis; clara etenim ſunt verba Sixtinæ Conſtitutionis, & licèt Ægidiana non fuerit ſervata, quidquid ſit an per non uſum poſſit abrogari diſpoſitio Conſtitutionis Pontificiæ agentis de materia temporali, ut apud Card. de Luca *de feud. diſc.*4. *num.*6. & *ſeq.* cùm quoad ſpiritualia negativè eſſet dicendum; nam poteſtas illa dependet immediatè à Chriſto Domino, nunquam à Populi acceptatione, Fagnan. *cap. treguas num.* 48. & *ſeq. de treguis, & pace*, & dixi *tom.*3. *ad Conſtit.* 6. Urbani IV. *num.*50. & *in hoc tom. ad Conſtit.* 12. Jo: XXII. *num.*15. hoc certum eſt, Paulum III. ex præciſa cauſa non uſus in aliquibus locis, dictam Ægidianam denuò ſervari in omnibus locis Sedi Apoſtolicæ ſubjectis demandaſſe, ut in *cit. Conſtit.* imò non uſus, neque contra decretum irritans in dictis Conſtitutionibus contentis potuerat ampliùs introduci, aut continuari, D. Zaulus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, & Urbis Viceſgerens *ad Stat. Faventiæ tit.*1. *lib.*3 *rubr.*17. *num.*78. cum aliis ibi adductis. Sed ulteriùs neque poteſt probari uſus inconcuſſus, ut requiritur, imò ex ipſis antiquis deciſionibus videtur contrarium reſultare; & ſenſus antiquus Rotæ uſque à tempore proximo dictis Conſtitutionibus Sixti, & Pauli, habent maximum robur, ac præſumptionem, quod ita in Curia, & à Romano Pontifice fuerit ſubintellectum. Atque hoc idem confirmat ſtylus Signaturæ Juſtitiæ, quæ committere ſolet hujuſmodi cauſas cum clauſula *Conſtito quod ſit locus Ægidianæ*, ut refertur in *cit. deciſ.*43. *Celſi*; in relatione caſus, & praxis ita me docuit, dum Signaturæ Votans ſex annis fui, & in *Carpentoraten. Salviani* 23. *Januarii* 1710. *Ponente D. Tanara*; & licèt in diſputatione coram Congreg. Avenionenſi diſcuſſus fuerit articulus circa contractus, tamen in his concurrit major difficultas ob uſum pacificum immemorabilem faciendi contractus, ut ſupponitur, ſine ſolemnitatibus Ægidianæ; Ex eo præſertim 34
forſan procedente; quod Ægidiana non comprehendit loca, in quibus ſtatuta incompatibilia diverſa adſint quoad contractus, & cùm adſint ſtatuta ſpecialia in dicto Statu, ſaltem ſuper iſta incompatibilitate potuerat per viam obſervantiæ introduci uſus non requirens ſolemnitatem Ægidianæ, ut in his proximis terminis docet Rota *deciſ.*227. *part.*1. *coram Verallo*; & ſic ex limitatione in ventre ejuſdem Aegidianæ exiſtente, non autem ex non comprehenſione, potuit declarari exemptus Status prædictus ab obſervantia Aegidianæ in contractibus Minorum; & licèt motivari poſſet, etiam in *Rubrica de appellat.* procedi, quod exiſtente aliquo Statuto, ſivè Conſuetudine, ut lege ſpeciali in certo loco denegante appellationem in dictis judiciis, tunc ceſſet diſpoſitio Aegidianæ ex limitatione ibi contenta, Gratian. *diſcep.*9. *per tot.* & perpetuò dixit Rota *deciſ.* 333. *num.*6. *coram Buratto*, *deciſ.* 378. *num.* 3. *part.* 4. *tom.* 2. *rec. deciſ.*562. *num.*5. poſt Poſtli. *de manut. deciſ.*346. *num.* 5. *coram Ludoviſio*, Addent. *ad eumd. deciſ.* 260. *num.*19. *deciſ.*107. *num.*19. *par.*15. *rec.* & paſſim alibi. Unde cùm tale peculiare jus prætendatur adeſſe in dictis Statutibus, ceſſaret utique diſpoſitio dictæ Aegidianæ; In appellationibus tamen de dicta qualitate Statuti, aut peculiaris legis, quæ debet eſſe, ut dixi incompatibilis cum Aegidiana, mihi non conſtat clarè, & proindè hoc motivum debet in caſus contingentia S. Rotæ exprimi, quod uſque adhuc nunquam in eadem, vel Signatura productum fuit, nam eo vero exiſtente, nullum dubium, Rotam, & Signaturam recedere debere à ſenſu affirmativo.

Animadvertendum rurſus eſt, quod ut intret Aegi- 35

diana, ſententia debet eſſe prolata io Statu Eccleſiaſti-
co, etſi ſit cum perſonis exteris, Mareſcott. *variar. re-
ſol. lib.2. cap.75. num.35. & 36. & cap.76. num.35.* D.
Conſtant. *cit. annot.* 52. *art.*1. *ſect.*3. *num.*142. *& ſeq.
& num.*145. Rota *deciſ.*24. *num.*18. apud Poſth. *de ma-
nutent.* prout è contra, ſi ſententia fuerit lata extra di-
ctum Statum, & agatur etiam de Subditis Papæ, non
intrat, quia in judiciis quaſi contrahitur, & hac ratio-
ne non ſubditus ſit talis, & attenditur locus Judicii,
Scacc. *cit. quaſt.*17. *lim.*6. *memb.* 3. *num.* 11. Rota *deciſ.*
182. *num.* 8. *lib.* 3. *part.* 3. *diverſ.* Et veriùs, quia dicta
Conſtitutio diſponit ſuper appellationibus, quæ interpo-
nuntur à ſententiis in Statu Eccleſiaſtico emanatis, Ro-
ta *deciſ.*218. *num.*4. *part.*19. *recent.* & hæc eſt differen-
tia inter Ægidianam, ac Statutum Urbis de duobus
conformibus denegans appellationem inter Cives, &
Incolas, etſi ſententia ſit lata io Curia; in Ægidiana
verò attenditur locus ſententiæ, quidquid innuat *deciſ.
cit.* 187. *lib.*3. *par.*3. *diverſ.* Si autem agatur de ſecunda
ſententia confirmatoria lata extra Statutum Eccleſiæ,
etſi ſecunda lata fuerit in Statu prædicto, nec intrat
Ægidiana, quia non mutatur natura judicii.
36 Ulteriùs, ut initio hujus Commentarii dixi, non
comprehendit hæc Ægidiana cauſas, & perſonas Ec-
cleſiarum, & Eccleſiaſticorum, aut eorum bona, ut
præter ſupra adductos DD. perpetua fuit ſententia Cu-
riæ, Signaturæ, & Rotæ *deciſ.*515. *num.*1. *& ſeq. cor.
Card. Cerro*, *deciſ.*42. *num.* 2. *part.* 19. *rec. deciſ.*687.
*num.*2. *cor. Emerix Jun.* latè *deciſ.* 481. *num.* 1. *& ſeq.
coram Bichio*, & alibi paſſim, imò ſi vim inſtrumenti
obligatione Camerali vallati Judex det Immiſſionem,
in qua cauſa adſit Clericus, vel Eccleſia, Ægidiana
non habet vim, ut in *Romana Appartamenti* 26. *Junis*
1698. *Ponente in Signatura D. Vannicello*. Ita tamen
37 quòd non ſufficiat Eccleſiam, vel Eccleſiaſticas perſo-
nas fuiſſe nominatas in commiſſione, vel in actis, ſed
requiratur, quod tempore ſententiæ ſint in cauſa, ex
dicta ratione aliàs conſiderata, quod Ægidiana proce-
dit quoad ſententias, ac tempus earum interpoſitionum,
undè ſi fuerit à Clerico renunciatum cauſæ, & in iſta
ampliùs non ſit tempore ſententiæ, non impeditur effe-
ctus Ægidianæ, nec attenditur ſtatus anterior tàm per-
ſonarum, quàm bonorum, Card. de Luca *de Judic.
diſc.*44. *num.*15. benè Rota *deciſ.*793. *num.*3. *& ſeq. cor.
Dunozz. Jun. deciſ.*42. *num.*3. *deciſ.*228. *num.*4. *& ſeq.
part.*19. *rec. & deciſ.* 325. *num.*2. *cor. Emerix. Jun.* Ita
38 ſi Clericus, ſeù Eccleſia ſit in cauſa, utì defenſor laici,
Ægidiana habet locum; quia defenſor tenetur defende-
re rerum coram hujus proprio Judice, *leg. venditor* 49.
ff. de re jud. ubi DD. dicunt non competere fori diver-
ſitatem, etſi ſit Clericus neceſſarius defenſor, qui te-
netur in foro laudantis laici comparere, Carleval. *de
judiciis tit.*1. *diſp.*2. *quaſt.*6. *ſect.*8. *nu.*664. *& ſeq.* Gaill.
*obſer.*37. *n.*7. *lib.*1. De Graſſ. *de effect. Cler. eff.*1. *n.*948.
Scialoja *de foro compet. cap.*29. *n.*9. & in præciſis termi-
nis Ægidianæ Card. de Luca *de Juriſdict. diſc.*63. *num.*3.
latè Rota *deciſ.*498. *num.*2. *& ſeq. cor. Peutingerio*.
39 Quid autem dicendum, ſi Eccleſiaſtica perſona ve-
niat ad cauſam pro jure ſuo. In qua re plures caſus di-
ſtinguendi ſunt; aut enim venit ad cauſam ante ſenten-
tiam, etſi poſt cauſam inſtitutam, & certè quod Ægi-
diana non intrat, & conſideratur utì principalis, &
eximit nedum ſe, ſed etiam correum, vel coactorem
ab Ægidiana, ſi agatur de jure connexo quoad ſenten-
tiam poſteà latam, Rota *in Urbevetana ſucceſſionis cor.
Mormanno*, allegata in *deciſ.*498. *num.* 11. *cor. Peutin-
gerio*, *deciſ.* 6. *per tot. & num.* 3. *coram Cerro*. Idque
40 etiam procedit, ſi conteſtata lite contra laicum, dece-
dat iſte, & ſuccedat Eccleſiaſticus, quia tunc ceſſat
Ægidiana, ex ea valida ratione, quod inſtantia cæpta
contra laicum non tranſit in Eccleſiaſticum, & mutatur
Judex, & Eccleſiaſticus tantùm procedere poteſt, ut
diſcuſſo articulo ad ſatietatem dixit Rota *in Romana
Fideicommiſſi de Vipera deciſ.*1859. *coram Coccino*, ubi
41 pleniſſimis rationibus, ac DD. calculo probatur, in-
ſtantiam cœptam coram Judice laico contra laicum,
non tranſire in Eccleſiaſticum ſucceſſorem, & etiam
plenè probatur in *Firmana Salviani die* 2. *Julii* 1708.
§. nec obſtare, *& ſeq. cor. D. Molines*, reprobato Ca-
faro *in ſpecul. peregr. quaſt. for. libr.*1. *quaſt.*25. *per tot.*
Cortiad. *deciſ.*151. *tom.* 3. *per tot.* & proindè deciſum
fuit, non intrare in dicto caſu Ægidianam, & etiam
firmatum fuit in *cit. deciſ.* 6. *num.*6. *& ſeq. cor. Cardin.
Cerro*, ubi in fortioribus terminis, quod inchoata lite
contra laicum poſſeſſorem patrem, iſte donavit certa
bona in patrimonium filio lite pendente, & tamen à ſen-
tentia poſteà lata, fuit reſolutum dari appellationem, nec
intrare Ægidianam; ſed verè dicta deciſio ſe fundat,
quod debeat attendi tempus ſententiæ, & quæ perſonæ,
ac bona tunc ſint in cauſa, quia Ægidiana vetuit dari
appellationem à ſententiis, & ſic parum curandum, an
inſtantia fuerit cœpta contra unum, vel alium, & etiam
innixa huic rationi comprobavit *cit. deciſ. Coccini*, *&
Cerri*, *& in cit. Firmana §. enim*, *& ſeq.* & dixit D.
Conſtantinus *ad Statuta Urbis annot.* 52. *art.*1. *ſect.*1.
*num.*522. ſed ſemper urget, quod etſi admittatur contra
veri robur, Judicem laicum eſſe Judicem Clerici, qui
ſupervenit in cauſa utì hæres laici conventi, ſemper de-
bet attendi tempus ſententiæ, in quo Clericus aderit,
ut etiam Judice laico pronunciante, Ægidiana non in-
tret Clerico exiſtente in judicio, & in ſententia; vel te-
nendum, ut certè eſt, Judicem Eccleſiaſticum eſſe ve-
rum Judicem contra Clericum ſucceſſorem, & etiam
duplici ratione Ægidiana non intrat, & ratione Judicis
Eccleſiaſtici proferentis ſententiam, ut infra dicam, &
animadvertit Rota *in cit. deciſ. Coccini in fine*, & ple-
nè in *cit. Firmana §. cum itaque*, & ſequendo has ſoli-
das rationes dicendum eſt, quod ſi Clericus ſit actor,
& decedat, ac ſuccedat laicus, ceſſat Ægidiana in pro-
latione ſententiæ, non conſiderato an inſtantia cœpta
contra Clericum tranſeat in ſucceſſorem laicum.
Alter caſus eſt, quando Clericus ſuccedit poſt ſen- 43
tentiam latam contra laicum in foro laicali, & tunc vi-
detur intrare Ægidianam; quia tempore ſententiæ ade-
rat laicus, & ſic tempore habili cauſa fuit facta inap-
pellabilis, unde etſi pro executione deberet adiri Judex
Eccleſiaſticus, tamen non exindè tollitur vis inappella-
bilitatis jam natæ, & rei judicatæ; tamen contrarium
videtur reſolviſſe Rotam acriter diſcuſſis rationibus in
cit. Firmana Salviani 2. *Julii* 1708. *cor. D. Molines*.
Nihilominus adhuc cum diſtinctione procedendum eſt, 44
nam aut cauſa eſt in ſtatu rei judicatæ ortæ per inappel-
labilitatem ſententiæ tempore laici emanatæ, & certè
quod Clericus non poteſt appellare, quia tenetur ſta-
re rei judicatæ contra auctorem laicum emanatæ, licèt
quoad executionem ulteriorem Judex Eccleſiaſticus adi-
ri debeat tranſportatis actis, Sperell. *deciſ.*7. *num.*12.
*cum ſequent. & num.*20. *& ſeq.* Carleval. *de Judic. tit.*1.
*quaſt.*1. *num.*16. *& ſeq.* Cortiad. *deciſ.*36. *nu.*60. Card.
de Luca *de Judic. diſc.*40. *nu.*8. Antonell. *de loco legal.
lib.*3. *cap.*8. Altimar. *de nullit. tom.* 1. *de nullitate ſen-
tentiæ rubr.*3. *quaſt.* 20. *& ſeq.* Roſa *conſult.* 4. *per tot.*
& licèt à ſententia lata contra laicum, ſi veniat Cleri-
cus ſucceſſor, appelletur ad Judicem Eccleſiaſticum,
Judex appellationis diſcutiat merita, quia appellatio
reducit omnia ad priſtinum, non tamen procedere de-
bet, ſi ſententia remanſerit inappellabilis tempore lai-
ci, Velaſquez *deciſ.* 91. *numer.* 3. *per tot.* De Graſſ. *de
effect. Clerical. eff.* 1. *num.* 1246. aliàs ſequerentur innu-
mera inconvenientia, ut poſt tot judicata, iterum cau-
ſæ reviviſcere poſſent per ſucceſſiones Clericorum, qui
ſicuti ſtare debent ſententiæ latæ contra laicum tempo-
re habili, eiſque iſtæ afficiunt, ita etiam rei judicatæ
tempore habili ortæ.
Aut cauſa eſt in ſtatu, quòd orta fuerit ſententia 45
contra laicum, ſed Signatura reſcripſerit cum clauſula
ſuſpenſiva, *Conſtito*, *quod ſit locus Ægidianæ*, & tunc
videtur non poſſe Judicem ad quem exequi ſententiam
in vim Ægidianæ, ſed debet procedere per viam ap-
pellationis, ſi Clericus interim ſit ſucceſſor laici, ut eſt
caſus deciſus à Rota *in cit. Firmana Salviani*; ea qui-
dem ratione, nam tunc res judicata non dicitur orta,
ſed ſuſpenſa donec Judex, ad quem cognoſcat de meri-
tis, & ſic non eſt merus executor, ſed debet interloqui,
an ſit

Digitized by Google

an ſit exequenda; cùmque igitur talis Judex, ſi ſit laicus, non poſſit ſe intromittere in tali executione contra Clericum, ut dixi, & Judex Eccleſiaſticus; cujus naturam aſſumit Rota, in tali caſu habens utramque juriſdictionem, ac dimittit qualitatem Judicis laici, ut innuit etiam *cit. deciſ.* ideò optimè firmatum fuit, non potuiſſe in tali caſu Rotam decidere, eſſe locum Ægidianæ non habentis robur, neque in Tribunali Eccleſiaſtico, quod procedere tunc debet contra Clericum, decidendo eſſe locum Ægidianæ, neque contra perſonam, contra quam exequitur; ut plenè firmatur in *cit. deciſ.* & reſcripſit Signatura Juſtitiæ in *Peruſina 3. Februarii 1695. Ponente D. Paſſarino, & in Romana fideicommiſſi 25. Novembris 1694. Ponente D. Nicolao Spinola*. Ratio tamen diſparitatis à primo caſu eſt, quia in hoc caſu requiritur factum Judicis cum cognitione cauſæ, ac interloquutio, Ægidianam intrare; in primo autem cum jam fuerit inducta res judicata, & Judex Eccleſiaſticus exequens rem judicatam nihil decernit quoad Ægidianam, ſed tantùm concedit ulteriorem executionem materialem rei judicatæ jam natæ tempore habili, & in hoc ſenſu procedunt adducta in *cit. Firmana*, quod Judex exequens non debet exequi ſententiam alterius Judicis in vim ſtatuti exequibilem, vigentis in foro Judicis requirentis, ſed tantùm quando uno, eodemque modo naſcitur res judicata in utroque foro; quia id procedit quotieſcumque requiritur factum Judicis exequentis cum cognitione cauſæ; itaut interloquendum ſit, ſententiam eſſe exequendam, ſecùs in contrario caſu, quia tunc nihil agit, niſi exequi rem judicatam ortam tempore habili, & agitur de re judicata inducta non per ſtatutum alicujus Fori, ſed per legem generalem Papæ, quod facit jus commune in Statu Eccleſiaſtico inter laicos, ſicuti cùm ſtatutum de duabus conformibus in Urbe, quod eſt Papale, facit rem judicatam inter Cives, & Incolas, itaut ſi poſt eam inductam veniat ſucceſſor exterus, non exindè poterit impedire ulteriorem exequutionem rei judicatæ, prout impedire valebit, ſi ante eam inductam ſuccederet.

46 Ægidiana rurſus non procedit, tàm ſi ſententia fuerit lata ad favorem Eccleſiæ, vel Eccleſiaſtici, quàm ad favorem laici, quia debet ſervari æqualitas, & ſic utroque caſu eſt appellabilis, Rota *deciſ. 1859. num. 3. cor. Coccino, deciſ. 920. num. 1. cor. Emerix Jun. & in Romana reintegrationis 27. Aprilis 1693. §. Non attento,*
47 *in fine cor. Eminentiſſ. Card. Caprara*; & excluditur ſi ſit mixtura bonorum Eccleſiaſticorum, & laicalium, quia tota ſententia eximitur ab Ægidiana, & redditur appellabilis, dummodò ſit ſub unica ſtructura verborum, vel ſub unica actione, plenè Rota *deciſ. 258. num. 9. cor. Bichio, deciſ. 274. num. 7. cor. Card. Cerro, deciſ. 132. num. 21. & ſeq. deciſ. 283. num. 19. & ſeq. par. 9. deciſ. 325. num. 8. & 9. part. 15. recent. & deciſ. 687. num. 2. coram Emerix Jun.* prout ſi adſit Clericus, & laicus in cauſa eadem, Card. de Luca *de Judic. diſc. 37. num. 60. verſ. ſed quoniam, diſc. 44. nu. 85. de donationib. diſc. 20. num. 2. & de fideicommiſſ. diſc. 271. nu. 9.* & unica ſtructura concipiatur ſententia, Rota *deciſ. 515. num. 2. cor.*
48 *Card. Cerro*. Sed ſi diſtinctis ſententiis fuiſſent condemnati, neque intrat Ægidiana, ſi idem jus connexum concurrat, quia magis dignum trahit minus dignum, Rota *deciſ. 480. num. 1. cor. Bichio*; Tunc enim dicitur jus connexum, ſi ambo poſſideant eamdem rem etſi dividendam, Rota *deciſ. 72. num. 2. & 3. poſt Merlin. de pignor.* vel eadem defenſio, ac exceptio adſit, Rota *in Urbevetana ſucceſſionis 25. Junii 1635. §. non obſtat cor. Mormanno*, vel ſi eadem eſſet petitio, ac monitorium contra Clericum, & Laicum, & ſub unico Capitulo ſimul ad judicium vocati fuerint, etſi ſententiis ſeparatis condemnati, Rota *deciſ. 170. cor. Otthobono*, & proſequitur in omnibus Rota *cit. deciſ. 480. num. 2. & ſeq. cor. Bichio*; Sed contrarium videntur firmare deciſiones citatæ in eadem *deciſ. 480. num. 9.* quod poſita diverſitate ſententiarum Ægidiana intret quoad laicum; ſed hoc eſt verum ſi fiant diverſæ citationes; quod neque admittendum, ſi idem ſit jus connexum, & ſimul intentatum, etſi deinde pro cautela ſervanda, fuerint factæ diverſæ citationes, quia talis cautela eſt affectata, & præjudicialis veritati, ut firmat *cit. deciſ. cor. Bichio, & dec. 515. n. 2. cor. Card. Cerro*; ita ſi mandata fuerint divi-dua, & non adſint amplius in cauſa bona Eccleſiæ, & ſi continebantur in eadem ſententia bona Eccleſiæ, intrat Ægidiana, Rota *deciſ. 63. num. 8. & 9. cor. Cerro*.

Antiquitùs diſputatum acriter fuit, an inter bona Ec- 49
cleſiaſtica non ſubjecta Ægidianæ; adſint bona emphiteutica Eccleſiæ, quatenus etiam arguitur inter laicos ſuper dominio utili; & quidquid fuerit aliàs dictum, hodiè inconcuſsè tenetur, ac ſervatur non intrare Ægidianam, etſi Eccleſia non ſit in cauſa, Card. de Luca *de Judic. diſc. 37. num. 60. & in Conflict. obſerv. 287. verſ. & tertia, & de dote diſc. 84. num. 7. & 8.* quidquid motivaverat *diſc. 184. de dote*, & diſcuſſo plenè articulo firmat Rota *in celebri Romana Domus de Scapuccis coram Coccino deciſ. 514. & 238. num. 2. & 3.* poſt Pacif. de Salvian. *deciſ. 238. dec. 16. num. 2. cor. Buratto dec. 515. num. 1. cor. Bichio, deciſ. 143. num. 5. part. 9. deciſ. 356. num. 17. part. 17. recent. deciſ. 515. num. 1. cor. Cerro, & deciſ. 687. num. 1. cor. Emerix Jun.* & hæc eſt praxis inconcuſſa Signaturæ, quæ reſcribit cum clauſula *De appellatione*, quod procedit etſi agatur de ſolo præjudicio laicorum, & utilis dominii eorum, nec Eccleſia Domina directa ſit in cauſa, aut conſenſerit alienationi talis rei emphiteuticæ in laicum, ſufficitque quod remanſerit dominium directum penes Eccleſiam, ut exempta ſit à præfata Conſtitutione, Rota *deciſ. 493. num. 2. cor.*
Cavalerio. Clericatus autem ad hunc effectum, ſeù qua- 50
litas Eccleſiaſtica bonorum an ſuffragetur, ſi non allegetur ante ſententiam, poteſt dubitari. Et negativè, neque pro revocatione executionis per viam nullitatis, docuit Rota *deciſ. 63. num. 1. & ſeq. cor. Card. Cerro*, ubi quod ſcientia partis, vel Judicis ante executionem cauſaret attentata, ſecùs poſt eam; Sed opinio magis vera à Signatura amplexa eſt, quod etſi non doceatur de qualitate Eccleſiaſtica ante ſententiam, ſemper cauſa ſit appellabilis docto de tali qualitate, & ignorantia probabilis dictæ qualitatis poteſt deſervire, ut excuſetur pars ab attentatis rigoroſis ob poſſeſſionem captam, ſeù executionem factam ſub credulitate, ut intraret Ægidiana, non autem ut non intret appellatio, & revocetur executio per viam nullitatis, Card. de Luca *de Juriſd. diſc. 63. num. 2. 4. & 6.* & recedendo à *deciſ. cit. 63.* dixit Rota *in dec. 132. num. 10. & 13. cor. eodem Cerro*, & reſcriptum fuit in Signatura in *Romana Salvian. 20.*
Martii 1698. Ponente D. Marabottino, ac ſæpè in aliis, 51
ex ea valida ratione, quia ſcientia, & ignorantia nequit facere, quod Conſtitutio Ægidiana vim habeat in iis, in quibus habere nequit, quia factum, & voluntas partium nequit præbere juriſdictionem incapaci, ut eſt reſpectu Eccleſiaſtici, Rota *deciſ. 343. num. 5. & 6. part. 6. recent.* & quoad Ægidianam diſtinguendo inter attentata doloſa rigoroſè purganda cum expenſarum refectione, & non doloſa revocanda tantum per viam nullitatis, dixit Rota *deciſ. 881. num. 1. & deciſ. 908. num. 3. cor. Emerix Jun.* ubi *num. 4.* etſi adfuerit conſenſus partium, cùm ſit privilegium conceſſum toti ordini Eccleſiaſtico, nec poteſt ſubjici quis Eccleſiaſticus poteſtati, & legi laicali pro laicis tantùm vigenti, & in terminis productionis Inſtrumentorum cum qualitate bonorum emphiteutica Eccleſiæ factæ poſt ſententiam,
dixit Rota *dec. 515. num. 5. cor. eodem Card. Cerro*. Imò 52
ſi concurrat veriſimilis notitia qualitatis Eccleſiaſticæ in parte, tunc deberet iſta condemnari ad expenſas, & ad rigoroſam purgationem attentatorum, etſi Clericatus teſtimonialia non fuiſſent producta, quæ ſcientia veroſimilis poſſet elici ex conjunctione ſanguinis, non tamen ſola, ſed juncta aliis adminiculis, quorum pondus Judicis arbitrio eſt remiſſum, præſertim rigoroſè non interponendum pro attentatorum purgatione demandanda, pro quibus requiritur rigoroſior probatio, Rota *deciſ. 63. num. 6. cor. Cerro*.

Porrò ut ſententiæ ſub Ægidiana comprehendantur, 53
etiam requiritur, ut ferantur in foro laicali; nam à ſententia lata in foro Eccleſiaſtico, etſi inter laicos, admittitur ſemper appellatio, nec ea Conſtitutio intrat,

erat, Mareſcott. *var. reſol. lib.2. cap.75. nu.37.* Onded. *conſ.20. num.8. libr.2.* Card. de Luca *de Judic. diſc.37. num.60. de feud. diſc.93. num.7. & de dote diſc.184. num.4. & ſeq.* D. Conſtantinus *ad Stat. Urb. annot. 52. art.1. ſect.3. num.131.* Seraphin. *deciſ.324. & 27. nu.4.* poſt Gilian. *ad Statut. Peruſ. deciſ.881. num.2. & deciſ. 998. num.5. §. quo vero, coram Emerix Jun.* Cerr. *deciſ. 62. nu.2. & in Firmana Salviani 1. Julii 1708. §. cum itaque coram D. Molines, & in Signatura Juſtitiæ in Romana pro Apollonio Lampognano 27. Septemb. 1698. Ponente D. Cerro.* Hinc Judex Archiconfraternitatis SS. Annunciatæ Urbis, qui erat Prælatus, prout habebant Judices proprios plura Loca Pia Urbis, per Conſtitutionem Sanctæ Memoriæ Innocentii XII. ſuppreſſos, fuit reputatus in hac re Judex Eccleſiaſticus, itaut non intraret Ægidiana in ſententiis ab eo prolatis, etſi dubitabatur, an Archiconfraternitas ea diceretur Ecleſieſtica, ut fuit dictum in *cit. deciſ. coram Emerix*, & præciſè *deciſ.908.* quia Judices iſti peculiares fuerant ſubrogati Tribunali Eminentiſſimi Urbis Vicarii, qui habet juriſdictionem ordinariam in omnia Loca Pia, etſi non Eccleſiaſtica, & ſic ſicuti non intrat Ægidiana in ſententiis latis in Tribunali ipſius, ita neque in dictis
54 Judicibus ſubrogatis. A ſententiis tamen latis in Tribunali A. C. datur abſque dubio locus Ægidianæ inter laicos, ut ex ſtylo Signaturæ liquet, quia A. C. eſt Judex deputatus ad Univerſitatem cauſarum, & ſic licèt habeat facultatem cognoſcendi inter Clericos, & Cauſas Eccleſiaſticas, imò cenſuras relaxandi, non tamen ſe exuit qualitate laicali circa laicos, pro quibus etiam eſt deputatus, ut benè Rota *deciſ. 908. §. finali coram Emerix Jun.* & ita dicendum in Rota, quæ cùm ſit Tribunal mixtum, ſententia ab ea lata ſubditur Ægidianæ; ſecùs ſi cum Eccleſiaſticis, vel de bonis Eccleſiæ agatur, ut præciſè dixit Rota *deciſ.1859. num. 6. coram Coccino*, & noviſſimè in *cit. Firmana Salviani 2. Julii 1708. §. quapropter coram D. Molines.*

55 Deniquè Ægidiana non intrat, ut impediat appellationem in locis, & Tribunalibus, in quibus vigent ſpecialia Statuta appellationem concedentia, Rota *deciſ.330. per tot. par.2. diver. deciſ.284. num.22. par.9. recent.* ubi de ſtatuto fori Civitatis Bononiæ, & *deciſ. 182. lib.3. par.3. diver. deciſ.200. num. 2. coram Bichio.*

56 Sed antequam ab hac materia digrediamur, dicam, bona Eccleſiaſtica ad effectum exemptionis ab Ægidiana cenſeri bona patrimonialia Clericorum, Rota *deciſ.6. num.4. coram Card. Cerro*, ſed ſi agatur de bonis fideicommiſſariis fideicommiſſi ordinati à Clerico, attenditur an poſſeſſor ſit Clericus, vel Laicus; adeòque attendi debent ſolùm perſonæ, quæ agunt, excipiunt an ſint laicæ, nec reſpici debet anterior ſtatus bonorum, & perſonarum, ſed ille tempore ſententiæ, Card. de Luca *de Judic. diſc.44. num.8. & 85.* Rota *deciſ. 51. num. 14. & 15. part.5. deciſ.118. num.1. & 2. part.16. & deciſ.218. num.3. & ſeq. part.19. recent.* Si
57 tamen bona fuerint immediatè defuncti Eccleſiaſtici, & non fuerint tunc ab alio poſſeſſa, ſed agatur de hæreditate vacante, poſſet dubitari an intret Ægidiana, quia cenſeri debent ea bona, donec adeatur hæreditas ab aliquo, continuare in dominio defuncti, etſi annichilati, & tunc intrat Ægidiana, Card. de Luca *de Judic. diſc.44. num.85.* nam bona uti vacantia ſequuntur naturam ultimi poſſeſſoris, *leg. hereditas 34. ff. de acquir. rer. domin.* Bald. *in leg. illa inſtit.33. num.2. ff. de hered. inſtit.* Petrus Barboſa *in leg. heres abſens num.203. ff. ſolut. matrim.* Riccius *part.3. reſol.129. in praxi*, Carleval. *de Judic. lib.1. tit.1. num.322. pag.68.* & latè Manſius *conſ.63. per tot. tom.2.*

58 Agendo tandem de locis, & perſonis, quæ Eccleſiaſticæ dici valent ad effectum excludendi Ægidianam, certum eſt nullam dubitationem cadere in Eccleſiis, aliiſque Eccleſiaſticis locis erectis auctoritate ordinaria, vel Summi Pontificis, quæ loca verè Eccleſiaſtica dicuntur, etſi gubernentur à laicis, ut ſunt Confraternitates, quæ exercent opera pia, Vitalin. *in Clem. quia contingit num.81. & ſeq. de Relig.* Dom. Barbot. *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.73. numer.30. & ſequen.* benè Rota *deciſ.1198. num.10. & cor. Coccino*, ubi de Archiconfraternitate Spiritus ſancti Regni Neapolis erecta auctoritate Ordinarii, idemque de Hoſpitali eſſe dicendum, Rota *deciſ.343. num.25. cor. Bichio, deciſ.640. num.11. part.19. recent. & in Forolivi. Commendæ 1. Julii 1708. §. cum de cætero cor. D. Scotto, & in eadem 11. Januarii ejuſdem anni §. Aſſumptum autem*, quod procedit etiam in Capellis, Rota *deciſ.293. num.7. part.8. rec.* & in Seminariis, ut in *Anconitana Salviani 12. Julii 1687. Ponente D. Silva in Signatura Juſtitiæ*, & in Confraternitate auctoritate ordinaria erecta, Rota *deciſ.881. n.3. cor. Emerix. Jun. dec.180. num.5. cor. Carillo, dec.267. num.1. & 2. cor. eodem, & cor. Arguell. deciſ.45.* ubi de Archiconfraternitate S. Mariæ Conſolationis Urbis, & in prima agitur de Archiconfraternitate SS. Annunciatæ, licèt deindè in *deciſ.908. coram eodem Emerix* fuerit dubitatum in ea de qualitate Eccleſiaſtica; Quoad 59
vero loca, & Confraternitates erectas abſque approbatione Ordinarii, quòd ſint exempta earum bona ab Ægidiana, dixit Rota *dec.1598. num.1. & ſeq. cor. Coccino*, prout in Hoſpitali ſine tali auctoritate erecto ex eo, quod ſaltem dicatur pium opus, quia privilegium datur operi non perſonæ exercenti, eoque magis ſtante diſpoſitione Sacri Concilii Trident. *ſeſs.22. de reform. cap.8. & 9.* ubi Epiſcopi deſtinantur executores operum piorum, & recipiunt computata ab Adminiſtratoribus, ſed deindè deciſio ſe fundat in qualitate Eccleſiaſtica, quia erat locus auctoritate ordinaria erectus, & videtur Rotam habuiſſe difficultatem in citatis deciſionibus, & licèt etiam in *deciſ.908. cor. Emerix*, confirmaverit primam Deciſionem, tamen ſe fundat in eo, quod in Urbe Judex locorum piorum etiam erectorum abſque auctoritate Eccleſiaſtica ſit Card. Urbis Vicarius, & ſic ſaltem ratione Judicis Eccleſiaſtici Ægidiana non intrat; ſed verè ſi hujuſmodi loca opera pia exerceant, non comprehendi ſub Ægidiana, Rota non probavit; ſed alibi occurret ſermo, ubi de Confraternitatibus laicalibus ſuo loco dicam; Quo verò ad Milites, ſeù Equites 60
D. Joannis Hieroſolymitani nulla cadit difficultas, quia ſunt veri Religioſi, ut aliàs diximus; difficultas tamen eſt quoad Milites Calatravæ, Alcantaræ, S. Stephani, aliarumque militiarum, & quatenus agatur de militiis erectis abſque auctoritate Apoſtolica, in iſtis nullum dubium conſiderari poteſt, quod dicantur nedum perſonæ non Religioſæ, ſed neque Eccleſiaſticæ, & ſic uti laici ſubduntur Ægidianæ; Si verò agatur de præfatis militiis, aliiſque, etſi non valeant dici perſonæ Religioſæ, quia non profitentur tria vota ſubſtantialia, ut dixi *tom.2. ad Conſtit.5.* Alexandr. III. *ſect. unic. num.1. & tom.3. ad Conſtit.1.* Alexandr. IV. *num.10. pag.192.* tamen nec ſtrictè dici poſſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, cùm non habeant ordines; Verùm certum eſt eſſe perſonas Eccleſiaſticas aliquo modo, quia auctoritate Apoſtolica redacti fuerunt in cœtum Eccleſiaſticum ſub certis regulis, & ſic exempti ſunt à foro laicali, ut latè dixi *tom.2. ad Conſtit.5.* Alexandr. III. *ſect. unic. nu.12.* & noviſſimè dixit Rota agendo de Militibus S. Stephani, & generaliter etiam de aliis, plenè in *Bononien. Exemptionis 6. Junii 1708. §. pari, & ſeq. cor. D. Falconerio*, proindeque uti exempti à foro laicali conſequenter eximuntur ab Ægidiana, Rota *deciſ.288. n.45. & 46. cor. Bichio*, ubi de Milite Calatravæ, quod ſcilicet non ſubdatur Statuto Urbis 85. concedenti viam executivam pro dote, quia non comprehendit perſonas Eccleſiaſticas, prout reputatus fuit Miles Calatravæ; quidquid dicat Card. de Luca *diſc.184. de dote n.6. & 7.* qui etiam in ſuo caſu loquitur de Principe Burgheſio feudatario, & ſic habente incompatibilitatem cum qualitate Eccleſiaſtica reſultante ex militia S. Jacobi de Spatha, prout admittit qualitatem Eccleſiaſticam in terminis Ægidianæ in militibus militiarum erectarum auctoritate Apoſtolica, Rota *deciſ. 334. num. 1. cor. Emerix Jun.* & Ægidianam approbat in dicto caſu, tum quia non erat certum an militia Equitum S. Spiritus, de qua agebatur, fuerat erecta tali auctoritate, tum quia collitigans erat bigamus, quo caſu videtur amittere privilegium Eccleſiaſticum, ſed pro laico

haberi

Digitized by Google

haberi debet, juxta *cap. unic. de bigamis in 6.* nec oſtendebatur privilegium Apoſtolicum id indulgens cum præſervatione privilegiorum. Retenta quoque præfata diſtinctione qualitatis Eccleſiaſticæ, vel non talis, eſt aſſerendum intrare, vel non Ægidianam, ut procedunt citati Doctores, & præſertim Rota *cit.*
61 *deciſ. 45. coram Arguell.* & quoad bona Equitum prædictorum, ſi ſint bona Religionis Hieroſolymitanæ nulla cadit difficultas ut ſint Religioſa, etſi propria ipſorum Militum patrimonialia, licèt ſint exempta ab Ægidiana; quoad verò alios Milites, qui non ſubduntur Ægidianæ, ſi agatur de bonis propriis, & præciſivè à perſona, prout ſi lis eſſet de bonis de directo dominio eorumdem, ceſſat Ægidiana; Si autem agatur de bonis Commendarum tunc dici valent Eccleſiaſtica, ut ad effectum exemptionis ab aliis oneribus laicalibus, latiſſimè dixit Rota quoad Milites Sancti Stephani in *cit. Bononien. Exemptionis, coram D. Falconerio.* Cæterùm in hac materia hujuſmodi militiarum quoad exemptionem à foro ſatis eſt indulgendum Immunitati, tum ex generali regula, & ex præcisè firmatis quoad excluſionem Ægidianæ, ut ita faveatur privilegiis Eccleſiaſticis, ut dixit Rota *in cit. Firmana Salviani §. librato*; tum magis id dicendum, & practicandum eſt in Urbe, ut exemplo ſit Principum ſæcularium Curiis, in quibus criticari ſolet Privilegium hujuſmodi militum, ut alias innui locis citatis.

62 Ita quoque dicendum eſt de Tertiariis, quia etſi non dicantur perſonæ Religioſæ, tamen ſemper dici valent Eccleſiaſticæ, quæ vivunt ſub modo approbabato ab Eccleſia, dummodò eundem ſervent, ut latè alio loco dicam, & in terminis Ægidianæ non comprehendi, itaut non debeat dari appellatio, reſolvit Signatura Juſtitiæ in *Urbinaten. 13. Auguſti 1699. Ponente D. Paſſerino.*

63 Sed quid dicendum, ſi res fuerit laicalis; Adminiſtrator tamen, ſeù executor fuerit Eccleſiaſticus; In caſu enim contingenti, quo quidam reliquit jus nominandi, & eligendi puellas pro certo ſubſidio, Epiſcopo, & primæ Dignitati Cathedralis Montis Alti, prout nominatæ fuerunt; ſed cùm iſtæ ex perſona teſtatoris auctoris judicium inſtruxiſſent contra quendam debitorem ejuſdem, obtinuerunt à primo Judice ſententiam Immiſſionis, & Sacra Rota dixit eſſe locum Ægidianæ in *deciſ. 852. coram Emerix Junior*, ſed deinde in hoc revocata fuit in *deciſ. 920. coram eodem*, cùm animadverſum fuerit adeſſe dictum nominandi penes dictas perſonas Eccleſiaſticas, quorum intereſſe videbatur primarium. Itemque in tertia *deciſ. 938. coram eodem*, denuo Rota fuit in ſenſu, non intrare Ægidianam, quod confirmatum fuit in eadem cauſa *Romana reintegrationis 27. Aprilis 1693. §. 1. & ſeq. coram Eminentiſs. Cardinali Caprara*; ex ea valida ratione, quod dicti Eccleſiaſtici habebant tantùm jus eligendi, & nominandi, in quo jure nulla erat tunc diſputatio, & judicium, & in caſu quo fuiſſet, certum eſt non intrare Ægidianam, quia ageretur de jure pertinente ad Eccleſiaſticos, ſed jam expleta erat nominatio, ac electio puellarum, unde ceſſaverat jus perſonarum Eccleſiaſticarum, cùm illæ eſſent laicæ, & agebatur de bonis laicis, ac proinde nullo modo potuit conſiderari ratio excluſionis Ægidianæ; quod procedit, etſi Adminiſtratores Eccleſiaſtici comparuiſſent in Judicio, quia vel dici debent comparere ſinè jure proprio, vel ſaltem defendendo puellas, quo caſu tenentur ſtare judicio intentato, cùm nullum jus proprium deducerent ſuper bonis, & licèt adminiſtratio bonorum illis Eccleſiaſticis competeret; non proindè bona reputabantur Eccleſiaſtica, niſi ſint loca verè Eccleſiaſtica, vel ſi agatur de ipſo jure adminiſtrandi; ſed præfata bona dicebantur de puellis, quæ laicæ erant, ut latè in citatis deciſionibus. Ita ſi bona ſint laicalia, & lis ſit inter executores, & Commiſſarios laicos neque intrat Ægidiana, etſi ea fuerint relicta pro erigendo Monaſterio, niſi tamen fuerit facta erectio; quia potuerat evenire caſus, ut non erigatur, & ſic remanerent bona in ſtatu laicali, Rota *in Aſculana fideicommiſſi, ſeu domus 17. Junii 1695. §. quoniam coram D. Scotto*, quæ eſt *deciſ. 103. lib. 10. oper.* Cardinalis de Luca, & executores poſſent ab hæreditate ſumere expenſas, ſcilicet quando ea utuntur, non autem ſi inter ſe de eorum jure litigent, vel poſſent prætendere aliquod peculiare jus proprium, Coccin. *tom. 1. deciſion. notab. 245.*

Ad hanc materiam quæri poſſet, an Clerici non ha- 64
bentes requiſita Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 6.* qui proinde privantur fori privilegio, ſubjiciantur quoad appellationes Ægidianæ, prout an Clerici conjugati ſub ea comprehendatur. Sed dicam infra *Conſtit. 10.* Martini V.

CONSTITUTIO II.

INNOCENTII VI.

Incipiens (*Quaſi.*)

EPITOME BULLÆ.

INNOCENTIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

THeologicæ Facultatis Studium in Univerſitate Bononienſi inſtituit, & Magiſterii titulum conferri poſſe indulget.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Bononienſis Academiæ prærogativæ enunciantur.*
2 *Ejuſdem Academiæ origo, & antiquitas illuſtrantur.*
3 *Studiorum Mater, & Monarcha legum eadem Academia appellatur.*
4 *Academia Bononienſis, & Romana comparantur.*
5 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione.*
6 *Theologia facultas quàm nobilis ſit, & neceſſaria.*
7 *Studentes Theologiæ, & Juri Canonico lucrantur fructus Præbendarum in abſentia.*
8 *Canonici Theologi inſtitutio unde originem duxerit.*
9 *Quid quoad hoc diſpoſuerit Sac. Concilium Tridentinum.*
10 *Præbenda Theologalis, ſi fuerit erecta ante Concilium, non oportet iterum erigi.*
11 *Theologus, cui ante Concilium fuerat aſſignatum ſalarium, ſi poſtea erigatur præbenda, quatetus utroque emolumento frui poſſit.*
12 *Præbenda Theologalis omninò erigenda eſt, nec ſufficit aſſignatio certi ſtipendii, niſi ita eſſet proviſum ante Concilium.*
13 *In quibus Eccleſiis erigenda ſit Præbenda Theologalis.*
14 *An erigi poſſit in Collegiatis non Inſignibus.*
15 *In locis Nullius, quæ ſint Epiſcopi partes circa præbendam Theologalem.*
16 *Præbenda primò vacatura debet erigi in Theologalem.*
17 *Quatenus poſſit præbenda primò vacatura aſſignari Pœnitentiario.*
18 *Præbenda primò vacatura non erigitur ipſo jure in Theologalem, ſed requiritur aſſignatio Epiſcopi.*
19 *Præbenda Theologalis debet eſſe integra, nec poteſt gravari penſione.*
20 *Præbenda Theologalis quatenus erigenda in Ec-*

cleſiis, in quibus omnes fructus conſiſtunt in diſtributionibus.

21 *Theologus tenetur habere lectiones, quamvis omnes redditus in diſtributionibus conſiſtant.*

22 *Præbenda primo vacatura erigenda in Theologalem, non intelligitur de vacante per reſignationem ad favorem.*

23 *Et quid in Præbendis affectis, ſeù reſervatis Sedi Apoſtolicæ.*

24 *In Eccleſiis, in quibus viget jus optandi, quatenus præbenda primo vacatura poſſit erigi in Theologalem.*

25 *Canonici Theologus, & Pœnitentiarius quatenus pinguiores præbendas optare poſſint.*

26 *Theologus non habet jus optandi, nec ejus præbenda ab aliis optari poteſt.*

27 *Quid ſi optio non in præbendam, ſed in titulum Canonicatus cadat.*

28 *Theologus an poſſit dimittere titulum Theologale pro optanda alia præbenda.*

29 *Poteſt eligi ad aliud Beneficium etiam incompatibile.*

30 *Collatio præbendæ Theologalis pertinet ad eum, ad quem ante erectionem pertinebat.*

31 *Perſonæ electio ad hanc præbendam indiſtinctè pertinet ad Epiſcopum.*

32 *Exceptis tamen menſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.*

33 *Quid in hac re ſervetur in Regnis, Franciæ, & Caſtellæ.*

34 *Ad præbendam Theologalem Theologus eligi debet, & an hic debeat eſſe laureatus.*

35 *Canoniſta, & Theologus quatenus concurrere valeant ad præbendam Theologalem.*

36 *In Gallia hæc præbenda obtineri non poteſt, niſi à Theologo.*

37 *Præbenda Theologalis obtineri non poteſt à Regularibus, neque per modicum tempus quouſque provideatur.*

38 *Et quid ſi non adſint Sæculares idonei.*

39 *Canonicus Theologus debet eſſe idoneus ad explendum per ſe ſuum munus, nec poteſt alium ſubſtituere.*

40 *Collatio Præbendæ Theologalis facta non idoneo eſt nulla.*

41 *Canonicus Theologus quibus pœnis cogatur obire ſuum munus.*

42 *Si ſit legitimè impeditus, quatenus poſſit, aut teneatur alium ſubſtituere.*

43 *Canonicus Theologus nequit obtinere officium, vel Beneficium incompatibile, & an poſſit retinere Dignitatem.*

Epiſcopus non poteſt pro ſuo ſervitio uti Canonico Thologo, & quid in Canonico Magiſtrali, & Doctorali. Ibid.

44 *Canonicus Theologus quatenus poſſit abeſſe pro negotiis Capituli, & quid in Canonico Pœnitentiario, aut Curato.*

45 *Iidem Canonici quatenus eligi poſſint ad officia Capituli exercenda.*

46 *Canonicus Theologus tenetur exponere Sacram Scripturam, & an poſſit exponere Theologiam Scholaſticam, vel Moralem.*

47 *Non autem tenetur ſolvere difficultates ei propoſitas ab Auditoribus.*

48 *Lectiones Theologales quoad materiam, numerum, & tempus regulantur arbitrio Epiſcopi.*

49 *Servanda tamen eſt conſuetudo, & lex fundationis.*

50 *Conſuetudo nunquam legendi, vel legendi per alium, non ſuffragatur, & quid ſi non adſit lectionum neceſſitas.*

51 *Lectiones an fieri poſſint legendo librum, vel cartulam.*

52 *Lectiones an fieri debeant in Eccleſia, vel in alio loco, arbitrio Epiſcopi, & an in Palatio Epiſcopi, vel Sacriſtia.*

53 *Theologus abſens à Choro diebus, quibus legit, an lucretur diſtributiones.*

54 *Probatur lucrari diſtributiones non ſolùm pro hora, in qua legit, ſed etiam totius diei.*

55 *Itemque lucratur omnia emolumenta incerta debita intereſſentibus.*

56 *Non lucratur diſtributiones debitas recitantibus Matutinas Laudes ſero antecedenti pro die ſequenti, in quo habentur lectiones.*

57 *Canonicus Theologus diebus feſtis, quibus non legit, an lucretur fructus Præbendæ.*

58 *Habet vacationem à lectionibus per tres menſes æſtivos.*

59 *An ex conſuetudine frui poſſit vacatione ultra tres menſes.*

60 *Tempore vacationum debet inſervire Choro, ut alii Canonici.*

61 *Canonici abſentes à Choro audiendi cauſa lectiones Theologales, non lucrantur diſtributiones.*

62 *Lectioni Thologali quatenus intereſſe teneantur Canonici, aliique Clerici, & num. ſeqq.*

63 *Canonici tenentur intereſſe Concionibus, & qua ratione.*

64 *Epiſcopi quibus mediis curare debent, ut Clerici Sacris litteris imbuantur.*

65 *In hac re Epiſcopi partes majores eſſe debent quoad Clericos curam animarum exercentes.*

66 *Parochi etiam Regulares, & quomodocumque exempti cogi ab Epiſcopo poſſunt accedere ad Congregationes Caſuum Conſcientiæ.*

67 *Itemque Confeſſarii Sæculares, & Canonicus Pœnitentiarius, non autem Canonici, aliique Clerici.*

68 *Lectioni Theologali intereſſe non tenentur Canonici, & Beneficiati, excepto Canonico Pœnitentiario.*

69 *Tenentur autem intereſſe Confeſſarii ſæculares, & Parochi, reliqui hortari debent, non cogi.*

70 *Si ob deficientiam auditorum haberi non poſſint lectiones Theologales, quatenus Epiſcopus poſſit cogere Clericos eis intereſſe.*

NUnquam ſatis laudibus extolli poteſt Civitatis Bo- 1
noniæ Academia, ſi trina ejuſdem prærogativa, antiquitatis videlicet majeſtas, egregii nominis ubique gentium celebritas, atque ſcientiarum, bonarumque artium fœcunditas ad ejuſdem pertrahatur encomium, quod in compendium ita Innocentius in præſenti Conſtitutione complectitur; *Sanè dum fructus uberes, quos Studium Bononienſe, quod longiſſimis temporibus in ſe, ipſo, ſicut ſtella perfulgida emicuit, & diffuſa claritate longè lateque refulſit in Jure Canonico, & Civili, & liberalibus artibus, tanquam ager plenus, cui Dominus benedixit copioſa fertilitate produxit hactenus, & producit, cum delectatione animi recenſemus.* Lon- 2
giſſimis quidem temporibus floruiſſe, cum Innocentio inquimus, Bononienſem Academiam, ad ejuſdem laudem bona fide fatentes, ſuæ conſtitutionis tempus non ſatis nobis eſſe proſpectum; quippè Bartol. *in proœm. ff. §. hæc autem tria n. 3. in fine*, Imperatori Lothario, qui Imperii clavum ſumpſit anno 841. hujuſmodi gloriam tribuit; At Joann. Andr. *in clem. de Magiſtris, & Middendorp. de Academiis*, longè quidem ante à Theodoſio Juniore, Anno nempe 427. fuiſſe erectam autumant; Veruntamen innegabili documento hujuſmodi *Middendorpii* errorem eviciſſe lætatur P. Mendo *de Jure Accadem. cap. 2.* in medium propoſito privilegio quodam erga Bononienſem Academiam munifico, ſub datum Anno Chriſti 423. die 9. Maii, quo Theodoſius Junior neque regnare cœperat, quapropter ejuſdem nominis Imperatorem ſeniorem hujuſce ſtudii inſtitutorem proponit, ſi quis verò potiùs propagatorem eumdem diceret, ex prælibato documento redargui nequiret; etenim ipſo Pater Mendo teſte, privilegiis ibidem exornatur, non erigitur Bononiæ Univerſitas; Id tamen compertiſſimum eſt, quod jugiter tanquam ſtella

per-

perfulgida in Juris ſcientia, atque liberalibus artibus eadem celebris Academia ubique gentium refulſit, ut inquit Innocentius in præſenti, in qua communiùs, & generaliùs legum ſtudia floruerunt, ex Gloſſ. *in proœm. Decr. verſ. Bononia*, Gonzalez *in cap. inter alia verb. Bononia, de ſent. excomm.* Oſſor. *de Glo-*
3 *ria lib.1. cap.3.* ut meritò, *Mater Studiorum Bononia decet*, in numiſmatibus inſcribatur; quippè *Studiorum Mater* Bononia à Pio IV. nuncupatur in *Conſtit.69*, incip. *Sacri*, ubi de indultis Studii Bononien. ejuſque Rectoris: Monarcha Legum, ab Accurſio *in Rubr. C. de ſtudiis publicis Urbis Romæ lib.11.* atque ad hujuſmodi Academiæ ſtudioſos quinque libros Decretalium Gregorius, & Bonifacius, Clemens autem V. ſuas Clementinas miſit, & ab omnibus videri receptos ait Gloſſ. *in cit. proœm. Decr. verb. Bononia*, perindeac ſi Bononienſis Univerſitas totius Orbis ſit ſtudiorum compendium, & ſanè ex totius noſtræ Europæ non Regnis, ſed quaſi dicam Provinciis jugiter ſtudioſi illuc ſe conferebant ad hauriendas ſcientias; Hiſpani verò Collegium nationale ibi tenent, qui ab Eccleſiis, Matricibus jus præſentandi habentibus, mittuntur, ut commemorat P. Mendo *de Jure Accadem. quæſt.2.* quod auctorem habuit Cardinalem Ægidium, Conſtitutionis Ægidianæ conditorem, ut dixi ſupra in *Conſtit.1. hujus Pontificis num.5.* & Sixtus V. Collegium, Montis Alti nuncupatum, pro quinquaginta ex provincia Marchiæ Scholaribus Bononiæ erexit in ſua *Conſtit.89.* incip. *Inter cætera*, & Reſpublica Lucenſis aliud Collegium ibi habet pro ſuis incolis. Merita tandem laude Innocentius in præſenti Conſtitutione dixit, Bononienſe Studium tamquam ager plenus, cui Dominus benedixit, copioſa fertilitate fructus uberes produxiſſe hactenus, atque producere; ab ipſa namque olim prodiere Bartolus, Jo: Andreas, Azo, Jaſon, Accurſius, Marius Soccinus, Salycetus, aliaque Juris noſtri lumina, atque in dies prodeunt digniſſimi hujuſmodi Univerſitatis Alumni; quibus equidem prærogativis attentis jure meritòque inter celeberrimas Orbis Accademias Bononienſis connumeratur in Concilio Generali Viennen. relato in *cap.1. de Magiſtris*.
4 Verumtamen Jo: Andreæ *in Gloſs. Clement.1. de Magiſtr.* aſſentiri non poſſum, qui Bononienſem Univerſitatem adeò extollit, ut neque Romanæ locum cedere velit, argumento potiſſimè ducto ab antiquitatis prærogativa, quam in Romana à temporibus dumtaxat Innocent. IV. metitur; Quippè in *Conſtit. 9.* Bonifacii VIII. *per tot.* latè aſſerui, Archigymnaſium Sapientiæ Romæ ante alia quæcumque generalia ſtudia etiam ex antiquitatis majeſtate perfulgere præſertim dum mutatis temporibus, ac Urbe per Romanos Pontifices placidioribus temporibus moderata, ſatis emitat ampliùs Romana Univerſitas, & Lectorum peritia, & Laurea Doctorali in ea inſignitorum concurſu, imò in hypoteſi contra Jo: Andr. enixè inſurgit Lotter. *de Benef. lib.2. quæſt.7. num.143.* quem ibi laudavimus *num.6. §. perperam pag.542.*

5 In hujuſmodi igitur Univerſitate jus doctorandi ab Honorio III. conceſſum olim fuiſſe Archidiacono majoris Eccleſiæ Bononien. affirmat ex Jo: Andr. *in cit. Clem.1.* Lotter. *loc. cit. num.152.* At Innocentius VI. cùm Theologicam facultatem non ſecùs ac ſæculares ſcientias, in hujuſmodi celeberrima Academia propagari vellet: hac edita Conſtitutione apud Villam Novam Avenionen. Diœceſis 11. Kalendas Julii anno 1360. cavit, ut ſtudium generale in Theologiæ ſcientiis ibidem perpetuis futuris temporibus vigeret, atque Magiſterii, & Doctoratus gradus impartiri poſſent, ut in hac noſtra Conſtitutione habetur. Rectoris verò hujuſce Univerſitatis juriſdictio, & privilegia firmata videntur in *Conſtit.69.* Pii IV. incipiens *Sacri Apoſtolatus*.

6 Ad noſtram Conſtitutionem verò illudendo, neque ad Theologiæ decus aliis encomiis, quàm ipſi ab Innocentio datis in præſenti Conſtitutione, utar; Ipſe namque in principio diſertè ita loquutus fuit; *Quaſi lignum vitæ in Paradiſo Dei, & quaſi lucerna fulgens in domo Domini, eſt in Sancta Dei Eccleſia, facultatis Theologica diſciplina. Ipſa velut fæcunda eruditionis mater, ad irrigandam ſterilem Orbis faciem, fluvios de pectore Salvatoris emittens, humanum genus originalis ignorantiæ cæcitate deforme, per infuſionem veritatis, ad viam reducit juſtitiæ, & vitæ, vivificat animas, eaſque ad exaltationem Catholicæ Fidei, & exterminium hæreticæ pravitatis, & cunctorum infidelium, & adverſus etiam inviſibiles poteſtates, armis inexpugnabilibus munis, & fortiſſimas conſtituit Bellatrices.* Ut meritò inquam, Summi Pon- 7
tifices, & Eccleſiaſtica Concilia tantùm poſuere curæ, quod Theologicæ facultatis ſtudium uberiùs propagetur; ad id ſanè Theologicæ ſectatoribus privilegium lucrandorum fructuum in abſentia fuiſſe originaliter impertitum; ad Juris Canonici verò ſtudioſos per rationis identitatem fuiſſe extenſum, latè dixi ad *Conſtit.10.* Bonifacii VIII. *num.4. tom.3. pag.552.* Honorius verò III. diſtrictè mandavit, quòd ab Eccleſiarum Prælatis, & Capitulis ad Theologiæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cùm docti fuerint, in Dei Eccleſia ut ſplendor fulgeant Firmamenti, ex quibus poſtmodum copiam poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuam æternitatem manſuri, ad juſtitiam valeant plurimos erudire (ut ejuſdem verbis utar) quibus ſi proprii proventus Eccleſiæ non ſufficiant, Prælati neceſſaria ſubminiſtrent, diſpoſitione relata in *cap. ſuper ſpecula de Magiſtris*.

Sed quàm cordi ſemper fuerit Summis Pontifici- 8
bus, atque Eccleſiaſticis Conciliis Theologiæ propagatio, elici libet ex Lateranenſi Concilio IV. ſub Innocentio III. coacto anno 1315. in quo fuit ſalubriter proviſum, in Eccleſia qualibet Metropolitana ad interpretationem Sacrarum Scripturarum, atque ad edocendum, quæ ad animarum curam ſpectant, Theologum omninò eligi debere, eidem unius præbendæ redditibus aſſignatis, in *can. 11.* relat. per Cabaſſut. *in not. Concil. anno 1215.* & in *Text. cap. quia nonnulli de Magiſtris*. Hujuſmodi Generalis Concilii diſpoſitionem, Baſileenſis conſeſſus inter plura, quæ ſibi indebita auctoritate arrogavit, ad Eccleſias Cathedrales quaſcumque extendit in *ſeſs.31. cap.3.* his verbis: *Cum per generalis Concilii ſtatuta ordinatum exiſtat, quod qualibet Eccleſia Metropolitana unum debeat habere Theologum, ordinat hæc S. Synodus, quod extendatur hujuſmodi ordinatio ad Eccleſias Cathedrales*; Quam quidem diſpoſitionem Galli in pragmatica Sanctione inſeruerunt, deindè in Concordatis retulerunt legitima interveniente auctoritate Leonis X. in Concilio Lateranenſi V. anno 1516. in quo fuit conſtitutum, ut in Galliæ, & Delfinatus Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis addiceretur præbenda Theologalis Doctori, ſivè Licentiato in Theologia, ut bis ſaltem in hebdomada ſcripturas legeret, referente Thomaſſin. *de benef. part.1. lib.2. cap.10. num.3.*
Profectò autem omnem perfectionem hujuſmodi diſci- 9
plinæ Concilium Tridentinum adjunxit, indefinitè ſanciendo in *cap.1. ſeſs.5. de reform.* quòd in Eccleſiis, in quibus certa præbenda, vel ſtipendium pro Lectoribus Sacræ Theologiæ deputatum reperitur, locorum Ordinariis ad Sacræ Scripturæ lectionem habendam hujuſmodi obtinentes cogant per ſe ipſos, quod ſi idonei non fuerint, per idoneum ſubſtitutum per ipſum Ordinarium deputandum; de cætero autem nonniſi idonei ad hujuſmodi munus eligantur; In Eccleſiis verò Metropolitanis, vel Cathedralibus, ſi Civitas inſignis, & populoſa, itemque etiam in Collegiatis exiſtentibus in inſigni oppido, in quibus præbendam, vel ſtipendium hujuſmodi deputatum non reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis primò vacatura, ipſo facto perpetuò conſtituta intelligatur. Quòd ſi in ipſius Eccleſiis nulla, aut non ſufficiens præbenda foret, Ordinarius per aſſignationem fructuum ſimplicis Beneficii, vel per contributionem fructuum Beneficiorum Civitatis, & Diœceſis, prout ei commodiùs expedire videbitur, providere, & conſulere poterit.

10 Ad hujuſmodi itaque Sacri Concilii Tridentini ſanctionem nonnulla practicabilia delibando, potiſſimè juxta Sacr. Congregat. ejuſdem interpretis ſenſus, primùm animadvertendum occurrit, hoc Tridentini decreto ſubſidiariè Theologalis præbendæ erectionem demandatam fuiſſe, videlicet cùm nullum aliàs ſtipendium, vel præſtimonium pro Theologo deputatum reperitur; quapropter ſi ante Concilium hoc ſtipendium theologale in Eccleſiis vigeat, neque ad novam aſſignationem præbendæ deveniri oportet, ut cenſuit Sacra Congregatio: *Si ſtipendium pro Lectore Sacræ Theologiæ ante Concilium fuit, ut proponitur, in Cathedrali deputatum, non eſſe neceſſarium ex decreto dicti Concilii erigere Theologalem*, in declaratione, quam refert Corrad. *in praxi benefic. libr. 2. cap. 5. num. 2.* & in *Bracharen. recenſita à Nicol. lucubr. Canon. lib. 5. tit. 5. num. 2. in fin.* quinimò nulliter hujuſmodi aſſignationem præbendæ factam eſſe in Eccleſia Barchinonenſi firmavit Rota, cùm Papæ non fuerit narratum, quòd ibi pro Lectore ordinatum reperiebatur ſtipendium, quod utique ſi expreſſum fuiſſet, non ita de facili novam erectionem feciſſet, cùm diſpoſitioni Tridentini pro aſſignatione præbendæ locus non eſſet, in *deciſ. 1310. num. 1. & per tot. cor. Seraphino*, facit Pignatell. *in conſult. 62. num. 6.*

11 *§. ſed pone tom. 3.* Verumtamen contingere poſſe caſum, in quo, non obſtante deputatione ſalarii pro Theologo, deveniri poſſit ad aſſignationem præbendæ, & Lectorem utroque ſimul emolumento frui valere, colligitur ex Rota *in deciſ. 1750. & deciſ. 1817. coram Coccin. repetit. par. 5. recen. in deciſ. 150. & 249.* in quibus deciditur, quod Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui ab immemorabili ſalarium ſolvebat Lectori, cùm ſuæ Eccleſiæ per Canonicos Regulares deſerviebatur, poſtquam Eccleſia ipſa ſecularizata extitit à Clemente VIII. & juxtà Concilii Tridentini decreta erecta fuerat præbenda Theologalis, attamen ad ſtipendii ſolutionem, ut antea, teneretur, potiſſimis rationibus innixi Bullæ ſæcularizationis, in qua nihil quoad ſervitium, & conſuetudines Eccleſiæ fuit innovatum, & ex immemorabilis motivo, qua inter onera Mitræ Archiepiſcopalis hujuſmodi ſtipendii præſtatio recenſeri poterat, aliiſque ratiociniis ibi adductis, & per extenſum reaſſumptis per Barboſ. *de Canon. cap. 27. num. 36. cum ſeqq.* & Corrad. *cit. cap. 5. num. 3.*

12 In quibus autem Eccleſiis ſtipendium Theologale viget, Epiſcopus cum Capitulo præfinire poteſt, Theologi conductionem triennalem ſaltem eſſe, ut reſolutum tradit ex Zerola *in praxi Epiſcop. par. 1. verb. Præben. Theolog.* Barboſ. *ad Concil. cit. cap. 1. num. 2.* Pignatell. *tom. 3. conſult. 62. num. 22.* in Eccleſiis, in quibus pro hujuſmodi lectionibus habendis non adhuc eſt proviſum ad Theologalis præbendæ erectionem omninò deveniendum eſt, neque ſtipendii deputatione, vel aliter conſulendo, Concilio Tridentino dicitur ſatisfactum, cùm in futurum præbendam Theologalem erigendam demandaverit, ut animadverterit Pignatell. *cit. conſult. 62. numer. 6. tom. 3.* Itaque non eſſe adimpletam Concilii diſpoſitionem, ſi ſtipendium jam conſtitutum pro Lectore Sacræ Paginæ, non tamen ſufficiens, augeatur, vel per contributionem quando in illa Eccleſia præbenda ſufficiens eſſet, qua Lectori conſuli poſſet, ex mente Sacr. Congregationis Concilii adnotatum reperi in MS. Cardinalis Alciati *ad ſeſſ. 5. cap. 1. de reform.* atque omninò formiter erigendam eſſe Præbendam Theologalem in Cathedrali Anconitana juſſit eadem Sacra Congregatio, neque ſatis fuiſſe proviſum cenſuit, ex quo Epiſcopus loco ejuſdem Magiſtro Scholæ juſſerat Caſuum Conſcientiæ explicationem, & prædicationem, *in Anconitana 16. Februarii 5595. libr. 8. Decret. pag. 102.* Neque Theologo certa beneficia loco Canonicalis præbendæ aſſignanda eſſe, ſed ad hujuſmodi Concilii proviſionem deveniendum iterum eſſe, dixit in *Cephaluden. 15. Januarii 1593. libr. 7. pag. 86.* ut ſcilicet non poſſit Epiſcopus certa Beneficia Theologo applicare, ſed primo loco vacatura; quia Concilium in caſu inſufficientiæ præbendæ voluit ſuppleri per fructus beneficiorum ſimplicium deductis oneribus aſſignandorum Theologo, & ſic primo loco vacaturorum. Siquidem in Metropolitanis Eccleſiis quibuſcumque Theologalis præbenda erigi indiſtinctè debet ad *Text. in cap. quia propter de Magiſtris*, quippè conditio *ſi Civitas inſignis, vel populoſa* à Tridentino inducta, referenda eſt ad Eccleſias Cathedrales dumtaxat, ut evitetur legum
correctio, ex notiſſimis principiis. In Eccleſiis autem 13
Cathedralibus, ut ſupra qualificatis, necnon in Collegiatis exiſtentibus in Oppidis inſignibus, etiam nullius Diœceſis, diſpoſitio Sacr. Concilii de erectione præbendæ Theologalis locum ſibi vindicat, ut animadvertit Pignatell. *in cit. conſult. 62. num. 5. tom. 3.* atque de Collegiatis cenſuit Sacra Congregatio in *Novarien. 10. Septembris 1595.* ibi: *Theologalis præbenda utique in Collegiatis eſt erigenda ab Epiſcopo, ſi Oppida, in quibus exiſtunt dictæ Collegiatæ ſint inſigna, ex Decr. cap. 1. ſeſſ. 5. lib. Decret. 8. pag. 147.* Ex qua quidem re- 14
ſolutione adnotatum velim, quod in noſtra hypotheſi non requiritur, quod Collegiata ſit inſignis, ut nonnulli DD. contendunt; verùm quod in Oppido inſigni exiſtat; inſigne autem in propoſito tunc dicitur municipium, cùm Clerus numeroſus ibi fuerit, ex Concilii verbis, aliiſque ex requiſitis, quæ dant Gloſſa *in cap. ſtatutum de reſcript. in 6.* Menoch. *de arbitrar. caſu 15. num. 4.* Barboſa *de Canon. cap. 2. à num. 18.* Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſ. 15. in princip.* Maſſobr. *in tract. de Synod. cap. 4. dub. 14. num. 9. cum ſeqq.*

Profectò autem in Eccleſiis Nullius circa hujuſmodi 15
Theologalis præbendæ erectionem, & directionem Epiſcopus inferiorum Ordinariorum negligentiam corripit, ad tradita per Barboſa *ad Concil. cit. cap. 1. ſeſſ. 5. de reformat. num. 6.* Pignatell. *in cit. conſult. 62. numer. 3. & 13.* ubi Sacræ Congregationis reſcriptum recenſet, quo cavetur, Epiſcopos ſolicitos eſſe debere, ut in Eccleſiis Inferioribus ſubjectis hujuſmodi præbendati ſuo munere ad præſcriptum Concilii fungantur: *Sacr. Congregat. Concilii in Burgen. ad cap. 1. ſeſſ. 5. Si in Eccleſia, in qua præbenda, aut ſtipendium pro Lectore deputatur, & perſona electa reperitur, Ordinarii inferiores negligentes fuerint in compellendis Lectoribus ad præſcriptum hujus decreti, Epiſcopus eos monere debebit, & terminum præfigere, quo elapſo, ipſe ſupplere poterit*; quod tamen intellige in iis inferioribus Prælatis, qui non ſint in vera, & perfecta qualitate Nullius, ab omni Diœceſi prorſus ſejuncti, & facientes figuram propriorum Epiſcoporum, excepta poteſtate ordinis, ut in ſimili dixi *tom. 2. Conſtit. 6.* Alexandr. III. *ſect. 1. num. 4. pag. 127.*

Recenſitis itaque Eccleſiis, quàm citò Concilium 16
exoptarit, ut præbenda Theologalis erigatur, quiſque deſumet ex ejuſdem verbis, quibus cavetur, quod ubi pro munere Theologali proviſum non eſt, præbenda primò vacatura, ad id ipſo facto perpetuò conſtituta intelligatur; adeòut integrum non eſſe Epiſcopo hujuſmodi erectionem retardare, præbendam vacantem ad alium convertendo uſum, deſumitur ex allegato MS. Cardin. Alciati *ſeſſ. 5. cap. 1.* recenſentis, quòd
propoſito dubio, an in optione Epiſcopi ſit primam 17
præbendam vacaturam aſſignare Pœnitentiario, ratione curæ animarum magis neceſſario, potiùſquam Theologo; Sacr. Congreg. cenſuiſſe: *Id non eſſe in arbitrio Epiſcopi, & primam aſſignandam eſſe Theologo propter verba Concilii, ipſo facto, & ideò ſi aliquo loco magis viſum fuerit expedire, ut prius de Pœnitentiario provideatur, habendam eſſe confirmationem à Sede Apoſtolica*, atque ita obſervatum video in *Civitatis Caſtellana 17. Novemb. 1629.* dum expreſsè facultas Epiſcopo fuit conceſſa erigendi primùm Pœnitentiariam ſuppoſita illius neceſſitate, & impoſſibilitate erigendi præbendam Theologalem, in *lib. 14. Decret. pag. 183. à terg.* & ſequuntur Pax Jordan. *elucubr. Can. lib. 7. tit. 3. num. 5. tom. 2.* Barboſ. *de Canon. cap. 27. num. 5.* Garzia *de Benef. par. 5. cap. 4. num. 155. in fine*; neceſſitate quidem ingruente, ne dum ante Theologalem, Pœnitentiarii præbenda erigi poteſt, ſed etenim reperio, poſt erectionem ipſam Theologalis, præbendam commutatam fuiſſe in Pœnitentiariam, ut in *Panen. 20. Martii 1597.*
ibi:

Digitized by Google

ibi: *Si SS. annuot, ut onus lectionis Theologicæ, præbendæ hujuſmodi ex Concilio ab Epiſcopo adjunctum, ex quo nullus idoneus, cui conferri poſſit, invenitur, commutetur in onus Pœnitentiarii; itaut & nunc perſonæ habili ad id muneris exercendum conferatur, & deinceps perpetuò pro hujuſmodi Pœnitentiarii munere affecta maneat*, ut in *lib. 9. Decr. pag.* 10.

18 Animadvertendum tamen eſt, quod licèt Sac. Concilium verbis utatur: *Præbenda primò vacatura pro Lectore S. Scripturæ ipſo facto conſtituta, & deputata intelligatur*; Verumtamen requiritur actualis Epiſcopi deputatio, ut præbenda primò vacatura Theologalis dicatur; alioquin verò de ipſa proviſus, ut munus lecturæ obeat, compelli nequibit, ut reſolutum teſtatur à Sac. Congregatione Corrad. *in praxi benef. lib. 2. cap. 5. n. 6.* ibi: *Sac. Congregatio Concilii cenſuit, approbante Sanctiſſimo, ad erectionem præbendæ Theologalis requiri actualem deputationem, & ideò ſi in proviſione præbendæ non fuerit facta actualis deputatio, non poſſe proviſum cogi obire munus lecturæ*, & advertunt Fagnan. *in cap. quia nonnullis nu. 36. de Magiſtris*, Barboſa *de Canon. cap. 27. nu. 4. & de Epiſ. alleg. 56. nu. 3. & in collect. Apoſtolica dec. verbo præbenda Theologalis n. 4.* Pax Jordan. *cit. tit. 3. n. 4.* Garzia de Benef. *cit. cap. 7. n.*
19 155. Hujuſmodi verò præbenda pro Theologo actualiter erigenda, neceſſe eſt, ut ſit integra, proptereàque nec penſione gravari poteſt, neque portio ſufficit, ut præcitati DD. concordant, & potiſſimè Barboſa *cit. cap. 27. n. 6.* Garzia *loc. cit. nu.* 128. Pax Jordan. *n.* 62. Ventriglia *par. 2. in praxi cit. annot.* 12. §. 1. *n.* 17. Tondut. *reſol. benef. tom. 2. par. 3. cap.* 139. ubi latè de penſione ſuper Theologali impoſita quatenus ſuſtineatur. Quinimò ſi vacaret præbenda, quæ eſſet Epiſcopi arbitrio inſufficiens, vacante altera, poſſe ambas pro lectione S. Scripturæ applicari, dummodò Canonici ſufficiens habeant ſtipendium, reſolutum à Sac. Congregatione teſtantur Barboſa *cit. cap. 27. nu.* 8. Corrad. *in praxi benef. lib. 2. cap. 5. nu.* 15. Pax Jordan. *loc. cit. num.* 7. Nec tandem impedit, quin ad hujuſmodi præbendæ Theologalis erectionem Epiſcopus devenire poſſit in Eccleſiis Collegiatis, ſi earum præbendæ de Jurepatronatus ſint laicorum, ut juxtà mentem Sac. Congregationis recenſet Garzia *de Benef. cit. cap. 7. par. 5. numer.* 162. aliique Doctores mox citati.

20 Profectò autem immediatis poſt Concilium temporibus ſatis involutum erat dubium, an Theologalis præbenda erigi deberet in Cathedralibus, in quibus præbendæ non ſunt formatæ, ſed omnes earumdem fructus in diſtributionibus quotidianis conſiſtunt; Quippè pro parte negativa argui poterat, quod Concilium nomine præbendæ de formata intellexerit, cùm quatenus nulla præbendæ in Eccleſiis fuerit proviſio, voluit Theologo cum aſſignatione ſimplicis Beneficii, vel per contributionem Beneficiatorum conſuli, neque enim hujuſmodi proviſio verificari poſſet, ſi nomine præbendæ poſſent venire quotidianæ diſtributiones, quia vix reperitur Eccleſia Cathedralis, quæ licèt careat præbendis, aliquas ſaltem diſtributiones inter Beneficiatos aſſignatas non habeat; Verumtamen neque ad has objectiones refellendas in præſenti tempus tenere oportet, cùm compertiſſimum ſit, quod in Eccleſiis, in quibus omnes fructus Canonicatuum conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, Præbenda Theologalis deputari debet, ex regulari principio à Sac. Congregatione pluries declarato, quod in eiſdem Eccleſiis diſtributiones ſuccedunt loco præbendæ, proptereàque in omnibus diſpoſitionibus comprehenduntur, in quibus de præbendis fit mentio, declarationibus relatis à Garzia *de benef. par. 5. cap. 4. num.* 128. nempè *Theologalem præbendam eſſe erigendam, quamvis omnes Capituli redditus diſtributionibus quotidianis conſiſtent*, reſolutum fuit in *Squillacen. 29. Maii* 1601. *lib. 9. Decret. pag.* 136. Itemque *in Caſalen.* 12. *Novembris* 1661. eadem
21 Sac. Congregatio dixit, Theologum Cathedralis poſſe ab Epiſcopo compelli ad lectiones habendas, nihil obſtante, quod ipſe opponeret, Canonicatum Theologalem præbenda carere, & univerſos redditus ex diſtributionibus quotidianis percipere, ut in *Regeſt. Decret. lib. 22. pag.* 698. atque etiam ſupplicante Theologo Civitatis Anagninæ, qui præter ſimplices diſtributiones nil percipiebat, an pro onere lecturæ ſibi aſſignandum eſſet aliquod ſtipendium particulare: Sacra ipſa Congregatio reſpondit, Negativè, in *Anagnina 23. Junii* 1674. *lib. 27. Decret. pag.* 331. *à ter.* & in hac concluſione, quòd Præbenda Theologalis poteſt erigi, cujus fructus omnes conſiſtunt in diſtributionibus, conſentiunt omnes ferè moderni, Barboſ. *de Canon. cap. 28. n.* 7. Corrad. *in praxi benef. lib. 2. cap. 5. n.* 13. Pax Jordan. *cit. tit. 3. nu.* 8. Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *nu.* 16. Pignatell. *tom. 3. conſul. 62. n.* 20.

His itaque circa præbendam Theologalem erigen- 22
dam adnotatis, explicari congruit, quando præbenda primò vacans ad hujuſmodi effectum dicatur; Et quidem ſi per reſignationem ad favorem præbenda vacaverit, hujuſmodi erectioni non ſubjacet, utpote excepta à Concilio in *cit. cap. 1. ſeſſ. 5. de ref.* ibi: *Præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis primò vacatura*, & ex mente Sac. Congregationis animadvertit Barboſ. *cit. c. 27. nu.* 10. & Pax Jordan. *cit. tit. 3. n.* 12. At difficultas olim fuit, an Conciliaris diſpoſitio ſtatuens, præbendam primò vacaturam intelligi reſervatam pro munere Theologali, habeat locum in præbendis, quæ in menſibus reſervatis vacant, vel quæ ſunt Sedi Apoſtolicæ quomodocumque affectæ, & reſervatæ; Hujuſmodi quidem dubium ſuſcitatum potiſſimè fuiſſe ab Eccleſiis Hiſpaniæ temporibus Gregorii XIII. de ſummo ex laudato M. S. Card. Alciati; Re itaque tunc, uti ſolet, maturè, & ſedula diligentia in Sac. Congregatione diſcuſſa, & relatione facta, idem Pontifex juſſit, quod darentur literæ ad Hiſpaniarum Nuncium continentes, quod ſicut jam diu ſub S. Pio V. etiam ex ſententia Sac. Congregationis declaratum fuit, *cap. 8. ſeſſ. 24. de ref.* ubi diſponitur, quod Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ primò vacantis deputetur, non comprehendere Canonicatus, & præbendas vacantes in menſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ; ita ex paritate rationis Gregorius XIII. eadem Sac. Congregatione ſuffragante ſuperioribus annis declaravit, Decretum *cap. 1. ſeſſ. 5. de ref.* de erectione Canonicatus Theologalis non habere locum in præbenda Papæ reſervata vacante; & juxtà hanc theoricam conſtanter Sac. Congr. Concilii pluries reſolvit, *cit. cap. 1. ſeſſ. 5.* non habere locum in præbenda in menſe reſervato vacante, ut in *Gadicen.* penès Card. Alciat. *loc. cit.* & iterum in *Volaterrana 19. Junii* 1591. atque in *Savonen. die 15. Martii* 1621. reſolvit: *Theologalis præbendæ erectionem ab Epiſcopo factam ad præſcriptum Concilii, non vindicare ſibi locum in præbendis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſed in ea, quæ primò vacaverit, ceſſantibus reſervationibus*, ut in *lib. 9. Decr. pag.* 132. aliiſque paſſi Prælatis à moderinioribus hujuſmodi concluſionem ſequentibus, Fagnan. *in cap. quia nonnullis in fine de Magiſtris*, Garzia *de benef. cit. cap. 4. num.* 128. Corrad. *in praxi benef. cit. cap. 5. nu.* 22. Pax Jordan. *cit. tit. 3. n.* 13. Barboſa *de Canon. cap. 27. n.* 11. Pignatell. *tom. 3. conſult. 62. n.* 25. Ventriglia *cit.* §. 1. *n.* 19. Et quidem inter alia hujuſmodi aſſertionis fundamenta, certiſſimè S. Concilii Tridentini menti congruere, inde potiſſimè deſumitur, quod cùm idem Concilium voluit in diſpoſitionibus Beneficiorum comprehendere etiam Sedi Apoſtolicæ reſervata, id expreſsè dixit, ut in propoſito liquet in unionibus Beneficiorum ante vacationem Seminario fieri demandatis, in *cap. 18. ſeſſ. 23. de ref.* ibi: *Quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſervata, vel affecta.* Utique verò ſi in ſuppoſito verſaremur, quod ex mente Sac. Conc. in hujuſmodi beneficiorum diſpoſitionibus ante eorumdem vacationem faciendis comprehenderentur etiam Beneficia Papæ reſervata, id expreſsè per diſpoſitionis ampliationem Concilium Tridentinum in *alleg. cap.* 18. nequaquam caviſſet; cùm itaque in unione præbendæ primò vacaturæ Theologali muneri, de præbendis reſervatis non ſit cautum, conſequitur Concilium Tridentinum id noluiſſe,

Digitized by Google

luiſſe, argumento ſumpto ex *Text. in l. unica, C. de caduc. tollen. cap. inter corporalia de translat. prel. cum concord.* Quare autem Sac. Conc. non idem ſtatuerit in erectione Theologalis, & Pœnitentialis præbendarum quoad reſervata, quod in Seminarii unionibus egit, rationem ulteriùs attingit Corrad. *in praxi benef. cit. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 23.

24 Quamplures verò quæſtiones emergunt quoad Theologalem præbendam; quando in Eccleſiis ex privilegio conſuetudine, vel ſtatuto jus optandi inter Capitulares viget; Et prima difficultas eſſet, quomodo Concilii diſpoſitio in eiſdem Eccleſiis ad praxim reduci poſſet, cùm in præbenda primò vacanti antiquior ex Canonicis jus habeat, quinimo nec itidem vacare cenſeatur, cùm præventa dicatur ab optionis jure; niſi ex Sac. Congregatione declarationibus theorica efformari poſſet, videlicet, aut ante vacationem præbenda primò vacatura in Theologalem formaliter eſt erecta, & tunc optari nequibit, vel præbenda primò vacans non fuit reipſa in Theologalem erecta, & quidem optionibus ſubiicitur, atque tunc præbenda, quæ dimittitur ab ultimo Canonico optante, Theologo aſſignanda eſt, dummodò tamen antiquiores intra viginti dies optent, ad præſcriptum *Text. in cap. cum in tua de conſuet. in 6.* & cum hac diſtinctione conciliari poſſe Sac. Congregationis declarationes, quæ inter ſe contrariæ videntur, ait Garzias *de Benef. cit. cap.* 4. *nu.* 130. & cum ipſo pertranſeunt Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *n.* 18. Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *n.* 15. Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 62. *n.* 15. Siquidem de præbenda in Theologalem erecta benè interpretari poteſt reſolutio Sacræ Congregationis, in qua declaravit, quod in præbenda primò vacatura locum optio non habebit, referente eodem Garzia; ceſſat enim in hac hypoteſi prænotata objectio, quòd antiquior Canonicus jus habeat in præbenda vacanti, cùm jus optandi nonniſi in vacatione præbendæ liberæ habeat locum, non verò cùm eſt affecta, ut putà pro Theologo, argumento ſumpto ex *c. cum in tua de conſuet. in 6.* ubi DD. Verùm de præbenda primò vacante non adhuc in Theologalem erecta intelligi debet altera ejuſdem Sac. Congreg. declaratio, ut præbenda primò vacans non obſtante *S. Conc. ſeſſ.* 5. *c.* 1. optari poſſit, & potiſſimè in *Volaterrana* 16. *Junii* 1591. ut ſequitur: *Theologalis prebendæ erectio non habet locum, cum Capitulum jus optandi habet, ſed hoc caſu prebenda, quæ dimittitur ab ultimo Canonico optante, Theologo aſſignanda eſt, lib.* 7. *Decr. pag.* 15. *à ter.* & concordat declaratio in *Lunen.* 9. *Julii* 1592. quam referi Garzia *loc. cit.* & optimè quidem, nam præbenda primò vacans, ut ſit Theologalis, formaliter erigi debet, nihil obſtante, quod Concilium ipſo facto conſtitutam dicat, cùm requiratur factum Ordinarii, ex adnotatis ſupra *n.* 18.

25 Verùm inconveniens ſuboriri poſſet in ſecundo dicto caſu, quando ſcilicet ſtante jure optandi ultima præbenda, quæ ſemel aſſignata, ſemper Theologalis remanet, ex intradicendis, adeò ſit tenuis, ut impar ſit oneri Theologali ſubeundo; & ſanè abſonum videtur, quod Theologus Canonicus, qui majus onus ſubit, minora emolumenta, quàm cœteri ſimplices Canonici, in perpetuum habeat; providè itaque Sac. Congregationis benignitas ad Theologorum ſupplicationes non ſemel annuit ex ſpeciali Summi Pontificis commiſſione, quòd ipſi jus optandi retinerent, donec ad aliquas pinguiores præbendas aſcenderent; quæ perpetuò deinde muneri Theologali unitæ eſſent, ut inter alia eſt exemplum in *Sibenicen. juris optandi*; deſcripta in folio Congr. habitæ 8. *Maii* 1688. in quo refertur, Sac. camdem Congregationem Epiſcopo Sacra Limina viſitanti reſpondiſſe: *Cæterùm ut neceſſitati, quâ prebenda pœnitentialis, & theologalis laborat providè conſulatur, auctoritate ſibi per Sanctiſſimum ſpecialiter attributa, benignè indulſit, ut Pœnitentiarius, & Theologus Cathedralis Sibenicen. prebendas optare poſſint, ſicut cæteri Canonici, donec ad aliquam, ex pinguioribus prebendis aſcendant, quæ perpetuò affecta Pœnitentiario, & Theologo pro tempore eſſe intelligantur, ac ſint*; Atque ſimile indultum Sacra eadem Congregatio fuit elargita Canonico Pœnitentiario, qui ferè in omnibus parificatur Theologo in *Piſauren.* 23. *Maii* 1648. in qua cenſuit: *Canonico Pœnitentiario Oratori concedendum eſſe indultum optandi Prebendam pinguiorem, quæ in futurum ſemper conferatur Canonico Pœnitentiario, ſi Sanctiſſimus D. N. annuat, lib.* 18. *Decr. pag.* 478.

Cœteroquin hujuſmodi indultis non militantibus, 26
præbenda Theologalis, quo ſupra diximus modo ſemel erecta, in Eccleſiis, in quibus jus optandi viget, perpetuò remanet taliter affecta, ut nec ab aliis Canonicis optari poſſit, ſicut neque Theologus alias optare poteſt, juxtà commune Doctorum axioma, & non ſemel reſolvit Sac. Congregatio, ut in *Volaterrana* 18. *Maii* 1598. in qua expreſsè cautum fuit: *Ita quod prebenda Theologalis non poſſit ampliùs optari, ſed perpetuò ab ipſo Theologo obtineatur, nec Theologus poſſit alias prebendas optare, lib.* 9. *Decretor. pag.* 70. *& in Bellunen.* 14. *Decembris* 1647. ibi. *Optio locum non habet in prebenda Theologali*, atque idem reſolvit in *Maſſen.* 16. *Septembris* 1656. *in Bononien.* 10. *Januarii* 1698. *in Tibicinen.* 8. *Maii eodem anno*; Quippè præbendam Theologalem optari non poſſe, inde provenit, quod nec ſimplices Canonici ſimul cum præbenda poſſunt optare munus Theologi, cùm ad ipſum ſit eligenda induſtria perſonæ, atque præcipuæ qualitates deſiderantur in Theologo, quas Canonici regulariter non habent, proptereàque hujuſmodi promiſcuæ variationes jure non habent locum, ad *Text. in l. inter artifices ff. de ſolut.* cum concordantibus, & optimus eſt *Text. in cap. fin. de translat. Epiſcoporum*; neque ſanè ſolam præbendam optare Canonici queunt; quia dicitur perpetuò unita, atque inſeparabilis ab officio, ad quod fuit ſemel, & in perpetuum deputata, juxtà mentem *Sac. Conc. ſeſſ.* 5. *de ref. c.* 1. quapropter neque Theologus retento officio valet aliàs præbendas optare, cum ita eſſet præbendas unitas abſque legitima cauſa, & privata auctoritate dividere, & ſeparare; admiſſa enim hujuſmodi opinione, divideretur præbenda Theologalis à munere Theologi, Paſſerin. *in c. cum in tua queſt. un. art.* 2. *n.* 200. *cum ſeqq. conſuet. in* 6. & magiſtraliter Navarrus *de rebus Eccl. non alien. conſ.* 14. Corrad. *in praxi benef. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 24. *cum ſeqq.* Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *n.* 26. *cum ſeqq.* Gonzalez *ad reg. Cancell. gloſſ.* 34. *n.* 78. *cum ſeqq.* Garzia *de Benef. par.* 5. *cap.* 4. *nu.* 133. *cum ſeqq.* Rota *in dec.* 100. *n.* 2. *coram Merlin. & in Lucana Domus coram Manzaned. impreſſa* poſt Marcheſan. *tom.* 1. *de commiſſ. pag.* 385.

Hæc autem dicta de Canonico Theologo incon- 27
cuſsè militant, cùm in terminis verſamur propriæ
optionis, per quam ſola temporalitas præbendæ mutatur; non verò titulus Canonicatus, juxtà theoricam, quàm firmat Monet. *de option. cap.* 7. *queſt.* 1. *nu.* 18. Rota *coram Coccin. dec.* 2328. *& coram Bich. dec.* 377. *n.* 17. *& dec.* 672. *n.* 11. *&* 12. Difficultas verò non
levis ingeritur, ſi quæratur, nunquid Theologus poſ- 28
ſit dimittere titulum ſuæ theologalis præbendæ, obtinendi cauſa alium pinguiorem; Et quidem pro negativa communiter affertur Rotæ auctoritas in *cit. Lucana*, in qua deciditur, quod nec retento, nec dimiſſo officio valeat Theologus aliam præbendam optare, cùm qua pertranſeunt Paſſerin. *in cap. cum in ſua nu.* 100. *de conſuet.* Garzia *cit. cap.* 4. *n.* 134. Gonzalez *ad reg. cancell. cit. gloſ.* 34. *n.* 79. atque hujuſmodi deciſionis veritas inde educi poteſt, cùm Theologus dimittendo officium ſuam præbendam renunciat, & conſequenter
aliam præbendam optare nequibit, quia tunc non erit 29
Canonicus, quamvis aliter camdem deciſionem explicet Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *nu.* 28. Cœterùm ſi Canonicus Theologus ex juſta cauſa fuerit admiſſus ad reſignandam præbendam Theologalem in manibus Ordinarii cum retentione ſtalli in choro, benè poterit pinguiorem præbendam optare, ut cenſuit Sac. Congreg. Rituum in *Veronen.* 2. *Septembris* 1597. quàm refert, & ſequitur Barboſ. *de Canon. cap.* 27. *n.* 22. Pax Jordan. *loc. cit.* Pignatell. *cit. conſultat.* 62. *nu.* 29. Ventri-

gia

glia *par. 2. annot. 12. §. 1. nu.* 20. Profectò autem non eſt quomodo ſuſtineatur Rotæ deciſio in *cit. Lucana*, ſi ad omnem caſum extendatur, in quo Theologus velit dimittere Canonicatum Theologalem, ut aliud beneficium legitimè obtinere poſſit, ſicuti à nonnullis autumatur; ſiquidem in hiſce terminis prorſus ceſſant, quæ ſupra conſiderantur de diſmembratione præbendæ Theologalis à munere Theologi, cùm Canonicus præbendam reſignat, atque ideò extranei ſunt termini prohibitæ optionis, in quibus tantùm temporalitas præbendæ mutatur, non verò dimittitur titulus; Quòd verò Theologus, ut alii Canonici, poſſit ſuam præbendam dimittere, & reſignare non ſolùm liberè, ſed etiam ad favorem, dummodò reſignatarius habeat qualitates à Sac. Conc. requiſita, probant Pariſ. *de reſign. lib. 2. quæſt. 1. n.* 92. Garzia *de benef. cit. cap. 4. n.* 151. Corrad. *in praxi benef. lib. 9. cap. 5. n.* 28. Barboſa *de Canon. cap. 26. nu.* 23. Tondut. *reſol. benef. tom. 2. par. 3. cap. 139. n. 1. & ſeqq.* dimiſſo itaque Theologi munere, & Canonicatu, cur inhabilis ſit dicendus ad legitimè obtinendos alios Canonicatus, & beneficia, non video.

29 Ex his ulterius conſequitur, quòd Canonicus Theologus poſſit legitimè eligi ad beneficia, etiam incompatibilia, cùm ſi in hujuſmodi electionem ire velit, neceſſariò dimittere debeat ſuam Theologalem præbendam, juxtà regulam aſſecutionis incompatibilium, ex *Tex. in cap. admonee de renunc.* ubi *Gloſſ. & Scriben.* Nil ſubſiſtente, quod niſi ſuperior auctorizet Theologalis præbendæ dimiſſionem, nequeat Theologus ad aliud beneficium tranſire, ex latè congeſtis à Gratian. *per tot. diſt.* 71. Quippè quidquid ſit de Epiſcopo, qui non habet liberum volatum, unde ad alias Eccleſias poſtulari, ſed non eligi poteſt; in inferioribus Clericis, non omne impedimentum in activitate conſtituit eorumdem ineligibilitatem; unde obtinentes beneficia incompatibilia poſſunt quidem eligi, quamvis actus electionis reſolvatur in caſu neglectæ, vel non obtentæ licentiæ Superioris, qui tamen alioqui tenetur rogatus annuere ex *Textu in cap. cum inter Canonicos de elect. cap. ſi Abbatem*, ubi Gloſſ. *eodem tit. in 6.* firmant Abbas *in cap. ult. n. 8. de poſtul. prælat.* Fagnan. *in cap. admonee nu. 8. & 20. & ſeqq. de renunc.* Lotter. *de re benef. lib. 3. quæſt. 17. num. 246. cum ſeqq.* & maturè articulo diſcuſſo Partibus acerrimè informantibus reſolvit Sacra Congregatio, fore eligendum Canonicum Urbanum ad Dignitatem decanatus, ad quam tamquam antiquior jus habebat ex Statuto Capitulari ſanciente, quòd antiquior ad dignitatem omninò eligi debeat, nihil obſtante, quòd tunc ipſe Pœnitentiarii munere fungeretur, in *Urbinaten. electionis 11. Septembris 1706.*

30 Hujuſce igitur præbendæ Theologalis collatio ſpectabit, ad quem ante erectionem pertinebat; cùm Concilium Tridentinum nil in hoc innovaverit, quapropter nec Epiſcopus poſt hujuſmodi erectionem intromittete ſe poteſt in hujus præbendæ collatione, quæ anteà ſibi non competebat, nec Capitulum inde aliquod jus acquirit, ut nonniſi cum ſuo conſilio præbenda conferatur, ut ajunt Fagnan. *in cap. quia nonnullis n. 38. de Magiſtris*, Garzia *de Benef. cit. cap.*
31 4. *num.* 161. aliique DD. infracitandi; Perſonæ autem electio in hujuſmodi præbenda inſtituenda ſemper, atque inconcuſſè ſpectat ad Epiſcopum, etiamſi ante erectionem nominatio Canonicorum pertinuiſſet ad Capitulum, ut firmant Barboſa *de Canon. cit. cap. 27. nu. 12. cum ſeqq.* Ventriglia *cit. annot. 12. §. 1. numer. 11. cum ſeq.* At verò ſi præbenda hujuſmodi vacaverit in
32 menſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel quomodocumque fuerit affecta, vel reſervata, tunc quidem ejuſdem proviſio integrè ſpectabit ad Papam, tam ſcilicet collatio, quàm perſonæ electio; Nulli enim eſt dubium quin Theologalis præbenda ſub reſervationibus cadat, quamvis circa electionem perſonæ nonnulli diſſentiant, autumantes etiam in his terminis competere Epiſcopo, quos refert, & reiicit Garzia *cit. loco num.* 164. Gonzalez *ad reg. Cancell. gloſſ.*
9. §. 2. *à num. 81. cum ſeqq.* Pax Jordan. *cit. tit. 3. num. 19. cum ſeqq.* aliique ſupracitati; In Regno autem 33
Franciæ præbenda hujuſmodi in quocumque menſe vacaverit ſemper confertur ab Epiſcopo, & Capitulo, ex Concord. *rubr. de collat. §. 1. ibique* Rebuff. *verbo Theologalem*, & refert Gonzalez *cit. gloſſ. 9. §. 2. num.* 17. In Regnis verò Caſtellæ, & Legionis Hiſpaniarum Canonicatus Theologales providentur ab Epiſcopis per concurſum in quocumque menſe vacaverint, & nequaquam à Sede Apoſtolica, ut cœtera Beneficia, teſte Garzia *de Benef. cit. cap. 4. num. 165. & 167.* Gonzalez *d. §. 2. numer.* 80. *&* 86. ſubdentes ſibi ipſis non benè compertum eſſe, ex quo id proveniat indulto, vel an totum operetur patientia, & tolerantia Papæ.

Profectò autem ad hujuſmodi præbendam eligen- 34
dus eſt ab Epiſcopo Theologus, qui habilis dici poteſt ad Sac. Scripturarum lectionem, & literaliter diſponit S. Conc. Tridentinum, & *Text. in cap. quia nonnullis de Magiſtris;* & quidem ut pinguiùs adimpleatur Sac. Concilii mens, in Theologia Doctor deputari debet, cœterùm ſi commodè reperiri nequeat, ſufficit ut præbenda provideatur de Theologo non laureato alias idoneo, ut dixit Sac. Congr. Conc. in *Aſten. 3. Februarii 1646.* in qua propoſito dubio, an Theologus non Doctor poſſit præbendam hujuſmodi obtinere; ad ſecundùm cenſuit: *Affirmativè, ſi non adſit Doctor æqualis idoneitatis, lib. 18. Decret. pag. 31.*
Sed hinc difficultas ſuburitur, an cùm Theologo poſ- 35
ſit ad hujuſmodi præbendam pari paſſu concurrere Canoniſta. Et quidem, ut dixi, litera Sac. Conc. inſpecta, contra Canoniſtam eſſet decernendum, & taliter ex antiquo Sac. Congregationis ſenſu Card. Alciatum adnotaſſe, inquit Fagnan. *in cap. quia nonnulis de Magiſtris n.* 32. Epiſcopum nempe Canoniſtæ conferre non poſſe Theologalem præbendam, quia Concilio derogare nequit; Canoniſtam ſic proviſum non facere fructos ſuos, quia foret ſine titulo, atque tam Epiſcopum, quàm proviſum abſolutione Papali indigere ob pœnas incurſas contra violantes Conciliaria decreta, & ad prædicta facit Corrad. *in praxi benef. lib. 2. cap. 5. n. 9. cum ſeqq.* beneverùm eamdem Sac. Congregationem reſolviſſe, idem Fagnan. *loc. cit.* retulit, quod ſi non invenitur Theologus, facta diligentia non ſolùm in loco, ſed etiam extra, poterit non ſolùm Canoniſtæ præbenda aſſignari, ſed cuilibet, non propterea tamen occurrente vacatione debuit omitti, quin de novo fiat diligentia de reperiendo Theologo, & quidem ſi Theologus idoneus in Civitate non reperiatur quòd providere debeat præbendam de extero, dixit Sacra eadem Congregatio in *Venafrana 3. Aprilis 1593. lib. 7. Decr. pag.* 103. Verumtamen hodie inconcuſſè, Canoniſta, ac Theologus ad præbendam Theologalem accerſiri poteſt, potiſſimè in hiſce noſtris Italiæ regionibus, in quibus potiuſquam ad Sacræ Scripturæ explicationem, congruentiùs ad morales controverſias explicandas Canonicus Theologalis conſtituitur, ut infra latè dicemus quodque tradit Ricc. *dec. 101. par. 4. per tot.* quem ſequitur Ventriglia *cit. annotat. 12. §. 1. num.* 13. Barboſa *de Canon. cit. cap. 27. num.* 18. atque in his terminis Sac. Congregatio in *Aſten.* ſupra allegata, propoſito dubio: *An Doctor in Jure Canonico poſſit obtinere præbendam Theologalem*, reſolvit, *poſſe*, & expreſſiùs in *Polignanen. 12. Novembris 1639.* cenſuit: *Pro obtinenda præbenda Theologali ſufficere, ut quis ſit licentiatus in utroque Jure, alias idoneus ad docendam Theologiam moralem, & ideo in hoc caſu D. Secretarius faciat extrajudicialiter examinare Oratorem ſuper illius habilitate per P. Torquatum de Cupis.* Cœterùm in Galliis,
in quibus ſpecialiter viget Conſtitutio *Bleſſenſis Con-* 36
cilii, artic. 33. & 34. nominatim requirens in hujuſmodi Canonicis Theologalibus gradum Doctoratus in Theologia, nonniſi Doctor Theologus eligi poteſt, ut reprobato *Rebuff. in concord. tit. de collat. §. 1. verbo teneantur*, de communi Gallorum Doctorum ſententia teſtatur Tondut. *tom. 1. reſol. benef. cap. 97. n. 27. & 28.*

Eadem

Digitized by Google

37 Eadem ulterius Sacri Concilii diſpoſitione attenta, Theologalis præbenda Regularibus conferri nequit, verùm omninò ſæcularibus Presbyteris eſt concedenda, ea ratione potiſſimè attenta, quòd Theologus ex Tridentini ſanctione inter Canonicos accerſiri debeat, quapropter Regularis tamquam diſparis profeſſionis cooptari nequit, ex *Clem.* 1. *de electione*, & quidem dum hujuſmodi præbenda vacat, neque ex gratia ad determinatum tempus, vel quoùſque provideatur in titulum Regularibus dari poſſe, reſolvit Sac. Congregatio in *Nanneten. die* 30. *Julii* 1672. quippe præbenda hujuſmodi vacante, commendari debet cùm applicatione fructuum alteri Canonico ejuſdem Eccleſiæ, qui ſi idoneus reperiri non poſſit, alteri ſæculari Presbytero extra Capitulum donec præbenda provideatur, ex Navarro *par.* 2. *lib.* 4. *tit. de Magiſtr. conſil.* 1. *n.* 5. Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *n.* 14. Nicol. *elucub. Canon. lib.* 5. *n.* 3. Barboſa *de Canon. cap.* 27. *n.* 59. *& in ſumma Apoſtolic. dec. ver. Præbenda Theologalis n.* 5.

38 Verumtamen in caſus contingentia, quo ſæcularis Presbyter ad hujuſmodi Theologalem præbendam idoneus reperiri nequeat, Sac. Congregatio Concilii juxtà S. Pii V. & Gregorii XIII. oraculum inconcuſsè in his terminis ſervat, quando Clericus ſæcularis idoneus pro Theologali præbenda non reperitur, collationem illius ſuſpendendam eſſe, donec inveniatur idoneus Theologus ſæcularis, cui conferri poſſit; & interim nullum eſſe deputandum Cuſtodem, aut Curatorem fructuum ipſius Canonicatus, ſed eos omnes tradendos Superiori alicujus Ordinis, qui curet, ut aliquis Theologus ex ſuis Regularibus, publicè in Cathedrali Eccleſia, Sacram doceat Scripturam, prout mandatur decreto Concilii *c.* 1. *ſeſſ.* 5. *de ref.* eique in primis neceſſaria ſubminiſtret, & quòd reliquum fuerit in uſum Monaſterii convertat, ut reſolvit Decreto Generali die 7. Januarii 1623. *lib.* 12. *decr. pag.* 116. & iiſdem ferè verbis priùs in *Saluciarum* 29. *Martii* 1607. *lib.* 10. *pag.* 160. *à ter.* & in *Oſtunen.* 10. *Decembris* 1633. Hic verò Regularis, qui vice Lectoris fungitur, ad ſolas lectiones deputatur, neque enim ſe actibus Capitularibus immiſcere poteſt, neque de diſtributionibus, nec de punctaturis, ut infrà participare debet, ut notat Nicolius *cit. lib.* 5. *tit.* 5. *nu.* 3. niſi tamen diſtributiones loco præbendæ ſuccederent, quippe tunc ſervari debet, quòd præſcripſit Sac. Congregatio in *Beneventana* 22. *Junii* 1595. videlicèt: *Superiori Monaſterii, qui Lectorem Regularem ſubminiſtrat, deberi tantum duas ex tribus partibus diſtributionum quotidianarum Canonicatus pro Theologo erecti, cum in hujuſmodi diſtributionibus omnes redditus conſiſtant, dimiſſa tertia parte etiam illarum horarum, & dierum, quibus legit, eamque inſervientibus accreſcere; portionem verò diſtributionum ex punctaturis provenientem, ſolos Canonicos, qui divinis interſunt, non autem Superiorem ejuſdem Monaſterii percipere debere, lib. Decr.* 8. *pag.* 132. *à ter.* Neque tandem prætermittam, Theologalem præbendam aliquando incorporatam fuiſſe in perpetuum alicui Conventui, adeòut ſemper Theologo Regulari conferatur, ut in *Aleryen.* .... *Octob.* 1588. *lib.* 5. *pag.* 203. Sed opinandum probabiliter eſt, quòd hujuſmodi reſolutio ideò locum ſibi vindicaret, cùm neque quis habilis inter ſæculares ad hujuſmodi munus tunc fuerit repertus, neque futuris temporibus inveniendi ſpes affulgeret.

39 Perſona verò, quæ ad præbendam Theologalem adſciſcatur, debet eſſe adeò idonea, ut per ſe munus congruè ſubire valeat, alioquin collatio nulla quidem eſt, & invalida ex Tridentini diſpoſitione in *cit. cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *de ref.* & quamvis aliquorum Doctorum mentem turbaverint antiquæ Sacr. Congregationis reſolutiones, in quibus declaratur, quòd Epiſcopus ad Sacr. Scripturæ lectionem Theologum compellere debet, ſi idoneus fuerit, alioquin per ſubſtitutum, quas præ aliis refert Epiſcopus Criſpin. *in Viſit. Paſtoral. p.* 2. §. 23. *nu.* 2. & 3. attamen ſunt intelligendæ de Canonico proviſo ante Concilium, ut facit Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *n.* 10. cùm ſatis aperta ſit Concilii ejuſdem diſpoſitio, quòd de cætero ex capite inſufficientis literaturæ hujuſmodi collationes non ſuſtinentur, adeòut irritæ ac nullæ ſint ut animadvertit ex S. C. ipſe Criſpin. *n.* 4. & expreſsè diſtinctionem hujuſmodi ipſa Sac. Congregatio innuit in *Feltren.* 10. *Octobris* 1596. *lib.* 8. *decr. pag.* 192. ibi: *Theologus, ſi idoneus fuerit, cogendus eſt per ſe munus lectionis obire, nec alium etiam magis idoneum ejus loco ſubſtituere poteſt, ſi verò non fuerit idoneus, nulla eſt proviſio, quippe poſt Concilium facta:* & in *Caſenaten.* 18. *Julii* 1648. *ad* 2. *tom.* 18. *Decret. pag.* 498. Congruenter igitur ejuſmodi Theologalem præbendam obtinenti, qui indultum cauſa ſtudiorum abeſſendi poſtulabat, reſponſum fuit, quòd tantùm abeſt, ut velit Sac. Congr. petitioni annuere, ut etiam valdè admirata ſit, oratorem, qui velut minùs idoneus, ſtudiorum cauſa abeſſe cupit, Theologalem præbendam obtinere; nam didiciſſe priùs, ac ſtudiis vacaſſe, deindè Theologalem præbendam ipſum aſſecutum fuiſſe oportuit, in *Tropien.* 22. *Aprilis* 1599. *lib.* 9. *dec. pag.* 65. *à ter.*

Ad Theologum aliàs idoneum detrectantem munus ſibi injunctum exequi, Epiſcopus ad id compellere poteſt comminationibus pœnarum, ſequeſtratione fructuum, aſſignatione portionis de eiſdem fructibus alteri, qui ipſius loco legat; demum creſcente contumacia poteſt ad cenſuras, necnon privationem devenire ad præſcriptum Sac. Conc. *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *de ref.* factaque privatione, ad corroborandum Concilii decretum, Epiſcopus ipſe declarare debet, talem præbendam, ſivè Canonicatum affectum fuiſſe pro Sac. Scripturæ Lectore; tum deleget perſonam idoneam, quæ id muneris per ſe ipſam exequi valeat, ut reſolviſſe Sac. Congregationem in *Majoriten.* teſtantur Fagnan. *in cap. quia nonnullis n.* 35. *de Magiſt.* Barboſa *de Canon. cap.* 27. *n.* 30. Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *nu.* 2. Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *num.* 3. & conſonat reſolutio emanata in *Placentina* 29. *Martii* 1607. his verbis: *Theologalem præbendam obtinens, poteſt compelli, ut per ſe, non per ſubſtitutum muneri ſuo ſatisfaciat, qui ſi in reſidendo ſe præbuerit contumacem, debet Epiſcopus adverſus eum procedere ad præſcriptum cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *& pro tempore, quo ceſſante legitima cauſa, & juſto impedimento abſuerit, idem Epiſcopus debet alium ejuſdem Canonici ſumptibus ſubſtituere, in lib.* 10. *Decr. pag.* 162. Quam quidem ſolicitudinem, ut Theologus ſuo munere fungatur Epiſcopus habere debet in Eccleſiis, etiam Ordinariis inferioribus ſubjectis, in quibus hujuſmodi præbendæ Theologales ſunt erectæ, ſi ipſi Ordinarii negligentes in hujuſmodi cura ſe præbuerint, ut ex ejuſdem Sac. Congregat. mente firmant Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 62. *num.* 13. Barboſa, Ventriglia, & Pax Jordan. *loc. ſupra cit.* quod tamen intellige de Prælatis non exiſtentibus in vera qualitate Nullius, ut ſupra dixi quoad curam Epiſcopi pro inſtitutione Theologalis in hujuſmodi Eccleſiis Nullius. 41

Legitima autem ſubſiſtente cauſa, ex qua Theologus impeditur per ſe ſuum munus adimplere, per ſubſtitutum ab Epiſcopo eligendum inſervire poteſt, ut firmat Rota *in deciſ.* 1294. *coram Pania*, Pax Jordan. *cit. cit.* 3. *num.* 18. Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *num.* 5. & 6. potiſſimè ſi diuturnè cauſa hujuſmodi impedimenti perſiſteret, ratione publicæ utilitatis, ne ſalutari pabulo fideles priventur; quippè ſi ad breve tempus legitimè Theologus impediretur, neque per ſubſtitutum inſervire eſſet cogendus, ut paris conditionis habeatur, ac cæteri Canonici, qui ex legitima cauſa à reſidentia excuſantur, ex *Tex. in cap. unic. de Cler. non reſid. in* 6. ut in propoſito exemplificant de Theologo infirmitate curabili detento, Epiſcopus Criſpin. *de Viſit. paſtoral. p.* 2. §. 23. *n.* 5. Barboſa *cit. n.* 32. & Pax Jordan. *loc. cit. n.* 37. Pignatell. *cit. conſult.* 62. *n.* 28. & à contrario ſenſu facit Sac. Congreg. oraculum in ſupralaudata *Placentina*, in qua ceſſante legitima cauſa, vel juſto impedimento, qui vices Theologi ſuppleat ſubſtituendum eſſe, fuit dictum, & ſic non aliis caſibus impedimenti intervenientis. 42

Ex dictis

Digitized by Google

43 Ex dictis verò quoad ſervitium per ſe ipſum præſtandum, proculdubio conſequitur, Theologum unà cum præbenda retinere nequire officium, vel beneficium incompatibile, quo præpediatur in ſuo munere ſubeundo, ut reſolvit Sac. Cong. in *Piſana* 23. *Maii* 1648. ibi: *Non licere Theologo unà cum Canonicatu Cappellaniam Monaſterii Monialium, ut ſupponitur, curam animarum habentem, retinere, lib. decret.* 18. *pag.* 478. *à ter.* Neque Theologi, & Pœnitentiarii munus ab una eademque perſona ſubeundum eſſe, cum quodlibet diſtinctam debeat habere præbendam, Sac. ead. Cong. cenſuit in *Bovinen.* 17. *Martii* 1594. *lib.* 8. *dec. pag.* 22. & *in S. Agathe* 22. *Junii* 1595. *eodem lib.* 8. *pag.* 131. Stante verò conſuetudine retinendi Canonicatum, unà cum Dignitate, quæ nec onus, nec emolumentum habet, ſed jura dumtaxat honorifica, Canonicum Theologum non ſecus ac alios ſimplices Canonicos obtinere poſſe ſuam dignitatem, reſolutum in Sac. Congr. aſſeverant Barboſa *de Canon. cit. cap.* 27. *nu.* 23. Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *n.* 29. Conſequitur itidem, quòd à legendi munere abſtrahere Theologum nequibit Epiſcopus, eumdem occupando in ſui obſequium, adeòut etiam in abſentia fructus ſuæ præbendæ percipiat, ad ſancita per *Tex. in cap. de cætero, & in cap. ad audientiam de Cleric. non reſid.* & reſolvit Sag. Cong. in *Pacen.* 16. *Decem.* 1634. ibi: *Privilegium de Jure conceſſum Canonicis, ut dum ſuo Epiſcopo inſerviunt, fructus ſuarum præbendarum percipiant, non ſuffragari Canonico præbendam Theologalem obtinenti: lib.* 15. *Regeſt. pag.* 135. *à ter.* Cœterum Rota *in dec.* 293. *lib.* 3. *coram Puteo*, cenſuit, præallegatorum Textuum diſpoſitionem locum quoque habere in Canonicatibus Magiſtrali, & Doctorali; ratione ſuadente, quia Jus indiſtinctè loquitur de duobus Canonicis, & qualitas Doctoratus, ſeu Magiſterii non repugnat Canonicatui; & licèt illa qualitas Doctoratus, & Magiſterii in ipſo Canonicatu erat inventa, ut deſerviretur Eccleſiæ; ita etiam in caſu *cit. c. ad audientiam* per illam conſtitutionem erat inventum, ut tenerentur Eccleſiæ deſervire; hæc latius Rota, quæ tamen etiam non præſcrutata mente Sac. Congreg. non arriſerunt Pax Jordano *cit. tit.* 3. *lib.* 7. *num.* 39. *in fine*, licèt parificari dicat Canonicum Magiſtralem, & Doctoralem cum Theologali, quia verè omnes iſti habent ſpeciale onus per ſe ipſos explicandum.

44 Ad negotia pariter, lites, & controverſias Capituli ablegari non poteſt Canonicus Theologus; neque enim hanc deputationem, legitimam præſtare excuſationem Theologo deſerviendi per ſubſtitutum, cùm alii potiùs ſimplices Canonici ad hujuſmodi negotia deſtinari poſſint, quòd confirmavit Rota *in dec.* 1294. *n.* 2. *cor. Pænia*; Verumtamen congruentius propoſito dubio in *Anagnina* 12. *Decemb.* 1676. *An pro negotiis, ſivè controverſiis Capituli ablegari poſſint Theologus, Pænitentiarius, aut Canonicus Curatus Cathedralis*, Sac. Cong. reſtrictivè reſolvit: *Quoad Theologum negative illo tempore, quo tenetur legere, quoad Pænitentiarium, & Curatum negativè*: Quandoquidem Theologale munus non ſicuti Parochiale, & Pœnitentiale adeò aſſiduum plerumque eſt, ut indefinitè excuſari poſſit Theologus ab oneribus Capitularibus juxta contingentiam ſubeundis, quæ ſuum officium impedire nequeunt, argumento ducto ab excuſatione à tutelis, deſumpta ex cauſa non privilegiata, quæ dumtaxat ad tempus impeditum operatur, ex *Tex. in l. idem ff. de excuſ. tut.* & concordat *can. placuit diſt.* 18. & *c. querelam de procur.* Hinc quippè eſt,
45 quòd Capitulum ſe abſtinere nequaquam teneatur ab eligendis Canonicis Pœnitentiario, vel Theologali ad officia Capituli Secretarii, Archivarii, vel aliorum ſimilium, ut Sacra eadem Cong. dixit in *Vicen. Viſ. SS. Lim.* 15. *Apr.* 1690. cùm hujuſmodi officia nequaquam totum hominem requirant, ut à ſuo munere legendi neceſſariò Theologum divertant, ſed potius munera ſunt, quæ manualiter parvo momento expediuntur; itaque hujuſmodi exemptio ab his muneribus cum onere legendi compatibilibus, ad privilegium abſque facto Principis trahi nequit.

46 Theologale verò munus verſatur in Sac. Scripturæ expoſitione, ſivè interpretatione, S. C. Trid. litera inſpecta, in repetito *c.* 1. *ſeſſ.* 5. *de ref.* ſcopus namque hujuſce diſpoſitionis fuit, ne cæleſtis librorum theſaurus neglectus jaceat; ut Tridentinum ait; opulentiſſimus quidem, & nobiliſſimus ſcientiarum theſaurus, qui Deum ipſum habet auctorem, & argumentum; Verumtamen Sac. Conc. menti non refragatur, ſi Sac. Scripturæ loco, Theologiæ ſcholaſticæ habeatur lectio, cùm in ejuſmodi Sanctione promiſcuè, etiam de Theologiæ lectione fiat mentio, & meritò cùm Thgologia non aliud doceat, quàm Sac. Scripturæ intelligentiam, & in propoſito facit *Tex. in c. quia nonnullis de Magiſtris*, Garzia *cit. loc. nu.* 156. Ventriglia *cit. annot.* 12. §. 1. *n.* 27. Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *n.* 45. Barboſa *ad Conc. loc. cit. n.* 26. Quinimo neque Theologiæ moralis, quæ Caſuum Conſcientiæ dicitur, improbari poteſt expoſitio; potiſſimè in noſtris Italiæ Regionibus, aliiſque, in quibus de Fidei dogmatibus, & Theologicis quæſtionibus cùm Hæreticis, & Schiſmaticis, Deo juvante diſputare non eſt opus, quocircà utiliorem Theologia, opportunioremque pro moribus Chriſtianis efformandis, atque pro Sacramentorum adminiſtratione Moralium expoſitionem, ubi pacifica eſt Catholicæ Fidei profeſſio, dixit Card. de Luca *ad Conc. Trid. diſc.* 2. *n.* 5. & 19. ultra alios ſupracitatos, & videtur approbaſſe Sac. Cong. in *Pharen. die* 13. *Apr.* 1595. dum reſolvit: *Theologalem præbendam alicui ex Collegii Illyrici Alumnis idoneis conferri poſſe, tametſi is Caſus Conſcientiæ tantum ſit explicaturus, lib.* 8. *Dec. pag.* 116. & cùm fuerit, ut inferiùs dicam, res remiſſa Epiſcopo, iſte juxta ſui prudentiam, ſi agnoverit auditores capaces, præſertim etiam laicos, quos etiam ſub nomine populi Sac. Conc. comprehendit, debet Sacram Scripturam è ſuggeſtu, ut regulariter fieri debet, explanandam demandare: ſed ſi ſecùs populus non adſit, nec Clerus tam doctus, melius inſtruendi ſunt in Theologia morali magis iis accomodata.

Cœterùm Canonicus Theologus difficultatibus cir- 47
ca lectionem per Auditores propoſitis reſpondere non tenetur, ut reſolvit Sac. Cong. in *Vintimilien. Theologalis* 13. *Martii* 1677. ſub dubio: *An Theologus teneatur reſpondere quæſitis, & ſolvere difficultates propoſitas in ejus lectione:* Reſpondit *Negativè*: Conſideratum quippè tunc fuiſſe, opinari poteſt, quòd neque de jure, nec de generali conſuetudine tenetur Lector reſpondere quæſitis audientium, ſed dummodò munus ſuum in docendo laudabiliter adimpleat, qui poteſt capere, capiat; atque intolerabile onus foret Lectori ad Audientium quæſita, forſan præmeditata, illicò, & improvisò reſpondere.

Profectò Lectionum Theologalium quantitas, ma- 48
teria, modus, tempus, & hora, arbitrio Epiſcopi remittitur, ut noviſſimè Sac. Cong. reſolvit in *Amerina Theologalis* 15. *Martii* 1710. *ad* 4. & priùs cenſuit in *Urbinaten.* 10. *Martii* 1663. *ad* 9. & *in Patavina* 15. *Julii* 1645. & *in Brixien.* 11. *Januarii* 1594. atque omnes conveniunt DD. Hujuſmodi verò arbitrio in his decernendis, pro libera voluntate Epiſcopus abuti non poteſt; regulari namque debet ex rationabili conſuetudine ipſius Eccleſiæ, aliarumque circumpoſitarum, ut Sac. Congreg. quoad tempus, &
numerum lectionum, cenſuit in *cit. Patavina*, & in 49
Aſculana 1. *Maii* 1617. declaravit, Theologum teneri, dumtaxat ad conſuetas lectiones; Tandem in *Ripana* 12. *Januarii* 1692. dixit, circa lectionum quantitatem ſervandam eſſe legem fundationis, & quoad modum arbitrio Epiſcopi, atque eidem eſſe ſcribendum, quare huculque permiſerit legi contra formam erectionis; Conſuetudine autem introduci non poteſt,
ut Theologus numquam legere teneatur, ex Sac. Cong. 50
oraculo 11. *Decembris* 1621. *Congreg. Concilii cenſuit eum, qui Præbendam Theologalem obtinet, etſi ejus Prædeceſſores numquam legerint, teneri tamen, atque ab Epiſcopo cogi poſſe id munus per ſe ipſum explere*: & firmat Epiſcopus Criſpin. *cit.* §. 23. *n.* 3. quòd tamen declarat Nicolius *in elucubr. Canon. lib.* 5. *tit.* 5. *n.* 4. dummodò adſit neceſſitas, declaratione relata Sac. Cong. Epi-

ſcoporum,

ſcoporum, 8. *Maii* 1637. qua cavetur, Canonicum Theologum S. Petronii Bononienſis non teneri legere, quòd ejus Anteceſſores non legiſſent, cum ejuſdem lectionis nulla ſit neceſſitas. Verùm in hac re eſt dicendum, quòd ex ſui natura munus Theologi id importat, & cùm recipiatur tale onus, non videtur poſſe diſpenſari, ex incuria Anteceſſorum, ſi Epiſcopus agnoſcat neceſſitatem lectionis; & in *cit. Bononien.* ſe fundavit S. C. nedùm in tempore quinquaginta annorum non factæ lectionis, quòd præſumere faciebat non neceſſitatem, ſed ulteriùs quia hæc excludebatur, eùm eſſet Eccleſia Collegiata, & aderat Cathedralis, eùm hujuſmodi lectio non ſit neceſſaria in omnibus Collegiatis, ut ſcripſit S. Cong. Archiepiſcopo Mediolani 26. Jan. 1589. *cit. lib.* 8. *Litter. pag.* 15. Quoad modum ſa-
51 nè hujuſmodi lectionis Epiſcopus invigilare debet, ut Theologus proprium munus adimpleat, juxtà ſuum rationabile arbitrium, ut mens fuit Sac. Cong. in *Amerina Theologalis* 15. *Martii* 1710. *ad* 6. in dubio: *An ſuſtineatur aliud Epiſcopi Decretum adſtringens Canonicum lectorem Sac. Scripturæ ad habendas Lectiones memoriter, ore illas de more proferendo Auditoribus, & non legendo iiſdem ex libro, neque ex cartula, & quod ſingula lectiones, ſaltem pro medietate horæ perdurent:* Et quidem nonniſi prudens Epiſcopi arbitrium conſulere poteſt, ut Theologus non abutatur, legendo, modo puerili materiam, quàm defert, itaut ſit cauſa deriſionis, contra mentem Sac. Conc. volentis, quòd à Theologo Populus, & Clerus doceatur; An potiùs cartula utatur ad fovendam memoriam eorum, quæ docet, quòd non eſſet improbandum, cum Theologus non debeat concionari, ſed more doctorum docere.

52 Locus verò ubi habere debet Theologalis lectio, regulariter eſt in Cathedrali, in publico ſuggeſtu, ex Monacell. *in formul. tom.* 1. *tit.* 2. *for.* 5. *n.* 5. & 7. juſtis tamen de cauſis arbitrari etiam poſſe videtur ab Epiſcopo, dummodò utatur arbitrio rationabili, & conformi S. C. Trid. videlicet, quòd hujuſmodi lectio fiat omninò publicè in loco publico, ut ne dum Eccleſiaſtici, ſed omnes de Populo in Lege Divina inſtruantur, ex mente S. C. Trid. quamvis Epiſcopus Criſpinus *ſupralaudatus n.* 8. expreſsè dixerit, loci hujuſmodi præfinitionem non pendere ab Epiſcopi arbitrio, inde motus, quòd Alexander VII. Sententiam Sac. Congreg. Conc. non probaſſet in *Foſſanen.* 11. *Martii* 1662. *ad* 1. ibi: *An Epiſcopus ſtatuere poſſit, ut lectiones à Canonico Theologo non in Cathedrali Eccleſia, ſed in Palatio Epiſcopali habeantur*, cenſuit Sac. Cong. *Epiſcopum, in hoc caſu poſſe ſtatuere, ſed facta relatione Sanctiſſimus Congregationis ſententiam non probavit: lib. Dec.* 23. *pag.* 82. Sed quis dixerit, quòd hujuſmodi decreti exprobatio inde non ſucceſſerit, eùm Epiſcopus minùs rationabiliter ex Cathedrali, ubi antiquitùs habebatur lectio, ad Epiſcopale Palatium transferre moliretur; vel probabiliter, quòd cauſas hujuſmodi tranſlationem ſuadentes, non juſtificaſſet; Etenim ſub die 22. *Septembris* 1668. *tom.* 26. *Decret. pag.* 105. *à ter.* iterum repropoſita eadem *Foſſanen.* in Sac. Congreg. ex quo Canonici ad diſtributiones lucrandas Theologum admittere renuebant, iterum præbente motivo Auditorum infrequentia, & ſic in caſu particulari tantùm, ut jam dixerat in prima propoſitione, eadem Sac. Congr. id fieri permiſit; cùm in Palatio Epiſcopali legere Epiſcopus juſſiſſet, propoſito igitur dubio: *An Canonicus Theologus poſſit proſequi lectionem præfatam Theologalem, & caſuum Conſcientiæ diſcuſſionem coram eodem Epiſcopo, in Palatio Epiſcopali, itaut pro diebus lectionis hujuſmodi, ipſe Theologus lucretur diſtributiones quotidianas. Sac. Cong. reſpondit. Affirmativè: lib. Decret.* 26. *pag.* 106. Verùm locus Cathedralis non eſt immutandus, niſi maxima urgente cauſa, & præſertim, quia Concilium *cit. cap.* 1. habuit reſpectum ad Cleri, & Populi confluentiam, quæ in Eccleſia fieri ſolet liberiùs; Neque tandem eſt omittendum, quòd Sac. eadem Cong. nuper non probavit lectionem Theologalem fieri in Sachriſtia, cùm ſit locus privatus, à quo potiùs arceri ſolent ſæculares, contra ſupra firmatam regulam, in eadem *Amerina* 15. *Martii* 1710. *ad* 3. *An lectio Sac. Scripturæ ſit facienda publicè in Eccleſia, an vero in Sachriſtia:* Sac. Congreg. reſpondit *Affirmativè quoad primam, & Negative quoad ſecundam partem*, & in *Melevitana Conſt.* 31. *die* 3. *Julii* 1707. ac in aliis probavit Sachriſtiam, quia Theologus explicabat caſus morales.

Nihil verò inter DD. communius, & in præſenti 53
certiùs, quàm Theologum lucrari etiam diſtributiones quotidianas, quamvis abſit à Choro diebus, quibus legit; Verùm, ſi rem ab ovo evolvamus, compertiſſimum eſt, quòd Concilium hujuſmodi privilegium Theologo non eſt impartitum; Jure verò communi inſpecto, Theologiæ Lectores abſentes cauſa legendi à Choro, non percipere diſtributiones quotidianas, ſed duntaxat fructus ſuæ præbendæ, ut expreſsè deſumitur, ex *Tex. in cap. quia nonnullis*, & ibi *Gloſſ. verbo proventus, & in cap. ſuper ſpecula verbo integrè de Magiſtris;* quapropter immediatis poſt Concilium temporibus ſæpius Sac. Cong. reſolvit, hujuſmodi Theologos amittere diſtributiones quotidianas, cùm Divinis non interſunt, ut teſtatur Card. Aleiatus *in manuſcripto ad cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *de ref.* & refert Fagnan. *in cap. licet n.* 116. *de præb.* verùm recurrente Theologo Eginaten. Eccleſiæ, Sac. Congr. iterùm conſulendo, an pro horis quibus legit, quotidianas diſtributiones lucrari poſſet, cùm Sac. eadem Congr. cenſuiſſet jure non deberi, ſed agendum cum Sanctiſſimo pro gratia, re delata ad Gregorium XIII. tunc primùm ex ejuſdem Pontificis oraculo, diſtributiones etiam quotidianas ex gratia deberi Canonico Theologo, pro tota die qua legit, etiamſi Choro non interſit, reſolutum extitit; adeòut quamvis expediens non fuerit viſum, declarationem generalem edere, eùm ſæpiùs contrarium fuiſſet decretum; tamen quibuſcumque Theologis petentibus hujuſmodi indultum, eſſe concedendum, idem Pontifex voluit, referente eodem Card. Alciato *loc. cit.* hujuſce quidem reſolutionis motivum deſumi facilè poteſt, vel ad alliciendos Theologos, ut muneri ſuo præſtantiſſimo vigilantiùs incumbant, ut ajunt Pax Jordan. & Ventriglia *mox allegati*; vel quia Theologale munus animi præparationem, & ſtudium exigit, quòd eùm ſervitio Chori non compatiatur, ſed loco illius ſuccedat, ex Cabaſut. *in notitia Eccleſ. ad Conc. Later. ann.* 1215. *can.* 11. §. *refertur*; Eoque faciliùs, quia *Tex. & Gloſſ.* in contrarium allegati præcisè non loquuntur de Lectore, qui ratione Eccleſiæ ſuæ in ea legit; ut facit, Canonicus Theologus; Id verò certum eſt, quòd 54
à temporibus Gregorii XIII. citra Theologus non ſolùm pro eo tempore, & hora, in quibus legit, ſed pro tota die diſtributiones quotidianas lucratur, etiamſi Choro non inſerviat, quia verè fruſtratorium fuiſſet privilegium, cùm lectio fieri non debeat horis Divinorum Officiorum, & ulteriùs impracticabile foret, ut utrique oneri ſuccumbat, ut ſemel, & iterum Sac. Congr. reſolvit, & præcisè in *Tropien.* 9. *Maii* 1597. ibi: *Auctoritate ſibi tributa Sac. Congr. indulſit, ut eo die, quo Theologus Sacram legit Scripturam, ex munere ſui officii ad præſcriptum Concilii percipere poſſit diſtributiones quotidianas, quamvis divinis non interſit: lib.* 9. *Dec. pag.* 13. Et *in Mediolanen.* 29. *Aprilis* 1593. *Theologo illa die, qua legit, tribuendæ ſunt integræ diſtributiones quotidianæ omnium horarum, licèt Choro non inſervierit, lib.* 7. *pag.* 106. & omnes conſentiunt DD. Fagnan. *in cit. cap. licet num.* 116. *de præben.* Ventriglia *in praxi parte* 2. *annot.* 12. §. 1. *num.* 24. *cum ſeq.* Garz. *de benef. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 118. Pax Jordan. *cit. tit.* 3. Gonzalez *ad reg. cancell.* §. *proœm. num.* 180. Barboſa *ad cit. cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *num.* 33. *cum ſeqq. & de Canon. cit. cap.* 27. *num.* 33. *cum ſeqq.* Pignatell. *cit. tom.* 3. *conſ.* 62. *num.* 38. Nicol. *Elucub. Canon. lib.* 5. *tit.* 5. *num.* 4. qui à Sac. Cong. Epiſcoporum deciſum referunt, quòd ſi Theologus legat de mane, habetur pro intereſſente in Choro, quoad officium quod dicitur ante meridiem, ſi de ſero pro officio Veſpertino, ſed ut animadvertit idem Pignatell. *cit. num.* 8. eadem Sac. Congreg. Epiſcoporum exemit à tota die,

qua

qua legit; vel concionem habuit, in *Ferentina* ibi citata.

55 Sed retenta Sac. Congr. Concilii theorica, nedum Theologus pro tota die, qua legit, diſtributiones quotidianas lucratur, verùm etiam quæcumque emolumenta incerta inter intereſſentes diſtribuenda, ut cenſuit Sac. eadem Congreg. in *Avenion. Octobris* 1586. *ad* 17. ibi: *Theologalem præbendam obtinens non lucratur diſtributiones, quæ dantur pro Anniverſariis, niſi Anniverſaria incidant pro diebus lectionis, in quibus Lector habetur pro præſente: lib.* 4. *pag.* 189. & ex *Orielenſi* 12. *Auguſti* 1628. firmant Barboſa *loc. cit. n.* 35. Ventriglia, & Pax Jordan. *loc. alleg.* quidquid dicant Nicolius, & Pignatell. ex aſſerta reſolutione Sac. Cong. *die* 19. *Auguſti* 1622. *in Lunana*, quæ in Regeſtis Sac. Congr.
56 non invenitur; Verumtamen ſi matutinæ Laudes diei ſubſequentis ex Eccleſiarum conſuetudine recitentur de ſero præcedenti, Theologum eadem die legentem non lucrari earumdem diſtributiones, itidem Sac. eadem Congr. reſcripſit Nuncio Hiſpaniarum ..... *Decemb.* 1587. *Theologus, qui Divinis pro præſente habetur, diebus, quibus legit, non eſt cenſendus præſens matutinis, quæ dicuntur ſerò præcedenti, pro die ſequenti: lib.* 5. *Dec. pag.* 71. *à ter.* & firmat Fagnan. *in cit. cap. licèt nu.* 117. *de præb. Ventrigl.* Pax Jordan. *cit.* Garzias *de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 118.

57 Diebus vero feſtis, in quibus Theologus non legit, ſe excuſare etiam poteſt ſtudii cauſa ab onere interviendi cum aliis Canonicis in Choro; & nihilominus lucratur fructus ſui beneficii, exceptis tamen diſtributionibus quotidianis, ad *cap. ſuper ſpecula de Magiſtr.* ut reſolutum refert Fagnan. *in cit. cap. licèt nu.* 115. *de Præben.* & cum hac diſtinctione, videlicèt quòd Theologus die qua legit lucretur fructus, & diſtributiones, diebus verò, quibus non legit, percipiat tantùm fructus, conciliaſſe dicit DD. inter ſe contrarios Pax
58 Jordan. *in cit. tit.* 3. *n.* 51. *in fine*; cùm verè Canonicus Theologus, Lectorum in publicis Univerſitatibus more, à Lectionibus vacare poſſit menſibus æſtivis, Julii nempè, Auguſti, & Septembris, ut reſolvit Sac. Congr. in *Camerinen.* 25. *Auguſti* 1606. *lib.* 10. *decr. pag.* 156. *à ter.* & *in Anagnina* 16. *Decembris* 1649. *tom.* 17. *Decretor. pag.* 533. & latè dicunt Garzia *de benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 157. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 56. *nu.* 7. & *ad Concil. ſeſſ.* 5. *de reform. cap.* 1. *n.* 3. Sed quid di-
59 cendum, ſi concurrit conſuetudo in majori tempore, & videtur debere tolerari, juxta adducta apud Epiſcopum Criſp. *de Viſit. Paſtor. p.* 2. §. 23. *n.* 9. Verùm prætendente Capitulo Melevitano reformationem Conſtitutionis Synodalis 31. in *Melevitana Synodi die* 2. *Julii* 1707. qua cavebatur, quòd Canonicus Theologus lectionem moralem, (cùm in his hæc Sacræ Scripturæ compararetur) tribus menſibus æſtivis tantùm vacaret, ac impugnabatur prætextu conſuetudinis majoris vacationis, Sac. Congr. cenſuit ſuſtineri, quia verè hoc tempus regulare eſt in æſtivis menſibus, ut vacet, & ulterius remiſſum ſemper dicitur tempus, hora, ac reliqua hujuſmodi Epiſcopo, Sac. Congr. in *Patavina* 15. *Julii* 1645. Garzias *cit. par.* 5. *cap.* 4. §. 1. *nu.* 157. Pax Jordan. *cit. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 3. *n.* 38. Barboſ. *de Canon. cap.* 27. *n.* 27. & *eadem Sac. Congr. in Urbinaten.* 10. *Martii* 1663. *ad* 9. *tom.* 23. *pag.* 458. *ad* 9. & Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 62. *n.* 35. & regula eſt, ut vacatio ſit in menſibus æſtivis juxta ſolitum Univerſitatum, quo
60 vacationis tempore tenetur Choro Theologus inſervire, ac cenſuit Sac. Congr. apud Chriſp. *cit. par.* 2. §. 23. *n.* 9. & *in Aſten.* propoſito dubio: *An Lector Sacræ Scripturæ poſſit in omnibus illis menſibus vacare à lectionibus, more aliorum Lectorum, qui in Univerſitatibus ſolent feriari*; Sacr. Congr. Conc. reſpondit, *Lectorem Sac. Scripturæ poſſe à lectionibus vacare, ut mos eſt aliis Lectoribus publicarum Univerſitatum; Cæterùm non propterea licere ipſi eodem tempore abeſſe à ſervitio Chori, & Eccleſiæ, quinimo hac in parte lectorem conſeri eodem Jure cum aliis ejuſdem Eccleſiæ Canonicis.*

61 Tandem animadvertere operæ pretium eſt quòd licèt Theologalem præbendam obtinens, die quo legit, lucretur etiam abſens omnes diſtributiones quotidianas, eaſdem tamen non percipiunt Canonici neque pro illa hora, qua divinis non interſunt cauſa intereſſendi hujuſmodi lectioni, quidquid diſpoſitum ſit de abſentia ſtudiorum cauſa in publicis Univerſitatibus, ut latè probat Barboſ. *de Canon. cap.* 26. *n.* 45. *cum ſeqq.* quem ſequitur Ventriglia *annot.* 12. §. 1. *num.* 25. Epiſcopus tamen curare debet, ut lectio fiat hora extra Divina officia, cùm ipſe horam præſcribere debeat, ex dictis.

Frequentiùs autem diſceptari contingit, an Cano- 62
nici aliique Clerici ab Epiſcopo ſub pœnis cogi poſſint, ut hujuſmodi lectioni Theologali, prout etiam Congregationi Caſuum Conſcientiæ interſint. Nonnulli enim DD. quoad lectionem Theologalem abſolutè affirmativam ſententiam amplexi ſunt, ut apud Barboſ. *de Canon. cap.* 37. *num.* 28. Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 3. *num.* 48. Monacell. *in formul. tom.* 1. *tit.* 2. *form.* 5. *n.* 8. Card. de Luca *ad Concil. Trid. diſc.* 2. *n.* 14. & 15. idemque etiam ſentire viſi ſunt Pignatell. *tom.* 3. *conſul.* 62. *n.* 39. Nicol. *Inſtit. Canon. lib.* 5. *tit.* 5. *ſub nu.* 4. qui tamen id admittunt, ſi Theologus legat Theologiam moralem, ſeu caſus conſcientiæ, ſi verò legat materias ſpeculativas, communi omnium captui non accomodatas, conniveri poſſe aſſerunt, ſi non accedant, qui eas non intelligunt. Nituntur autem præſertim nonnullis Reſolutionibus Sac. Congregationis; quas tamen vel eorum ſententiæ contrarias eſſe, vel ad rem non facere compertum habeo ex revolutione Regeſtorum ejuſdem Sac. Congregationis; ſolumque aliquid dubii videtur ingerere poſſe reſolutio in *Fundana* 15. *Octobris* 1619. quæ extat *tom.* 4. *litter. Viſit. SS. Limin. pag.* 5. in qua Sac. Congr. Concilii Epiſcopo reſpondit: *Lectioni Sacræ Scripturæ teneri ſaltem aſſiſtere Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, ideoque Canonicum Theologum injunctum ſibi munus hoc certè prætextu detrectare non poſſe, quod ſcilicèt nullum habeat auditorem, ac proinde ab Amplitudine tua cogendum eſſe ſtatis diebus ad ipſius Sac. Scripturæ expoſitionem.* Idemque videtur poſſe comprobari exemplo ſimilis obligationis, quæ Canonicis ineſt intereſſendi Sacris Concionibus Quadrageſimæ, & Adventus, de qua dixi *tom.* 3. *Conſt.* 2. Nicol. III. *nu.* 15. & *ſeqq. pag.* 471. cùm non appareat major ratio cur teneantur adeſſe Concionibus, non autem lectioni Theologali.

Verùm, ut à poſtremis incipiam, ex obligatione Ca-
nonicorum intereſſendi Sacris Concionibus, quæ viden- 63
tur eſſe pars Divini Officii, præſertim cùm habeantur inter Miſſarum ſolemnia, ac intereſſentia injungatur Canonicis ſub pœna punctaturæ, & amiſſionis diſtributionum quemadmodum in aliis horis Canonicis, ut dixi ad *cit. Conſt.* 2. *num.* 17. non rectè infertur ad obligationem intereſſendi lectioni theologali, aut Congregationi Caſuum Conſcientiæ, quæ nullatenus cum Divino Officio cohærent. Nullibi enim in Jure cautum eſt de hujuſmodi obligatione; & quamvis inter
paſtoralis officii partes præcipuum ſit curare, ut Preſ- 64
byteri ſint litterati, nam, ut inquit Concil. Toletan. IV. cap. 24. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus vitanda eſt, qui docendi populi officium ſuſceperunt*; non ideò tamen inviti cogi poſſunt hujuſmodi lectiones, ſeu conferentias adire; nam vel loquimur de Clericis in inferioribus ordinibus conſtitutis, & hi, ſi accedere renuant, compeſci ab Epiſcopo poſſunt, ei denegando aſcenſum ad majores Ordines; ſi verò res ſit cum Clericis jam Sacris initiatis, hos etiam Epiſcopus compellere indirectè poteſt, eos excludendo à Beneficiis; vel ſi illiterati effecti ſint, ſuſpendendo ab Ordinibus jam ſuſceptis: accedere autem ad hujuſmodi conferentias compellere non poteſt; ſed tantum hortari, ut fuit perpetuus ſenſus Sac. Congregationis Concilii, præſertim in *Caſtellanaten.* 1. *Aprilis* 1628. *tom.* 13. *Regeſt. pagin.* 432. *à ter.* in qua reſcripſit: *Sacerdotes nequaquam eſſe metu carceris, vel aliis etiam pœnis pecuniariis cogendos, ut ad Congregationem Caſuum Conſcientiæ*

acce-

accedant, ſed cohortationibus, exemplo, ac ſpe præmii beneficiorum, & aſcenſus ad Ordines eſſe alliciendos.
65 Hæc autem cùm non æquè procedant quoad Curam Animarum habentes, ſivè ex titulo, & officio eam habeant, uti ſunt Parochi; ſivè ſine titulo, & prorsùs voluntariè, uti ſunt ſimplices Confeſſarii: conſultò receptum eſt, hos nedum hortari, quinimò puniri, & cogi poſſe adire lectiones Theologales, & conferentias Caſuum Conſcientiæ; nam quoad hos Epiſcopus ſatis conſulere non poteſt per ſuſpenſionem ab officio, quemadmodum de ſimplicibus Presbyteris diximus, niſi ſimul aliquid detrimenti irrogando curæ animarum; & quamvis id ſtrictè conſiderari non valeat in ſimplicibus Confeſſariis, ex quibus ſi unus, aut alter ab officio ſuſpendatur, adhuc animarum curæ conſultum remanet per Parochos, alioſque Confeſſarios, itaut olim Sac. Congregatio fuerit in ſenſu, Confeſſarios cogi non poſſe, ſed tantùm Parochos, ut mox dicam; attamen cùm fas non ſit, aut ſaltem non oporteat omnes Confeſſarios ab officio ſuſpendere: hinc rectè dicitur, Epiſcopum poſſe ad hujuſmodi lectiones, & conferentias cogere Parochos, & Confeſſarios Sæculares, qui ſi velint tali facultate uti, cauſativè tantùm dicuntur cogi, non præcisè: reliquos verò de Clero, etiam ſi Dignitates, & Canonicatus obtineant, hortari tantùm, ac aliis mediis allicere, ut eſt ſenſus ejuſdem Sacræ Congregationis in reſolutionibus mox adducendis.

Attamen cùm nonnulli ex laudatis DD. conſtituere viſi ſint differentiam inter lectiones Theologales, atque Conferentias Caſuum Conſcientiæ; itaut ſuperiùs à nobis dicta admittenda tantùm eſſe putent in præfatis conferentiis, non autem in lectionibus Theologalibus, in quibus aſſerunt poſſe Epiſcopum compellere non ſolùm Parochos, & Confeſſarios, prout in Conferentiis, ſed etiam Canonicos, alioſque Presbyteros: Hinc nobis opportunum viſum eſt, rem hanc adamuſſim perſtringere ex reſolutionibus Sacræ Congregationis
66 Concilii. Et quidem primò loquendo de obligatione accedendi ad Conferentias Caſuum Conſcientiæ, certum eſt poſſe Epiſcopum cogere omnes Parochos tàm ſæculares, quàm etiam Regulares, & exemptos, cùm res hæc pertineat ad curam animarum, pro qua non ſuffragatur exemptio, ut pluries deciſum referunt Gavant. *in manual. Epiſcopor. ver. Parochorum munera n.* 27. & Nicol. *in floſc. ver. Caſus Conſcientiæ numer.* 4. unde ſub hac obligatione comprehenduntur Parochi Eccleſiarum Baſilicæ Lateranenſi ſubjectarum, ut fuit reſolutum in *Cæſenaten. Juriſdictionis 26. Novembris* 1662. Itemque Parochi Eccleſiarum S. Joannis Hieroſolymitani, ut eadem Sac. Congregatio reſolvit ſub *die* 22. *Aprilis* 1624. & notat Lezzana *in ſumma qu. Regular. tom.* 2. *cap.* 18. *num.* 4. Dubitatum aliquando fuit de iis Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, in quibus Capitulum curam habitualem, & actualem obtinet, quiſnam eo caſu teneretur ex Capitulo ad hujuſmodi Conferentias accedere. Subſtulit autem dubium eadem Sac. Congreg. in *Agien.* 11. *Decemb.* 1621. in qua reſolutum fuit, teneri accedere omnes Canonicos, curam per turnum exercentes.
67 Porrò quamvis hodie certum ſit, Confeſſarios ſæculares poſſe cogi intereſſe iiſdem Conferentiis; attamen ex ratione in ſuperioribus inſinuata, Sac. Congreg. olim erat in ſenſu, quòd hi cogi non poſſent, prout nec Confeſſarii Regulares, ut colligitur ex *Foroſempronien.* 3. *Septembris* 1630. *tom.* 19. *Regeſt. pag.* 76. ibi: *Epiſcopus motus Paſtorali zelo, & neceſſitate ob imperitiam Confeſſariorum, decrevit, Congregationi Caſuum Conſcientiæ ſingulis menſibus habendæ, intereſſe etiam debere omnes Confeſſarios tàm ſæculares, quàm Regulares. Cùmque ipſi Regulares renuant, ſupplicat declarari, An poſſit illos cogere, ut interſint, & renuentes privare facultate audiendi confeſſiones. Sac. Congr. cenſuit, Epiſcopum cogere tantùm poſſe ad intereſſendum Congregationi Caſuum Conſcientiæ Parochos, tàm ſæculares, quàm Regulares curam animarum exercentes; alios verò monitionibus adhortari, non autem cogere.*

Quinimò temporibus non multùm diſſitis idem etiam cenſuit in una *Sancti Angeli, & Biſacciarum Viſitat. SS. Liminum* 13. *Aprilis* 1690. *tom.* 40. *Regeſt. pagina* 254. *à ter.* ubi ad tertium Dubium: *An omnes Confeſſarii, Sacerdotes, & ſimplices Clerici poſſint cogi ab Epiſcopo ad interveniendum Congregationi Caſuum Conſcientiæ, qualibet hebdomada celebrandæ in Parochialibus, & in ipſa Cathedrali, & quatenus affirmativè, An & qua pœna eos mulctare valeat.* Sac. Congreg. reſpondit, *Affirmativè quoad Curatos tantùm ſub pœnis à Jure, & SS. Canonibus permiſſis.* Cœterùm ab inde citra, eadem Sac. Congregatio cenſuit, Epiſcopum cogere poſſe nedum Parochos, ſed etiam Confeſſarios ſæculares; quod ſanè non ſolùm procedit quoad eos, qui ex fundatione Beneficii, vel Officii tenentur ad munus Confeſſarii, ut præ cœteris eſt Canonicus Pœnitentiarius; ſed etiam quicumque alii Sacerdotes ſæculares ſine titulo, & voluntariè ad confeſſiones ab Epiſcopo deſtinati; ut re maturè diſcuſſa, & conſideratis decretis prius emanatis, reſolvit Sac. Congr. Conc. in una *Civitatis Plebis conferentiæ caſuum* 13. *Martii* 1692. *tom.* 42. *Regeſt. pag.* 147. in qua propoſito dubio: *An Epiſcopus poſſit compellere Canonicos, Confeſſarios, cœteroſque Presbyteros Cathedralis ſub pœna pecuniaria, ut accedant ad Congregationem Caſuum Conſcientiæ.* Reſolutum fuit, *poſſe compellere omnes Sacerdotes ſæculares Confeſſarios, etiam ſi ſint Canonici, cæteros vero non poſſe compellere, ſed hortari.* Itemque, cùm Epiſcopus Ariminenſis in Synodo de Anno 1696. celebrata decreviſſet, Conferentiæ caſuum intervenire debere omnes Sacerdotes, ac Clericos in Sacris conſtitutos ſub pœna juliorum trium; his ſubinde recurrentibus, propoſitoque dubio, An Dignitates, & Canonici Eccleſiæ Cathedralis, attenta præfata Conſtitutione Synodali, cogi poſſint ad intereſſendum Conferentiæ Caſuum Conſcientiæ; Sac. Congregatio die 18. Julii 1699. *tom.* 49. *Regeſt. pag.* 251. reſpondit, reſervandum eſſe præfatum decretum editum in Cauſa *Civitatis Plebis*.

Idem porrò videtur fuiſſe Sacræ Congregationis 68
ſenſus quoad obligationem intereſſendi lectioni Theologali, ut præſertim elicitur ex ſequenti declaratione in *Cæſenaten.* 18. *Julii* 1648. *tom.* 18. *Regeſt. pag.* 498. ibi: *Juxta diſpoſitionem Sac. Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *de refor. cap.* 1. *necnon juxta decreta hujus Sacræ Congregationis compellere curavit Epiſcopus Canonicum Theologum Eccleſiæ Cathedralis adimplere onus legendi. Cùmque iſte renuat ex eo, quod alii Canonici, & Beneficiati ejuſdem Eccleſiæ nolint intereſſe lectioni, ut ſolebant; ideo ſupplicat declarari: An dicti Canonici, & Beneficiati cogi debeant ad intereſſendum dictæ lectioni, itaut Canonicus Theologus aliàs non teneatur legere.* Sac. Congregatio reſpondit: *Canonicos, & Beneficiatos Eccleſiæ Cathedralis eſſe quidem hortandos, monendos, & præmiis alliciendos ab Epiſcopo, ut interſint lectioni Sac. Scripturæ, non tamen invitos pœnis, & coercitione compellendos, ſed tantùm Canonicum Pœnitentiarium; Canonicum porrò Theologum teneri ad onus legendi Sacram Scripturam per ſeipſum, etiamſi ſupradicti Canonici, & Beneficiati renuant intereſſe lectioni:* Ex hoc etenim Decreto conſtat teneri intereſſe lectioni Theologali Canonicum Pœnitentiarium, ac proindè ex majori ratione etiam Parochos, alioſque curam animarum habentes, non autem reliquos Canonicos, & Beneficiatos, & multominus
Presbyteros ſimplices. Sed adhuc eſt locus dubitandi 69
de Confeſſariis, de quibus in hac reſolutione mentio non ſit; quinimò cùm in ea excipiatur tantùm Canonicus Pœnitentiarius, videtur firmaſſe regulam in contrarium, quòd ſcilicèt alii Canonici, quamvis Confeſſarii ſint, non comprehendantur ſub hac obligatione. Et ſanè de hac re dubitare viſa eſt eadem Sac. Congregatio in *Foſſanen. Lectionis* 11. *Martii* 1662. *tom.* 23. *Regeſt. pag.* 81. *à ter.* in qua hujuſmodi dubium reſolvere diſtulit quoad Confeſſarios ſæculares, quamvis nullam difficultatem habuerit pro excluſione ejuſdem obligationis quoad Confeſſarios Regulares,

Digitized by Google

gulares, etiamſi iſti in propriis Conventibus lectiones Sac. Scripturæ, vel Caſuum Conſcientiæ non habeant, prout bis in hebdomada habere debent ex *Conſtit.* 60. Clem. VIII. *incip. Nullus* §. 1. Quandoquidem propoſitis in eadem cauſa dubiis: *II. An Epiſcopus cogere poſſit Regulares, in quorum Monaſterio lectio Sacræ Scripturæ minimè habetur, ut lectionibus per Canonicum Theologum habendis interſint. III. An Sacerdotes omnes tàm ſæculares, quàm Regulares, qui facultatem Sacramentales Confeſſiones audiendi ab ipſo Epiſcopo obtinent, poſſint ab eo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate prædicta compelli, ut dictis lectionibus interſint.* Sacra Congreg. cenſuit: *Ad II. Non poſſe. Ad III. Quoad Sacerdotes Regulares cenſuit non poſſe; Quo verò ad ſæculares diſtulit reſolutionem dubii.* Verùm mirum non eſt, ſi Sac. Congr. dubitavit decernere de obligatione Confeſſariorum ſæcularium interveniendi lectioni Theologali; cùm etiam olim, ut ſuperiùs dixi, hanc obligationem non injunxerit eiſdem Confeſſariis quoad Congregationes Caſuum Conſcientiæ, quamvis poſteà contrarium decreverit. Hanc tamen controverſiam abſolvere viſa eſt eadem Sac. Congregatio, dum nuperrimè examinans nonnullas Conſtitutiones Synodales ab Epiſcopo Milevitano editas, & per Capitulum controverſas, præſertim ſuper Conſtitutione 31. in qua cavebatur, quòd *Canonicus Theologus Cathedralis bis in hebdomada, exceptis menſibus Julii, Auguſti, & Septembris in Sacriſtia poſt Veſperas Materias Morales brevi, & clara methodo legat, atque explanet, & ut ex hujuſmodi exercitio uberior colligatur fructus, interveniant ei dignitates, & Canonici omnes, cæterique de Clero tum ipſius Cathedralis, tum Civitatis Notabilis, ejuſque ſuburbii, præſertim Confeſſarii, & ad Presbiteratum promovendi.* Eadem Sac. Congr. in *Melevitana Sinodi* 2. *Julii* 1707. cenſuit, *quoad interventum teneri Confeſſarios, & Curatos, reliquos vero eſſe hortandos, & non cogendos*, ut habetur *tom.* 57. *Regeſt. pag.* 241. *à ter.* Dicere autem adhuc quis poſſet, hoc decreto non firmari obligationem interveniendi lectioni Sac. Scripturæ; nam quamvis ageretur de lectione per Canonicum Theologum habenda, hac tamen non exponenda erat Sacra Scriptura, ſed Materiæ Morales, ſeù Caſuum Conſcientiæ, ut ſtatuitur in adducta Conſtitutione Sinodali; unde lectio Theologalis reincidere videtur in conferentiam Caſuum Conſcientiæ. Cœterùm veriùs eſt, mentem Sac. Congr. fuiſſe obligandi tantùm Curatos, & Confeſſarios intereſſe lectioni Theologali per Canonicum Theologum habendæ, ſivè hæc ſit Sac. Script. ſivè Theologiæ Dogmaticæ, ſeù Polemicæ, ſivè Caſuum Conſcientiæ, ſivè cujuſcumque alterius materiæ ab Epiſcopo, juxtà exigentiam præſcriptæ, etenim omni caſu cenſetur lectio Theologalis, cum omnes præfatæ materiæ ad Sacram Theologiam pertineant. Concludendum igitur, quemadmodum ad Conferentias Caſuum Conſcientiæ, ita ad lectionem Theologalem accedere teneri, & cogi ab Epiſcopo poſſe ſolos Parochos, etiam Regulares, & quomodocumque exemptos; itemque Canonicum Pœnitentiarium, & Confeſſarios ſæculares; reliquos verò hortandos eſſe,
70 non cogendos. Atque in his terminis reſtringenda eſt præfata DD. ſententia, tenens obligari omnes Canonicos, etiam non Confeſſarios, quod ſanè apertè adverſatur adductis decretis S. Congregat. & quamvis eorum ſententia firmari videatur ex reſolutione ejuſdem Sac. Congreg. in *Feudana*, quam ſuperiùs retuli; Nihilominus, ut rectè advertit Epiſcop. Criſpin. *in Viſit. Paſtor. par.* 2. §. 23. *num.* 10. ad vitandam hujus reſolutionis cum aliis poſteà editis anthinomiam, dicendum eſt, eam prodiiſſe ex peculiaribus facti circumſtantiis, præſertim ne ob Auditorum deficientiam fruſtraretur mens Sac. Concilii in erectione Præbendæ Theologalis; quod ſanè quoties contingat, quamvis Epiſcopi non poſſint propria auctoritate Canonicos, & Beneficiatos cogere, opportunè recurrere poſſunt ad eamdem Sac. Congregationem, quæ prudenter in his caſibus conſulere ſolet.

CONSTITUTIO I.

URBANI V.

incipiens. (*Apoſtolatus.*)

EPITOME BULLÆ

URBANUS ARNOLDO ARCHIEPISCOPO Auxitano Camerario noſtro.

JUriſdictionem Camerario S. R. Eccleſiæ impartitur contra Piratas, nova pedagia imponentes, Saracenis arma deferentes, ac impedientes eos, qui ad Sedem Apoſtolicam accedunt, vel recedunt, ſeù ad Urbem victualia deferunt.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Urbani V. natales, ac ad Pontificatum aſſumptio referuntur.*
2 *Innuuntur ejus præclara geſta durante Pontificatu.*
3 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione.*
4 *Proponuntur tractanda in præſenti Commentario.*
5 *Cardinalis Camerarii dignitas fuit etiam olim in Eccleſia ſub nomine Cardinalis Archidiaconi:*
6 *Cardinalis Archidiaconi munus, & dignitas, quæ olim fuerit;*
7 *Archidiacono quando, & quatenus ſucceſſerit Camerarius.*
8 *Honorius III. Camerarii munus geſſit, atque promovit.*
9 *Ampliſſima Camerarii facultates recenſentur.*
10 *Ei hodie, prout olim, non competit electio Theſaurarii, A. C. Gubernatoris Urbis, & Eleemoſynarii.*
11 *Theſaurarius, Gubernator, & A. C. quam pertinentiam hodie habeant cum Tribunali Cameræ.*
12 *Camerarius præſidet Cameræ, & Fiſco Eccleſiaſtico, ac ſæculari.*
13 *Camerarius æquiparatur Præfecto Prætorio, ſeù Procuratori Cæſaris.*
14 *Camerarii ampla facultas, Pontifice in extremis agente, vel Sede vacante.*
15 *Ordinaria Camerarii juriſdictio an expiret Sede vacante.*
16 *Si Camerarius Sede vacante decedat, poſſunt Cardinales alterum eligere.*
17 *Camerarius inter alios Cardinales præcedentiam non habet, niſi uti Cardinalis.*

HAud longè protracta fuere Pontificia Comitia
poſt obitum Innocentii VI. nam poſt acres, ſed 1
breves contentiones inter Cardinales, Avenione 1.
Kalendas Octobris Ann. 1362. electus fuit, quamvis
abſens, & inter Cardinales non adſcriptus, Guillelmus Griſarus, natus in Oppido ejus familiæ, Griſatio nuncupato, Provinciæ Tholoſanæ. Hic liberalibus ſtudiis à primis annis imbutus, utriuſque Juris lauream, & Sacræ Theologiæ Magiſterium ſuſcepit in Academiis Montis Peſſulani, Tholoſana, Avenionenſi, & Pariſienſi. Monaſticam deindè vitam profeſſus in Conventu Mimatenſis Diœceſis Ordinis Cluniacenſis, per viginti annos Sacras Literas, ac jus Pontificium publicè docuit; deindè ab Innocentio VI. Abbas Antiſiodorenſis, ſubindeque Maſſilienſis itidem Abbas deſtinatus, à qua dignitate ad Pontificatum pervenit, dum legatione funge-

batur in Italia apud Vicecomites. Recepto itaque nuncio ſuæ electionis, ſtatim Avenionem petiit, ubi Coronationis inſignia ſuſcepit 8. Idus Novembris ejuſdem anni; Innocentiſſimam duxit vitam, & adhuc Papa Monaſticum detulit habitum, virginalemque candorem perpetuò ſervaſſe fama erat; Precibus legato-
2 rum Populi Romani Romam venit Ann. 1365. ut res Eccleſiæ Romanæ, ex abſentia Pontificum ferè collapſas inſtauraret. Palatium Vaticanum reſtituit, & ornavit; Quando & ipſum veneraturus ad Urbem acceſſit Joannes Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator, exceptus à Pontifice præ foribus Baſilicæ Vaticanæ, in qua coram eo publicè Catholicam fidem fuit profeſſus, eumque Romanum Pontificem totius Chriſtiani Orbis Caput, & Paſtorem agnovit; Avenionem poſtmodum Urbanus rediit maximo Urbis mærore; Plura porrò præſcripſit pro Eccleſiæ reformatione, ac demum obiit Avenione 14. Kalend. Januarii Ann. 1370.

3 Inter alia verò, quæ Urbanus indixit in noſtro Bullario, primum obtinet locum hæc Conſtitutio edita Avenione 4. Idus Octobris Anno 1364. Quippè cùm provide idem Pontifex animadverteret, parum prodeſſe venerandis, & proficuis ſanctionibus Rempublicam armare, niſi brachio ultrici eorumdem tueatur majeſtas; nam torpent Leges, niſi ſuo quodammodo animentur, & ſpiritu, quaſi dicam, vindici inſuflentur; Deputato itaque Executore Arnoldo Archiepiſcopo Auxitano S. R. E. Camerario, proficuas in præſenti animavit Conſtitutiones, in quibus Bonifacius VIII. aliique Summi Pontifices temporalibus, & ſpiritualibus pœnis proſequuti fuerunt imponentes pedagia, aliaque onera ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis extorquentes: adverſus Piratas, latrones maritimos, eorumque fautores; atque item in inferentes arma, aliaque prohibita Saracenis; præterea in illos, qui ad Apoſtolicam Sedem confugientes, venientes, recedentes in Curia commorantes, necnon Judices, Advocatos, alioſque negotiorum geſtores occaſione cauſarum privata vindicta detinent, ſpoliant, vel interficiunt; atque tandem contra omnes, qui victualia, aliaque bona in Romanam Curiam deferri quoquomodo impediunt. De his igitur actibus jam aliæ ſunt Conſti-
4 tutiones prohibitivæ, ut de bonis naufragantium dixi *Conſt. un.* Honorii III. *ſect.* 2. *to.* 1. & adeſt quoad præfatos exceſſus Bulla in Cœna Domini; Tandem in hac bulla tantùm præſcribitur, ut Camerarius contra eos procedat, & ſic quoad ipſos exceſſus in ſuis propriis ſedibus erit dicendum, reſtricta hìc mentione, quod Camerarius ex vi hujus Bullæ habet contra eos facultatem procedendi; Verumtamen ad hujuſmodi ſanctionum executionem noſtris temporibus, æque ac Cardinalis Camerarius, Auditor quoque Cameræ cumulativè procedit ex *Conſt.* 20. Pauli V. *incip. Eximia* §. 14. ubi cavetur Auditorem Cameræ Apoſtolicarum Literarum exequutorem eſſe, privativè quidem, ſi aliùs datus non ſit, cumulativè autem, ſi alius deſignatus fuerit, ut advertit Cherubin. *ſil. ſchol.* 1. *ad hanc Conſtit. Choell. ad Bullam boni reg. cap.* 15. *numer.* 16.

Non incongruum autem erit in præſenti Conſtitu-
5 tione, quæ S. R. E. Camerarii officium in hujuſmodi opere primùm offert, nonnulla circa ejus antiquitatem, & dignitatem delibare. Camerarii profectò ampliſſima dignitas, ne dum Romæ, & in temporalibus Romanæ Eccleſiæ ſemper refulſit, ſed potiſſimum in primordiis Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ inter primas Eccleſiaſticas dignitates venerabatur; Tunc enim quamvis Camerarii nomen erat incompertum, Camerarii tamen officium explebat Cardinalis Archidiaconus, maximæ olim auctoritatis, & prærogativæ, ac æquè
6 antiquiſſimus Eccleſiæ Adminiſter; Ipſe namque Papæ Vicarius in omnibus temporalibus conſtitutus erat, aliaque munia exercebat, quæ Archidiacono tamquam Epiſcopi Vicario in Jure adiiciuntur, juxtà plenè notata in *cap.* 1. *& ſeq. de offic. Archidiac.* quodque in Eccleſia Romana adfuerit Cardinalis Archidiaconus liquet, quia Gregorius Papa VII. fuit talis, ut recenſet *Ciaccon. in ejus vita*, & poſt eum Thomaſſin. *de benef. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 3. ubi addit, Vuilelmum Malmesburienſem narrare in Concilio Barienſi ſediſſe Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, juxtà Archidiaconum Romanum, & apud Card. de Luca *in relat. Roman. Curiæ diſc.* 4. *num.* 4. *& diſc.* 6. *n.* 4. Ipſi patrimonii Eccleſiæ adminiſtrandi cura incumbebat, Veſtr. *in praxi lib.* 2. *cap.* 1. ipſum Eccleſiaſticorum redditumm Pauperibus diſtributioni præpoſitum fuiſſe, notat Gloſſ. *in can.* 1. *verbo aut ligandi* 8. *qu.* 1. Quapropter qui Cardinalem Archidiaconum, nunc Camerarium dictum, ſucceſſorem eſſe ſeptem primitivæ Eccleſiæ Diaconorum autumant, non longè à rei veritate aberrare viſi fuerunt, Panvin. *relat. à* Choell. *in notitia Cardinal. cap.* 39. *& in Bull. bon. reg. cap.* 15. *num.* 7. incontrovertibiliter verò S. Laurentium Martyrem ejuſmodi munus in Romana Eccleſia expleviſſe ex ſui martyrii actibus habetur; & notat Gravat. *ad Veſtr. cit. lib.* 2. *cap.* 1.

Profectò autem ſub Gregorio VII. qui anno redem-
ptæ ſalutis 1703. Pontificatus clavum geſſit; Cardina- 7
lis Archidiaconi nomine antiquato, ampliſſimo huic miniſterio Camerarii Apoſtolicæ Cameræ denominatio acceſſit, Choell. *in notitia* Card. *loc. cit.* Moſcon. *de majeſt. Milit. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 133. Sed contrarium elici ex citato Concilio Barienſi poſteà celebrato dixerat Thomaſſin. *cit. num.* 3. cùm ibi fiat mentio de Archidiacono Romano; hoc autem certum eſt, munus Archidiaconi ceſſaſſe, prout non eſt in Eccleſia Romana, Thomaſſin. *cit. num.* 3. Gonzal. *in cap.* 1. *n.* 2. *de ſcrutin. facien.* vel id evenit, quia Cardinales provecti in majoris dignitatis faſtigium, quemquam ſibi imminere Archidiaconum iniquo tulerint animo. Nec improbabile eſt, quod aſſerit Card. de Luca *in relat. Romana Curia cit. diſc.* 11. *nu.* 1. ſua mole oppreſſa Archidiaconi dignitate, cùm Summus Pontifex, qui omnia ejuſdem dignitatis munia in ſe aſſumpſit, tandem ne eiſdem ſuccumberet, Cameræ Apoſtolicæ adminiſtrationem dumtaxat cuidam familiari ſuo commiſit, qui ob id Camerarius nuncupari ſolebat, utì Cameræ Pontificiæ aſſiſtens in domeſticis audientiis, ex Veſtrio *in praxi lib.* 2. *cap.* 1. *in princ.* ſeù potiùs, quia pecuniarum Eccleſiæ, quæ in Cameris aſſervabantur curam, & adminiſtrationem aſſumpſerit, ut autumant Panvin. relatus à Moſcon. *lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 133. Id
verò compertiſſimum eſt, magnæ auctoritatis Perſonis 8
hujuſmodi Camerarii munus atque tunc injunctum fuiſſe; celebris enim in antiquis monumentis eſt nomen cujuſdam Cencii Sabelli, qui regnantibus Clemente III. & Cœleſtino III. Camerariatus officium ſumma cum laude geſſit, ut Cencius Camerarius per anthonomaſiam nuncupetur. Hic enim, teſte Baron. *ad Ann.* 1192. rebus temporalibus Eccleſiæ conſulturus, opus valdè utile aggreſſus fuit: & cenſus, qui tunc Romanæ Eccleſiæ à diverſis perſolvebantur, ſcriptis mandavit, cui volumini in argumento ita præfatus eſt: *Incipit liber cenſuum Romanæ Eccleſiæ, à Cencio Camerario compoſitus, ſecundum antiquiorum Patrum regeſta, & memorialia diverſa. Anno Incarnationis Dominicæ* 1192. *Pontifex Cœleſtini Papæ III. Anno II.* qui Cencius Camerarius ab eodem Cœleſtino inter Cardinales adlectus, Honorii III. nomine deinde Pontificatum geſſit, Ciaccon. & Panvin. *in vita ejuſdem Pontificis.* A temporibus uſque Innocentii III. de Anno 1198. conſtat, hujuſmodi Camerariatus munus Cardinalitia dignitate decoratum fuiſſe, ex *cap. ad audientiam de præſcript.* ibi: *conſiderante etiam librum cenſualem, quem non ſuſpectum habuimus, licèt non in noſtra, ſed in Card. S. Adriani Camera fuerit inventum, qui quando Camerarius fuerat, de Camera Beati Petri ſuſcepit.*

Paulatim verò adeò crevit Camerarii hujus dignitas,
& Juriſdictio; vel ex particularibus Summorum Pon- 9
tificum commiſſionibus, vel quia facilè, & ſenſim honos accedit Perſonæ, quæ lateri Principis jugiter adhæret, ut antiquam Cardinalis Archidiaconi di-

ni di-

ni dignitatem ; cui in partem ſucceſſit , omninò æmularetur ; Camerarius namque temporale Urbis , ejuſque diſtrictus regimen reaſſumpſit , ac etiam appellationes , & recurſus ad Sanctam Sedem ipſe recipiebat , atque in decisione cauſarum maximam habebat dignitatem ; Datarii quoque munus exercere cœpit , aliaque ſupra memorata Cardinalis Archidiaconi munia , adeòut tantis oneribus ferendis impar , adjutores , & officiales ſubordinatos ſibi adſcivit Eleemoſynarium ad diſtribuendas eleemoſynas , pro temporali Urbis ejuſque diſtrictus gubernio quemdam Vice-Camerarii , ſivè Urbis Gubernatoris nomine , atque pro cauſarum cognitione Auditorem , qui Auditor Cameræ dicebatur , Theſaurarium pro Ærarii Gubernio , Clericos Cameræ Advocatum Fiſci , Commiſſarium Cameræ , pro judicandis cauſis Cameralibus , ac eis defendendis , de quibus ſingulis ſuo loco dicam , Veſtr. *in praxi cit. lib.* 2. *capit.* 1. *ibique Gravat* , Cardin. de Luca *cit. diſc.* 11. *numer.* 2. *Cherubin. in Conſtit.* 1. Urban. IV. *ſchol.* 2. *Ridolph. in praxi part.* 2. *capit.* 1. *numer.* 1. *& ſeq.* Scortia *ad Conſtitut. Apoſt. Theorem* 140.

At profectò non ex diverſis , quibus olim Archidia-
10 coni dignitas defecit cauſis , Camerarii quoque ampliſſimum munus imminutum paulatim extitit ; Quippè Summi Pontifices manus apponere cenſuerunt in omnium prælibatorum miniſtrorum deſignatione , Auditoris videlicèt Cameræ , Gubernatoris Urbis , Theſaurarii , & Eleemoſynarii , aliorumque eiſdem Juriſdictionem opportunam conferendo , propterèaque tàm Cameræ Auditor , quàm Gubernator , & Theſaurarius prorsùs independentes à Camerario , proprium quiſque Tribunal efformare cœperunt ; Id verò controver-
11 ti nec poteſt , quod nominati Miniſtri aliqualem adhuc primœvæ eorumdem inſtitutionis memoriam retinent ; Etenim Urbis Gubernator , & Theſaurarius , quamvis Judices minus competentes ſint Cauſarum , quæ in Tribunali Cameræ aguntur , adhuc tamen ſedendi Jus in Tribunali Cameræ conſervant ; quinimò Gubernator Vicecamerarii primariam nomenclaturam cum nonnullis antiquis prærogativis potiſſimè præeminentialibus retinet , Cardinal de Luca *cit. diſc.* 11. *num.* 5. *&* 6. Auditor verò Cameræ non Papæ , beneverum Camerarii Auditor hiſce etiam temporibus dici debet , ut expreſsè nominatur in *Conſtit.* Innocent. VIII. *incip. Apprimè* , & deciſum refert *Ridolphin. in praxi par.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. *&* 23.

Noſtris itaque temporibus Apoſtolicæ Cameræ Ca-
12 merarii officium nonnulla circa munera , & officia verſatur , ipſi ſpecialiter commiſſa à Summis Pontificibus in Conſtitutionibus recenſitis à Cohell. *ad Bullam boni regim. cap.* 15. *num.* 14. *cum ſeqq. & in notit. Cardinal. cap.* 38. Laurea *Epit. Canon. verbo Camerarius Apoſtolica Camera* , Capuc. *in praxi par.* 1. *cap.* 2. *artic.* 6. *num.* 146. & dixerunt Cardinal de Luca *cit. diſc.* 11. *num.* 7. *cum ſeqq. & de Judiciis diſc.* 47. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 21. Moſcon. *de Majeſt. Milit. Eccl. loco cit.* quæ quidem ſigillatim in occurrentibus Conſtitutionibus reaſſumemus ; Potiſſimùm verò prioris auctoritatis , & prærogativæ Camerarius nunc retinet circa Cameræ , atque Fiſci Utriuſque principatus Eccleſiaſtici , & Sæcularis præſidentiam ; etenim Apoſtolicæ Cameræ Caput , & Præfectus Camerarius dicitur , Fiſcoque præeſt , R. P. D. Fattinell. *reſponſ.* 2. *num.* 19. & alibi recurret ſermo ; ſpecialiſſima ita-
13 que , ac propria hujuſmodi præeminentia inſpecta , Camerarii munus ad antiquos Romanorum Magiſtratus referendo , Præfecto Prætorio æquiparari poteſt , Auth. *de collat.* §. *eos autem* , *& l. ult. C. de exact. mun.* ſivè in locum ſucceſſiſſe Procuratoris Cæſaris , ait Capyc. *dec.* 97. aut Præfecti Ærarii munus adimplere opinatur Gravat. *ad Veſtr. loco cit.*

Antiqua verò ampliſſima munera , & prærogativas
14 reaſſumere videtur Card. Camerarius , Sede Apoſtolica vacante ; viam enim univerſæ carnis ingreſſuro Summo Pontifice , aditus pro ejuſdem libitum patens reſervatur ad Papæ cubiculum , ſe certum faciendi cauſa de ipſius vita , & morte pro juribus , & intereſſe Cameræ , atque tunc , ſi velit , poteſt Cuſtodes Sacro Pontificio Palatio apponere ; Mortuo autem Summo Pontifice , ipſo authore , fit cadaveris recognitio , ipſique annulus , qui Piſcatorius dicitur , conſignatur , ut ab ipſo publicè frangatur ; aſſumit ipſe etiam Apoſtolici Palatii gubernium , atque ſpecialia ejuſdem præſidentiæ officia diſtribuit Cameræ Apoſtolicæ Clericis ; Conclave conſtrui faciendi ipſi cura incumbit cum opportuna deputatione Officialium , & Miniſtrorum ; Camerarius ipſe novendio , mortuo Pontifice , per Urbem incedit , more Principis communitus militum cuſtodiis nationis Helveticæ , atque tandem aliis minoribus incumbentiis poſthabitis , Camerarius unà cum tribus Cardinalibus , quos Capita Ordinum vocant , poſt Papæ obitum reliquos Cardinales convocat , & ut conclave undique claudatur , curandi jus habet , ut notarunt Card. de Luca *in relat. Rom. Curiæ cit. diſc.* 11. *num.* 38. Jul. Lavorius *de Conclavi cap.* 1. *in princ.*

Pro comperto autem eſt , quod Sede Vacante Car-
dinalis Camerarii ordinaria Juriſdictio non expirat , ne 15
Eccleſiæ redditus interim negligantur , ut probat *Tex. in Clem.* 2. *de elect.* §. *porro* , *can. ſiquis objerit* 1. *qu.* 3. Gonzalez *in cap. ad audientiam num.* 8. *de reſcript.* Moſcon. *de Majeſt. milit. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. incumbere enim debet exactionibus , aliiſque neceſſariis proviſionibus unà cum miniſtris Apoſtolicæ Cameræ ; à novationibus tamen , ſolutionibus , atque computorum ſolidationibus , itemque à frumentorum extractionibus abſtinere debet , ut ſancitur in *Conſtit.* 63. Pii IV. *incip. In eligen.* §. 9. & notant Scaccia *cit. lib.* 1. *capitol.* 21. *num.* 2. *&* 3. Cohell. *ad Bullam boni reg. cap.* 15. *num.* 50. Itaque Cardinalium cœtus in officio Camerarii Sede vacante ſeſe ingerere nequit , neque eidem in officium alium adjungere poſſe , niſi Camerarius Eccleſiæ bona dilapidaret , ut in facto Sede Vacante ob Leonis X. obitum , ſcripſit latè Gambarus *de*
Legat. lib. 9. *num.* 53. *cum ſequentibus.* At verò ſi Ca- 16
merarii obitus Sede vacante contingat , poteſt Cardinalium cœtus alium in officio pro tempore vacationis ſubrogare , ex *Clem.* 2. §. *eo tamen de elect. ibique Gloſſ. verſ. Camerarius* , Cohell. *ad Bull. bon. regim. cit. cap.* 15. *num.* 51. Licèt enim pluribus ſuffulciatur præ-
rogativis Cardinalis Camerarius , tamen in eo , quod 17
pertinet ad Cardinalatus officium , Camerarius ſicuti Vicecancellarius , & Pœnitentiarius nullam prærogativam ſupra alios Cardinales ſortiuntur , ut firmavit Rota *deciſ.* 716. *num.* 16. *coram Seraphino* ; hinc juxta propriam antianitatem , & ordinem præcedit alios , ac ab aliis præcedentia obtinetur ſuper ipſum , & videtur Vicecancellarii munus poſteà addictum Cardinalibus , habere majorem prærogativam , ex Juriſdictione magis ampla per totum Orbem , Gravat. *ad Veſtrium lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Quia tandem facultates S. R. E. Camerarii , imò ejus emolumenta , variè fuerunt immutata , ac diminuta , ideò de his dicemus in *Conſtit.* 1. Urbani VI.

CONSTITUTIO II.

URBANI V.

incipiens (*Sincera.*)

EPITOME BULLÆ.

URBANUS PRIORIBUS COETERISQUE Perſonis Carthuſienſis Ordinis.

MOnachis Carthuſienſibus benignè indulget uſum Altaris portatilis , ſuper quo in locis honeſtis , & congruentibus celebrare , & in eorum præſentia celebrari facere poſſint.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Carthuſiani gaudent privilegio celebrandi in Altare portatili.*
2 *Altaris ethimologia, & origo illuſtrantur.*
3 *Altare aliud firmum, aliud portatile.*
4 *Qui in primitiva Eccleſia fuerit uſus Altaris portatilis:*
5 *S. Silveſter prohibuit celebrari, niſi in altari firmo.*
6 *Nec niſi in Eccleſia Altaria erigi poſſunt:*
7 *Celebrantes in Altare portatili peccant, & puniri poſſunt.*
8 *Privilegium Altaris portatilis plures Religiones obtinent.*
9 *Eodem privilegio gaudent Miſſionarii Jeſuitæ.*
10 *Itemque Epiſcopi, aliique Superiores.*
11 *Afferuntur rationes, quibus aliqui aſſerunt, hoc privilegium quoad Regulares eſſe revocatum.*
12 *Aſſeritur hoc privilegium fuiſſe revocatum per Concil. Tridentinum.*
13 *Id comprobatum reſolutionibus Sac. Congregationis Concilii.*
14 *Regulares celebrantes in Altare portatili poſſunt cenſuris plecti ab Epiſcopo.*
15 *Privilegium Altaris portatilis quoad Epiſcopos non eſt à Concilio revocatum.*
16 *Hoc privilegium qua ratione Epiſcopis fuerit conceſſum.*
17 *Epiſcopi quibus caſibus hoc privilegio uti valeant.*
18 *Quis ejuſdem privilegii uſus ſit Epiſcopis in aliena Diœceſi.*
19. *Epiſcopus an poſſit in ſua Diœceſi concedere, ut celebretur in Altare portatili.*
20. *Aſſeritur poſſe Epiſcopum id concedere ex certis cauſis, & quid de Vicario ipſius Epiſcopi.*
21 *An in iiſdem caſibus poſſit celebrari quotidie, vel tantum diebus feſtis.*
22 *Hoc privilegio fruuntur Epiſcopi etiam non conſecrati, & quid de Titularibus, & Suffraganeis, aut Adminiſtratoribus Epiſcopatuum.*
23. *Itemque Cardinales, aliique Epiſcopis Superiores.*
24 *Regulares Miſſionarii non utuntur Altare portatili, niſi ex ſpeciali privilegio, nec ſuffragatur communicatio privilegiorum.*
25. *Altare portatile erigi debet in loco decenti, & honeſto.*
26 *Habentes privilegium Altaris portatilis, an poſſint eo uti ſuper navibus.*
27 *Miſſas olim pluries in Mari fuiſſe celebratas oſtenditur.*
28 *Aliqui aſſerunt, quod habentes privilegium Altaris portatilis poſſint celebrare ſuper Navibus magnis, & tutis.*
29. *Privilegium Altaris portatilis non ſuffragatur, ut celebrari poſſit in Mari ſuper Navibus.*
30 *Papa an, & ex quibus cauſis concedat privilegium celebrandi ſuper navibus.*
31 *Refertur qualiter hoc privilegium fuerit nuperrimè conceſſum Militibus Hieroſolymitanis, & Legato Apoſtolico Sinarum.*
32 *Cardinales, & Epiſcopi quatenus poſſint Romæ uti Altare portatili.*
33 *Altare portatile cujus materiæ, & figuræ eſſe debeat.*
34 *Altare portatile debet eſſe ab Epiſcopo conſecratum.*
35 *Execratio Altaris portatilis ex quibus cauſis contingat.*

1 HUjus Conſtitutionis editæ 7. Kal. Maii Anno 1363. relatum Epitome continet, quòd Urbanus Papa in ea conceſſerit Monachis Carthuſianis facultatem
celebrandi in Altari portatili, in locis honeſtis, & congruentibus poſito, unde ad ejuſdem illuſtrationem de
Altari portatili, ſeù viatico in medium aliquid proferam, ut quidem ex inde generaliter notatis de his, &
ſimilibus privilegiis in caſus contingentiâ judicium efformari valeat. Altare igitur, quaſi alta res, Latini Eth- 2
nici dicebant Loculum à terra elevatum, ſuper quo Dis
Superis victimas immolabant; depreſſiùs enim in aris
terreſtribus ſacrificabant Diis; Infernalibus verò, & Manibus
nonniſi in foſſis, ſeù ſcrobibus libamina fundebant,
ut ex Virgilio, Homero, ac Varrone recolunt
Tholoſan. *ſintag. Jur. lib.* 2. *cap.* 1. *numer.* 6. Lotter.
de re benef. quæſt. 30. *lib.* 1. *num.* 4. Ad quid autem
Altarium antiquum uſum ex profano trahimus ritu,
cùm Sacræ Literæ hujus rei luculenta nobis præbeant
argumenta; Altaria namque erexerunt in prima Lege
Noe, poſtquam eſt egreſſus ab Arca, *Geneſ. cap.* 8.
Abraham ad imolandum filium ſuum, juxtà præceptum
Domini, *ibid. cap.* 22. Iſaac quoque, & Jacob
pluries, *cap.* 35. In lege autem ſcripta Altaria ædificarunt
ad imolandum holocauſta pro peccatis, & ad
offerendum hoſtias pacificorum in oblationem ſuaviſſimi
odoris Deo vero, juxta præcepta Levitici, *Joſue
cap.* 8. in Monte Hebal Gedeon, *Judic. cap.* 6. Samuel
in Ramatha, 1. *Reg. cap.* 8. Saul in Sabaa 2. *Reg.
cap.* 20. & aliis omiſſis Judas Machabeus, *cap.* 2. In
lege tandem Gratiæ jam tum ferè ab ineunte Eccleſia
Altaris uſus eſt receptus, *Apoſtol.* 1. *ad Corinth. cap.*
9. *& ad hebraeos cap.* 13. D. Auguſtinus *lib.* 20. *con.*
Fauſtum *cap.* 21. *& ex Conc. Nican. alb.* 3. *Carthag.
cap.* 14. Tertullian. Ambroſ. & Hieron. tradit Bozz. *de
ſignis Eccleſ. lib.* 15. *cap.* 16. *ſign.* 71. Baron. *to.* 1. *in
princ. num.* 105. & quaſi dicam, in infinitum crevit
ejuſdem Majeſtas, & reverentia, tàm ex parte exercitii,
quàm ex parte ſignificati, videlicet cùm incruentum
veri Corporis, & Sanguinis Domini quotidiè Deo
Patri ſacrificium ſuper altari offeratur, illud Crucem,
& Sepulchrum Domini repræſentare, Lambertin. *de Jurepatr.
lib.* 1. *par.* 1. *qu.* 11. *art.* 8. Amoſtaz. *de cauſis
piis lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 1. quamobrem menſa Domini
dicitur ab Apoſtolo. 1. *Corinth.* 10. & Sedes Corporis,
& Sanguinis Chriſti ab *Optate Milevit. con.
Donatiſt. lib.* 6. Nil itaque mirum, dum in Eccleſia
altaria habere ſub præcepto edixerunt Aquiſgranenſe,
Hipponenſe, & Agatenſe Concilia, ut recenſet Amoſtaz.
loc. cit. ex Suarez *de Euchar. diſp.* 81. *ſect.* 5. §. *ult.*
Paſqualig. *de Sacrif. Miſſæ qu.* 669. *num.* 4. nam ſine
Templo ſuper Altari ſacrificari poteſt, abſque verò Altari
nec in Templo licet; Templum enim eſt locus Altaris,
Altare autem eſt locus ſacrificii, ut deducunt
Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 30. *num.* 9. Frances *de
Eccleſ. Cathed. cap.* 5. *num.* 118. His autem præfatis
io noſtram Provinciam deſcendendo, duo dixerunt Altarium
genera DD. communiter, unum firmum, at- 3
que ſtabile, quod communiter intelligitur pro tota menſa
in Eccleſia ſita, in qua ſacrificium offertur, in cujus
appendicibus hic non eſt immorandum. Viaticum aliud,
ſeù portatile, quod de loco ad locum defertur, & tabula
itineraria dicitur in Ordinario Romano; antimenſia
verò, ſivè ſuperaltaria apud Græcos, ex documentis
congeſtis à Durant. *de rit. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 25. *num.*
7. Sumpta quidem diſtinctione, ut opinor, ex variato
Eccleſiæ ſecundùm tempora uſu; Furente enim Ethnicorum
Tirannide, cùm primis Eccleſiæ Alumnis locus 4
ad celebrandum permanens non eſſet, his viaticis Altaribus
utebantur facilè de una ad aliam ſedem amovendis,
ad quod alludit S. Cornelius Papa in Epiſtola
ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum, ibi: *Scias Frater
cariſſime, arcam Dominicam vente perſecutionis
acerrimè commoveri*, & infrà: *nam ad hoc in Urbe Romana
Imperator conſtitutus eſt, ut publicè neque in Cryptis
notioribus Miſſas agere Chriſtianis liceat.* Neque
eſt prætereundum, quod de S. Juliano, ſeù ut alii
malunt, Luciano fertur, qui dum in Carcere eſſet
mancipatus, rogantibus diſcipulis, ut die feſto Theophaniæ
Corpore, & Sanguine Domini recrearentur, nec

modus

modus eſſet ad erigendum altare; ille verò, inquit, *Menſa erit vobis meum pectus, non futura Domino minus honeſta ea, quæ fit ex inanimi materia; templum autem Sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes in orbem*; itaque factum eſt, & ſigna divini Sacrificii ſuo pectori ſunt impoſita, ut latiùs Nicephor. *lib.* 8. *Hiſtor. cap.* 31. & Theodoret. *de Vitis Patrum c.* 20. recenſet, quod quidam Anachoreta manibus Diaconorum pro Altare uſus, divinum, & ſalutare obtulit Sacrificium. At verò ſta-
5 tim atque Eccleſia ſub Conſtantino, reddita pace, liberè reſpiravit, S. Silveſter omnium primus Lapidea firmitate Altaria de cætero conſtruenda, ut par erat, juſſit, portatilium abrogato uſu, de quo decreto S. Silveſtri, antiquioribus omiſſis, memorant Ventrigl. *in praxi Eccleſ. annot.* 20. §. *unico n.* 7. *part.* 2. Franceſ. *cit. cap.* 5. *numer.* 130. *cum ſeqq.* & 139. Suarez. *oper. moral. tom.* 3. *quæſt.* 83. *art.* 5. *diſp.* 81. *ſect.* 5. Bellarmin. *controv. to.* 1. *de Verbo Dei lib.* 4. *cap.* 13. Venerationi deinde, & Sanctitati Auguſtiſſi-
6 mi Altaris Sacrificii conſulendo, ex Sac. Conciliorum decretis ſancitum fuit, ut non niſi in Eccleſiis conſecratis, vel ſaltem benedictis Altaria erigi queant, adeòut nec ipſis Epiſcopis, eoque minus de ipſorum licentia in privatis locis celebrare fas ſit, ut ex *can.* 1. *in fine, can. ſicut, & can. unicuique cum concord. de conſecr. diſt.* 1. colligit Fagnan. *in cap. in his nu.* 2. *de privileg.* quorum quidem Canonum congruentia omnibus Orthodoxis à Felice Papa palam fit, in *cit. can. ſicut: Satius enim eſt*, inquit, *Miſſam non cantare, aut non audire, quam in locis, ubi fieri non oportet, juxtà præceptum Deuteronomii capit.* 12. *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris; ſed in eo, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Qua-
7 propter extra Eccleſiam in Altari portatili celebrantes poſt recenſitas ſanctiones non tantum in foro conſcientiæ graviter peccare, dicunt DD. plena manu congeſti à Barboſa *de Epiſcopo part.* 2. *alleg.* 23. *num.* 2. Azor. *inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 8. Graff. *in deciſ. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 42. Verùm etiam in foro fori gravi pœna puniendos eſſe, firmat Ricc. *deciſ.* 218. *in fine part.* 3.

Sic itaque antiquato Altarium portatilium uſu, adeò
8 quod non faciliter de cætero concedendum cenſuit Concilium Senonenſe *in decret. moral. cap.* 15. apud Lauræam *in epit. Canon. verbo Altare Viaticum*; non eſt tamen quod circumſpecta Romanorum Pontificum providentia ad ſingulorum merita, & obſequia aliquando converſa hujuſmodi etiam ſpecialibus gratiis, & privilegiis ſibi benevolos grato non proſequatur animo, ut ex pluribus ſimilibus Conſtitutionibus, quæ paſſim in hoc opere occurrunt, edocemur; Ita Urbanus V. in hac Bulla, quam præ manibus habemus, ſupplicationibus Carthuſienſium inclinatus benignè indulſit uſum Altaris portatilis, ſuper quo in locis honeſtis, & congruentibus celebrare, & in eorum præſentia celebrari facere poſſint; Ejuſmodi quoque privilegium Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus olim fuiſſe conceſſum recolitur in *Tex. cap. in his de privilegiis*, ubi declaratur quod abſque Prælatorum licentia Altari portatili ex indulgentia Apoſtolica eiſdem conceſſo, uti poſſint, & quoad Fratres Minores renovatur in *Conſt.* 4. Clementis IV. *incip. virtute* §. 8. & *in Conſtit.* 6.
9 Sixti IV. *incip. Regimini* §. 4. Gregorius autem XIII. hoc idem indultum Viatici Altaris à Paulo III. Religioſis Societatis Jeſu conceſſum poſt Conc. Trid. eatenùs reſtituit, ut inter Miſſiones ſuper eodem licitè valeant celebrare, in *Conſt. ejuſdem* 57. *incip. Uſum*; & tandem, aliis ſi qui ſint, omiſſis, Urbanus VIII. Fratribus Reformatis Diſcalceatis Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum annuit, ut in partibus dumtaxat Africæ ſuper Altari portatili celebrare poſſint, ut in *Conſt.* 108. *incip. Cum ſicut tom.* 5. *Bullar.*
10 At præter relata hæc in Regularium Ordines Apoſtolicæ beneficentiæ monumenta, aliud quoque in corpore juris clauſum occurrit Altaris Viatici privilegium Epiſcopis omnibus, eorumque Superioribus à Bonifacio VIII. conceſſum, ut ſuper eum ipſi celebrare poſſint, vel ſibi facere celebrari, in *cap. quoniam de privileg. in* 6.

His tamen Regularium privilegiis non acquieſcunt
DD. duplici ſibi propoſito medio ad eorumdem infrin- 11
gendam vim; Arguunt ſiquidem primò, quod impetratis hujuſmodi indultis benè utebantur Regulares in novitate ſua, quando viventes more quodam Anachoretico, nec Conventus, nec Cœmeteria, nec Eccleſias conſecratas habebant, & celebrabant in propriis habitaculis, hodie verò cum Eccleſias habeant, & ibi fixa Altaria ad celebrandum, utique ceſſante cauſa; ceſſare etiam debet privilegium, ob quam conceſſum fuit, argumento ſumpto ex *cap. cum ceſſante de appell. cum concord.* ſed proprius in caſu ex *cap. concedimus de conſec. diſt.* 1. ubi ſancitur, quod ceſſante cauſa conceſſionis Altari portatilis, ceſſare etiam debeat privilegium. Secundò quia cùm in Miſſæ ſacrificio aliqua ex hujuſmodi indultis irrepſerint, per jus noviſſimum Sac. Conc. Trid. eiſdem ſit obviam itum in Decreto *de obſervandis, & evitan. in celebr. Miſſa ſeſſ.* 22. Verum ſicut
primodicta ratio non admodum perſuadet, nam quid- 12
quid ſit, an applicari valeat ad eludendam diſpoſitionem *Tex. in cit. cap. in iis de privil.* indubium tamen eſt, quod nullius eſt precii adverſus ſupraſcriptas Conſtitutiones, quæ editæ fuerint poſtquam Regulares, & Conventus, & Eccleſias habebant: Ita ineluctabilis mihi videtur diſpoſitio Conciliaris, & undique concludens ad abrogationem hujuſmodi privilegiorum Regularium utendi Altari viatico, dum diſponit: *Neve patiantur (ideſt Epiſcopi) privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad Divinum Cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, ſivè Regularibus quibuſcumque peragi*, cum clauſula derogatoria quorumcumque privilegiorum; Quis enim negabit Concilium, dum diſponit, quod Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Eccleſiis, & Oratoriis publicis omninò celebrari non obſtantibus privilegiis, de his etiam indulgentibus Altare portatile, ut ubilibet peragi poſſit, intellexiſſe? Neque eludendo mentem Sacri Concilii, quam iidemmet contrariæ opinionis Doctores negare non audent, juvat dicere, quod ex eodem Textu hujuſmodi privilegia non fuerint abrogata, ſed tantùm Epiſcopis injunctum, ne illorum uſum Regularibus permittant; ut latiùs ratiocinantur, & ad eorum intentum hanc explicationem producunt. Paſqualig. *deciſ. moral.* 54. *n.* 3. *cum ſeq.* Rodriquez *quæſt. regul. to.* 1. *qu.* 43. *artic.* 5. aliique Regulares Scriptores, quos refert Pignatell. *conſult.* 12. *num.* 1. *to.* 6. Barb. *in cit. Decr. Concilii de obſer. & vitan. in cel. miſſ. n.* 20. Nam verba conciliaria abſolutè legem prohibitivam celebrandi extra Eccleſias ſupponunt, ſeù tacitè præſeferunt, committendo tantummodò Epiſcopis illius executionem; ut tradit Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 39. *num.* 2. nam eiſdem privilegiis Apoſtolicis in ſuo robore aliàs manentibus, nequidem poſſent inferiores Ordinarii indiſtinctè eorumdem uſum impedire, quod alio medio probat Barboſa *in cit. cap. in iis numer.* 4. aliis verò minoris ponderis argumentis latè reſpondendo Doctores firmant, privilegia celebrandi cum Altari portatili Regularibus aliiſque olim conceſſa, ſublata eſſe à Concilii Tridentini quamobrem hujuſmodi privilegiis uti eoſdem hodie nequire, niſi expreſsè eorumdem confirmationem à Sede Apoſtolica obtinuerint, Fagnan. *in cap. in iis num.* 5. *cum ſeqq. de privileg.* & ejuſdem argumenta repetit Pignatell. *cit. conſ.* 12. *per tot* & concordant Navar. *in ſumma Bullar. comment.* 7. *verſ. ſed adverte*, Cherubin. Jun. *ad Conſt.* 6. Sixti IV. *ſchol.* 1. Durant. *de rit. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. & 8. Ventriglia *in praxi par.* 2. *annot.* 20. §. *unico num.* 39. Beja *in caſ. conſcientia par.* 4. *caſ.* 33. Azor. *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſ.* 7. Barboſa *de Epiſcop. par.* 2. *alleg.* 23. *num.* 4. & *de Jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 31. Et non ſemel juxta no-
ſtram concluſionem Textum Conciliarem declavit Sac. 13
Congreg. ejuſdem interpres, potiſſimè in *Toletana* 4.

Digitized by Google

Junii 1672. *ad* 8. in qua propoſito dubio: *Utrum licentia ſeu privilegia conceſſa aliquibus Regularibus in cap. in his de privil. & per aliquos Summos Pontifices aliis Religionibus communicata, utendi Altare portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, revocata ſint per Sac. Concil. ſeſſ. 22. cap. 8. de obſer. & vitan.* Sac. Congregatio cenſuit *Affirmativè lib. 27. Decret. pag.* 406. & hoc decretum fuit datum in *Poſnanien. 7. Maii* 1674. & aliis omiſſis in *Meſſanen. 20. Septembris* 1698. declaravit: *Altare portatile non poteſt erigi à Regulari in Domo privata, ut ibi Sacrum peragat, & Viaticum alteri Regulari infirmo adminiſtret*; Et tandem comprobavit Gregorius XIII. in *cit. Conſtit. 57. in princip.* ubi reſtituendo poſt Concilium Tridentinum uſum Altaris Viatici Religioſis Societatis Jeſu, ita exorditur: *Uſum Altaris portatilis Societati veſtræ à fel. rec. Paulo Papa III. conceſſum, deindè à Concilio Tridentino universè ſublatum, vobis &c.* Quod ſi verò
24 aliqui Regulares adhuc in ſuis probabilitatibus perſiſtentes, ſupra Altare portatile auſerint celebrare, ultra pœnas corporales, quibus puniri poſſunt celebrantes extra Eccleſiam, ut dixi ſuprà *num.* 7. cenſuris etiam Eccleſiaſticis ab Epiſcopis plecti poſſunt, juxtà ſenſum Sac. Congregationis Conc. io recenſita *Meſſanen. ad* 2. ibi: *An poſſit Ordinarius in hoc, & ſimilibus caſibus procedere contra Regulares, etiam ad cenſuras.* Reſpondit. *Ad 2. Affirmativè, ſed in præſenti non moleſtandum, lib. 48. decret. pag.* 471. & inſerui *tom. 3. pag. 236. ad Conſtit.* 11. Alex. IV. *ſectio unica num.* 33.

Supereſt autem hic adnectendum, ao eumdem ca-
25 ſum ſit etiam expertum privilegium Altaris portatilis, conceſſum Epiſcopis in *cit. cap. quoniam de priv. in* 6. & ex perpetua mente Sacræ Congregationis, hujuſmodi indultum non fuiſſe ſublatum, ſeù reſtrictum Epiſcopis ex decreto Conc. Trid. *de obſer. & evitan.* adeòque ipſos poſſe eodem uti eo, quo competebat, modo ante Concilium, communiter docent DD. inter quos Paſſerin. *in cit. cap. quoniam num.* 3. Fagnan. *in cap. quod nonnullis num. 6. cum ſeq. & in cit. cap. in iis num. 10. de privileg.* Verricell. *de Apoſtolicis Miſſion. tit. 8. qu. 135. num.* 12. Paſqualig. *dec. moral.* 55. & 56. Novar. *in ſumma Bullar. comment. 7. num.* 4. Ventriglia *in cit. annot. 20. §. unico num.* 39. Azor. *inſtit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſ.* 4. Barboſa *de Epiſcopo par. 2. alleg. 23. num. 5. & ad Conc. in cit. decr. de obſer. & vitan. num.* 16. Bepa *in reſponſ. par. 4. caſ. 33. per tot.* paucis admodum DD. potiùs io dubium id vertententibus, quàm hujuſmodi concluſionem negantibus; Concilium namque
26 nil aliud citato Decteto egit, quàm eliminare abuſus; Porrò autem hujuſmodi indultum Epiſcopis conceſſum in præcipua decentia Pontificalis Officii, & Populi ædificatiooe cooſiſtit; ſcandaloſum enim eſſet, quod Epiſcopi, cœterique majores Prælati, qui Populo exemplo eſſe debent, itinerantes, vel alitet ad Eccleſiam accedere impediti, Miſſam non celebrarent, vel ſaltem eidem noo intereſſent, cùm eoſdem non deceat ullam diem ſine Miſſa tranſire, ut concludit Bonifacius in *cit. cap. quoniam*. Unde non eſt cenſendum, quod PP. Concilii voluerint hoc privilegium Altaris portatilis Epiſcopis vulnerare, etenim pluribus in locis Sacri Concilii hoc ſemper præcipuum habuerunt, ut Epiſcopi in his, quæ ad religionem, & Dei cultum ſpectant, cœteris præluceant, ut doctè concludit Fagnan. *loco cit. num.* 10. & ultra citatos latè probat Pignatell. *tom. 3. conſult. 39. num. 4. ad finem* Verricell. *de Apoſtol. Miſſion. tr. 8. qu. 145. num. 14. Squillant. de oblig. & privil. Epiſcoporum part. 4. cap. 4. num.* 12. Quidquid autem dicant nonnulli DD. circa uſum quoad Epiſcopum Altaris portatilis, ex verbis *Tex. in cit. cap. quoniam nimis*, qui dumtaxat in caſu abſentiæ loquitur, ad perpetuam
27 normam exhibere non piget declarationem S. C. Conc. cum qua in caſus contingentia tranſeundum eſt, in *Lamacen ... Junii* 1586. ubi propoſitis dubiis: *I. An per Decretum Concil. de obſer. & evitan. verſ. neve patiantur, derogatum cenſeatur privilegio Epiſcoporum, de quo in cap. fin. de priv. lib. 6. II. An Epiſcopi uti poſſint eodem privilegio cap. fin. extra caſum abſentiæ à ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus, veluti ex cauſa valetudinis, aut alicujus magni incommodi, vel ingruentis periculi III. Præſuppoſita declaratione aliàs edita, ſecundùm quam licentia celebrandi in Oratoriis privatis, petenda eſt à Sede Apoſtolica, nec eam poſſunt concedere Epiſcopi; An Epiſcopis valentibus commodè ad Eccleſiam accedere, liceat in Oratoriis privatis, ad hoc in eorum domibus deſtinatis, Miſſam celebrare, vel aliis celebrandi concedere licentiam, non obſtante Decreto Concilii citato ſeſs. 22. Sac. Congr. Concilii ad primum cenſuit, non cenſeri derogatum; Ad ſecundum uti poſſe ex cauſa legitima; Ad tertium licere, diebus tamen Dominicis, & Feſtis non debere Eccleſiæ deeſſe, ut in tom. 4. decretor. pag.* 161. Nec
quidem etiam in dubium vertendum eſt, an hujuſmo- 18
di privilegium reſtringatur ad limites propriæ Diœceſis; nam dum cauſa motiva hujus conceſſionis fuit quia Epiſcopi ſe abſentant frequenter à propriis Diœceſibus, ut dicitur *in cit. cap. quoniam*, clarum inde eſt quod extendatur, quinimò ſit directè conceſſum, ut Epiſcopi extra proprias Diœceſes Altari portatili uti poſſint, ut communiter ratiocinantur DD. latè connumerati à Pignatell. *in cit. conſult. 109. n.* 4. quibus adde Paſſerin. *in cit. cap. fin. n. 4. de privil. in* 6. Barboſ. *de Epiſc. part. 2. alleg. 23. num.* 5. Fagnan. *in capit. Quod nonnullis num. 9. de privileg.* ubi notabiliter ſubdit, quòd id procedit etiam contradicentibus Epiſcopis Diœceſanis, ratione latè adducta; Ad hujuſmodi tamen dicti limitationem animadvertendum eſt, quod utique Diœceſani invigilare debent, ne Epiſcopi in ſuis Diœceſibus itinerantes, vel moram facientes, potiùs ad aliis obſequendum, vel indulgendum, quàm ad propriam devotionem Altare portatile erigant; Sac. enim Congregatio Concilii in propoſito cenſuit in *Neapolitana die 30. Maii 1699. ad primum, Epiſcopis non licere in aliena Diœceſi erigere Altare extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis, ibique non ad propriam devotionem, ſed pro inhabitantium commodo celebrari facere per unum, vel plures ex propriis Capellanis, ipſo Epiſcopo præſente; Ad 2. Neque eiſdem Epiſcopis licere ad placitum, & pro commodo Amicorum erigere Altare, & celebrare in eorumdem Amicorum domibus; Ad 5. neque Epiſcopis licere in Oratoriis privatis celebrare, vel celebrari facere ipſis præſentibus pro commodo fruentium ipſis Oratoriis, celebrata una Miſſa in Apoſtolico Indulto conceſſa, nec in diebus exceptis in Indulto, vel prohibitis à Sacra Congregatione, vel Conſtitutione Diœceſana. Ad 6. quod Archiepiſcopus hujuſmodi Epiſcopos tranſgreſſores moneat, & niſi abſtineant, Sac. Congregationem certiores.*

Profectò autem altioris indaginis eſt quærere, num
Epiſcopi hodie valeant uſum Altaris portatilis con- 19
cedere in ſua Diœceſi, non quia dubium ſit, an Jure communi hæc facultas eiſdem competat, cùm expreſsè aſſeratur in *can. Miſſarum, & can. his ergo de conſecr. diſt. 1. & in cap. in his de privil.* & eſſe omnium receptam opinionem, dicit Barb. *de Epiſc. part. 2. alleg. 22. num.* 6. & probat Fagnan. *in cit. cap. in his n.* 3. Azor. *inſtit. moral. par. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt.* 2. Guttierez *Canon. quæſt. lib. 1. cap. 30. num.* 3. Difficultas verò ſuboritur ex indicato Textu Conciliari, in quo ſancitur, quòd Epiſcopi non patiantur omninò extra Eccleſiam Miſſas celebrari; Iotet autem pugnantes DD. ſententias, non improbabiliter retinenda videtur concluſio, quam in ſimili materia de Oratorio privato latè firmavimus *to. 2. Conſt.* 8. Honorii III. *ſect. unica n.* 10. quòd ſcilicet hujuſmodi Epiſcoporum facultas
diminuta quidem ſit per Conc. ſed non omninò ſublata, 20
adeòque hodie Epiſcopi quamvis non valeant ex quacumque cauſa uſum Altaris portatilis concedere; verum non eſt quòd rationabili, & juſta cauſa concurrente nequeant licentiam concedere, quod ſuper hujuſmodi Altare portatili cele-

celebretur, ex rationibus in caſu meræ neceſſitatis, ut in Terræmotus periculo, ac hujuſmodi, ut, ultra ibi adductus, docent Pax Jord. *lib. 4. elucubr. tit. 1. num. 118. & ſeq.* aliique citati à D. Dandino *de ſuſpect. de hæreſ. cap. 3. ſect. 1. ſubſect. 4. num. 14.* Antonel. *de loco legali lib. 1. cap. 5. num. 3.* & in noſtris terminis tenent Barboſa *in cap. quoniam num. 5. de privil. in 6. & de Epiſcopo alleg. 22. numer. 9. cum ſeqq.* Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſt. 30. numer. 15. in fine*, Verricell. *in cit. quæſt. 135. num. 19.* Guttierez *in cit. cap. 30. num. 25.* Si autem credimus Fagnano *in cit. cap. in his num. 13. & 20.* non ſufficit, ut notavimus *in cit. ſect. unica num. 16.* quælibet juſta legitimaque cauſa, ſed tantùm neceſſaria, & quidem præciſa, & communis juxta *can. 1. 2. & 11. de conſec. diſt. 1.* quo quidem caſu Epiſcopus neceſſitatem potiùs canonizet, quàm indultum concedat; certum enim eſt quòd neceſſitas neque in noſtris terminis habet legem, ut ait Felix Papa in *can. ſicut non alii de conſec. diſt. 1.* ibi: *Satis eſt ergo Miſſam non cantare, aut non audire, quàm in his locis ubi fieri non oportet, niſi pro ſumma neceſſitate contingat, quoniam neceſſitas legem non habet*, & concordat Concilium Triburienſe *in can. concedimus diſt. 1.* ubi permittitur ſuper Altare portatili miſſam celebrari, ſi Eccleſiæ conſecratæ fuerint ab Infidelibus combuſtæ, in itinere etiam ſi Eccleſia deſuerit, dummodò tamen Altare portatile cum cæteris ad miſſæ ſacrificium pertinentibus præſtò ſit, quo deficiente nulla neceſſitas cogit *ex cit. can. concedimus*, & firmat Archidiac. *in can. ſicut num. 3. de conſec. diſt. 1.* quod verò non tantùm Epiſcopus, ſed etiam Vicarius Generalis valeat ex cauſa gravia, & neceſſaria uſum Altaris portatilis concedere, dicit poſt alios Barboſa *in cit. alleg. 23. num. fin.*

Verùm circa hujuſmodi diſpoſitionem Concilii Tri-
21 burienſis parumper immorando, ad exigentiam materiæ Altaris portatilis, non eſt prætereundum quod neceſſitatem ab eodem requiſitam, ut ſub dio in itinere celebrari valeat in Altari portatili, DD. Morales conſtituunt, dum multi peregrinantur, & diu miſſa carere coguntur, quod tempus unius menſis eſſe ſatis ſuperque dixit Paſqualig. *in dec. moral. 167. num. 8.* Card. de Lugo *de Euchar. diſp. 20. ſect. 2. num. 48.* Coninch. *de Sacram. tom. 1. qu. 83. num. 224.* Alii verò è contra aſſerunt, quod dietim valeat Sacerdos ita celebrare, data non exigua multitudine peregrinantium, & impoſſibili acceſſu ad Eccleſiam conſecratam, quos lata manu enumerat Verricell. *de Apoſtol. Miſſ. cit. tit. 8. quæſt. 135. num. 22.* probabiliùs autem docere mihi videtur Averſa *part. 3. de Miſſa quæſt. 11. ſect. 14. §. tertiò autem*, qui hujuſmodi indulgentiam tantùm concedit diebus feſtivis; ſiquidem nulla eſt neceſſitas, & quidem ſumma requiſita à Concil. Triburienſi, quod diebus profeſtis miſſa audiatur, ut in propoſito conſiderat Diana *par. 9. tr. 1. reſol. 44. §. 2. circa finem*, ſingulare verò eſt Epiſcoporum, ut qualibet die celebrare, vel ſacrum audire debeant, quinimò ſpecialibus privilegiis opus fuit, quod Sedes Apoſtolica eoſdem ſit proſequuta, ut in itinere ſuper Altari portatili ab eiſdem quotidie miſſæ ſacrificium offerri poſſit, ut colligitur ex *cit. cap. quoniam de privil. in 6.* Contra verò primodictam opinionem ſequentes, non video cur per menſem itinerantes adimplere non debeant præceptum intereſſendi Miſſæ, cujus neceſſitas qualibet die feſtiva recurrit; Ex identitate autem rationis extendendo hujuſmodi diſpoſitionem Concilii Triburienſis, rationabilem cauſam iidem DD. Morales etiam conſtituunt, ut Epiſcopus indulgere valeat uſum Altaris portatilis, quando Eccleſia non capit Populum ad eam neceſſariò concurrentem, audiendi cauſa miſſam. II. In caſtris pro militibus. III. Quando magna Claſſis ad littus appulit. IV. Tempore peſtis, vel Terræmotus. V. Cauſa infirmitatis alicujus inſignis perſonæ, ut in Cubicula Sacrum audire, & Sacra Euchariſtia refici poſſit; alioſque caſus vide, majori tamen inquiſitione proba, penes Paſqualig. *cit. dec. 167. cum ſeqq.* Layman. *lib. 5. tr. 5. cap. 5. num. 3.* Card. de Lugo *de Euch. diſp. 20. ſect. 2. num. 48.* Coninch. *de Sacram. to. 1. qu. 83. num. 224.* Vaſquez *tom. 3. diſp. 233. cap. 1. num. 4.* Perſic. *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 6. num. 29.* Mirand. *in man. Prælat. tom. 1. qu. 40. art. 9. concl. 3.* Dian. *oper. moral. par. 9. tr. 1. reſol. 44. & 45.* Verricell. *cit. qu. 135.*

Quæ autem hactenus diſſeruimus de Altari portatili, cuique quoad Epiſcopum, intelligenda quoque eſſe non 22
ſolùm de Epiſcopo electo, & confirmato, quamvis non conſecrato, dicit Fagnan. *in cap. quod nonnullis n. 23. de privil.* & Paſſarin. *in cit. cap. quoniam num. 4.* verùm etiam de Epiſcopo Titulari in Diœceſi, cujus eſt ſuffraganeus, non verò de ſimplici Adminiſtratore Epiſcopatus, reſolutum teſtatur à Sacr. Congr. Concilii Pignatell. *in cit. conſult. 39. num. 4. in fine tom. 3. & conſult. 12. n. 1. in fine tom. 6.* Cæterum certum alioqui eſt, quod hujuſmodi privilegium Altaris portatilis competit etiam S.R.E. Cardinalibus, tamquam comprehenſis in diſpoſitione *cit. cap. quoniam de privil. in 6.* ibi: *quoniam Epiſcopi, eorumque Superiores*; Cardinales enim dignitate ſunt Epiſcopis Superiores, ideòque eoſdem nihilo ſe- 23
ciùs quàm Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos eodem uti poſſe, rationibus latiſſimè comprobat Fagnan. *in cit. cap. quod nonnullis per tot. de privil.* auctoritatem verò præſtat S. Congreg. Concilii in Decreto pro S. R. E. Cardinalibus *die 18. Februarii 1623.* ibi: *Sac. Congregatio cenſuit, Cardinales, non ſecus atque Epiſcopos, ſine ulla Epiſcopi Diœceſani licentia uti poſſe privilegio Altaris portatilis ad præſcriptum Conſtitutionis fel. rec. Boniſ. VIII. quæ incipit Quoniam Epiſcopis, nec ejuſmodi privilegium ſublatum fuiſſe ejuſmodi Conc. Decreto cap. unic. ſeſs. 22. de obſerv. proindeque Capellas, & Oratoria ad illorum uſum ubique locorum extructa, minimè comprehendi in prohib. Conſtitutionis juſſu ſa. mem. Pauli V. jam pridem edita, de non celebrando in privatis Oratoriis, ut in lib. 12. Decret. pag. 120. à terg.* præter verò hìc recenſitas Perſonas comprehenſas in eodem *cap. quoniam*, & alias expreſsè privilegiatas poſt Concilium 24
Tridentinum à Sede Apoſtolica, non deſunt DD. qui autumant, Miſſionariis quoque in Partibus Infidelium abſque etiam ſpeciali indulto uſum Altaris portatilis competere ex generalibus conceſſionibus; meliùs tamen, & tutiùs tenet Verricell. *de Apoſtol. Miſſion. tit. 8. quæſt. 135. num. 1.* quod ſcilicet Miſſionarii hoc privilegio non potiantur, niſi expreſsè illud obtinuerint ab Apoſtolica Sede in eorum expeditionibus. Verùm dum idem Verricell. ibidem proſequitur, quod hujuſmodi privilegio gaudent etiam Regulares Miſſionarii, aliorum ſimilium privilegiorum communicationem habentes, non aliundè inniti poteſt præterquamquod in facilitate, qua iidem Miſſionarii uſum Altaris portatilis à Sede Apoſtolica impetrant, ſtante congruentia, & quaſi dicam neceſſitate; Cæterùm indubium videtur, quod ſeclusò hoc vel æquipolenti caſu in terminis generalium communicationum privilegiorum Regularium, cùm hujuſmodi indulta adverſentur Sac. Conc. Tridentino, necnon difficiliter, & raro hodie ab Apoſtolica Sede concedantur, ut quiſque deducet, ex quo Religiones, quæ ante Concil. eodem privilegio fruebantur, Religionibus dumtaxat Societatis Jeſu, & Carmelitis ſola cauſa peragendi Miſſiones poſt Concilium fuerunt reſtituta; ideò videntur comprehenſa ſub generali regula, quod communicatio non intrat, ubi agitur de privilegio ſpeciali, quod cum magna difficultate conceditur, ut latè firmavimus *tom. 3. ad Conſtit. V.* Innoc. IV. *ſect. unica num. 44. & 45.* & alibi ſæpius.

Omnes verò uſum Altaris portatilis obtinentes, vel à Jure Communi in *cit. cap. quoniam de privil.* 25
in 6. vel ex ſpecialibus indultis à Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum impetratis, attendere maxima ſolicitudine debent ne eodem Altari ad Sanctiſſimum Sacrificium utantur, niſi in loco honeſto, & ejuſdem Sanctitati decenti; ut dicitur in noſtra Conſtitutione paragrapho 1. admonet Felix Papa in *cit. canon. ſicut non alii*, & proprio ore conclamat ipſe Deus in *Deuteron. cap. 9.* ibi: *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris*: Verùm qualis eſſe debeat hujuſmodi locus, Chriſtianæ prudentiæ committi-

26 remittitur. Valdè tamen diſcrepant DD. an hujuſmodi
privilegiati valeant ſuper magnis Navibus in Mari,
vel flumine tranquillo itinerario Altari ad Miſſam ce-
lebrandum uti; Quamvis autem plures in hac quæſtio-
ne inſurgant contra affirmativam, itaut non licere,
nec debere indulgeri ex peculiari privilegio autument
Turrecremat. *in cap. concedimus num. 5. de conſecrat.
diſt. 1.* Graff. *deciſ. aur. part. 1. cap. 42. num.* 10. Ga-
vant. *in Theſaur. Sacr. Rit. par. 1. tit. 20. verſ. fin.
verb. numquam in mare*, Azor. *inſtit. moral. part. 1.
lib. 10. cap. 26. quæſt. 6. in fine* Pax Jord. *elucub. par.
1. lib. 4. tit. 1. num.* 139. Antonel. *de loco legal. lib. 1.
cap. 5. num. 4.* Verùm nullo Jure prohibetur Miſſæ ce-
lebratio ſuper aquas, nec navis locus eſt tanto ſacrifi-
cio indignus; plura enim habentur antiquitatis monu-
menta, ex quibus colligitur, non tantùm pluriès Miſ-
27 ſas in mari celebratas extitiſſe, ſed continuò ſuper Na-
ves Euchariſtiam deferri olim ſolitum fuiſſe, ex *Baron.
ad ann. 57. & ann. 424. num. 32. & ann. 700. Surius
de S. Ludovico ad diem 25. Auguſti*, & ex S. Grego-
rio, S. Ambroſio, & Metaphraſte Verricell. *de Apoſt.
Miſs. tit. 8. quæſt. 133. num. 9.* Paſqualig. *de Sacrif.
nova leg. quæſt. 471. num. 3. & ſeqq.* & ſpecialiter de
B. Vulfranno Archiepiſcopo Senonenſis narrat D. An-
toninus *part. 2. cap. 2. tit. 14. §. 2.* ibi: *Dum in Phriſiam
navigarent, & eſſent in medio Mari, quod adjacet re-
gioni Morinorum, adfuit hora, qua Miſſam cantaret
S. Vulfrannus, Mari manente immobili poſitis an-
choris; denique dum ventum eſſet ad locum, quo Mini-
ſter offerre patenam debebat Præſuli Sancto, Præſul,
manu extenſa, eam expectabat, ſed dum Miniſter eam
abluere vellet, in Mare cecidit, proſtratuſque pedi-
bus, Sancti veniam precabatur, qui mittens eum ad lo-
cum, unde ceciderat, hoc effecit, ut patena ab imo ma-
ris revelta, manu Miniſtri cohæreret.* Quamvis au-
tem contrariæ opinionis DD. potiſſimum argumentum
deducant ex inſtabilitate Maris, ſuper quo ſidere non
convenit Sacra Miſteria, & ſpecialiter Sanguinem D.
N. J. C. attamen Baronius *cit. Ann. 57. tom. 1. & ad
Ann.* 800. *tom.* 8. ubi quoad narrationem facti San-
cti Vulfrani ita digreditur; *Ex quibus præter inſignis
miraculi virtutem, intelligis Lector, non deſtitiſſe S.
Viros in Mari, etiam cum tranquillitas eſſet, religata
anchoris Navi, celebrare ibi Sacroſanctum Sacrificium
Miſſæ Deo maximè gratum, quod ipſe tanti editione
miraculi patefecit.* Optimè, inquam, cùm dictus ca-
ſus accidentalis non ex inſtabilitate Maris, ſed ex in-
curia Miniſtri obvenerit, etenim in Mari tranquillo ſub
Cœlo ſereno, qui experti ſunt, teſtantur, uſu com-
probatum eſſe, nullius inconvenientis adeſſe pericu-
lum, nec in brevi ſpatio Miſſæ Mare vehementer con-
turbari poſſe, quamobrem in navigatione ad Indos,
ſuper navi ſe celebraſſe dicit Franciſcus de Lugo *lib. 5.
de Sacram. cap. 6. quæſt. 1. num. 9. & 14.* & notant
alter Cardinalis de Lugo *de Euchar. diſp. 20. ſectio 3.
num. 89.* Facundez *lib. 1. præc. 1. Eccleſ. cap. 10. nu.*
15. Verricell. *tit. 8. de Sacram. Euchar. quæſt. 133. n.
14. & per tot. & quæſt.* 134. Schiara *in Theolog. Bel-
lic. tom. 2. lib. 7. diffic. 3. n. 9. & 10.* Coton. *contr.
lib. 2. cap. 3. num.* 80. aliique apud D. Dandin. *de ſu-
ſpect. de hæreſi cap. 3. ſect. 1. ſubſect. 4. num. 15. &
ſeqq.* qui etiam ſubdit nullo modo dici ſuſpectum de
hæreſi celebrantem ſuper Mari, Durand. *in rationali
lib. 4. cap. 1. num.* 41. Scortia *de Sacrif. Miſſæ lib. 2.
cap. 13. num.* 5. aliique citati à Diana *par. 5. tract. 3.
reſol. 40. & par. 9. tract. 1. reſol.* 45. Caſtro Palaus
tract. 22. diſp. unica puncto 8. num. 10. concludentes,
28 licitum eſſe, dum Mare eſt tranquillum, & Cœlum
ſerenum, hujuſmodi privilegiatis Miſſam ſuper Alta-
re portatili in Navibus celebrare, & ſpecialiter Cle-
mentem VIII. & Paulum V. re diù, & maturè diſcuſ-
ſa hujuſmodi privilegium conceſſiſſe, refert Pignatell.
tom. 8. conſult. 124. num. 1. & licèt fuerit id aliquan-
do denegatum, non inde eſſe ſumendam generalem
concluſionem, quod concedi non poſſit ſuper magnis
Navibus, tutis à concuſſione ventorum, ut ait Card.
de Lugo *cit. diſp. 20. ſect. 3. num.* 89. Verricell. *cit.
quæſt. 134. num.* 2. & proindè fuiſſe denegatum Prin-
cipi Philiberto, quòd celebrari poſſet ſuper triremibus,
quia iſtæ non ſalùm modico ſtante vento, quinimò
ſolis Nautis deambulantibus facilè moventur; Magnæ
autem Naves anchoris alligatæ, immobiles ferè ſtant.

In hac re concludendum eſt, quod ex conceſſione
Altaris portatilis non infertur, quod quis poſſit eo uti 29
in Navibus, cujuſcumque ſint generis; tum quia in hu-
juſmodi privilegio apponi ſolet clauſula, quod eo quis
utatur in loco *honeſto, & tuto*, ut in *Conſtit.* 57. Gre-
gorii XIII. ad favorem PP. Miſſionariorum Societatis
Jeſu; Unde excluduntur naves, quæ ſunt loca non tu-
ta, tum quia Epiſcopi prohibere debent, tàm ſæcula-
ribus, quàm Regularibus, ne Miſsæ Sacrificium in Na-
vigiis celebretur, ut ex reſolutionibus Sac. Congrega-
tionis apud Dian. *cit. reſol. 45. §. ult.* & Pignatell. *cit.
conſult. 124. num. 4.* ubi adducit reſolutiones Sac. Con-
gregationis S. Officii. Imò ex ſtylo, & conſuetudine id
comprobatur, quia recurritur ad Summum Pontificem,
qui ſolus poteſt concedere hoc ſpeciale indultum, nec
alius inferior, Coninch. *de Sacram. qu. 83. art. 2. dub.
1. num. 226.* Diana *loc. cit. §. nota tamen*, Et ſic non
ex ſolo privilegio Altaris portatilis, ſed ex illo ſpeciali
celebrandi ſuper mare, cenſendum eſt ſequutas fuiſſe
celebrationes per Miſſionarios, alioſque in caſibus ad-
ductis à præfatis DD. Hinc etſi habuiſsent privilegium
Milites Hieroſolymitani Altaris portatilis, & difficilius
erat, ut eo uterentur, dum Terram attingerent, quia
eorum magnæ Naves raro id agunt, petierunt privile-
gium ſpeciale celebrandi in mari ſuper dictis Navibus,
ut mox dicam.

An autem ſoleat Summus Pontifex hoc ſpeciale pri-
vilegium concedere, & fuiſse paſſim denegatum refert 30
Card. Albit. *de inconſt. in fide c. 34. n.* 131. & plures
caſus denegationis adducit, tàm Principi Philiberto
quoad celebrationem ſuper Triremibus, quàm etiam
Gubernatoribus Navium Luſitaniæ navigantibus in No-
vum Orbem; quibus etiam denegata fuit facultas defe-
rendi, & retinendi Euchariſtiam ſuper dictis navibus
pro Viatico, id petentibus, ne ſinè eo in tam longo
itinere decederent Nautæ, additque non vidiſse hoc
privilegium pro PP. Societatis Jeſu conceſsum, ut præ-
tenditur, à Clemente VIII. & Paulo V. & verè in pri-
vilegio pro Miſſionariis ejuſdem Societatis hoc non da-
tur; imò additur, quod celebretur in loco tuto, ut di-
xi. Non tamen eſt refrenata ſumma facultas Romani
Pontificis, ut tale privilegium concedatur concurrenti-
bus rationibus, & cautelis, ut forſan in aliquo caſu ad-
ducto quoad Miſſionarios apud citatos DD. evenire po-
tuerunt; Et noviſſimè conceſsum fuit Sacr. Religioni 31
Hieroſolymitanæ, ut in Navibus magnis occaſione
longæ navigationis in alto mari contra Infideles, qui-
bus Navibus rariſſimè terra attingitur, & ſunt magni
ponderis, ac firmæ ſtructuræ, ut unaquæque ſuſtineat
ultra quinquaginta ænea tormenta bellica; Et prævio
voto Sac. Congr. Conc. ſub die 13. *Martii 1706. lib.
56. Decret. pag.* 86. cum clauſulis, ut Breve poſſit ex-
pediri per Sanctitatem Suam cum conceſſione petitæ
facultatis celebrare faciendi Miſsam, dummodò Naves
ſint enunciatæ qualitatis, & celebratio fiat eo dumta-
xat tempore, quo Mare eſt tranquillum, & Cœlum ſit
ſerenum, & cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, ſeù
Diaconi, itaut adeſse non poſſit periculum effuſionis
ſanguinis in dicta celebratione. Necnon Anno 1702.
conceſsum fuit ſimile indulto Eminentiſſimo, & Reve-
rendiſſimo D. Cardinali de Tournon Legato Apoſtoli-
co ad Regnum Sinarum; In conceſſione tamen hujuſ-
modi indultorum ponderanda videtur difficultas maxi-
ma, quam dixit *cit.* Card. Albit. id concedendi, quod-
que ſaltem debeat concurrere maximum meritum per-
ſonæ, cui conceditur, ut fuit in dicto Legato, vel
cauſa publica Religionis in Navibus Militum Hieroſo-
lymitanorum contra Infideles; quia non ſolùm debet
conſiderari, ut illud concedatur cum clauſulis prædi-
ctis firmitatis Navium, & ſecuritatis, ne contigat
effuſio Sanguinis; ſed etiam debet animadverti,
quod Naves ſint in alto mari, itaut non poſſint, niſi
cum

eum maximo incommodo terram attingere, ut in ea celebrari valeat, tametſi ſupra Altare portatili.

Neque tandem in propoſito quoad locum, in quo
32 Privilegiati uti poſſunt Altare portatili, prætereundum eſt, quod ait Navarrus *conſ. 5. de privileg.* Epiſcopos Romæ non uti hujuſmodi privilegio Epiſcopali in *cit. cap. finali*, poſt Concilium Tridentinum, adeoquidem quod neq; Cardinales eodem utuntur, niſi de conceſſione expreſſa Papæ, quam Papa concedit quidem illis, rariſſimè autem aliis Epiſcopis. Verùm quidquid ſit de Epiſcopis, qui ſivè ob reverentiam Romani Pontificis, ſivè ob facilitatem recurſus optimè conſueverunt Romæ abſtinere etiam ab uſu ſuarum facultatum, ad *Tex. in cap. privilegium de reg. jur. in 6. & cap. volentes de offic. Deleg.* Quoad verò Cardinales eumdem Navarrum nominatim refellit Fagnan. *in citat. capit. quod nonnullis num.* 31. de *privil.* deducens ex quadam *Conſtitut. Leonis X.* eiſdem Cardinalibus ſtatimatque creatis abſque nova conceſſione uſum Altaris portatilis, ſivè Oratorii privati competere, optima ſuadente ratione, ut idem Fagn. proſequitur, cùm enim Cardinales in Romana Curia jugiter reſidere debeant, *c. 2. de Cler. non reſid.* ſi ibidem uſum Altaris portatilis non haberent ex vi *cit. c. quoniam de priv. in 6.* eſſet omninò quoad eoſdem eluſorium, contra *Tex. in c. in iis de priv. cum concord.*

Pro coronide tandem circa materiam, formam, &
33 requiſita Altaris portatilis curſim ſubnectere non piget, quod hujuſmodi Altaria ex recepto Eccleſiæ uſu neceſſariò debent eſſe lapidea, ut expreſsè elicitur ex *Rubr. Miſſal.* §. 20. ibi: *Altare, in quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrandum eſt, debet eſſe lapideum*, cujus ritus fundamentalis ratio communiter petitur, ex quo Altare Sepulchrum Domini deſignat, quod exciſum fuit de petra, vel quia Chriſtum repræſentat, *Petra autem Chriſtus*, dixit Apoſtolus 1. *ad Cor. c.* 10. quamobrem etiam nequit ex duobus lapidibus quantumvis connexitate compoſitis, ſed ex unico conſtare lapide, ad deſignandum in Chriſto unicam perſonam, ut exornant Amoſtaz *de cauſis piis lib. 5. c. 8. n. 7. cum ſequ. Frances de Eccleſ. Cathed. c. 5. num.* 136. Ventriglia *in cit. annot.* 20. §. *unico nu.* 6. Barboſa *de Jure Eccleſ. lib. 2. cap. 7. num. 5.* Ejuſdem autem forma debet eſſe quadrangularis, tamquam accomodatior ad Sacrificium peragendum, & juxtà antiquiſſimum uſum, ut deducunt DD. citati ex verbis Surii *in Vita S. VValfrini*; tanta verò quantitate conſtare debet, ut ſuper eodem commodè collocari poſſit Calix cum patena, vel ſaltem eorundem major pars abſque periculo dilabendi, Barboſa *de Epiſcopo par. 3. alleg.* 27. *n.* 21. Azor. *inſtit. mor. par. 1. lib. 10. c. 27. q. 7.* alioſque adducit *Ventriglia in cit. §. unica n.* 8. Sacra tamen Congregatio Epiſcoporum cenſuit, ejuſdem latitudinem non debere eſſe minorem uno palmo, ut teſtatur Nicol. *in floſc. n. 5. §. dummodò*; Profectò autem Altare hujuſmodi ita materia,
34 & forma conſtitutum, ut ad Sanctum Sacrificium dignus ſit locus, neceſſariò conſecrandum eſt ab Epiſcopo, *c. Altaria, c. nullus de conſecr. diſt. 1. c. quamvis diſt. 68. cap. quod in dubiis de conſecr. Eccleſ. Duran. de rit. Eccleſ. lib. 1. c. 25. num.* 1. de hujuſmodi autem Conſecrationis ritibus, & requiſitis, cùm communes ſint cum Altari fixo, alibi agere deſtinavi; ſpecialiter verò execratur Altare portatile. Primò quando notabiliter frangitur, adeòut in reſiduo nequeat Calix cum Patena contineri, ſivè quando in plures partes dividitur, nam perdit ſuam formam, nec iterum fragmenta conjungi poſſunt. Secundò quando cornua, quæ junguntur, ſunt fracta, itaut moveatur ſigillum Sepulchri exiſtentis in lapide. Tertiò quando amovetur, vel frangitur ſepulchrum reliquiarum, ut probant latiſſimè Amoſtaz. *in cit. cap. 8. num. 35. ad 56.* Murga *diſquiſ. forens to. 1. tract. 2. diſquiſ. 9. §.* 2. Barboſa *de Jure Eccleſ. lib. 2. c. 8. nu.* 20. Azor. *inſtit. moral. par. 1. lib. 10. cap. 26. qu. 10. & c. 27. qu.* 12. Ventrigl. *cit. annot.* 20. §. *unico nu.* 30. Tuſch. *de viſit. lib. 1. cap. 22. num.* 3. Polluta verò Eccleſia non polluitur Altare portatile, etiamſi reperiatur firmatum in aliqua menſa, cùm nullam connexionem habeat cum Eccleſia, ut firmant præcitati DD. & ſpecialiter Amoſtaz *ibidem num. 53. & Murga cit. num.* 42. Abbas *in capit. 4. de Conſecr. Eccleſ. vel Altaris nu.* 4. Azor. *cit. capit. 27. queſt.* 14.

CONSTITUTIO I.
GREGORII XI.

Incipiens (*Super.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

DEclarat, Eccleſiam S. Joannis in Laterano de Urbe ſupremum obtinere locum ſuper omnes Eccleſias Urbis, & Orbis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Gregorius XI. B. Catharina Senenſi annitente, Avenione Urbem petiit.*
2 *Ejus natales, litterarum, & pietatis ſtudia, ac ad Pontificatum aſſumptio.*
3 *Reditus ipſius ad Urbem qualiter contigerit.*
4 *Alia ejus praclara geſta, & obitus.*
5 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione quoad praeminentiam Baſilica Lateranenſis ſuper omnes Eccleſias Urbis, & Orbis.*
6 *Baſilica Lateranenſis antiquitas, origo, & nomenclatura illuſtratur.*
7 *Varia ejuſdem Baſilica nomina.*
8 *Baptiſterium ejuſdem Baſilica commemoratur.*
9 *Plures Baſilica Lateranenſis reſtaurationes innuuntur.*
10 *Altare pracipuum ejuſdem Baſilica commemoratur.*
11 *Canonici Regulares, inde ſaculares hanc Baſilicam obtinuerunt. Remiſſivè.*
12 *Hac Baſilica eſt Cathedralis Papa, ac proindè inter alias pracipua.*
13 *Reſidentia Papa olim erat in Palatio Lateranenſi.*
14 *Papa quas functiones in hac Baſilica expleverit ac nunc expleat.*
15 *In ea fieri debent publica Ordinationes, ac adminiſtrari Sacramentum Confirmationis.*
16 *Sacramentum Confirmationis quatenus poſſit adminiſtrari in Baſilica Vaticana.*
17 *Cathecumini baptizantur in Baſilica Lateranenſi.*
18 *Proceſſio SS. Corporis Chriſti ob commodum Papa fit in Baſilica Vaticana.*
19 *Sed fieri debet in Lateranenſi, ut ſervatur Sede vacante.*
20 *Afferuntur alia argumenta pro ejuſdem Baſilica primatu.*
21 *Canonici Lateranenſes pracedunt Canonicis Baſilica Vaticana.*
22 *Eminentiſſimus D. Cardinalis Pamphilius, Lateranenſis Baſilica Archipresbyter laudatur.*

QUod ab anteceſſoribus Summis Pontificibus per
ſeptuaginta annorum ſpatium obtinere minimè 1
potuerunt tot Urbis, & Eccleſiaſticæ ditionis calamitates, Populiq; Romani ſupplicationes, ut ſcilicet Sedes Pontificia Urbi reſtitueretur, id conceſſit Gre-

Gregorius XI. Romanus Pontifex, ſuaſionibus præſer-
tim Divæ Catharinæ Senenſis Virginis, pluribus Epi-
ſtolis ei datis, ac demum ad eumdem miſſæ à Flo-
rentinis. Optimo quidem jure hic Pontifex Sedis
Apoſtolicæ ſatis benemeritus dici debet; nam quid-
quid dixerint Franci, quòd ex ejus acceſſu ad Ur-
bem, prodierit Schiſma tam lugubræ Eccleſiæ, quod
infrà in Vita Urbani VI. referam; hoc certum eſt,
quod ſedato ſchiſmate, ſumma deindè pax Eccleſiæ
reddita per reſtitutionem Sedis Pontificiæ in Urbe,
ac in plauſibili ſtatu dignitas Romani Pontificis re-
manſit; humores etenim maligni initio medicinæ in-
verti ſolent, ita ut majora ægroto inferre mala vi-
deantur; ſed ad validam deindè ſanitatem eum repo-
2 nunt. Secuto itaque obitu Urbani V. coacto in Pala-
tio Avenionenſi Conclavi Cardinalium, hi elegerunt
13. Kalendas Januarii Anno 1310. Petrum Rugerium
Monſtrium, Belliſortis Comitem, ex Oppido Malmon-
tis Lemovicenſis agri in Provincia Tholoſana, Gal-
lum, nepotem ex fratre Clementis VI. nobilibus paren-
tibus ortum, quem Patruus anno 17. ætatis Cardina-
lem Diaconum creavit, eumque ſub exquiſitiſſimis
DD. & præſertim Baldo; tunc Peruſiæ publicè do-
cente, legales ſcientias acquirere voluit, ac Peruſiam
miſit, ubi jam in omni doctrinarum, & ſcientiæ ſtu-
dio profecit, ut idem Baldus ejus auctoritate in rebus
dubiis explanandis uteretur; ac etiam in morum exem-
plaritate ita præfulſit, ut communi voto in Eccleſiæ
tam anxiis perturbationibus, Pontifex Maximus non
dum quadragenarius renunciari meruerit: Id exem-
plo ſit Summis Pontificibus, non eſſe alienum à di-
vina voluntate, & Eccleſiæ bono, nepotes, ac alios
conjunctos ad Cardinalatus culmen promoveri, ſi ta-
men eos doctrina, & virtutum ſpecimine præfulgere
satagant. Coronatus proindè die Epiphaniæ Anno
1371. ſtatim cæpit cogitare ad Urbem acceſſum,
3 quem tamen exequi omninò voluit, etſi Galliarum Re-
gis contrariis ſuaſionibus preſſus, dicens ita pollici-
tum fuiſſe Deo, ac deputatis legatis Cardinalibus
quatuor, qui Avenione reſiderent, iter arripuit, Maſ-
ſiliæ mare ingreſſus cum 31. triremibus Januam pri-
mò, deindè Cornetum protendit, imperterritus lon-
gum iter aggredi, ſuæ ſalutis imbecillitati non con-
forme; A Civitate Corneti, pertæſus navigationis ter-
reſtris, itinere Romam pervenit Anno Domini 1376.
Idibus Januarii, Pontificatus ſui ſeptimo; Iſtud itine-
rarium Petrus Amelius Aleatenſis in Narbonenſi Gallia,
Epiſcopus Senogalliæ, ab ejus diſceſſu uſque ad adven-
tum in Urbem diligenter exaravit, quod refert *Ciac-
conius* in hujuſmet Pontificis vita. Receptus fuit talis,
& tam eximius Pontifex Populorum acclamationibus,
ac Romanorum ingenti magnificentia, ut recolitur
in eodem Itinerario, ibi: *Alma Urbis Conſiliarii, Se-
nator, Bandarenſes omnes cooperti ſunt pannis ſericis;
Unde oſtendebatur magnanimitas Romanorum nobilium
cum eorum opulentiis: Verè non credebam in præſenti
ſæculo videre tantam gloriam oculis propriis.* Ejuſdem
Papæ ovantis in Urbem ingreſſus, expreſſus reperitur
picturis in Aula Regia Vaticani Palatii, opera Raphae-
lis Urbinatis cum hac inſcriptione.

Gregorius XI. Patria Lemovicenſis,
*Admirabili doctrina, humanitate, & innocen-
tia.*
Ut Italiæ ſeditionibus laboranti medetur.
*Et Populos ab Eccleſia crebrò deſciſcentes, ad
obedientiam revocaret.*
Sedem Pontificiam, Divino Numine permotus,
Avenione Romam poſt Annos LXX. reduxit,
Sui Pontificatus Anno VII. ſalutis MCCCLXXVI.

Alia etiam opera pietatis, ac Pontificiæ dignita-
4 tis propria peregit Gregorius, ne dum in Urbe, ſed
in cæteris Chriſtiani Orbis regionibus; & tandem
in Urbe obiit, dum, ut aliqui dicunt (an verè, non
ſatis liquit) reditum Avenionem verſus meditabatur,
die 27. Martii Anno 1378. urinæ morbo, dum adhuc
florida vigeret ætate annorum 47. & factis exequiis in
Vaticana Baſilica, humatum ejus corpus fuit in Eccle-
ſia S. Mariæ Novæ, cujus Diaconiam Cardinalis ob-
tinuerat, in eaque novum marmoreum ſepulchrum po-
ſuerunt Romani beneficiorum memores Anno 1584.

Hic etenim Pontifex, etſi Avenione reſidens, re-
ſpiciens tamen Eccleſiam Lateranenſem in Urbe, 5
uti ejus ſponſam, ad cujus amplexus mox pergere
meditabatur, eam hac Conſtitutione edita Avenione
10. Kalendas Februarii Ann. 1327. maximis amoris
ſignis fuit proſecutus; Cùm enim, ut in ea legitur,
à quibuſdam dubitaretur, an ipſa Lateranenſis Eccle-
ſia verè ſuper Urbis, & Orbis Eccleſias præeminentiam
obtineret, & ita à Chriſtianis cunctis deberet reputari,
volens Papa hujuſmodi dubietati finem imponere, au-
ctoritate Apoſtolica deſinivit, ac declaravit, Sacro-
ſanctam Eccleſiam Lateranenſem, præcipuam Sedem
Summi Pontificis, inter cæteras Urbis, & Orbis Ec-
cleſias, ac Baſilicas etiam ſupra Baſilicam Princi-
pis Apoſtolorum de Urbe ſupremum obtinere locum,
& ſuper omnes Eccleſias, & Baſilicas prioritatis, di-
gnitatis, & præeminentiæ honore decorari, irritum-
que declaravit quodcumque contrarium, quam Con-
ſtitutionem refert Victorell. *in add. ad Ciaccon. in
ejus vita*. Nedum hac diffinitione, ſed maxima de-
votione erga dictam Baſilicam amorem ſuum oſtendit
pius ille Pontifex, nam poſtquam ad Urbem acceſſit
ſæpe eam inviſit, ac in illa Miſſam celebravit; Cen-
ſum, quem Cameræ Apoſtolicæ præſtabant Canoni-
ci, reduxit, ac uſumfructum viridarii Pontificii pro
tempore abſentiæ Papæ ab Urbe iis conceſſit, &
ſtatuit, quod illegitimi non admitterentur inter eos,
ut in *Conſt.* 8. ejuſdem Papæ dicam.

Prærogativa igitur hujus Eccleſiæ Lateranenſis ſuper
omnes Eccleſias Urbis, & Orbis ſatis comprobatur 6
ex hac Gregorii extravagante; ſed elicitur quoq; ex
ejuſdem Baſilicæ antiquitate; ratione pariter eam
prærogativam canonizante, & demum ex aliis Sum-
morum Pontificum diplomatibus. Antiquitate enim
præcellit omnes Eccleſias quaſcumque; nam ut pri-
mum mira Dei providentia factum fuit, quod poſt
tempora Gentilium Imperatorum, Eccleſiam Dei
tam dire perſequentium, ſacra myſteria palam cele-
brari potuerint, quæ anteà in latebris, ac cryptis
timore perſecutorum adminiſtrabantur, ut adhuc mo-
numenta antiquitatis conſpiciuntur in Urbe; idque
eveniſſe liquet converſione tam mirabili, & Orbi
Chriſtiano utili, Magni Conſtantini Romanorum Im-
peratoris, qui mundatus miraculosè à lepra, & Sa-
cri Baptiſmatis fonte renatus ſub D. *Silveſtro* Papa,
ſtatuit, quod libera eſſet unicuique facultas per Ur-
bem, & Orbem Eccleſias conſtruendi; imò id exem-
plo pius Imperator comprobans, plures Baſilicas in
Urbe conſtrui curavit, ac Prima fuit hæc Latera-
nenſis ſub nomine Salvatoris intra Urbem, contigua
ædibus ipſius Imperatoris, Lateranis dictis ex fami-
lia Conſulari Laterana, quæ erant fiſco per Nero-
nem addicta, retenta uſq; nunc Laterani denomina-
tione, Tacit. *libr.* 15. *annal.* & refert Raſponus *in
Patriarchio Lateranenſi libr. 1. capit. 1. pag. 7. 8.
& 9.* quodque Lateranum Palatium Romano Pontifici
Conſtantinus donaverat poſt famigeratam de Maxen-
tio Tyranno habitam victoriam, ut ibi inhabitaret,
cui contiguam Eccleſiam, ſeu Patriarchium ædifica-
ri curavit; Quæ quidem Eccleſia pluribus nominibus 7
decorata fuit, nempè Regia Domus dicta, Baſilica au-
rea, Templum miſericordiæ, Romana Eccleſia, La-
teranenſis Eccleſia, quæ uſque adhuc nomenclatura
extat; itemq; Baſilica Salvatoris, quia ipſi primò di-
cata fuerat, fabricata contigua alia Eccleſia dicata
S. Jo: Baptiſtæ eo loco, quo Imperator baptizatus fue-
rat, quam idem Silveſter Papa conſecravit, & con-
ſecrationis memoria celebratur die 9. Novembris, quo
primum Romæ publicè Eccleſia conſecrata fuit, &
Imago Salvatoris in pariete depicta apparuit, ut re-
cenſetur in lectionibus Breviarii, quæ eodem die re-
citantur, quo Anniverſaria dedicatio dictæ Eccleſiæ
recolitur; meritò tamen eadem Eccleſia in unum
conflata, Præcurſoris Joannis Baptiſtæ denominata
exti-

Digitized by Google

extitit, ut enim ait D. Benard. *ſerm. de S. Jo: Ba-
ptiſta: Electio proculdubio ſingularis eſt, in ipſa Ur-
be Joannem vendicare Primatum Eccleſiæ, quam Cæ-
li duo lumina morte clariſſima conſecrarunt. crucifi-
gitur Petrus, gladiatur Paulus, & dignitas remanet
Præcurſori. Purpuratur Roma multitudine Martyrum
totaque ſublimitas refunditur Patriarchæ.* Igitur ultra
8 Baſilicam in præſenti adeſt etiam Eccleſia annexa
cum Baptiſterio magnificè conſtructo repræſentante
figuram S. Joannis Baptiſtæ Chriſtum baptizantis,
ac picturis parietes ornatos oſtendentes baptiſma Ma-
gni Conſtantini, in quo loco Romani Pontifices ba-
ptizare conſueverunt, & benedicebant baptiſterium in
die Sabbati Sancti, ut recenſet *cit.* Raſpon. *libr.* 3.
cap. 4. qui in pluribus capitibus ſtatum modernum,
& antiquum materialem ejuſdem Baſilicæ accuratiſſi-
mè deſcripſit. Hoc certum eſt, pluries Baſilicam iſtam
9 incendio corruiſſe, ut idem ait, ac recenſent hiſtori-
ci, Panvin. *l.* 1. *cap.* 7. ubi de incendio ſub Clemen.
V. Avenione degente, & Petrarcha *lib.* 7. *ſenilium*,
ait: *Lateranum jacere, ſed quo animo (da quaſo,
miſericors Pater, terminis devotionis meæ veniam)
quo inquam animo, tu ad ripam Rhodani ſub aureis te-
ctorum laquearibus ſomnum capis. & Lateranum humi
jacet, & Eccleſiarum Mater omnium tecto carens,
cunctis patet ac pluviis.* Juſtas Petrarchæ querelas re-
plicari opus non eſt à quocumque domus Dei Zelato-
re, dum Romani Pontifices pluries hujuſmodi tem-
plum, jacturam paſſum, reſtaurare contenderunt, &
præſertim noviſſimè Innocentius X. illud reduxit ad ele-
gantem ſtructuram, & tempore Clementis XI. Re-
gnantis egregiæ ſtatuæ Sanctorum præcipuorum in pa-
rietibus Navis majoris Eccleſiæ additæ fuerunt.

Plurima rurſus habet hæc Baſilica ornatiſſima Alta-
10 ria; inter quæ ſanctitate, & antiquitate venerandum
eſt illud in medio Eccleſiæ ſitum, Papale dictum, co-
lumnis exornatum, ſuper quo conſervantur capita SS.
Apoſtolorum Petri, & Pauli; Altare tamen iſtud, de
quo fit mentio in præfatis lectionibus legendis in die
Anniverſario conſecrationis, antiquum continet li-
gneum, & ad formam Arcæ, in quo priſci Romani
Pontifices celebrare conſueverunt, & in eo ſolus Ro-
manus Pontifex celebrare valet, nec aliis permittitur
niſi mediante Brevi, quod affigitur in eo columna
11 Altaris, alicui celebrandi etiam S. R. E. Cardinali in-
dultum ſit. In hac Baſilica etſi antiquitùs aderant
Canonici Regulares, tamen fuerunt poſteà in ea in-
ſtallati Sæculares Regularibus ſublatis, ut latè recen-
ſui *tom.* 1. *Conſt.* 2. Paſchalis II. & *Conſt.* 2. Anaſta-
ſii IV. *tom.* 2. ubi plura de Canonicis hujus Baſilicæ,
ac de ea retuli.

Concurrit ſecundò ad hujuſmodi Baſilicæ præemi-
nentiam comprobandam ratio, quæ maximè reſulget,
ut ea major ſit, ac potior omnibus Urbis, & Orbis
12 Eccleſiis. Cùm enim ſit Sponſa, & Eccleſia Cathe-
dralis Romani Epiſcopi, qui omnium Eccleſiarum
Paſtor quoque, & Pater eſt, neceſſariò elicitur, ut
ejus Sponſa Mater, & præcipua omnium Eccleſia-
rum ſit, unde Petrus Damian. *in epiſt. ad Epiſ. Car-
din. hujus Baſilicæ* ſcribens, inquit: *Mater, & apex,
ac vertex eſt omnium per Orbem Eccleſiarum*, & Pan-
vin. *de ſeptem Urb. Eccleſ. Baſil. Salvator.* de ea di-
xit: *Quæ prima in toto Mundo conſtructa eſt, & ſta-
bilita à Beatæ memoriæ Conſtantino Imperatore, &
13 juxta Epiſcopum ſcilicet Cathedralem*, & in hac Con-
ſtitutione Gregorius, *Sedem Summi Pontificis* hanc Ec-
cleſiam nuncupavit. Hinc Summi Pontifices apud eam
reſiderunt à Silveſtro uſque ad Clementem V. qui Ave-
nionem petiit, & licitè deinde inhabitatum fuit Vati-
canum quoque Palatium ob vicinitatem D. Petri Baſili-
cæ, & uti in loco magis munito ob Civitatem Leoni-
nam, ita dictam à Leone Papa IV. ejus auctore, par-
ta de Saracenis ſpeciali victoria, ac deindè, tempore
Pauli V. ob aeris meliorem temperiem conſtructum
Quirinale; tamen f. m. Sixtus V. reſtauravit illud La-
teranenſe, ut antiquum domicilium propè propriam
Eccleſiam Romanorum Pontificum oſtenderet. In ea-
dem Baſilica Romani Pontifices Miſſas in ſolemnio-
ribus celebrare conſueverant, in eaque ſeptem Epiſco- 14
pi Cardinales alternatis hebdomadis ſacra peragebant
cùm in reliquis Baſilicis Urbis Cardinales ſimplices
id agerent; unde illi primi huic Eccleſiæ inſervientes
Epiſcopi, nunc Papæ aſſiſtentes Epiſcopi dicuntur, &
eſt Textus in *c.* 2. *de offic. Archipresb.* In eadem rur-
sùs Eccleſia Concilia celebrabantur, imò DD. aſſe-
runt, ad ejuſdem Canonicos ſpectare electionem Pa-
pæ, ſi omnes Cardinales deficerent, Barboſa *in Cle-
ment. ne Romani de elect.* Frances *de Eccleſ. Cathed.
cap.* 1. *num.* 93. & dixi ſupra ad *Conſt.* 5. Clementis
VI. *num.* 20.

Hujus Eccleſiæ prærogativam ſatis tandem innuunt
plura monumenta, dum in illa uſq; adhuc omnia mu- 15
nera Epiſcopalia Urbis exercentur ab Epiſcopo Vice-
gerente, loco Cardinalis Vicarii Urbis; ibi enim ſa-
cras Ordinationes in quatuor Anni temporibus, &
Sacramentum Confirmationis certis menſibus pro com-
moditate Populi adminiſtrat; Hinc cùm Urbanus VIII.
mediante Brevi confirmatorio Decreti Congregationis 16
Viſitationis ſub die 5. Octobris 1641. quo declaraba-
tur, poſſe adminiſtrari per Cardinalem Archipresby-
terum Baſilicæ Vaticanæ Sacramentum Confirmatio-
nis in eadem Baſilica, & Civitate Leonina, quæ eſt
pars Urbis verſus Vaticanum; Sac. Congreg. Conci-
lii, prævia remiſſione Pontificia, in *Romana Admi-
niſtrationis Sacramenti Confirmationis* die 15. *Februa-
rii* 1648. cenſuit, utraque parte informante, & om-
nibus maturè perpenſis referendum eſſe Sanctiſſimo,
poſſe ſuſtineri Breve quoad perſonas Canonicorum Be-
neficiatorum, Clericorum, & Miniſtrorum inſervien-
tium Eccleſiæ S. Petri, non autem quoad alias per-
ſonas quaſcumque, & die 15. Junii dicti anni, fa-
cta relatione Sanctiſſimo tunc Innocentio X. ac de
ejus oraculo, S. C. die 4. Julii ejuſdem anni publi-
cari Decretum mandavit, ut refertur in *to.* 18. *Decr.
pag.* 145. & 491. ac confirmavit Clemens X. In ea- 17
dem rurſus Eccleſia regulariter baptiſma confertur Con-
verſis, ſeù Cathecumenis, Frances *de Eccleſ. Cath.
cap.* 19. *num.* 96. unde fertur Romanum Pontificem
in Sabbato Sancto ibi nedum baptizaſſe, ſed etiam
miſiſſe ex ea Cardinales ad proprios titulos Urbis,
eis dicendo: *Ite baptizate omnes gentes in nomine Pa-
tris, Filii, & Spiritus Sancti*, ut apud Mabillon. *in
Muſeo Italico tomo* 2. *Ord. Roman.* 11. *num.* 4. *fol.*
138. *Severanus delle ſette Chieſe di Roma nella Chie-
ſa di S. Gio: Laterano cap. di S. Gio: Battiſta in Fon-
te cart.* 502. In ea Eccleſia etſi non fiat Proceſſio
Corporis Chriſti, ſed in Baſilica S. Petri, id contin-
git ob commorantis, & ut fiat majori pompa, ut re- 18
fertur à Rota *dec.* 560. *num.* 11. & *ſeq. par.* 19. *tom.*
2. *recent.* ibi: *Proceſſio unica in die SS. Corporis Chri-
ſti fit in Eccleſia Vaticana, Divo Petro dicata, licèt
Eccleſia S. Joannis Lateranenſis antiquior ſit, & di-
gnior, ex quo ibi propriè ſit Sedes Epiſcopalis Romani
Pontificis*, & *num.* 19. ſubdit, quòd fiat ex majori Po-
puli commoditate, cùm illa Baſilica ſit Urbis Cathe-
dralis, Tuſch. *tom.* 5. *concl.* 10. *litt. L. num.* 4. Cæ- 19
terùm Sede vacante, quia ceſſat vicinitas Papæ in Pa-
triarchio Lateranenſi, fit in Eccleſia S. Joannis, ut eve-
nit tempore Sedis vacantis per obitum Alexandri VIII.
Ann. 1691. cùm ipſa ſit major Eccleſia, Rota *dec.* 479.
num. 64. *part.* 19. *tomo* 2. *recent.* In ea item Eccleſia
conſecrata Oleum Sanctum, quod indicat ſuperioritatem,
Rota *dec. cit.* 479. *num.* 19. Rurſus ad Eccleſiam Late-
ranenſem novus Papa accedit ſolemni equitatu poſſeſ-
ſionem ſumpturus poſt Coronationem, & demum in
eadem etiam in præſenti celebrare ſolet die Aſcenſionis
Domini, ac S. Joannis, & benedictionem ſolemnem
pro Populo publicè impartitur.

Hujuſce quoque ſpecialis conjugii cum Romano
Pontifice, & proindè præeminentiæ attestantur Hi- 20
ſtorici ſuprà adducti, & plura Apoſtolica diplomata,
ultra hoc Gregorii in iſta Conſtitutione, quorum plu-
ra deſcripta ſunt apud *citat. Caſponum Canonicum ip-
ſius Eccleſiæ*, & alia adducit noviſſimè Abbas Bartho-

lomæus

lomæus Piazza *in Gerarch. Cardinalizia tit. dell' Arciprete di S. Giovanni in Laterano*. Sanè Anaſtaſius IV. in ejus *Conſtit. 1. relat. tomo 2. in §. 6.* de hac Baſilica ita fatur: *Suggeſtione, & voluntate Fratrum noſtrorum Cardinalium Epiſcoporum ſanximus ut eadem Eccleſia* (nempè Lateranenſis) *tamquam Mater & Domina libera ſit, & nulli penitus, niſi ſoli Romano Pontifici ſubjecta, atque iidem Epiſcopi ſalubri providentia veluti cooperatores* (loquitur de Epiſcopis Cardinalibus ibi divina peragentibus) *& Vicarii noſtri ipſius Venerabilis Baſilicæ utilitatem, & honeſtatem provideant*; & Hadrianus Primus Papa nominavit Romam Diœceſis Lateranenſis, ac hanc Eccleſiam Matrem omnium Eccleſiarum, & Sedem Pontificiam, in quadam ejus Bulla, quæ aſſervatur in Archivio ejuſdem Eccleſiæ. Bonifacius IX. itidem Eccleſiam iſtam denominavit Caput Eccleſiarum totius Orbis, & Urbis; cæteraſque Eccleſias Cathedrales, & Superiores Eccleſias certos dedicatos ſponſos habere; hanc autem Papam dumtaxat Gubernatorem recognoſcere, & Præſidem, ut in ejus Bulla, ut ſupra aſſervatam apud S. Petrum 5. *Non. Martii* 1395. Caliſtus III. Eccleſiam Lateranenſem Sponſam Summi Pontificis nuncupavit in ejus Bulla edita anno 1445. Innocentius II. eam dixit, Romani Pontificis conjugem, & Innocentius VI. præcipuam, & principalem Orbis Eccleſiarum omnium Matrem, & Dominam, ac Sedis Apoſtolicæ Cathedralem, ac Honorius III. in quadam Bulla edita anno 1216. benè ait: *Sanè multa congregaverunt divitias, & auxerunt honores; ſed hæc Baſilica ſupergreſſa eſt univerſas*; & Sixtus V. anno 1586. Patriarchium Papæ iſtam denominavit Eccleſiam, aliiſque ſimilibus nomenclaturis Romani Pontifices in publicis Extravagantibus hanc Baſilicam decorarunt; & præcipuè Martinus V. in ejus Bulla ſub datum Romæ apud SS. Apoſtolos idibus Auguſti, anno X. ejus Pontificatus, literas has Gregorii XI. confirmavit, ac tandem S. Pius V. etſi *Conſtitut. 96.* appellaverit Baſilicam S. Petri totius Orbis Matrem, & Magiſtram, ob Cathedram D. Petri ibi veneratam; tamen non dubitavit confirmationis robur addere huic Conſtitutioni Gregorii, in qua majoritas, & præeminentia Eccleſiæ Lateranenſis comprobatur, & declaratur ſuper omnes
21 Urbis, & Orbis Eccleſias, ut in ejuſdem S. Pii *Conſtitut. 94. incip. Infirma tomo 2. Bullar.* confirmavitque rursùs ſententiam Sacræ Rotæ Romanæ adjudicantem præcedentiam Canonicis, & Clero hujus Lateranenſis Baſilicæ ſuper alios quoſcumque Urbis, præſertim Canonicos, & Clerum Baſilicæ S. Petri, in quibuſcumque actibus, & Proceſſionibus, ut in praxi ſervatur in præſenti; Non enim ex hoc diminuitur maximum decus Baſilicæ Vaticanæ, ejuſque prænobilis Capituli, & Cleri, in Orbe Chriſtiano omni ævo venerationem excipientis à tot Imperatoribus, Principibuſque Chriſtianis, populiſque exteris, ac nationibus ob confeſſionem S. Petri in eo exiſtentem, & Cathedram ejuſdem ibi veneratam, apud quam Romani Pontifices reſidere conſueverunt, quod etſi in deſuetudinem abiiſſet, reaſſumere tamen curarunt per majoris anni partem ſ. me. Innocentius XI. & Clemens XI. feliciter regnans; qui etſi variis rationibus propriæ conſervandæ ſalutis habitationem illam relinquere ſuaſus ſit, numquam tamen voluit, aſſuetus quidem propria commoda in his reliquiſque actibus diciplinæ ab antiquis Summis Paſtoribus indicatæ poſtponere. Cœtera demum quoad hanc Baſilicam Lateranenſem, ac ejus Capitulum, & præſertim de privilegio exemptionis Eccleſiarum ab ea dependentium & aggregatarum alibi dicam in propria Sede Bullarum; Cœterum ad ejus majoritatis decus ſatis conferunt gravitas officiaturæ, guberniumque eximium, quod in ea præcipuum obtinet Eminentiſſ. & Reve-
22 rendiſſimus D. Cardinalis Benedictus Pamphilius, dignus, qui hujuſmodi Baſilicæ Archipresbyter præficeretur, utpotè jam digniſſimus Innocentii X. omni ævo Optimi Maximi, ejuſdem Baſilicæ reſtauratoris, Nepos. Præclara quippè hujus Romani Principis pietas, & eximia decora admirabitur quiſque; narratione tamen explebit nemo. Admirari enim mihi, dum adhuc inter Seminarii Romani Convictores adoleſcebam, fas fuit ejus egregiam indolem, ingeniique vim in Academiis, ac publicis Theſibus defendendis. Quas porrò inclytas dotes, magno ſtudio excultas, proſpiciens ſan. memor. Innocent. XI. ſeveriſſimus alioqui meritorum extimator, illum adhuc vigeſimum octavum annum agentem inter S. R. E. Cardinales cooptavit; In qua dignitate adeò doctrina, pietate, ac benigna comitate, animique moderatione excellit, ut apud Summos Pontifices magnæ ſemper fuerit exiſtimationis, ac apud omnes deliciæ Populi Romani meritò audiat.

CONSTITUTIO II.

GREGORII XI.

Incipiens (*Admodum.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS INQUISITORIBUS Hæreticæ Pravitatis.

IN Chriſtianos ad Saracenorum ritus tranſeuntes, aut redeuntes, tamquam contra hæreticos, eorumque fautores per Inquiſitores procedi mandat, tranſitu, aut reditu etiam per Saracenos inter Chriſtianos morantes probato; Quòdque pœnis debitis puniantur Saraceni, Chriſtianos ad eorum ſuperſtitionem inducentes.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Tribunal Inquiſitionis quàm opportunè fuerit erectum.*

2 *Idem Tribunal quam juriſdictionem obtinuerit.*

3 *Apoſtatantes ad Judæos, aut Mahometanos à quibus puniuntur.*

4 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione.*

5 *Adducitur motivum editionis ejuſdem Conſtitutionis.*

6 *Proponuntur tractanda in præſenti Commentario.*

7 *Baptiſmum quiſque validè miniſtrat.*

8 *Idemque comprobatur procedere quoad Parochos, & Miniſtros hæreticos.*

9 *Limita niſi adſit probabile dubium circa defectum intentionis.*

Quid ſi miniſtretur à Calviniſtis, qui dubitant de efficacia Baptiſmi. Ibid.

10 *Aſſeritur Baptiſmum ab hæreticis, etiam Calviniſtis miniſtratum, eſſe validum, ſi ſervent ſubſtantialia ab Eccleſia præſcripta.*

11 *Inter Baptiſmi Miniſtros, quis ordo ſervandus ſit.*

12 *Præcipuus Baptiſmi ſolemnis Miniſter eſt Epiſcopus, ac in ejus locum Parochi.*

13 *Parochiarum diviſio quando, & qualiter contigerit.*

14 *Parochus alienum Parochianum baptizare non poteſt.*

15 *Baptiſmum non ab omnibus Parochis, ſed ab iis, qui Eccleſias Matrices, & baptiſmales obtinent, miniſtrari poteſt.*

16 *Ec-*

16 *Eccleſia baptiſmalis urplurimum eſt matrix, & cur ita dicta.*
Retentio Fontis baptiſmalis arguit matricitatem. Ibidem.
17 *Eccleſia poteſt eſſe Parochialis, etſi non baptiſmatis.*
18 *In nonnullis Civitatibus unus, prout olim, eſt fons baptiſmalis.*
19 *Eccleſia baptiſmalis quandoque non eſt Parochialis, & qua ratione id concedatur.*
20 *Regulariter quoque Eccleſia Parochialis eſt baptiſmalis.*
21 *Decimæ perſonales debentur Eccleſiæ baptiſmali etiam à ſubditis Parochiarum filialium.*
22 *Decimæ perſonales cui Eccleſiæ debeantur.*
23 *Simplices Presbyteri ex delegatione Epiſcopi, vel Parochi licitè Baptiſmum miniſtrant.*
24 *Diaconi facultatem ſolemniter baptizandi non habent.*
25 *Nec quidem ex delegatione Epiſcopi, niſi in defectum Sacerdotum.*
26 *Parochus non Presbyter, etſi Diaconus, baptiſma ſolemniter non miniſtrat.*
27 *Miſſionarii miniſtrare poſſunt baptiſmum in locis infidelium.*
28 *Limita. niſi ibi adſint Epiſcopi, aut Parochi.*
29 *Adminiſtratio Baptiſmi non eſt actus juriſdictionis in baptizandum.*
30 *Baptizare infideles adultos ad fidem converſos præcipuè pertinet ad Epiſcopum.*
31 *Epiſcopo autem impedito pertinet ad Parochum domicilii.*
32 *Nec in hujus præjudicium poteſt id prætendi à Parocho Cathedralis.*
33 *Cathedralis eſt Parochia univerſalis pro tota Diœceſi reſpectu Epiſcopi, non autem Parochi.*
34 *Epiſcopus nonniſi rarò, & ex juſta cauſa delegare debet Sacerdoti non Parocho adminiſtrationem Sacramentorum.*
35 *Parochus præſcribere poteſt jus miniſtrandi baptiſmum alienis ſubditis ſponte ad ſe confluentibus.*
36 *Hoc jus habet Parochus Baſilicæ Vaticanæ quoad alios Parochos Urbis.*
37 *Fons Baptiſmalis Baſilicæ Vaticanæ antiquitate, & Religione inclutus.*

INter præclara, & nullo ævo obliteranda geſta, qui-
1 bus per maximus Pontifex Innocentius III. Chriſtia-
nam Rempublicam piè, ac feliciter rexit, non fermè
humilem obtinere reor locum. Sacri Tribunalis Inqui-
ſitionis adverſus hæreticam pravitatem erectio: quod
ab ipſo excitatum, à ſucceſſoribus inde Pontificibus
promotum, magno univerſalis Eccleſiæ emolumen-
to erectum fuiſſe experientia comprobavit. Qua
autem, quantaque poteſtate idem Tribunal polle-
2 ret, non facilè fuit ejus exordiis conſtabilire; id
enim rerum, temporumque exigentiæ relinquen-
dum erat, quo facultas ipſa ſeſe opportunè ex-
plicaret, quod pluries in præcedenti Tomo ani-
madvertimus. Quinimò quamvis juriſdictio in reos
hæreſis conceſſa comprehendere valeret Apoſtatas,
& hos ſivè ad Judæos, ſivè ad Mahometanos, ſivè
ad quamcumque aliam ſuperſtitioſam ſectam deſci-
ſcentes; tamen in tranſeuntes, aut redeuntes ad Ju-
daiſmum, poteſtatem, qui primus Inquiſitoribus con-
ceſſerit, fuit Bonifacius VIII. in *capit. contra Chri-
ſtianos de hæret. in 6.* quem & alii Pontifices ſunt
3 proſequuti, ut notavi in *Conſtitut.* 14. Clem. IV. *nu-
mer.* 3. *tomo* 3. id exigente illorum temporum malitia
qua plures improbi, Chriſti cultu abjecto, ad Judai-
cam ſuperſtitionem deficiebant. Similiter juriſdictio-
nem in apoſtatantes ad Mahometanos primò inqui-
4 ſitoribus expreſsè conceſſit Gregorius XI. in præſen-
ti Conſtitutione, edita apud Villam Novam Diœce-
ſis Avenionenſis die 3. Auguſti 1372. præcipiens In-
quiſitoribus, ut contra eos, ac eorum fautores, re-
ceptatores, & defenſores, perinde ac contra hæreti-
cos, eorumque fautores procedant, apoſtaſia etiam per
teſtes Saracenos probata, prout ex præſenti Conſtitu-
tione notant Eymeric. *in Director. Inquiſ. par.* 2. *qu.*
45. ubi Pegna *comment.* 70. *Repertor. Inquiſitor. ver.
Rejudaizantes* §. *ſupra*; Simanch. *de Cathol. inſtit. tit.*
39. Caſtro *de juſta hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 7. Azor. *in-
ſtit. moral. tom.* 1. *libr.* 8. *capit.* 23. *quæſt.* 2. Decian.
tract. crim. lib. 5. *cap.* 10. *num.* 15. & 21. Scortia *in
ſelect. epit.* 27. *theor.* 73. & *ſeqq.* Paſſerin. *in cit. cap.
contra Chriſtianos num.* 5. Huic Conſtitutioni edendæ 5
Pontificem impulit, quòd in finitimis Hungariæ Pro-
vinciis plures impii, abjecto Chriſti cultu ad Maho
meticam ſuperſtitionem deficiebant; & alii, qui ab ea
ad Chriſtianorum caſtra transfugerant, poſtquam Ba-
ptiſmo fuiſſent initiati, ad priſtinam impietatem rela-
bebantur, ut referunt Oldoin. ad Ciaccon. *in vita Gre-
gor. XI. Raynald. tomo* 16. *ad Anno* 1372. *numer.* 34.
His accedebat, quod de anno 1335. ſub Urbano V.
facta ſacra expeditione contra Turcas, Cruceſignato-
rum exercitus Alexandriam expugnavit, quam tamen
mox ignavè dereliquit; unde efferati Barbari, Chri-
ſtianos adeò vexabant, ut hi, vel rerum terrenarum
amore deliniti, vel ſuppliciorum timore perculſi,
Chriſtianam Religionem ejurarent: quibus paternè
conſulere intendens noſter Pontifex, Inquiſitoribus
commiſit, ut præfatos Chriſtianos apoſtatas, ſi crimi-
nis pœniteret, in gratiam cum Eccleſia reſtituerent,
exolverent cenſuris, ac priſtinis juribus aſſererent, ut
elicitur ex Litteris Apoſtolicis relatis apud Raynald.
cit. tom. 16. *ad Ann.* 1375. *n.* 27.

Quæ pro hujus Conſtitutionis intelligentia hic di-
cenda eſſent, nos opportunè deduximus *to.* 3. *ad cit.* 6
Conſtit. 14. Clement. IV. *Conſt.* 3. Gregorii X. & *Con-
ſtitut.* 1. Nicolai IV. in quibus ferè iiſdem verbis diſpo-
nuntur contra apoſtatantes ad Judaiſmum, quæ hic diſ-
poſita ſunt contra tranſeuntes, aut redeuntes ad Maho-
metanos, unde ad ibi latè dicta recurras. At ne hunc
Commentarium omninò inornatum pertranſeamus; cùm
in *cit. Conſt.* 14. Clem. IV. viderimus, quatenùs Ju-
dæi, aliiq; Infideles admittantur ad Baptiſmum, op-
portunè hic examinabimus, ad quem Parochum ipſis
Baptiſma Miniſtrare pertineat.

Præmittendum autem eſt, Baptiſmi Miniſtrum, qui
neceſſarius omninò eſt, cùm nemo ſe ipſum baptizare 7
poſſit, *ca. dilectum de baptiſ.* aliàs conſiderari quoad
validitatem, aliàs quoad ſolemnitatem Sacramenti;
Quod enim validitatem reſpicit, certè quiſque illud
validè miniſtrat, ſivè Presbyter ſit, ſivè Laicus, ſivè
vir, ſivè fœmina, ſivè Catholicus, ſivè Hæreticus,
Judæus, aut Infidelis, dummodò debitam materiam,
& formam adhibeant, ac intentionem habeant facien-
di id, quod facit Eccleſia, ut diffinitur in *cap. firmi-
ter.* §. *unâ verò de Summ. Trinit. Concil. Florent. in
Decreto de unione Armenor. relat. in Conſtitut.* 19. Eu-
gen. IV. §. 10. unde improbatur error Calvini *lib.* 4. *In-
ſtitut. cap.* 15. §. 20. exiſtimantis, nullum eſſe Baptiſmum
ab Eccleſiaſticis Miniſtris non collatum, cumque latè
refellit Bellarmin. *lib.* 1. *de Baptiſ. cap.* 7. & quoad Ba- 8
ptiſmum ab Hæreticis Miniſtratum idem diffinivit *Con-
cil. Trident. can.* 4. *ſeſſ.* 7. *de Baptiſm.* & reſolvit Sac.
Congreg. ejuſdem Concilii Interpres in *Palentina* 30.
Auguſti 1689. *lib.* 19. *Litter. Viſit. Lim. fol.* 115. in
qua cenſuit, baptizatos à Parocho, qui poſteà decla-
ratus fuit hæreticus, non eſſe rebaptizandos, idemque
aliàs reſolutum refert Card. de Lugo *lib.* 1. *reſponſ. mo-
ral. dub.* 2. *num.* 2. & conformis eſt praxis Supremæ In-
quiſitionis, de qua teſtantur Card. Albit. *de incoſt. in
Fide cap.* 33. *num.* 25. ut baptizati ab hæreticis nulla-
tenus ſub conditione rebaptizari debeant, ſed facta hæ-
reſum abjuratione, à cenſuris abſolvuntur, ac Eccleſiæ
reincorporantur. At quamvis de Jure certum ſit, Ba-
ptiſmum etiam ab hæreticis collatum, validum cenſe-
ri; tamen cùm hæretici in Catholicorum odium, ſæpè
Sacramentorum formas materiaſque immutent, aut
contemnant, ut ex Molano *in praxi tract.* 4. *capit.* 3.
num. 30. advertit Diana *par.* 9. *tract.* 5. *reſol.* 35. *verſ.
ſed quæres*, ac præſertim in hæreticis Calviniſtis videa-
tur

Digitized by Google

tur deficere intentio, cùm negent, Baptiſmum eſſe Sacramentum efficax gratiæ collativum, neque peccatorum remiſſivum, affirmentque puerum ex parentibus Chriſtianis progenitum, in materno utero juſtificari, itant Cœlorum Regnum aſſequi valeat, etſi ipſi ante Baptiſmum decedere contingat, ut voluit idem Calvin. *cit. cap.* 15. unde in eis non videtur, adeſſe intentio faciendi quod facit Eccleſia, ex quo fit, quòd cùm validitas Baptiſmi non tàm exquirenda ſit ex Jure, juxtà quod abſolutum eſt, ipſum etiam ab hæreticis validè miniſtrari; ſed ex facto, ex quo multoties prudenter dubitari poſſit, an adfuerit materia, forma, aut intentio, non eſt cur concedi non debeat iteratio Sacramenti ſaltem ſub conditione, dummodò tamen dubium invaliditatis ſit rationabile, ut conſiderant Diana, & Card. de Lugo *loc. cit.* Hurtado *de Sacramen. tract. de Baptiſ. diſp.* 1. *difficul.* 12. *pag.* 50. Bonacin. *tom.* 1. *oper. moral. diſp.* 2. *de Baptiſ. queſt.* 2. *num.* 20. Cœteroquin his deficientibus, iteratio permittendam non eſt, eò præſertim quia Hæretici de fa-
10 cto baptizant, unde ſi materiam, & formam adhibeant, præſumendum eſt habere etiam intentionem baptizandi, aliàs non baptizarent; quod etiam ſatis eſſe, ut baptiſma collatum à Calviniſtis ſit validum, quamvis ipſi nullam efficaciam baptiſmo tribuant, poſt Bellarm: & Vaſquez docet Fagnan. *in cap. ſi quis puerum num.* 18. *& per tot. de Baptiſ.* idemque elicitur ex ſententia D. Auguſt. *relat. in can. ſatis de conſ. diſt.* 4. quod etiam ſentire viſa eſt Sac. Congreg. Concilii, nam cùm alias proponeretur, quod Parochi Diæceſis S. Jacobi de Cuba in Indiis Occidentalibus, hæreticos ad Fidem Catholicam converſos ſub conditione rebaptizarent, ſub unico prætextu, quod ignoraretur quæ, & qualis fuerit intentio, cum qua fuerint baptizati, quamvis converſi aſſererent adhibitam fuiſſe materiam, & formam ab Eccleſia præſcriptam: propoſito inde dubio, An & quibus caſibus Hæretici debeant ſub conditione rebaptizari, ſi ad Fidem Catholicam convertantur; Reſponſum fuit, non eſſe rebaptizandos, niſi adſit probabile dubium invaliditatis Baptiſmi, *in Dubiis*
11 *Baptiſmi 27. Martii* 1683. & magis in terminis baptiſmi collati à Calviniſtis fuit aliàs dubitatum, utrùm baptizati à Calviniſtis negantibus, dictum Sacramentum conferre gratiam, juſtificare, remittere peccatum, & affirmantibus puero jam juſtificato in utero adhiberi tantùm ad ſimplicem quandam reſignationem, ſint iterum baptizandi. Sanctiſſimus ex ſententia S. Cong. Concilii, quæ plures Theologos conſuluit, reſpondit, baptiſmum Calviniſtarum eſſe verum baptiſmum, & ideò baptizatos ab eis non eſſe iterum baptizandos; non enim Calviniſtæ diſceſſerunt ab Eccleſia circa baptiſmum, & ſervant formam Eccleſiæ, licèt non reliqua ſolemnia, ut habetur *in* m. s. Card. Aleiat. *ad ſeſſ.* 7 *can.* 4. *de Baptiſmo*. Itemque in ſimili ms. Card. Caraffæ *ad cit. loco Concilii*, habetur: *Cæremoniæ ſunt ſupplendæ in baptizatis à Calviniſtis, & in adultis prævia abjuratione hæreſis, & reconciliatione*. Ideòque quotieſcumque conſtat, baptizatos à Calviniſtis fuiſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, adhibita debita materia, ſunt verè baptizati, idemque quoad baptizatos ab Obſtetricibus, ſi conſtet eſſe adhibitam veram formam, & materiam non deberi rebaptizari neque ſub conditione, ſecùs debent rebaptizari, ſi ignoraverint formam, ut reſpondit eadem Sac. Congr. in una *Civitatis Ducalis* 1. *Decembris* 1605. Hæc equidem quoad validitatem baptiſmi, quod à quocumque validè miniſtratur; quin imò etiam ritè, & licitè, ſi neceſſitas concurrat, dummodo aliàs debitus ſervetur ordo, quem tradit D. Thom. 3. *part. queſt.* 64. *art.* 4. ut ſcilicet inferior ſemper cedat Superiori, adeòut non baptizatus baptizato, excommunicatus non excommunicato, mulier viro, Laicus Clerico, Clericus Sacerdoti, Sacerdos Parocho, Parochus Epiſcopo cedant, niſi juſta cauſa aliud ſuadeat, veluti ſi ob mortis periculum oporteat baptizari puerum non dùm plenè ex materno utero editum, tunc enim honeſtatem decet, fœminam miniſtrare, prætermiſſo etiam proprio Parocho; alioqui autem hujuſmodi ordo intervertendus non eſt, adeòut aliter facientes lethaliter peccent, ut tenent DD. apud Leandr. *tom.* 1. *de Sacram. tract. de Baptiſ. diſp.* 4. *qu.* 7. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 4.

Quod autem ad Baptiſmum ſolemniter miniſtrandum 12
attinet, certè illud non à quocumque, ſed ab iis, quibus ex officio, ſeù jure ordinario competit miniſtrandum eſt; Inter quos primum locum obtinent Epiſcopi, cùm ipſi, utpotè Apoſtolorum Succeſſores, à Chriſto dimiſſi fuerint ad docendas, & baptizandas Gentes, *Jo.* 20. proindè baptiſmum conferre ad ipſorum proprium munus pertinet, *can. Diaconos* 97. *diſt.* ubi Gloſſ. *verb. abque, cap.* 1. *de regul. domib.* & ibidem Gonzal. *num.* 2. quinimò in primis Eccleſiæ ſæculis, quando Baptiſmus, & Confirmatio unà ſimul conferrebantur, Baptiſmus à ſolo Epiſcopo, vel ab eo ut plurimum conferebatur, ut advertit Thomaſſin. *de benef. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 3. Cùm autem Epiſcopi, multiplici curarum pondere diſtracti, non omnibus præſtò eſſe poſſent in baptiſmate miniſtrando, in laboris partem accerſiti fuerunt Presbyteri, ſeù Parochi, proindè ſequuta poſtmodum Parochiarum diviſio- 13
ne, quam aliqui Dionyſio Papæ tribuunt, *ex can. Eccleſias* 13. *queſt.* 1. *cap. paſtoralis de his, quæ fiunt à Prælat.* Rota *deciſ.* 665. *num.* 18. *cor. Coccin.* veriùs S. Evariſto tribuenda, qui ſecundo Sæculo Eccleſiam rexit, quamvis eam ſub Valeriani perſecutione ſuppreſſam Dionyſius reſtituerit, ut notant Fileſacus *de orig. Parœc. cap.* 4. Daniel. *de Nobilibus ſelect. cont. diſp.* 44 quod de diviſione Parochiarum Urbis, non autem aliarum Diœceſum intelligit Garz. *de benef. lib.* 1. *qu.* 10. *num.* 9. *& quaſt.* 20. *num.* 71. quam pariter diviſionem diſtrictè Epiſcopis demandavit Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 13. ſequuta, inquam, diviſione, quomodocumque, & quandocumque facta fuerit, evenit etiam, ut Baptiſma à proprio Parocho ex officio miniſtraretur, eatenus Parochiarum diviſione procedente, ut quiſque ſuis terminis contentus eſſe deberet, nec alterius Parochiæ plebem, aut jura uſurparet, *can. Eccleſias* 13. *queſt.* 1. *can.* 1. *&* 2. 9. *qu.* 2. *can. placuit* 27. 7. *queſt.* 1. quod idem Dionyſ. *epiſt.* 2. *ad Sever. ver. Epiſcopum* luculentius expreſſit, inquiens: *Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus, Parochias, & Cœmeteria eis diviſimus, & unicuique jus proprium habere ſtatuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, ſed unuſquiſque ſuis terminis ſit contentus*. Ex quo fit, ut baptiſ-
ma iis, qui intra Parochiæ limites exiſtunt, non à 14
quocumque, ſed à proprio Parocho miniſtrandum ſit, *Concil. Trident. cit. cap.* 13. *in fine*, itaut ſi alienus Parochus, aut quiſquis Presbyter illud ſine proprii Parochi licentia miniſtrent, graviter peccent, punirique valeant, utpotè proprii Parochi juriſdictionem uſurpantes, quamvis nullam irregularitatem, aut excommunicationem incurrant, cùm id Jure cautum non ſit, Barboſ. *de Paroch. part.* 2. *cap.* 18. *num.* 11. Theſaur. *de pæn. Eccleſ. part.* 2. *capit.* 4. *de Sacram. fol.* 311. ubi ſubdit, quod Sacerdos alieno Parochiano Baptiſmum miniſtrans animo uſurpandi juriſdictionem, incurrat Cenſuras latas contra Jura Eccleſiæ uſurpantes. Cùm enim per baptiſmum homo fiat Chriſti membrum, ac in Congregationem Eccleſiæ univerſalis, præcipuè illius communitatis Diœceſanæ, ſeù Parochialis, in qua baptiſmum ſuſcipit, admittatur, congruum eſt, ut hæc admiſſio non fiat, niſi ab iis, qui Diœceſis, & Parochiæ curam habent, Gonzal. *c.* 1. *n.* 10. *de Cler. non reſid.* Sotus *in* 4. *diſt*, 4. *qu. unic. art.* 3. *concl.* 2. Coton. *contr. lib.* 2. *controv.* 2. *c.* 3. *n.* 10. 39. *&* 46. Tamburin. *de Jure Abbat. t.* 2. *diſp.* 4. *quæſit.* 1. *n.* 2. Caſtrop. *oper. moral. t.* 4. *tr.* 19. *diſp. unic. punct.* 9. *n.* 2. Unde poſt Epiſcopos, Sacerdotes ſunt Miniſtri Baptiſmi non quidem omnes indiſtinctè, ſed ii, quibus ex officio competit baptizare, ut inquit *Conc. Florent. in cit. Conſtitut.* 19. Eugen. IV. §. 10. Quinimò non omnes Pa- 15
rochi baptiſma ſuis ovibus miniſtrare poſſunt, ſed ii tantùm, qui Eccleſiis Matricibus, aut baptiſmalibus præſunt;

Digitized by Google

ſunt; Etenim etſi regulariter omnis Eccleſia Parochia-
lis, præſertim extra Italiam, ſit Baptiſmalis, & vice-
verſa; id tamen non adeò cum Parochialitate conne-
xum eſt, ut eam neceſſariò ſequatur, aut inferat, ut-
plurimum enim Eccleſia Baptiſmalis eſt Matrix in lo-
co, cui Matricis nomen competit, cùm homines per ba-
ptiſmum regeneret, Gloſs. *in Clem.* 1. *verb. Matricem*
16 *de Sent. Excomm.* unde ex retentione fontis baptiſma-
lis Matricitatem, ſeù præeminentiam in alias ejuſdem
loci Eccleſias argui, notant Frances *de Eccl. Cathedr.*
c. 15. *n.* 167. *& ſeqq.* Rom. *conſ.* 356. *n.* 3. Pav. *de viſit.*
par. 2. *q.* 3. *n.* 33. Fuſc. *eod. tr. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 16. *& Sac. C.*
Conc. 19. *Aprilis* 1606. Rot. *dec.* 404. *n.* 58. *pag.* 19. *t.*
1. *recen.* Eccleſiæ autem filiales, etſi alioqui Parochiales,
multoties baptiſmales non ſunt, nam facultas baptizan-
di, quemadmodum & ſepeliendi, ac decimas, ſeù o-
blationes, primitiaſque exigendi, tametſi inter jura
Parochialia accenſeri valeat, ut notat Lotter. *de re be-*
nef. lib. 1. *qu.* 28. *nu.* 54. ac indicet Eccleſiam eſſe Pa-
rochialem, Fuſch. *de viſit. lib.* 1. *c.* 7. *num.* 16. Rota
cit. dec. 404. *n.* 57. non tamen eſt conſtitutivum neceſ-
ſarium Eccleſiæ Parochialis, cùm hæc talis eſſe poſſit,
17 etſi fontem baptiſmalem non obtineat, Card. *in Clem.*
1. *de Baptiſ. qu.* 4. *nu.* 7. ubi Imola *nu.* 6. Vitalin. *nu.*
66. *&* 67. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *n.* 48.
Barboſ. *de Jure Eccl. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 23. Card. de Luca
de Paroch. diſc. 38. *nu.* 10. Rota *dec.* 387. *nu.* 11. *cor.*
Ludoviſ. deciſ. 52. *nu.* 28. *& ſeqq. par.* 2. *diverſ. &*
deciſ. 730. *n.* 3. *cor. Card. Cerro*, more ducto à primis
18 Eccleſiæ initiis, dum & in maximis quibuſque urbibus
unus fons baptiſmalis erat, ut obſervat Thomaſſin. *cit.*
part. 1. *libr.* 2. *c.* 21. *nu.* 8. idemque in pleriſq; Italiæ
Urbibus hodie ſervari, tradit Frances *de Eccl. Cathed.*
c. 19. *nu.* 24. Panvin. *in opuſc. de ſeptem Urbis Eccleſ.*
19 Porrò quamvis vix dari valeat Eccleſia Baptiſmalis, quæ
unà Parochialis non ſit; quandoque tamen adſunt Ec-
cleſiæ ſimplices baptiſmales, quorum Rectoribus facul-
tas Baptiſma miniſtrandi concedi ſolet ex cauſis, de
quibus in *Concil.* 3. *Provinc. Mediol.* ibi: *Fons Bapti-*
ſmalis ne uſquam in aliis Eccleſiis, quam in Parochia-
libus ſit, vel Epiſcopi conceſſu in aliis, ubi propterea
quod Parochialis Eccleſia longius diſtat, idem Populi
commodo magis conſulendum eſſe cenſuerit, & Sac. Con-
gregat. Concilii reſcripſit *in Marſilien.* 7. *Januar.* 1640.
Gratiam conſtructionis fontis Baptiſmalis poſſe conce-
di, ſi SS. placuerit de conſenſu Ordinarii, & intereſſe
habentium. Qui ſanè Rectores, quamvis Parochi non
ſint, ratione ſolius adminiſtrationis Baptiſmi ad reſiden-
tiam teneri, reſolutum refert Garz. *de benef. par.* 3. *c.*
2. *n.* 167. Barboſ. *in Sum. Apoſtol. dec. collect.* 54. *n.* 4.
Fagnan. *in c. extirpanda §. qui verò n.* 21. *de præben.*
quod pariter elicitur ex *Conc. Trident. c.* 4. *ſeſſ.* 21.
de reform. ibi: *Eccleſiis Parochialibus, vel Baptiſma-*
libus, quibus verbis innixa Sac. Congr. Concilii, aliàs
cenſuit, ex disjunctiva *vel* ibi poſita, Eccleſiam Bapti-
malem non eſſe Parochialem, nec habere curam anima-
rum, ſi ſolius baptiſmatis adminiſtrationem habeat, ut
refert Fagnan. *cap. cum contingat num.* 58. *de decim.*
20 Alioqui autem, niſi eſſent in aliquibus ſpecialiter Ec-
cleſiis deputati fontes baptiſmales, quæ Matrices,
vel Baptiſmales Eccleſiæ vocantur, itaut fiat diſtinctio
Matricum Eccleſiarum ab aliis curatis, in omnibus Ec-
cleſiis Parochialibus fons baptiſmalis eſſe debet, nam
ceſſante præeminentia debita Eccleſiæ Matrici, quæ-
libet Parochialis jus habet miniſtrandi Sacramenta
ſuis Parochianis, ut pariter reſolutum refert Fagnan.
cit. nu. 59. Ad hæc cum Decimæ perſonales Parochia-
21 libus Eccleſiis debeantur ob adminiſtrationem Sacra-
mentorum, quæ idcircò Sacramentales nuncupantur,
ut dixi *tom.* 2. *ad Conſt.* 6. Honor. III. *nu.* 7. Eccleſia
Baptiſmalis has decimas jure prætendere poteſt à Pa-
rochianis Eccleſiarum filialium, qui ab ipſa baptiſ-
mum ſuſceperant, quamvis in propria Parochia re-
liqua Sacramenta ſuſceperint, ac divina audierint,
22 decimæ enim perſonales non tantùm debentur Eccleſiæ,
in qua divina audiuntur, ut voluit Gloſs. *in can. ſta-*
tuimus verb. baptiſmalem 16. *q.* 1. Rebuff. *de decim. q.*
6. *nu.* 21. Sed etiam illi, à qua Sacramenta ſuſcipiun-
tur, ut diſertè *in can. quæſti* 16. *quæſt.* 1. ibi: *familia*
dent decimas, ubi eorum infantes baptizantur, & ubi
per totum anni circulum audiunt Miſſas. Unde veriùs
eſt, decimas perſonales deberi tum Eccleſiæ Baptiſma-
li, tum Parochiali, ut ex pluribus firmat Fagnan. *cit.*
cap. cum contingat n. 55. *&* 56. & conſonant Barbat.
conſ. 50. *vol.* 3. *Conciol. alleg.* 49. §. 1. & ita reſolvit
Sac. Congreg. Concilii *in Eugubina Quarteſii*, in qua
ſupponebatur, Rectores Eccleſiarum Baptiſmalium con-
ſueviſſe exigere certam partem unius eminæ frumenti,
vulgariter nuncupatæ Quarteſium, pro quolibet focu-
lari, ſeù familia exiſtente in illis Parochiis, quæ carent
fonte Baptiſmali, & quorum habitatores in eiſdem Ma-
tricibus, & Baptiſmalibus Eccleſiis Baptiſmum recipiunt
At cum Parochiani putarent ad id non teneri, eò præ-
ſertim quia præfata exactio eſſet correſpectiva admini-
ſtrationi baptiſmatis, pro quo, quemadmodum & pro
aliis Sacramentis, quodcumque emolumentum exigi,
aut recipi prohibetur à Sac. Canonibus, & præcipuè
in Taxa Innocentiana. Proponi ideò curarunt du-
bium, *An dicta portio frumentaria præſtanda eſſet Ec-*
cleſiarum baptiſmalium Rectoribus; Et ex ſuperiùs ad-
ductis rationibus reſponſum fuit deberi, ſub *die* 18. *Au-*
guſti 1684. Nec ulla habenda erat ratio de prohibita
exactione temporalium pro adminiſtratione Sacramen-
torum; Nam dicta quarta ſolvebatur ſub titulo deci-
marum perſonalium, quæ Jure tum naturali, & Di-
vino, tum etiam Canonico Parochis debentur, ut latè
dixi ad *cit. Conſt.* 6. Honor. III.

Jure igitur proprio, & ex officio Epiſcopi, & Pa-
rochi validè, & licitè ſuis ſubditis Baptiſma ſolemni- 23
ter miniſtrant; Ex eorum verò delegatione Baptiſma
miniſtrare poſſunt alii Sacerdotes non Parochi, qui ra-
tione proprii gradus habitualem baptizandi poteſta-
tem habent, deficiente in eos actuali ob defectum ſub-
ditorum, cui ſuppletur per licentiam Epiſcopi, aut Pa-
rochi, ut habetur in *Rit. Rom. rub. de Baptiſ.* Diaco-
ni autem nec Sacerdotibus, nec laicis quoad hoc om- 24
ninò exequantur; deſtituuntur enim ipſi jure baptizan-
di, D. Clem. *lib.* 8. *Conſtit. c.* 46. ibi: *Jus non eſt Dia-*
cono, aut Sacrificium offerre, aut baptizare, ac præ-
ſertim eis baptizare prohibuit Gelaſ. Papa *epiſt.* 9. apud
Thomaſſ. *cit. par.* 1. *lib.* 2. *c.* 29. *num.* 11. cùm bapti-
ma à ſolis Sacerdotibus tractandum ſit, *can. conſtat. de*
conſecr. diſt. 4. *can. Diaconus, can. præſente* 93. *diſt.*
Hinc cùm illis baptizandi munus non competat, ſi ba-
ptiſmum miniſtrare audeant, irregularitatem incurrunt,
cap. 1. *de Cler. non ordin. miniſtran.* ubi Gonzal. *n.* 14.
Hurtad. *de baptiſ. diſp.* 2. *diffic.* 4. *Ugolin. de Offic.*
Epiſcop. cap. 15. §. 6. *n.* 6. Barboſ. *de poteſt. Parochi*
c. 18. *nu.* 2. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 28. Prætereà
tamen Diaconus Baptiſma miniſtrare, non ſolùm pri-
vatè, ut quiſque laicus poteſt in caſu neceſſitatis, ſed
etiam ſolemniter ex commiſſione Epiſcopi, aut Paro-
chi, ut probat Sauſay *in Panopl. Sacerd. par.* 2. *lib.* 5.
c. 6. & colligitur ex *Pontif. Rom.* ibi: *Diaconum opor-*
tet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare.
Ea tamen differentia inter Sacerdotes, & Diaconos in- 25
tercedente, quod ii utpotè habitu habentes poteſtatem
baptizandi, poſſint etiam abſque neceſſitate delegari ad
miniſtrandum baptiſma; iſti autem poteſtatem baptizandi
non habent, niſi ſubſidiariam, & in defectum Presby-
terorum; unde baptiſmus eis delegari non poteſt,
niſi in caſu neceſſitatis, & deficientibus Presbyteris,
ut ex pluribus firmant Caſtrop. *tomo* 4. *oper. moral.*
tract. 19. *diſp. un. pun.* 9. *nu.* 4. Suarez *in* 3. *par.*
c. 3. *diſp.* 23. *ſect.* 2. Ex his verius videtur, Parochum
non Presbyterum, quamvis Diaconum, Baptiſmum ſo- 26
lemniter miniſtrare non poſſe; adminiſtratio enim ba-
ptiſmi Diaconis delegari non valet, niſi deficienti-
bus Presbyteris; proindè etſi Parochus ex officio illud
miniſtrare valeat, ſi Presbyter ſit, qui quemadmodum
licitè miniſtrat cum licentia Epiſcopi, ita etiam ex
officio uti Parochus; ſecus autem dicendum erit in Dia-
cono, cui ſicuti non licitè delegatur baptizandi facul-
tas extantibus Presbyteris, ita ex titulo Parochi non
aliàs

aliàs ſolemniter baptizare poterit, niſi ob defectum
Presbyterorum; quod etiam ex *Concil. Eliberit. can.*
77. colligit Gonzal. *loc. cit. num.* 15. *in fine*, ubi quod
Diaconus populum regens, illicitè Baptiſmum mini-
ſtret; Et Sac. Congr. Concilii abſolutionem ab irregu-
laritate ad cautelam conceſſit Parocho Diacono, qui
baptiſmum bona fide miniſtraverat, in *Cremonen. Ab-
ſolutionis* 2. *Decembris* 1679.

His poſitis, deſcendendo ad reſolutionem propoſiti
27 dubii, à quo ſcilicet baptizandi ſunt Infideles ad Fidem
converſi, dicendum eſt, quod ſi loquamur de admini-
ſtratione facienda in partibus Infidelium, in quibus E-
piſcopi, aut Parochi non adſunt, eò caſu illud mini-
ſtrari poſſe, etiam ſolemniter, & extra caſum neceſ-
ſitatis à Miſſionariis, quibus ſpecialis ad hoc facultas
concedi ſolet, ut ex conceſſione Pauli III. & Sancti
Pii V. pro Miſſionariis apud Indos, tradit *Vaſcus in
ſumma ver. Baptiſmus* 3. *num.* 14. Verricell. *de Apoſt.
Miſſion. tit.* 6. At ſi ibi Epiſcopi adſint, ſivè Parochi,
tametſi Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 8.
probabile cenſeat, poſſe etiam Miſſionarios in vim
privilegiorum, Infideles converſos baptizare, eò præ-
ſertim quia Infideles non ſunt ſub juriſdictione Paro-
chi, cui proindè nullum præjudicium infertur; Veriùs
28 tamen eſt id non licere, ut nominatim contra Suarez
tenent Paſſerin. *de ſtat. homin. tom.* 2. *quæſt.* 187. *art.*
1. *numer.* 13. Caſtrop. *cit. tract.* 19. *diſp. unic. pun.* 9.
num. 3. & reſpondit Sac. Congreg. Concilii in *Ma-
nilen. Baptiſmi* 5. *Julii* 1681. in qua fuit rejecta in-
ſtantia cujuſdam Miſſionarii in Inſulis Philippinis, pe-
tentis facultatem ſibi ſoli concedi baptizandi, & ma-
trimonio conjungendi Infideles inibi converſos, cùm
tamen ſibi extent Epiſcopi. Nec ſubſiſtit fundamentum,
cui innititur Suarez, quod ſcilicet Infideles, qui ante
baptiſmum adhuc non ſunt in Eccleſia, non poſſunt
dici eſſe ſub juriſdictione Parochi; nam ſequeretur poſ-
ſe etiam in locis fidelium Miſſionarios baptiſma mi-
niſtrare non ſolùm Infidelibus, ſed etiam filiis Chri-
ſtianorum, cùm tàm de his, quàm de illis dici va-
leat, non eſſe determinatè ſub juriſdictione Parochi an-
te baptiſmum ſuſceptum; unde adminiſtratio baptiſmi
29 non eſt actus juriſdictionis determinatè in ipſum ba-
ptizandum; aliàs ſequeretur, quòd ſicuti invalida eſt
abſolutio à peccatis, ſi Sacerdos juriſdictionem in pœ-
nitentem non habeat; ita invalidum foret baptiſma à
proprio Parocho non miniſtratum, ut conſiderat Gon-
zal. *capit.* 1. *nu.* 11. *de Cler. non ordinat. miniſtran.*

In locis autem Chriſtianorum certum eſt, Miſſiona-
30 riis eorum privilegia non ſuffragari pro baptizandis
Infidelibus converſis; de quorum baptiſmo ita diſpo-
nitur in *Ritual. Rom. rubr. de Baptiſ.* §. 3. ibi: *A-
dultorum baptiſmus, ſi commodè fieri poteſt, ad E-
piſcopum deferatur, ut ſi placuerit, ſolemniùs ab eo
conferatur, alioquin Parochus ipſe baptizat ſtatuta cæ-
remonia*. Par enim eſt, baptiſma Adultis, ſeù Neo-
phitis ab Epiſcopo in Cathedrali miniſtrari, juxtà pri-
ſcum Eccleſiæ morem, quo ſolemnior baptiſmatis ad-
miniſtratio Epiſcopo reſervabatur, eò potiſſimum, ut
ipſe Cathecumenos uſitatis concionibus erudiret in-
formaretque neceſſariis Fidei rudimentis, Thomaſſin.
cit. par. 1. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 14. quod & hactenus
ſervatur in Urbe, dum Neophiti in SS. Baſilica Late-
ranenſi Sabbatis Paſchæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes
per Cardinalem Vicarium, ejuſve Viceſgerentem fre-
quentiùs miniſtratur, ut dixi ſupra in *Conſtit.* 1. *hu-
jus Pontificis num.* 17. Epiſcopis autem id muneris ex-
31 plere impeditis, baptiſma Infidelibus converſis mini-
ſtrandum eſt à Parocho domicilii, tum ex lege Ritua-
lis, tum ex ſuperiùs expenſo jure Parochi in Sacramen-
tis miniſtrandis omnibus iis, qui in ejus Parochia de-
gunt, ut ſpecificè in terminis baptiſmi Adultorum in-
fidelium tenent Gloſſ. *in can. nec numerus, ver. aut in
electa* 10. *qu.* 3. & ibi Archidiac. *n.* 2. *Turrecrem. ver.
cæterum*, Bellamer. *num.* 7. *ver. in gloſſa*, qui aliam
rationem addunt, quia ſcilicet Infideles, ex quo bapti-
zari volunt, ratione propoſiti, intelliguntur jam eſſe
de foro illius, ubi habitant, & ita reſolvit eadem Sac.
Congreg. in *Neapolitana Juris baptizandi*, in qua præ-
tendente Parocho, ſeù Vicario Curato Eccleſiæ Metro-
politanæ ſibi competere jus baptizandi per ſe, vel per a- 32
lios ab ipſo delegandos, Infideles ad fidem converſos,
privativè quoad Parochos Parochiarum, intra quarum
limites baptizandi degunt, ac proindè propoſito dubio,
*An jus baptizandi dictos Infideles competat Vicario Cu-
rato Eccleſiæ Metropolitanæ, vel potius Parochis ea-
rum Parochiarum, intra quarum limites baptizandi de-
gunt*; ſub die 27. *Septembr.* 1687. reſponſum fuit: *Spe-
ctare ad Parochos domicilii, ſervata forma Ritualis Ro-
mani*, & ſub die 21. *Februarii* 1688. perſtitum fuit de-
ciſis; Etenim ibi adſunt Parochiæ diſtinctæ, ac Paro-
chus Cathedralis habet certos limites ſuæ Parochiæ,
nec ullam auctoritatem, aut jus Sacramentorum obti-
net in ſubditos aliarum Parochiarum. Siquidem quic-
quid ſit, an Cathedralis ſit Parochia univerſalis totius 33
Diœceſis, itaut cumulativè quoad alios Parochos valeat
alienis ſubditis ad ſe confluentibus Sacramenta miniſtra-
re, ut præſertim quoad collationem baptiſmi expendit
Frances *cit. cap.* 21. *num.* 67. *cum ſeqq.* & quoad præ-
ceptum annuæ Communionis Paſchalis, Pignatell. *to.*
7. *conſult.* 89. & nos alibi latiùs dicemus; certè id ſo-
lùm procedit reſpectu ipſius Epiſcopi, qui eſt Parochus
Parochorum, ac Rector totius Diœceſis, quique pro-
indè poteſt omnibus de Diœceſi Sacramenta per ſe mi-
niſtrare, ſivè ejus nomine per alios ab ipſo deputatos,
ad quos poſſint omnes ex Diœceſi pro Sacramentis ſu-
ſcipiendis confluere, utì olim erant Archipresbyteri,
ut in *cap.* 1. *& tot. tit. de offic. Archipr.* ſecùs autem
eſt in Parocho Eccleſiæ Cathedralis, qui non pro tota
Diœceſi, ſed pro particulari diſtrictu conſtituitur, cum
limitata juriſdictione exercendi jura Parochialia intra
terminos propriæ Parochiæ, quo caſu ipſe Parochus,
quamvis ſit Eccleſiæ Cathedralis Vicarius, non cenſe-
tur Parochus univerſalis totius Diœceſis, Abbas *in cap.
cum ſuper num.* 9. *de ſepultur.* Fuſch. *de viſit. lib.* 1. *ca-
pit.* 15. *num.* 36. Pignatell. *tom.* 8. *conſult.* 5. *num.* 3. Ri-
pa apud Gobb. *conſult.* 119. *num.* 69. Sanchez *de matri-
mon. lib.* 3. *diſp.* 27. *num.* 2. Trullench. *in Decal. lib.* 3.
cap. 5. *dub.* 5. *num.* 12. Baſſeus *in Florib. Theolog. ver.
Communio*, Diana coordin. *tom.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 15. *n.*
2. reſiſtentibus præſertim verbis Concilii *cit. c.* 13. ubi
præcipiens Epiſcopis diſtinctionem Populi in proprias,
certaſque Parochias, inquit: *Unicuique ſuum perpe-
tuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas co-
gnoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſci-
piant*, & conſonat *can. Eccleſias* 13. *qu.* 1. *clem. du-
dum* §. *verum de ſepult.* Ex quo fit, ut quamvis Epi-
ſcopus alteri Sacerdoti, etiam Parocho invito, facul- 34
tatem baptizandi, aliaque Sacramenta miniſtrandi de-
legare poſſit; id tamen rarò, & nonniſi urgenti de
cauſa faciendum eſt, nam hanc facultatem aliis dele-
gando, adimitur Parochis jus proprium, & ordina-
rium, quoad Sacramentorum adminiſtrationem, ut ad-
vertit Van. Eſpen. *tom.* 1. *Juris Eccleſ. par.* 2. *tit.* 12.
c. 5. *num.* 22. *Nicol. in floſc. ver. Parochus num.* 27.
unde Sac. Congregat. Epiſcop. die 14. Decembris
1604. Vicario Capitulari Neapolitano ita reſcripſit:
*Hà inteſo la Sac. Congregatione, che in occaſione di
Batteſimi, e Matrimonii, quali occorre farſi in coteſta
Città, particolarmente fra perſone nobili, voi ſiete ſo-
lito, ſenza ricercarne il conſenſo de' Curati, conceder
licenza ad altri Preti, che poſſano amminiſtrare queſti
Sacramenti, etiandio fuori delle Chieſe Parochiali. E
perche queſto riſulta in molto pregiudizio de' Parochi,
quali il Sagro Concilio di Trento hà eletti per ſimili
officii: perciò mi hanno ordinato queſti miei Illuſtriſſi-
mi Signori dirvi, che non conviene ordinariamente
ſenza cauſa molto grave levar queſti carichi a proprii
Curati, e perciò dovrete per l'avvenire ſtare avver-
tito di non deputare per li ſudetti Sacramenti altri
Sacerdoti, ſe non per occaſioni importanti, e quando
giudicarete, che per alcun riſpetto ciò ſia neceſſario.*
Nec abſimiles ſunt litteræ ab eadem Sac. Congreg.
datæ die 12. Januarii 1618. Epiſcopo Theleſino, quæ
præſertim habent: *Eſſendoſi doluto alla Sac. Congre-*

gatio-

Digitized by Google

gatione l' Arciprete della Guardia, che V. S. dia licenza al Sacerdote N. di congiungere in matrimonio le perſone di quella Parocchia: mi hanno queſti Illuſtriſſ. Signori ordinato di ſcriverle, che per l' avvenire ſi aſtenga di concedere ſimili licenze, nè ſi mova á darlo ſenza cauſa legitima.

35 Porrò quamvis hæc ita ſe habeant: attamen quemadmodum Eccleſia ex privilegio, aut præſcriptione acquirere poteſt jus retinendi Fontem Baptiſmalem, ut ex *cap. 2. de Capell. Monachor.* docent Abbas in *cap. cum olim num. 5. de præſcrip.* Fagnan. *ibid. nu.* 12. Ita etiam præſcribere valet jus, Baptiſmum aliarum Parochiarum ſubditis ad ipſam ſpontè confluentibus miniſtrandi, ut ex mente Sac. Congreg. Rituum tradit Barboſa *de Paroch. cap.* 18. *num.* 7. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar. gloſſ. 6. num.* 52. Federic. de Senis *conſ.* 80. *num.* 3. & *conſ.* 135. *num.* 2. Frances *cit. cap.* 21. *num.*
36 84. Hoc equidem jure potitur SS. Baſilica Vaticana, cujus Parochus ex antiqua conſuetudine à Summis Pontificibus comprobata, infantibus aliarum Parochiarum Urbis ad ipſam ſpontè confluentibus Sacrum miniſtrat Baptiſma; Quod jus cùm à reliquis Urbis Parochis in controverſiam deduceretur, noviſſimè ratum habuit Sacra Congreg. Concilii in *Romana Juris Baptizandi* 15. *Maii* 1700. in qua propoſito dubio, *An Curato S. Petri in Vaticano liceat Baptizare commorantes in omnibus aliis Parochiis Urbis.* Reſponſum fuit, *Affirmativè, lib.* 50. *Decret. fol.* 224. Id enim, ſivè ex placito Pontificio factum, ſit ſivè etiam ex tacita reliquorum Parochorum Urbis permiſſionem, aut tolerantia, numquam ſatis pro hujus inclitæ Baſilicæ meritis factum eſſe inficiabitur nemo: præcipuè in obſequium ejus Fontis Baptiſmalis, reli-
37 gione, ac vetuſtate adeò conſpicui, ut non inconſtans fama ſit, ipſum Apoſtolorum Principem inibi pluries Baptiſma miniſtraſſe, ut apud Panvin. *de Cæmet. c.* 12. Boſſium *in Urbe ſubterranea tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 20. Certè autem illud reſtauravit, aut de novo extruxit Liberius Papa, ut commemorat Baron. *ad Ann.* 384. Petrus Maul. *in deſcript. Baſil. Vatic. fol.* 126. ac nuperrimè extructum, magnificentiſſimeque exornatum fuit ex vigilantia, & pietate f. m. Innocentii XII.

CONSTITUTIO III.

GREGORII XI.

Incipiens (*Salubri.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS GENERALI, ET FRATRIBUS B. Mariæ de Mercede Ordinis Captivorum &c.

EXimit Ordinem Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum à ſolutione Decimarum, quæ quibuſcumque Regibus, ſeu Principibus per Sedem Apoſtolicam conceduntur.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Redemptio captivorum ab Infidelibus, quàm fuerit per Summos Pontifices promota.*
2 *Ordo B. Mariæ de Mercede eximitur in hac Conſtitutione à ſolutione decimarum, à Sede Apoſtolica Principibus ſæcularibus conceſſarum.*
3 *Decimæ temporales quæ ſint, & quatenus ad eas teneantur Eccleſiaſtici. Remiſſivè.*

4 *Laici ſunt omninò incapaces juris exigendi decimas ſpirituales.*
5 *Laici quo jure hodie obtineant decimas ſpirituales.*
6 *Referuntur plures decimarum conceſſiones à Sede Apoſtolica laicis factæ.*
7 *Conceſſio decimarum facta Petro Arragoniæ ab Urbano II.*
8 *Jus percipiendi decimas cur non poſſit transferri in laicos.*
9 *Laici obtinere poſſunt perceptionem, ſeu commoditatem decimarum.*
10 *Decimæ quatenus locari poſſint.*
11 *Conceſſio juris decimandi laicis facta non ſuſtinetur.*
12 *Conceſſio de decimis facta, ſuſtinetur quoad earum commoditatem.*
13 *Secus ſi conceſſio ſit de decimis, & jure decimandi.*
14 *Niſi exprimatur, quod laicus percipere debeat decimas nomine Eccleſiæ.*
15 *Sub conceſſione territorii cum omnibus juribus non veniunt decimæ.*
16 *Quid ſentiendum de decimis à laicis uſurpatis, vel eis à Prælatis inferioribus infeudatis, & num. ſeqq.*
17 *Communiter diſtinguunt inter decimas infeudatas ante Concil. Lateranenſe, à decimis poſtea conceſſis.*
18 *Hujus diſtinctionis ſubſiſtentia examinatur.*
19 *Expenditur Textus in* cap. prohibemus de decimis.
20 *Alexander IV. cur conceſſerit laicis transfere decimas occupatas in manibus Regularium.*
21 *Poſt Concilium Lateranenſe ſolus Papa infeudare poteſt decimas.*
22 *Prælatus inferior habens à Papa facultatem infeudandi decimas, ſi concedit decimas reſervato Beneplacito Papæ, hoc eſt obtinendum.*
23 *In conceſſione decimarum facta à Papa, requiritur derogatio Concilii Lateranenſis.*
24 *Papa non derogat Conciliis Generalibus, niſi facta de eis expreſſa mentione.*
25 *Excipe quoad Concilium Tridentinum, & qua ratione.*
Concilia Generalia cenſentur habere clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones. Ibid.
26 *Concilio Generali derogatur per derogationem generalem quibuſcumque Concilii.*
27 *Immemorabilis quatenus ſuffragetur laicis pro retentione decimarum, & an requiratur fama privilegii.*
28 *Sufficit ſola immemorabilis, ſi agatur de poſſeſſorio.*
29 *In petitorio aliqui voluerunt nullatenus ſuffragari immemorabilem, & qua ratione.*
30 *Receptum eſt ſufficere immemorabilem, dummodò concurrat fama privilegii.*
31 *Idemque dicendum de immemorabili ante Concilium Lateranenſe.*
32 *Quod tempus requiratur pro præſcriptione decimarum favore Eccleſiæ contra aliam Eccleſiam, vel laicum.*
33 *Bulla Urbani VIII. de præjudicialibus Eccleſiarum quatenus deroget immemorabili, vel centenaria.*
34 *Privilegiis decimarum laicis à Papa conceſſis, quatenus derogari valeat. Remiſſivè.*

PIiſſimum, ac regale opus redimendi à dira Infi- 1
delium tyrannide captivos, peramantiſſimè ſemper, ac æquali munificientia Summi Pontifices exceperunt; nedum inſtituendo ad hoc in Eccleſiaſtica Hierarchia inſignes Religiones Sanctiſſimæ Trinitatis, de qua dixi *tom.* 2. *ad Conſt.* 1. & 9. Innoc. III. & *tom.* 3. *ad Conſtit.* 10. Clement. IV. & S. Mariæ de Mercede, de

qua pariter dixi *tom. 2. ad Conſt. 9.* Gregor. IX. *& tom.*
3. ad Conſtit. 6. Nicol. IV. ſed etiam quamplurimas
exemptiones, & privilegia eiſdem Religionibus elar-
giendo, de quibus in iiſdem Conſtitutionibus agitur.
2 Speciali autem nota dignum eſt privilegium conceſ-
ſum in hac Conſtitutione edita Avenione die 17.
Maii 1373. in qua eoſdem Fratres S. Mariæ de Mer-
cede, ad inſtar Ordinum S. Joannis Hieroſolymita-
ni, de Calatrava, & de Montera, eximit à ſolutione
decimarum, quæ per Sedem Apoſtolicam Regibus,
Principibus, aliiſque laicis conceduntur; Quod qui-
dem ſumma urgente congruentia factum eſt; nam
cùm hic Ordo omnes redditus, & proventus pro re-
demptione captivorum impendat, atque ad hunc fi-
nem largitiones à Chriſti fidelibus ei fiant, oportuit
etiam, prout ab aliis oneribus, ita ab harum decima-
rum ſolutione eximi, ut etiam conſiderat Cardin. de
Luca *de decim. diſc. 4. n. 21.*
3 Exigit autem præſens Conſtitutio ad ſui plenam
intelligentiam examinari; quo jure Principes ſæcula-
res obtinere valuerint hujuſmodi decimas. Etenim
ſuppoſita diverſitate decimarum ſpiritualium à tem-
poralibus, iis ſcilicet, quæ per modum collectæ, ſeù
contributionis ſolvuntur domino temporali loci, quæ-
que nonniſi impropriè decimarum nomen ſortiuntur,
ut præſertim eſt in Regno Neapolitano, ubi ſub de-
cimarum vocabulo frequentius uſurpari ſolent illæ
præſtationes, quæ in certa quota fructuum Baronibus,
ſeù prædiorum dominis directis penduntur, ut apud
de Franch. *deciſ. 117. & 124.* Card. de Luca *de Decim.*
diſc. 6. n. 8. & diſc. 8. n. 14. & dixi *tom. 2. ad Conſtit. 6.*
Honorii III. *n. 2.* hac, inquam, diſtinctione ſuppoſita,
itemque ſuppoſitis iis, quæ ad decimas temporales
pertinent, de quibus quatenus percutiunt Eccleſias,
ſeù perſonas Eccleſiaſticas, dixi latè *tom. 3. ad Conſt.*
4 *5.* Urbani IV. quod decimas ſpirituales reſpicit, ex-
ploratì Juris eſt, laicos omninò incapaces eſſe juris
eas exigendi; hujuſmodi enim jus oritur ex Sacramen-
torum adminiſtratione, quæ nonniſi Sacerdotibus per-
mittitur; unde laici quemadmodum à ſacramentis mi-
niſtrandis arcentur, ita etiam juris decimandi ſunt
incapaces; exemplo ducto à Lege veteri, *Levit. cap.*
24. in qua ſoli Aharoni, ejuſque filiis panes propoſi-
tionis comedere permiſſum erat, qua etiam ratione
neque jus percipiendi oblationes laici obtinere valent,
ut dixi *tom. 2. ad Conſt. 1.* Anaſtaſii IV. *ſect. 2. nu. 44. &*
ſeqq. pag. 30. & generaliter quoad incapacitatem juris
decimandi reſpectu laicorum, eſt Textus in *cap. cau-*
ſam de praeſcr. cap. prohibemus, & cap. quamvis de decim.
& tradunt paſſim Repetentes in *cit. cap. prohibemus,*
Abb. *in cit. cap. quamvis n. 1. & 2.* Felin. *cit. cap. cauſam*
n. 3. Covar. *lib. 1. var. reſolut. cap. 17. n. 5. & 6.* Peyring.
in Jus Canon. lib. 3. tit. 30. ſect. 7. §. 2. nu. 137. Solorzan.
de jure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 1. nu. 8. Sotus *de juſtit.*
lib. 9. quaeſt. 7. art. 1.
5 At cùm media ineunte ætate plerique Principes lai-
ci decimas obtinuerint, ac etiam nunc obtineant, ſivè
in feudum ſibi primò Eccleſiaſtica conceſſione datas,
ut habetur in *cit. c. cauſam de decimis*, ſivè ab ipſis in-
vaſas, & longa tandem Eccleſiæ indulgentia dimiſſas,
ut ſupponit Thomaſſin. *de Benefic. par. 3. lib. 1. cap. 11. n.*
1. Hinc ſanè perſcrutari occurrit, quo jure hujuſmodi
Eccleſiaſticæ conceſſiones innitantur, obſtante potiſſi-
mùm omnimoda laicorum incapacitate juris exigendi
decimas. Perſpicuum quippè eſt, Summos Pontifices
6 Principibus laicis decimas quandoque conceſſiſſe, ut
ipſos ſpeciali jure eos Eccleſiæ defenſores haberent, iis præ-
ſertim temporibus, quando Chriſtiani à Barbaris infe-
ſtabantur, ac iiſdem Principibus pro Bello cum iis ſu-
ſtinendo ſuppetiæ ferendæ erant, ut tradunt Arnold.
Lubecen. lib. 3. cap. 18. Hermold. *lib. 1. hiſt. Sclavoniæ c.*
76. Altaſſer. *de orig. feudor. c. 5.* Qua etiam ratione mul-
7 toties iiſdem Principibus conceſſerunt decimas earum
Eccleſiarum, quas à Barbarorum tyrannide recuperaſ-
ſent, ut Petro Regi Aragonum, aliiſque ejuſdem Re-
gni Proceribus indulxiſſe Urbanum II. referunt Ma-
riana *de rebus Hiſpan. lib. 10. cap. 7.* Petr. Anton. *in*
Chron. Hiſpaniæ cap. 9. in fin. Belluga *in ſpeculo Princip.*
rubr. 13. de decim. §. tractemus num. 24. & 29. Frances *de*
Eccleſ. Cathedr. cap. 9. nu. 59. & 60. ubi quod ſub hoc
indulto comprehenſæ non fuerint decimæ debitæ Ec-
cleſiis Cathedralibus. Quam porrò conceſſionem ſup-
poſuit Rota *in Valentina Decimarum*, relata apud Seſ-
ſe *dec. 162. & in dec. 229. cor. Cavaler. dec. 560. cor. Pe-*
ria, dec. 468. par. 9. dec. 9. n. 1. & ſeqq. par. 19. tom. 1.
recen. ubi quatenus hujuſmodi privilegium conceſſum
Regibus Aragoniæ, tranſierit ad Reges Caſtellæ, &
Legionis, & in *Illerden. Decimarum 26. Aprilis 1700.*
cor. D. Scotto; Quas quidem ſimileſque conceſſiones
alii Summi Pontifices, Regibus Hiſpaniarum, aliiſ-
que Principibus fecerunt, ut latè apud Gonzal. *in cit.*
cap. prohibemus num. 4. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. part.*
3. alleg. 87. n. 71. & ſeqq. Guttier. *quaeſt. pract. lib. 1. cap.*
14. & 15. Bobadill. *lib. 2. Polit. cap. 18. num. 146.* Borell.
de praeſtant. Reg. Cathol. cap. 59. nu. 4. & ſeqq. Solorzan.
de jure Indiar. lib. 3. c. 1. per tot. Fontanell. *de pactis nu-*
ptial. clauſul. 4. gloſſ. 13. nu. 58. par. 2. Belluga *de decim.*
rub. 13. cap. 1. Nogueroll. *alleg. 39. num. 10.* Caſtill. *de*
tertiis decimar. Regum Hiſpan. ſolven. lib. 2. cap. 2. per
tot. Rota *in Gerunden. primitiarum 28. Januarii 1704.*
§. praemiſſo coram Eminentiſſ. Card. Caprara, Barchino-
nen. decimarum de Corrodeval. 27. Junii 1704. §. quini-
mo, coram Muto, & in Toletana decimar. de Capilla
9. Junii 1692. cor. Benincaſa, & 23. Martii 1699. cor.
D. Anſaldo, inter ejus impreſſ. dec. 78. Placentina deci-
marum 16. Maii 1710. cor. eodem.
Adhuc autem his conceſſionibus poſitis, firmum re- 8
manet, Laicos eſſe incapaces juris decimandi; Etenim,
ut communiter Theologi, & Canoniſtæ docent poſt D.
Th. *2. 2. q. 87. art. 2. ad 3.* colligendarum decimarum jus,
& poteſtas eſt quidem penes Clericos, eoque etiam
nunc gaudent; ita tamen, ut vel ipſi eas colligant,
vel Eccleſiaſtica conceſſione alii quicunque, etiam Lai-
ci; cùm enim decimandi jus oriatur ex adminiſtratio-
ne Sacramentorum; ipſæque decimæ præſtentur in ali-
moniam, & ſubſtentationem eorum, qui ſeminant ſpi-
ritualia, *can. Clericos 1. quaeſt. 2. c. tua nobis de decim. c.*
cum ſecundum de praebendis; cumque onus Sacramenta
adminiſtrandi in Laicos Jure divino transferri non poſ-
ſit; nec item in eos transferri poterit jus decimandi,
cùm præfato onere neceſſariò, & inſeparabiliter conne-
xum. At ipſa decimarum collectio, quæ à deciman-
di Jure ſeparabilis eſt, utpotè quæ continet merum fa- 9
ctum, meramque commoditatem exigendi decimas jure
alieno, ſeù nomine veri decimatoris, non repugnat in
Laicos transferri poſſe, nam, ut inquit S. Th. *loc. cit.*
ſicut res nomine decimæ acceptas poteſt Eccleſia ali-
cui Laico tradere; ita etiam poteſt ei concedere, ut dan-
das decimas ipſi accipiant, jure accipiendi Miniſtris Ec-
cleſiæ reſervato. Qua porrò diſtinctione poſita, validè
in Laicos decimæ transferuntur, quamvis decimandi
jure ipſi prorsùs ſint incapaces, ut tenent Thomaſſin.
cit. cap. 11. n. 21. Azor. *Inſtit. moral. tom. 1. lib. 7. cap. 25.*
quaeſ. 11. Pacion. *de locat. cap. 10. num. 85.* Barboſ. *de Jure*
Eccleſ. lib. 3. cap. 26. §. 2. n. 1. & 2. Card. de Luca *de de-*
cim. diſc. 6. n. 13. Rota *dec. 95. per tot.* poſt Salgad. *in la-*
byr. credit. & plenè aliis adductis in *dec. 291. n. 6. &*
ſeqq. part. 10. rec. & in cit. Placentina decimarum §. in
ſecundo cor. D. Anſaldo, Quæ pariter diſtinctio adhi-
benda eſt in locationibus decimarum Laicis factis, ut 10
ſcilicet non aliàs ſuſtineantur, niſi cadant in commo-
ditate, & fructu decimarum, non autem in eorum jure
ſpirituali, ad Text. in *cap. veſtra de locato*, Gratian.
diſcept. 238. nn. 19. cum ſeqq. Pacion. *cit. cap. 10. nu. 86.*
Rot. *cit. dec. 291. n. 31. part. 10. rec.* & in terminis ob-
lationum quoad Laicos dixi *tom. 2. ad Conſt. 1.* Ana-
ſtaſii IV. *ſect. 2. n. 62.* Non igitur aliàs hujuſmodi con-
ceſſiones decimarum in Laicos ſuſtinentur, niſi quate-
nus comprehendant nudam decimarum commoditatem,
nomine veri decimatoris percipiendam. Unde diffi-
cultas tantum eſſe poteſt in inſpiciendo, quatenus hujuſ-
modi conceſſiones jus decimandi potiùs, quàm ipſam
decimarum commoditatem comprehendere videantur;
In qua re quamvis non tam conceſſionis verba, quàm
conce-

Digitized by Google

concedentis intentio, ex ipſis verbis elicienda, atten-
11 di debeant; Si tamen verba ſonent in conceſſionem
juris decimandi, certè conceſſio inutilis erit, Rota
deciſ. 1377. *nu.* 11. *cor. Coccino*, *dec.* 235. *deciſ.* 248. *cor.*
Cerro, *dec.* 95. poſt Salgad. *in labyrin. Credit. deciſ.* 291.
per tot. par. 10. *rec.* in quibus plenè firmavit, conceſ-
ſionem juris decimandi, ſeù juris percipiendi decimas
à Capitulo Eccleſiæ Ravennatenſis Laico factam, fuiſ-
ſe inutilem, quamvis verba ſonarent in conceſſionem
decimarum, & juris decimandi, fructuique decimales
percipiendi; quo attento dici poterat, quod licèt ſu-
12 ſtineri non poſſet quoad jus decimandi, ſuſtineretur ſal-
tem quoad commoditatem fructuum, qui tantùm de-
cimæ nomine importari poſſunt; nam quamvis ſub
nomine conceſſionis decimarum venire poſſit, tum
ipſarum exigendi jus, tum commoditas; in dubio con-
ceſſio præſumi debet facta de ſolis fructibus, cùm con-
ceſſum præſumi debeat, quod ſub conceſſione cadere
poterat, ut advertit Rodoan. *de reb. Eccleſiæ non alie-
nand. quæſt.* 93. *n.* 11. quem ſequitur Rot. *cit. deciſ.* 248.
n. 3. *&* 4. *dec.* 5. *n.* 4. *& ſeqq. part.* 11. *dec.* 424. *nu.* 8. *&
ſeq. par.* 14. *rec.* quamvis contrarium firmavit in *deciſ.*
67. *n.* 23. *part.* 15. *rec.* Secus autem ſi ipſum jus deci-
13 mandi abſolutè conceſſum ſit, quod ſanè non niſi pro
jure ſpirituali uſurpatur, etiamſi dicatur concedi de-
cimas, & jus decimandi, quo caſu decimæ nomen
reſtringerentur ratione adjecti ad ſignificandum tan-
tùm jus decimarum, quamvis cæteroquin abſolutè
prolatum, pro fructuum commoditate uſurpari queat.
Cœterùm cùm, ut ſupra dixi; in hac re non tam
conceſſionis verba, quàm concedentis intentio atten-
di debeat: quamvis decimandi jus concedi dicatur,
ſi tamen exprimatur decimas exigendas eſſe à Laico,
14 non quidem nomine proprio, ſed nomine Eccleſiæ,
ſeù veri decimatoris, verius eſt conceſſionem ſuſtine-
ri, cùm jus Laico conceſſum exigendi decimas no-
mine Eccleſiæ, verè importet commoditatem fru-
ctuum, ac reſtringat jus decimandi ad fructuum exa-
ctionem à Laico uti Eccleſiæ procuratore faciendam,
ut rectè conſiderat Gratian. *cit. diſcept.* 238. *n.* 23. Pa-
cion. *cit. cap.* 10. *nu.* 91. Rot. *dec.* 291. *nu.* 8. *par.* 10. *cit.
dec.* 5. *n.* 5. *&* 6. *part.* 11. *rec.* Tandem attenta hujuſmo-
15 di juris reſiſtentia in concedendo Laicis decimas,
dicendum eſt, eas non cenſeri in Laicos tranſlatas,
niſi in conceſſione expreſſa earum mentio fiat; Un-
de ſub conceſſione, ſeù donatione villæ, vel territo-
rii cum omnibus juribus ſuis, ſivè cum omnibus ju-
ribus, quæ Eccleſia in ea obtinet, non quidem com-
prehenduntur decimæ, prout nec alia jura ſpiritualia,
Innoc. *in cap. ex litteris ſub n.* 1. *de Jur. patr.* Bald. *conſ.*
32. *ſub n.* 3. *lib.* 1. Rota *dec.* 234. *n.* 6. *& ſeqq. part.* 9. *tom.*
1. *rec.* ubi quod ſub oppignoratione dominii tempo-
ralis cujuſdam oppidi ad Eccleſiam pertinentis, ſi-
mul cum ſuis appendiciis, & pertinentiis ad favo-
rem laicorum facta, non cenſerentur comprehenſæ
decimæ territorii oppignorati, *deciſ.* 599. *num.* 4. *cor.
Ubaldo*.
16 Porrò ultra præfatas conceſſiones à Summis Pon-
tificibus factas, decimas in laicorum manus propina-
verat ambitio, & gratia Antiſtitum; ſivè frequentiùs
ipſorum laicorum audacia, & injuſta occupatio, ut eru-
ditè probat Gonzal. *in cap. prohibemus n.* 5. *de decim.* Tho-
maſſin. *cit. par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 2. Contra has licentio-
ſas, effrenaſque laicorum rapinas paſſim Summorum
Pontificum, ac Conciliorum Decreta inſonuerunt, ut
è ſacrilegis manibus patrimonium pauperum excutere-
tur. Præ cœteris enim Gregorius VII. Eccleſiaſticorum
jurium eximius vindicator, in Concil. Romano *can.* 10.
ſtatuit: *Decimas, quas in uſum pietatis conceſſas eſſe Ca-
nonica auctoritas demonſtrat, à laicis poſſideri, Apoſto-
lica auctoritate prohibemus*. Atque tandem poſt plura
Decreta Innocentii II. Eugenii III. aliorumque, id ſanxit
Alexander III. in Conc. Lateranenſi III. relato in celebri
c. prohibemus de decimis. Hinc porrò inolevit apud DD.
17 diſtinctio inter decimas à laicis obtentas ante Conc.
Lateranenſe, à decimis, quæ poſt ipſum Concilium
in eorum manus pervenerint, diverſo jure primas à

ſecundis cenſentes. Etenim quoad primas, omiſſis iis,
quæ à laicis abſque ulla Eccleſiaſtica conceſſione, ſolo-
que ſacrilego uſurpationis titulo detinebantur, pro qui-
bus nulla quidem quantumvis longæva poſſeſſio ſuffra-
gatur, quin Eccleſiæ ſint reſtituendæ, ad Text. in *leg.
quod noſtrum ff. de Regul. Juris*, & advertit Suarez *de Re-
lig. tom.* 1. *tract. de decim. lib.* 1. *c.* 29. *n.* 2. *&* 3. prout nec
ulla eſt difficultas quoad decimas ex privilegio Sum-
mi Pontificis à laicis obtentas, de quibus ſupra dixi-
mus. Certè autem maximè controverſum eſt de deci-
mis, quas ex conceſſione inferiorum Prælatorum ante
ipſum Concilium laici obtinuerant, an ſcilicet hujuſ-
modi conceſſiones abſque beneplacito apoſtolico vali-
dæ fuerint; anne ſaltem Concil. Lateranenſe eas tole-
raverit. Ea enim opinio ferè omnium animos occu-
pavit, Conc. Lateranenſe *in cit. c. prohibemus* toleraſſe
laicis decimas hactenus obtentas, itaut jam de iis con-
troverſia illis fieri non poſſet, dummodò ne novas ul-
las ipſi invaderent, aut ab Epiſcopis acciperent; Unde
paſſim DD. firmant, ante præfatum Concilium po-
tuiſſe decimas transferri in laicos cum ſola auctoritate
Prælatorum Summo Pontifice inferiorum, ut apud Pe-
trum Barboſ. *in leg. titia n.* 45. *ff. ſoluto matrim.* Covar.
lib. 1. *var. reſ. p.* 17. *n.* 5. Garzia *de expenſis cap.* 9. *n.* 89.
& ſeqq. Guttier. *pr. Ecc. quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 4. *&
ſeqq.* Azor. *Inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 25. *qu.* 12. Fa-
gnan. *in cap. cum Apoſtolica num.* 2. *&* 3. *de his quæ fiunt
à Prælat.* Panimoll. *deciſ.* 23. *annot.* 1. *num.* 5. *&* 6. Rota
deciſ. 1367. *num.* 7. *cor. Coccin. dec.* 262. *n.* 3. *part.* 2. *rec.*
quod etiam comprobant ex Textu in *cap. cum Apoſtoli-
ca de his quæ fiunt à Prælat. cap. ſtatuto §. ſanè de
decimis in* 6.

Cœterùm de hujus vulgatæ opinionis ſubſiſtentia 18
ſatis videtur poſſe dubitari. Tum quia etiam ante
Concilium Lateranenſe prohibita erat translatio deci-
marum in laicos cum ſola auctoritate Prælatorum in-
feriorum, nec ullus eſt Textus, in quo id permitta-
tur, ut probant Barboſ. *in cit. cap. cum Apoſtolica nu.* 5.
Gonzal. *in cit. cap. prohibemus nu.* 5. Thomaſſin. *cit. c.* 11.
n. 7. *& ſeqq.* Rebuff. *in tract. de decim. quæſt.* 10. *n.* 12. *&
ſeqq.* Gilchen. *de præſcript. par.* 3. *cap.* 8. *n.* 5. *& ſeqq.* Paſ-
ſerin. *ad* 3. *lib. Sext. Decret. tit. de decim. quæſt. unic. art.*
11. *n.* 220. quinimò contrarium expreſsè elicitur ex mox
citato Decreto Concilii Romani ſub Gregorio VII. ibi:
*Sivè enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuslibet per-
ſonis eas acceperint, niſi eas Eccleſiæ reddiderint, ſciant
ſe ſacrilegii crimen committere*, de quo etiam meminit
Gonzal. *cit. n.* 5. *in fine*. Tum etiam quia Concilium *in
cit. cap. prohibemus* nec ſupponit, Epiſcopos decimas 19
laicis prius infeudare valuiſſe, nec infeudationes ita
factas tolerat. Etenim Concilium ibi expreſsè tantùm
prohibet laicis decimas detinentibus, eas in alios lai-
cos transferre; ſed non ideò permiſiſſe cenſetur earum-
dem decimarum retentionem, quas cum ſuarum ani-
marum periculo ipſos retinere idem Concilium pro-
fitetur. Conjicere ſanè quis non improbabiliter poſſet,
Concilii mentem in *cap. prohibemus* eam fuiſſe, ut to-
leraret laicis retinere decimas, dummodò ne eas in
alios laicos transferrent, ſed poſt eorum mortem ſi-
ne hærede ad Eccleſiam illæ refunderentur. Quæ qui-
dem conjectura plauſibilis eſſet, & maximum momen-
tum præfatæ vulgari ſententiæ afferret; niſi in eodem
Decreto ſtatim ſubjungeretur, laicos eaſdem decimas
cum ſuarum animarum periculo retinere; Et niſi ſa-
tis probabile eſſet, prohibitionem in ipſo Decreto fa-
ctam transferendi decimas *in alios laicos aliquo modo*,
comprehendiſſe etiam filios, & hæredes, ut ratioci-
natur Thomaſſin. *cit. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 11. aliique apud
Paſſerin. *cit. art.* 11. *n.* 224. Utcumque autem res ſe ha-
beat, illud certum eſt, Summos Pontifices penè deſpe-
rantes è rapacibus laicorum manibus decimas vindi-
care; exhorrentesque ſcandala, quæ extremis reme-
diis adhibitis ſuboriri potuiſſent; admonuiſſe laicos de
injuſta decimarum retentione, ſatiuſque duxiſſe eos
ſuarum animarum periculi admonere; atque ut ſen-
ſim decimæ è laicorum manibus ſubtraherentur,
permiſiſſe eas per laicos transferri in quaſcumque

Eccleſias etiam in Monachos cum conſenſu Epiſcoporum, ut habetur in *can. decimas 16. qu. 7. c. cum & plantare de privil.* Atque inde apparet ratio, ex qua Alexander IV. in *cit. c. ſtatuto §. ſanè de decim. in 6.* conceſſerit laicis transferre in Religioſos decimas tantùm obtentas ante Concilium Lateranenſe, non autem poſt idem Concilium ipſis ut ſupra infeudatas. Etenim cùm laici ante ipſum Concilium obtinuiſſent decimas ex ſola Prælatorum inferiorum conceſſione, idque quamvis invalidè factum fuiſſet, ad evitanda tamen majora ſcandala, tolerabatur eis decimas in quaſcumque Eccleſias etiam Regularium dimittere; quæ porrò tolerantia ceſſabat quoad decimas poſt Conc. Lateranenſe ſine Pontificis privilegio infeudatas, in quibus Juris rigor ſervari, ac proindè nonniſi propriis Eccleſiis reſtitui Alexander IV. ſtatuit, in *cit. c. ſtatuto §. ſanè*, ut advertunt Barboſ. *in cit. cap. cum Apoſtolica n. 7.* Paſſerin. *loc. cit. art. 11. n. 234. & ſeqq.* Quantumvis autem verum ſit, decimas à Prælatis inferioribus ante Concil. Lateranenſe validè fuiſſe infeudatas, certè eaſdem infeudationes iidem Prælati poſt Concilium extendere non poſſunt ad decimas novalium, quæ propè decimarum confines inſurgunt, ut reſolvit Sac. Cong. Concilii in *Tridentina 1. Septembr. 1637. lib. 15. Regeſt. pag. 248.* ibi: *Sac. Cong. cenſuit ad I. Inveſtituras decimarum prædialium titulo feudi per Epiſcopos prædeceſſores ab immemorabili tempore laicis conceſſas, nequaquam extendi poſſe ad decimas Novalium, quæ in dies infra, & propè decimarum confines inſurgunt. Ad II. Epiſcopum non poſſe reſervationem inveſtiturarum ad hujuſmodi novalia ampliare. Ad III. Si Epiſcopi hujuſmodi inveſtituram conceſſerint, ceſſante mala fide inveſtitorum, eos à perceptorum reſtitutione excuſari. Ad IV. Epiſcopum non debere nec poſſe tuta conſcientia hujuſmodi decimarum novalium uſurpationem tolerare, etiam tacentibus Parochis.*

21 Quicquid ergo ſit de decimis ante Conc. Lateranenſe III. Laicis ſola Prælatorum inferiorum auctoritate infeudatis, de quibus juxtà vulgarem DD. ſententiam, Laicis controverſia movenda non eſt; Certum ſanè eſt, ſaltem poſt ipſum Concilium decimarum infeudationes in Laicos non ſuſtineri, niſi & Apoſtolicus accedat aſſenſus, ut communiter tenent DD. ex *cit. cap. prohibemus*; itaut nullius inferioris auctoritas ſuffragetur, etiam ſi ſit Legatus à latere, Abb. *in c. ſacroſancta nu. 2. de elect.* Moneta *de decim. cap. 5. nu. 59.* Rebuff. *eod. tract. qu. 13. n. 73.* Nec quidem Sedes Apoſtolica hujuſmodi infeudationibus annuere ſolet, niſi graviſſimis ex cauſis, præſertim quod aliquis Princeps de ipſa S. Sede, & Fide Catholica ſit optimè meritus, ut dixi ſupra *n. 6. & ſeqq.* Unde nuperrimè Sac. Cong. Concilii in *Virdunen. 11. Januarii 1710.* approbare recuſavit, conceſſionem decimarum Domino temporali factam à Monachis Benedictinis, quamvis alioqui id in Eccleſiæ utilitatem evidenter cederet. Porrò ſi

22 Prælato inferiori à Papa decimas infeudandi facultas concedatur; hic autem in infeudatione beneplacitum Apoſtolicum reſervaret, cum clauſula *non aliàs &c.* ut eſt caſus in *dec. 384. cor. Pamphil. & dec. 545. nu. 3. par. 4. tom. 1. rec.* conceſſio non ſuſtinetur, niſi accedente auctoritate Papæ, cùm appareat Prælatum inferiorem noluiſſe eo caſu uti facultate ſibi conceſſa, ut reſolvit Rota *loc. cit.*

23 Quamvis autem de poteſtate Pontificia nefas ſit dubitare in concedendis laicis decimas modo compatibili ſupra explicato; illud autem extra dubium eſt, hujuſmodi conceſſiones non ſuſtineri, niſi Papa expreſsè, & ſpecialiter derogaverit decreto ejuſdem Concilii Lateranenſis, ut in his terminis tradit Corrad. *in praxi diſpenſat. lib. 9. cap. 7. n. 2. verſ. præterea*, Rota *dec. 92. nu. 1.* poſt Tambur. *de jure Abbat.* & latè *in Placentina decimarum 16. Maii 1710. §. cæterum cor. D.*

24 *Anſaldo.* Quàm etenim explorati juris eſt, poſſe Papam derogare Conciliis Generalibus, tàm etiam certum eſt ipſum nolle iiſdem Conciliis derogare, niſi id expreſsè dicat. Unde quamvis Papa, in quo ſupponitur notitia Conciliorum Generalium, eò ipſo quòd contra aliquod ipſorum diſponit, videatur præſumi illi derogare voluiſſe, ut aliàs cenſuit Solorzan. *de jure Indiar. lib. 3. cap. 1. n. 626.* Redoan. *de reb. Eccl. non alienan. vol. 2. qu. 63. in addit.* receptum tamen eſt, quod ceſſante ſpecifica derogatione, gratia Concilio Generali contraria, præſumatur per importunitatem impetrantium inter multitudinem negotiorum expiſcata, ad Textum in *cap. ex parte*, ubi Gloſſ. *ver. occupationem de Capell. Monachor.* Abb. *ibidem nu. 2. & in cap. nonnulli n. 10. ibique* Fagnan. *nu. 32. & ſeqq. de reſcript.* *Adden. ad dec. 90. nu. 248. & ſeqq. par. 9. rec.* Id enim peculiare eſt in decretis Sac. Concilii Tridentini, ut 25
eis derogatum cenſeatur per derogatorias generales, ſeu etiam per diſpoſitionem, ſeu conceſſionem contrariam eiſdem decretis abſque ulla expreſſa derogatione, ita diſponente Conſtitutione Pii IV. confirmatoria ejuſdem Concilii, in quo præcisè facultas derogandi Rom. Pontifici fuit reſervata, Marefcott. *lib. 1. var. reſol. cap. 19. nu. 11. & 12.* Gratian. *diſcept. 940. nu. 15. & 16.* & dixi *tom. 2. ad Conſt. 2.* Anaſtaſ. IV. *ſect. 3. nu. 10. pag. 67. & ad Conſt. 9.* Innoc. III. *ſect. unic. nu. 52. pag. 278. & tom. 3. ad Conſt. 18.* Innoc. IV. *nu. 20. pag. 179.* quæ ratio cùm ceſſet in aliis Conciliis Generalibus, conſequenter eis derogatum non cenſebitur per ſolam diſpoſitionem eorum decretis contrariam, nec per derogatorias generales, ut uno ore firmant, DD. apud Rot. *dec. 997. nu. 4. cor. Pœnia, dec. 238. nu. 31. cor. Duran. dec. 710. n. 12. cor. Merlin. dec. 122. per tot. par. 1. diverſ.* ubi *num. 1.* quòd Concilia Generalia cenſeantur habere clauſulam derogatoriam ad ſequentes contrarias diſpoſitiones, quæ proindè neceſſariò derogare debent decretis contrariis ipſorum Conciliorum, *dec. 350. n. 28. & 29. par. 5. & dec. 46. nu. 6. par. 17. rec.* Cæterùm cùm derogatio Conciliis, Generalibus res
ſit, non tàm à poteſtate Papæ pendens, de qua in 26
hac re non dubitatur, quàm ab ejuſdem voluntate; veriùs ideircò videtur, quòd quamvis Papa nominatim non deroget decretis illius Concilii, contra quod diſponit; ſi tamen aliàs de ejus mente derogare volendi conſtet, derogatum ſufficienter cenſeatur; Qua porrò ratione attenta, in terminis decreti Concilii Lateranenſis IV. relati in *cap. nuper de Decim.* cenſeri ei derogatum per derogationem generalem quibuſcumque Conciliis Generalibus, præſertim ſi adſit clauſula, *quorum tenores &c.* vel ſi præceſſit derogatio expreſſa alicujus Concilii pluries cenſuit Rota *deciſ. 277. num. 9. cor. Millino, deciſ. 181. num. 8. cor. Cerro, deciſ. 334. num. 4. & 5. par. 12. recent.* & in aliis deciſionibus relatis apud Garziam *de Benef. par. 4. cap. 5. num. 38. & ſeqq.* Card. de Luca *de decim. diſc. 4. numer. 20.*

Ceſſante autem privilegio Apoſtolico poſt Concil. 27
Lateranenſe III. requiſito, ſivè etiam infeudatione ante ipſum Concilium obtenta, quo tempore decimarum conceſſiones cùm ſola Prælatorum inferiorum auctoritate laicis factæ ſuſtinentur, ut vulgaris fert ſententia, & ultra ſupra citatos tradit Rota *dec. 234. nu. 3. par. 9. tom. 1. rec.* his, inquam, ceſſantibus, frequentius diſceptari contingit de viribus immemorabilis. Cujus virtute, ſeù operatione attenta, cum ipſa concurrente allegari poſſit quicumque titulus de Mundo melior, & conſequenter etiam privilegium Apoſtolicum, ſivè infeudatio ante Concilium Lateranenſe, auctoritate Prælati inferioris facta, ad Text. in *cap. ſuper quibuſdam de Verbor. ſignificat.* controverti inde occurrit, an ſufficiat ſola immemorabilis, anne ultra eam concurrere debeat fama privilegii. Certè autem, ſi lis ſit ſu-
per poſſeſſorio, in quo judicio non ſolum immemora- 28
bilis, & quæcumque conſiderabilis poſſeſſio, etiam contra juris reſiſtentiam ſuffragatur, Rota *dec. 534. nu. 7. par. 1. diverſ. dec 80. n. 8. cor. Cavaler.* ſuffragabitur etiam ſola immemorabilis ad effectum manutenendi laicum in quaſi poſſeſſione decimarum, ut admiſit Rota *dec. 67. n. 8. par. 15. rec.* & ſequitur Card. de Luca *de decim. diſcur. 6. nu. 12.* quod ſi res ſit in petitorio, major eſt
difficultas, itaut ipſa S. Rota in contrarias aliquando 29
iverit ſententias, ut refertur in *dec. 215. n. 1. & 2. par. 2. diverſ.* Quinimò creſcit difficultas, attenta Bulla Urba-

ni VIII.

Digitized by Google

ni VIII. de præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiarum inferiorum, quæ eſt in ordine *la 270. incip. Romanus Pontifex tom. 5. Bullar.* ex qua laicis pro retentione decimarum neque immemorabilem cùm fama privilegii ſuffragari, cenſuit Fagn. *in cap. conſuetudines nu. 55. & 57. de conſuetud. & in cap. cum Apoſtolica n. 13. de his, quæ fiunt à Prælat.* Veriùs nihilominus eſt, &
30 receptum, ſolam immemorabilem non ſufficere; nam quamvis hæc aliàs operetur, quòd in ejus vim allegari poſſit titulus legitimus, & conſequenter etiam privilegium Apoſtolicum, qua ratione eam ſolam in hoc caſu ſufficere, cenſuit Butr. *in cit. c. cum Apoſtolica n. 17.* aliique apud Barboſ. *in cap. cauſam n. 3. & 4. de præſcript.* Moner. *de decim. cap. 5. n. 74.* id tamen locum non habet in præſcriptione earum rerum, quarum præſcribens eſt incapax, prout eſt decimarum retentio quoad laicos, quibus vehementer jus reſiſtit; adeòque ut iis laicus reddatur capax, requiritur privilegium Apoſtolicum, vel concurrere debet immemorabilis cum fama privilegii, vel ſi unà cùm immemorabili conſtet laicum poſſediſſe decimas uti Vaſſallus, quodque uti talis fuerit ab Eccleſia agnitus, ut poſt Jo. Andr. *in cit. c. cum Apoſtolica nu. 9. verſ. ſatis videtur*, Felin. *ibidem nu. 3.* tenent communiter DD. & plenè diſcuſſo articulo firmavit Rota *cit. dec. 215. par. 2. diverſ.* & in alii ſexcentis deciſionibus relatis apud Cardin. de Luca *cit. diſc. 6. n. 24.* Panimoll. *dec. 33. annot. 1. nu. 15.* Paſſerin. *ad cit. de decim. in 6. quæſt. unic. art. 11. nu. 237.* Qua et-
31 iam ratione probabilius videtur, nec quidem ante Concilium Lateranenſe ſuffragari laicis ſolam immemorabilem ſine fama privilegii, ſeu juris feudalis, quidquid dixerint nonnulli apud Panimoll. *loc. cit. n. 18.* etenim juris reſiſtentia quoad decimas à laicis retinendas ſemper adfuit etiam ante Concilium, ut diximus, & probat Fagn. *in cit. c. cauſam n. 10.* unde quemadmodum poſt ipſum Concilium requiritur privilegium, vel immemorabilis cum fama privilegii, ita ante eumdem concurrere debet infeudatio, vel immemorabilis cum fama tituli feudalis, ut dixit Rota *dec. 109. n. 2. par. 16.*
32 *dec. 67. nu. 2. & 8. par. 15. rec.* Atque ex eadem ratione deſcendit, ut ſi agatur de præſcribendis decimis favore unius Eccleſiæ contra aliam, cùm eo caſu ceſſet incapacitas, ſeù juris reſiſtentia, in Eccleſia non conſiderabilis; ſufficiat ſola immemorabilis ſine titulo, vel etiam quadragenaria cum titulo putativo, ut tenent Felin. *in cit. cap. cauſam n. 3.* Antonell. *de tempor. legal. lib. 2. c. 27. n. 14.* Rota *dec. 262. n. 4. par. 2. dec. 715. n. 1. par. 13. rec.* quinimò ſi præſcriptio ſit pro Eccleſia contra laicum, ſufficeret decennalis, Rota *dec. 152. n. 5. par.*
33 *19. tom. 1. rec.* Porrò ſufficere etiam hodie laicis in hac re immemorabilem cum fama privilegii, nec obſtare *cit. Conſt. 270.* Urbani VIII. prout obſtare cenſuit Fagnan. *loc. cit.* indè præſertim evincitur, quòd Sac. Rota etiam poſt d. Bullam editam de Anno 1641. pluries favore laicorum admiſit immemorabilem cum fama privilegii, ut videre eſt in *dec. 234. nu. 5. par. 11. dec. 424. n. 2. par. 14. dec. 67. n. 9. par. 15. dec. 109. n. 1. & 2. par. 16. & in Toletana decimarum de Capilla cor. Anſaldo* inter ejus impreſſas *dec. 78. & 79.* Etenim ratio, cui innititur Fagnan. quòd ſcilicet præfata Conſtitutio derogaverit conſuetudinibus etiam centenariis, & immemorabilibus, non eſt indiſtinctè vera; quinimò contrarium evincitur ex eadem Conſtitutione §. 15. *in fine*, ubi Papa declarat, ſuæ mentis non eſſe tollere centenariam præſcriptionem, concurrentibus de jure requiſitis; nec immemorabilem, niſi in caſibus, in quibus per Sac. Canones, ſeù Concilia univerſalia, vel Conſtitutiones, ordinationes, aut diſpoſitiones Apoſtolicas, illa reprobatur, ſeù derogatur. Unde apparet, etiam hodie ſuffragari immemorabilem in iis caſibus, in quibus aliàs de jure ſuffragabatur, ut generaliter advertit Card. de Luca *diſc. 1. de Alienat. n. 94. & ſeqq.* & ſpecificè in noſtris terminis quoad decimas dixit Rot. *dec. 46. n. 8. par. 17. rec.*

34 Demum cùm in hac Conſtitutione concedatur à Papa privilegium derogatorium aliorum privilegiorum, quæ à Sede Apoſtolica Principes laici obtinuerant, videndum eſſet, quatenus per Papam derogetur hujuſmodi privilegiis, præſertim ex cauſa oneroſa conceſſis; In qua quidem re intrant, quæ in his terminis privilegii decimarum quoad laicos ediſſerit Rota *dec. 511. par. 18. tom. 2. rec.* ubi quod privilegia exemptionis à decimis conceſſa Carthuſianis non comprehendant decimas jampridem à Sede Apoſtolica conceſſas Regibus Hiſpaniarum, *dec. 48. n. 11. par. 1. dec. 9. par. 19. tom. 1. rec.* Sed nos, Deo dante, alibi de hac re opportunè dicemus.

CONSTITUTIO IV.

GREGORII XI.

Incipiens (*Cunctos.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS, AD PERPETUAM Rei Memoriam.

CUm Protectores Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci, fines ſuæ poteſtatis excederent, ideò hìc Pontifex eorumdem facultates limitat, atque declarat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Regulares ſub qua pœna prohibeantur uti patrocinio Sæcularium.*
2 *Olim quæque Eccleſia ſibi Protectorem, ſeu Advocatum adſciſcebat.*
3 *D. Franciſcus ſtatuit, ut ejus Ordo Cardinalem Protectorem haberet.*
4 *Gregorius XI. dum Cardinalis erat, fuit Protector Minorum.*
5 *Idem Pontifex facultates Cardinalis Protectoris ejuſdem Ordinis in hac Conſtitutione præſcripſit.*
6 *Jus Protectionis non importat juriſdictionem, vel fori competentiam.*
7 *Cardinalium Protectorum partes quænam ſint.*
8 *Cardinales Protectores plerumque ex oraculo Papæ utuntur majori juriſdictione.*
9 *Delegatio facultatis à Papa facta Cardinali Protectori, an expiret cum ejus morte.*
10 *Extenſio de perſona ad perſonam non datur in delegatione.*
11 *Præſertim ſi ſit alicui facta pro ſui prudentia, & arbitrio.*
12 *Secus ſi delegatio ſit facta nomine Dignitatis.*
13 *Regulares quatenus obſequi debeant juſſionibus Protectorum.*

QUamvis ex Synodo Cabilonenſi *can. 15.* ſub ex- 1
communicationis pœnâ præcipiatur, nè Abbates, aliique Monachi patrocinio Sæculari utantur, & diſertè in corpore Juris Præſulibus, aliiſque Eccleſiaſticis viris ſit expreſsè vetitum, ne tranſeant, Eccleſiamque ſuam in clientelam alicujus, protectionem, vel advocatiam concedant, *in c. hoc conſultiſſimo de reb. Eccl. non alien. in 6.* attamen nemo prudens generalem indè deſumi credet concluſionem, quod Eccleſiis, aliiſque Religioſis Conventibus pernicioſum ſit Protectores, & Advocatos ad ſpiritualem, & temporalem progreſſum abſque fraude, & legitima auctoritate intercedente Romani Pontificis, adſciſcere, *ad Text. in cit. cap. hoc conſultiſſimo*. Porrò enim quàm conducat, atque

consultum ſit Eccleſiaſticis, potiſſimè Religioſæ vitæ
2 ſectatoribus hujuſmodi Protectionibus ſe committere, unum, in ſe mille involvens teſtimonia, ſit ſatis in medium afferre, quòd ſcilicet olim nulla dedicabatur Eccleſia, nec Monaſteria ſuſcitabantur, quin à prima erectione ſuo addicerentur, & commendarentur Advocato, Protectori, aut Defenſori, teſte Martin. Mager. *de Advoc. armat. cap. 11. num. 65.* Thomaſſin. *de nova, & veteri Eccl. diſcipl. par. 3. lib. 2. cap. 55. n. 9.* & latè dixi ad *Conſt. 7.* Gregorii IX. *n. 2. ad 17. tom. 2. pag. 537.* & optimo quidem inſtituto, etenim ſi quid Mundi hujus ad turbandam Religioſam quietem inimicus hominis intra Religioſa ſepta ſuperſeminaret, non ideò Monaſticæ vitæ Profeſſores retraherentur à Cæleſtibus, ſed dum in contemplationibus ſacris imperturbati vivunt, & ſpiritualibus vacant, haberent qui pro ipſis curam vigilem gererent; Hinc cœleſti viſione edoctus
3 B. Franciſcus Seraphici Ordinis parens, quàm conduceat ad opportunam quietis dulcedinem in Monaſteriis conſervandam Protectoris, & Advocati fulcrum, enixè in Regula ſuis Fratribus præcepit, quod omninò ſub protectione unius ex S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus jugi meditatione, & opere in viam perfectionis proficerent, ibi: *Per obedientiam ad hæc injungo Miniſtris, ut petant à D. Papa unum de Sanctæ Eccleſia Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis.* Viſionem verò, qua B. Franciſcus fuit divinitus edoctus, ita narrat Lucas Vading. *in annal. Minor. anno 1217. n. 2. Vidit in ſomnis gallinam pullos plurimos ſub alis congregare, à ſuper volitantibus milvis defendere volentem, nec tamen omnes potuiſſe, pluresque proinde patuiſſe rapinæ, magna verò alterius volucris ſub alis pericula ſubterfugiſſe; expergefactus autem vir Sanctus, dum ſomnii interpretationem peteret à Domino, eam ita accepit, ut intellexerit ſe per gallinam, diſcipulos per pullos, & Cardinalem in Protectorem aſſumendum, per volucrem magnarum alarum demonſtrari.* Verùm, quia plerumque, & faciliter ab officio Protectionis fit tranſitus ad uſurpationem Juriſdictionis, ut qui opis cauſa evocantur, ſæpe ſæpius timeantur, ut dixi *cit. Conſt. 7.* Gregorii IX. *n. 12.* & latè proſequuntur Gregor. Tholoſ. *de Repub. cap. 11. n. 6. & lib. 23. cap. 3. n. 9.* Mager. *cit. cap. 1. in 1. object.* & noſtri Protectores temporis ſucceſſu nimium eorumdem poteſtatis fimbrias extenderunt, adeòut non protegendi, ſed dominandi in noſtrum Ordinem occaſiones emendicatas captarent, ſicque de die in diem trahebant ad noxam, quod per D. Franciſcum proviſum extitit ad ſalutem, uſquequò
4 Gregorius XI. in minori adhuc officio conſtitutus ad hujuſmodi protectionis munus evocatus, non, ut alii, Juriſdictionem ordinariæ poteſtatis vindicavit, ſed ut Pater piiſſimus filios gubernans, neceſſaria eis ſuggerendo, procurando, paterniſque, ſi quando deficerent, correctionibus, & increpationibus protexit, ideò erant ei Fratres filiali potiùs amore, quàm exacta per eum neceſſitate ſubjecti, ut elogium retexam Hugonis *in expoſit. Regula Fratr. Minor. in monument. Ordin. tract. 2. pag. 76. par. 2.* Ad Pontificatus verò apicem
5 noſter Gregorius elevatus, ne deſiderium ſui in hujuſmodi protectionis munere tantùm relinqueret, ſed potiùs ſuæ beneficentiæ, & Juſtitiæ fructus perpetuò Minoritæ experirent, hac edita Conſtit. apud Pontem Sorgiæ Avenionen. Diœceſis die 27. Maii Anno 1373. eorumdem Protectoribus pro tempore facultates limitavit, & reſpectivè præſcripſit; quam quidem Conſtitutionem ſuæ approbationis munimine ſolidavit, & declaravit Sixtus IV. & ſucceſſivè Julius II. Gregorius XIII. & Paulus V. in Conſtitutionibus relatis à Peyrin. *de offic. Prælats Regularis tom. 3. lit. Z. cap. 3. append. 4. n. 2. poſt Feſt. in Sum. Conſt. par. 3. cap. 27. Sorb. in compend. privileg. Fratrum Minorum verbo Protector*, Rodriguez *quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 42. artic. 7.* & noviſſimè ſan. mem. Innocentius XII. iterum præfatas Gregorii XI. Sixti IV. & Julii II. Conſtitutiones approbavit, & innovavit, nonnullaſque declarationes adjunxit in ſua *Conſt. incip. Chriſti fidelium* edita die 17. Feb. 1694. *in ejus parvo Bullario 25.* cujus Conſtitutionis meminerunt Pignatell. *conſult. 33. in fine tom. 10.* Antonell. *poſt tract. de Jur. & oner. Cleric. pag. 7.*

Summo quidem jure Cardinalium Protectorum po- 6
teſtas ex præfatis Conſtitutionibus, & potiſſimè ex Innocentiana limitata, & reſtricta fuit ad terminos Sacrorum Canonum, ſeù particularium Regularum inſtituta, cùm protectio de ſui natura ſit vacua ab omni Juriſdictione, nullamque tribuat fori competentiam, ut ex *Tex. in cap. recepimus de privil.* Gonzalez *ibidem* aliique repetentes, Lotter. *de re benef. lib. 2. qu. 32. n. 169.* & in noſtris terminis Card. de Luca *de Regular. diſc. 33. n. 4. & in relat. Rom. Cur. diſc. 42. nu. 10. §. quamvis*, Rota *in dec. 34. n. 5. par. 4. tom. 2. rec.* adeòut qui ſub protectione ſunt, non dicantur eſſe ſub juriſdictione, ſed ſub defenſione facti ab injuriis, & violentiis, Petrus Anton. *de poteſt. Princ. cap. 22. nu. 9.* Diana *par. 10. tract. 7. reſol. 1. §. probatur tertio*, Gaill. *lib. 2. obſer. 54. n. 4.* tota enim in eos Juriſdictio præſervata, & illæſa remanet penes ſuos Ordinarios, quod notabile ait Abbas *in c. recepimus n. 3. de privil.* Mant. *de tacit. & ambig. lib. 27. tit. 7. n. 5.* Menoch. *de arbitrar. caſ. 100. n. 9.* alioſque numerat Diana *cit. reſol. 1.* Opti- 7
mi autem Regularium Protectoris partes ſunt, Ordinem ſibi commendatum in quieto, & pacifico ſtatu conſervare, & augere, ab impugnantibus, & moleſtantibus protegere, & tueri, ac etiam invigilare cum regulis prudentialibus potiùs, quàm juriſdictionalibus, ne ſubditi à Superioribus opprimantur, juxta Sanctæ Sedis intentionem, literam præfatarum Conſtitutionum, & perfectam ideam, quam dat Card. de Luca *in cit. diſcurſ. 42. numer. 11. verſ. alii verè commendabilius.*

Nil mirum autem, ſi aliquando Protectores Ordi- 8
num majori, quàm relatæ Conſtitutiones eiſdem tribuant, juriſdictione utantur, ut monet Cherubin. Jun. *ad Conſt. 53.* Pauli V. *Schol. 2.* nam multoties Summi Pontifices de multis Ordines concernentibus ad eorumdem aures perventis, graviora eiſdem Protectoribus in Curia præſentibus vivæ vocis oraculo delegant, & latè notat Pignatell. *conſult. 33. per tot. tom. 10.* quomodo hujuſmodi vivæ vocis oracula Protectoribus commiſſa, juſtificari debeant, ut afficiant, ad formam *Conſt. 27.* Gregorii XV. *incip. Romanus Pontifex*, in qua ad propoſitum ſancitur, quod fidem non mereantur, niſi manu ipſius Cardinalis ſint ſubſcripta, ſed videnda eſt *Conſt. 157.* Urbani VIII. *incip. Aliàs*, in qua generaliter, & indiſtinctè vivæ vocis oracula abrogantur, & ſpecialiter etiam à Cardinalibus ſubſcripta, nos autem favente Deo latè dicemus in propria ſede; Suppoſita ita- 9
que legitima delegatione, plerumque diſceptari ſolet, an commiſſio ſit perſonalis, adeòut cùm perſona Protectoris, cui facta fuit extinguatur, ſivè potiùs directa videatur officio, & conſequenter ad ſucceſſores tranſeat. Cujus quidem quæſtionis tota decidendi ratio ſiſtit in ſcrutanda ſerie delegationis, ut inde elici poſſit mens, & voluntas Pontificis delegantis, adeòut generalia principia ſingulis caſibus aptabilia aſſignari nequeant; cæterùm non parum juvabit ad hujuſmodi interpretationem has Juris regulas tenere: delegatio eſt ſtricti Juris, ſtri- 10
ctèque eſt intelligenda, neque in dubio datur extenſio de perſona ad perſonam, ut ex *cap. ſignificante de reſcriptis*, Fagnan. *c. quoniam de offic. deleg.* & conſequenter expirat per mortem delegatarii, *cap. quoniam, cap. cum literis de offic. deleg.* ibique Abbas, & in terminis docet Card. de Luca *de Regul. diſc. 23. nu. 5.* tanto autem magis, ſi Juriſdictio fuerit Cardinali Protectori commiſ- 11
ſa pro ſui prudentia, & arbitrio, tunc enim cum dicatur electa induſtria perſonæ, perſonam non excedit, nec ad ſucceſſores tranſit, ut in puncto Gratian. *diſcept. 522. n. 28. & 29. & diſcept. 978. nu. 31. & ſeqq.* Card. de Luca *de Jurepatr. diſc. 2. num. 4. & 5.* Rota *cor. Merlin. decis. 393. per tot.* Item Juris eſt præſumptio, quod delegatio ſit perſonalis, dum priùs appoſitum fuit nomen perſonæ, & poſteà officii, Rota *deciſ. 93. nu. 15. cor. Roxas, & dec. 301. n. 4. par. 14. recent.* è contra verò eſt dicendum, ſi nomine Dignitatis delegatio ſit 12
conce-

Digitized by Google

concepta, quia tunc eſt tranſitoria ad ſucceſſores, ex generaliter traditis per Joan. Andr. *in cap. 3. de pecul.* Bald. *conſ.* 121. *nu.* 6. *lib.* 3. Tuſch. *verbo dignitas concl.* 434. *n.* 7. 20. *cum ſeq. &* 42. Mantica *de tacit. lib.* 3. *tit.* 10. *n.* 28. Ridolphin. *in tract. quibus Juriſd. deleg. nu.* 47. *poſt tract. de poteſt. Principum.*

13 Ad rem tandem noſtram redeundo, ſicuti Regulares, nec tolerare, nec morem gerere debent juſſionibus quibuſcumque factis à Protectoribus Ordinis, circa quæ ipſis à præfatis Conſtitutionibus ſunt prohibita, ut expreſsè ſancitur *in cit. Conſt. Innoc. XII.* §. *ut autem*, quinimò ſi contra earumdem inhibitionem quicquam impetrare, eoque uti auſerint, ipſo facto ab omnibus officiis, ſi quæ habent, ſunt ſuſpenſi, & graviter ſunt puniendi, ut ex noſtra *Conſt.* §. 11. è contra Protectoribus legitimè præcipientibus in his, quæ concernunt munus ſuæ protectionis, ſi Regulares debitam obedientiam non præſtiterint, ſunt ipſo facto excommunicati ex Bulla Julii II. ut teſtantur Rodriquez *quæſt. Reg. lib.* 3. *quæſt.* 42. *art.* 1. *in fine*, & poſt Cordub. *in addit. ad privil. Fratr. Minor.* §. *Protector*, *Cherubin. fil. ad Conſt.* 4. Sixti IV. *Schol.* 2. & de S. R. E. Cardinalibus Protectoribus Religionum occurrunt in continuatione operis Conſtitutiones, & latè ad materiam vide Lezzana *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 9.

CONSTITUTIO V.

GREGORII XI.

Incipiens (*Relevationi.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS, AD PERPETUAM Rei Memoriam.

OFficialibus quibuſcumque Status Eccleſiaſtici prohibet, ne ad granum, ligna, & ſimilia deferenda, abſque juſto pretio Cives, & Incolas compellant.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Principes quatenus ſubditorum neceſſitatibus ſervire dicantur.*
2 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione.*
3 *Angariæ, & Perangariæ quæ ſint.*
4 *In quo differat Angaria, à Perangaria.*
5 *Quæ munera dicantur Angariæ, & Perangariæ.*
6 *Angariæ ſunt de Regalibus, nec tranſeunt conceſſa Juriſdictione.*
7 *Ex privilegio acquiri poteſt jus Angariæ.*
8 *Et quatenus Baronibus in Regno concedantur.*
9 *Angariæ per centenariam, & immemorabilem præſcribuntur.*

1 PRoprium Principis eſt oppreſſis ſuppetias ferre, ſubditorumque ſervire neceſſitatibus, Plutarch. *in Demetrium*, ut ex humanæ politiæ principiis, qui probè ſervire ſcit, is benè regnat, Ariſtotel. *lib.* 7. *polit. cap.* 14. ex hac quidem ſervitutis ſarcina boni Principis auram captare ſatagit Imperator, ſemel iterumque ingerendo, quòd omnium ſubjectorum ſuorum neceſſitates ipſe ſolus portabat, *Authent. ut Judic. ſine quoquo ſuffrag. in princip.* At ſi ad Poli regulas aciem mentis noſtræ erigamus, Principem videmus, ſubveniendis ſubditorum indigentiis, atque eorumdem oppreſſionibus obviandis ea lege obſtringi, ut, quaſi dicam, noxalibus actionibus ex ſubditorum maleficiis, nihilominus quam dominus ex noxia ſervi tenetur: Quippè adeò ex obligatione Juſtitiæ, ſuique muneris ratione ſubditos fovere Princeps debet, ut ſi huic muneri non ſatisfaciat, tam eſt in vitio, quàm ille qui facit, ut verbis utar S. Ambroſii *lib.* 1. *de officiis*, nam negligere, cùm poſſis obviare, ac perturbare perverſos, nil aliud eſt, quàm iniquitati favere, ut legitur *in can. negligere* 54. 2. *qu.* 3. *can.* 7. *can. non inferenda, can. qui poteſt, fortitudo* 23. *qu.* 4. ad id enim profectò poſt lapſum naturæ conſtituti ſunt Principes, ut eripiant de manu calumniantium vi oppreſſos, *can. Regum officium* 23. *qu.* 5. & innuit *Horatius*:

Sic Reges olim tali ſunt fine creati,
Dicere Jus Populi, injuſtaque tollere facta,

2 Hujuſmodi itaque ſuæ ſolicitudinis munus impigrè adimplens Gregorius XI. paulò poſt Apoſtolicam curam ſuſceptam, atque opportunè diſpoſitis, quæ ad ſpiritualem Eccleſiæ regimen ſuam expoſtulabant providentiam, ad Pontificii Status Subditos in Angariis, & Perangariis ferè oppreſſos miſeranter ſe convertit, atque ſtatim, hac edita Conſtitutione apud Pontem Sorgiæ Avenionen. Diœceſis *die* 15. *Junii anno* 1373. opportunè inhibuit, ne Eccleſiaſticæ Ditionis Officiales, cujuſvis dignitatis, & præeminentiæ, frumentum, & alia blada, vinum, ligna, fœnum, paleas, aliaque hujuſmodi ad ipſorum familiarium, vel aliorum quorumcumque uſum ſpectantia, per cives, & incolas, ſeù per eorumdem navigia, currus, aut animalia, gratis ſine juſto, & integro naulo, & præmio ſtatim ſolvendo deferri faciant, ſeù compellant; contra facientes fulminata ſolemni interminatione Apoſtolicæ Sedi reſervata, à qua liberari nequirent, niſi duplo ejus, quod ſolvere debuerant, ita perangariatis reſtituto, ut habetur in noſtra Conſtitutione, quæ eſt impreſſa in Volumine *Conſt. Marchiæ c.* 22. *lib.* 2. quodque ſit in obſervantia tradit *Cherubin. Jun. ad hanc Bull. Schol.* 2.

3 Horum quidem onerum proprietate inſpecta, quæ provincialibus ſuis indebitè paſſim imponebantur ab Officialibus in Pontificio Statu, Angariæ, ſeu Perangariæ nominari poſſunt, cùm in oneribus vehendis, bajuliſque exigendis, & tranſvectionibus conſiſtant, deſumpta hac denominatione ex *leg. nemo* 20. *& toto tit. C. de curſu publico, Angariis, & Perangariis, leg.* 11. *C. de Sacroſ. Eccleſ. leg.* 10. §. *angaria ff. de exact. muner. leg. ſunt munera ff. de vacation. muner.* & paſſim alibi, quamobrem angariæ naves denominantur, quibus onera pro commoditate publica transfretabantur, in *leg.* 4. *ff. de veteran.* atque Angarii, qui tranſvectionibus incumbunt, dicuntur à Solorzan. *de Politic. lib.* 2. *cap.* 13. Novar. *de gravamin.* Vaſſal. *prælud.* 12. *nu.* 5. Angariæ igitur, ſeu Perangariæ rectè ita deſcribi poſſunt, quòd ſint præſtationes, vel ſervitia, quæ extra ordinem provincialibus imponuntur in tranſvectione armorum, & annonæ, aliorumque hujuſcemodi, vel cùm petuntur plauſtra, jumenta, vel naves, ex *Tex. in l. ult. C. de Fabricen. lib.* 11. Gonzalez *in cap. non minus verbo angariis de Immunit. Eccl.* 4 Profectò autem Angaria à Perangaria in Jure vix diſcerni poteſt, cùm paſſim confundantur, ut in *l. neminem C. de Sacroſ. Eccleſiis*, *l. maximarum C. de exact. munerum lib.* 10. At ſi aliqualem diſtinctionem velimus inter eaſdem aſſignare, vel dicendum eſſet, quòd Angariæ per viam regiam curſus publici duci ſolebant; Perangariæ verò per tramites tranſverſos, & nequidem per vias conſulares, ut cum Cujac. *in rub. C. de curſu public. lib.* 12. aliiſque eruditis Scriptoribus comprobat Gonzalez *in cit. cap. non minus verbo angaria*; ſed communiter Angariarum nomine intelliguntur ſervitia perſonalia, quibus quis adſtringitur, ſoluta tamen congrua, & conſueta mercede; Perangariæ autem dicuntur ſervitia, quæ nulla ſoluta mercede præſtari debent, Gloſſ. *in cit. leg. neminem verbo Angariis, & Perangariis C. de Sacroſ. Eccleſ.* Card. de Luca *de Regal. diſc.* 146. *numer.* 11. Novar. *cit. prælud.* 12. *num.* 5. Merlin. Pignatell. *controverſ. forenſ. cap.* 83. *num.* 15. Amendol. ad Franch. *dec.* 79. *n.* 18. aliique paſſim; 5 ut verò angaria, vel perangaria munera dicantur ſervitia, in vilibus, & ſordidis rebus verſari debent, quæ enumerantur in *leg. maximarum C. de excuſ.*

Digitized by Google

munor. lib. 10. aliàs enim perſonalia onera potiùs nuncupanda eſſent; proptereaque Angarius, vel Perangarius ille non dicitur, qui Agentis munus, vel ærarii Baronis curam, & ſimilia ſubire compellitur, ut diſtinguunt DD. Regnicolæ apud Gramat. *conſ.* 12. & 13. Freccia *de ſubfeud. art.* 15. *lib.* 2. Capyc. *dec.* 168. Gizzar. *dec.* 31. *de Marin. diverſor. alleg.* 91. *n.* 14. *cum ſeq.*

6 Indebitè itaque Subditos Eccleſiaſticæ ditionis perangariabant Officiales, dum nulla ſoluta mercede ab ipſis tranſvectiones extorquebant: Quippè Angariæ, & Perangariæ inter regalia connumerantur, Supremo dumtaxat Principi competentia, adeòut conceſſa ſimpliciter Juriſdictione non tranſeant, ex *cap. unico, quæ ſint regalia, ubi Gloſſ. Iſernia*, aliique Feudiſtæ communiter, Card. de Luca *de Feudis diſc.* 3. *n.* 4. & *de regal. diſc.* 146. *n.* 8. Maſtrill. *de Magiſtrat. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 329. D. Raynald. *tom.* 2. *obſerv. crimin. ad cap.* 15. *ſupplet.* 2. *nu.* 96. Capiblanc. *de Baron. pag.* 10. *nu.* 29. *cum ſeqq.* ſolius quidem Principis Supremi eſt, qui Dominus quodammodo Perſonarum dicitur, invitos ad ſervitia perſonalia pertrahere, quòd naturali libertati adverſatur, cœteri verò pœnis contra Regalia uſurpantes ſubjacent, qui coactè ſervitia perſonalia extorquent, etiam cùm mercede ultra condignum, eoque magis ſi perangariare auſerint, ut faciunt Card. de Luca *cit. diſc.* 145. *n.* 12. *de Regal.* & *in Summa ibid. nu.* 140. Merlin. Pignatell. *cit. cap.* 83. *nu.* 18. *cum ſeqq. centur. prima.*

7 Verumtamen cùm jus perangariandi, atque angariandi non ſit de regalibus illis, quæ Principis Coronæ dicuntur affixa, quamobrem per validum, & expreſſum privilegium ab inferioribus acquiri poteſt, prout latiùs arguit cum Borello *de præſtan. Regis Cathol. cap.* 18. *n.* 1. *cum ſeqq.* Card. de Luca *de Feudis diſc.* 65. *n.* 13. D. Raynald. *cit. cap.* 15. *ſupplet.* 2. *num.* 93. *cum ſeqq.* Rota *dec.* 719. *nu.* 3. *cor. Cerro*, aliique communi-
8 ter. Sed in Neapolitano Regno, notant ejuſdem DD. ad novas imponendas angarias, & perangarias, nec ſufficere expreſſum obtinere privilegium in conceſſione feudi *cum angariis, & perangariis*; ſed magis expreſſam Regis mentem requiri, ſiquidem hujuſmodi clauſula, dumtaxat, præſervat ſervitia perſonalia, quæ infeudationis tempore in ipſis locis juſto titulo vigebant, nihil verò novi tribuit, ex vulgatiſſima Pragmatica Caroli V. *incip. Ad noſtras*, quæ per antonomaſiam *Sancta* vocatur, cùm inviolatos præſervet Vaſallos in manibus Baroni commiſſos, Rovit. *in eadem Pragmat.* Jo: Ant. Niger. *ibid.* Novar. *de gravamin.* Vaſſalor. *par.* 1. *gravam.* 2. *per tot.* Merlin. Pignatell. *cent.* 1. *cit. cap.* 83. *n.* 19. & 20. Borell. *de præſt. Reg. Cathol. cit. c.* 18. *n.* 42.

9 Quòd ſi ex privilegio Principis angariandi, & perangariandi jus transferri valet, conſequitur ut per inferiores præſcribi etiam poſſit per immemorabilem, vel centenariam, juxta generales regulas, quas latè in puncto reaſſumit Novar. *citat. gravam.* 3. *per tot.* Card. de Luca *de Regal. diſc.* 146. *n.* 8. & *de Feudis diſc.* 65. *n.* 7. & alibi, Rota *dec.* 718. *nu.* 3. *cor. Cerro*; Tanti verò temporis præſcriptio neceſſariò requiritur, tum quia non minori ſpatio regalia præſcribuntur, verùm etiam cùm hujuſmodi angaria, vel perangaria munera ſervitutes dicantur, habentes proculdubio cauſam diſcontinuam, quæ acquiri nequeunt, niſi per tempus immemorabile, juxta receptiſſimam opinionem, & ad materiam trahunt præcitati Doctores; Neque quidem quia Vaſſalli aliqua hujuſmodi ſervitia, etiam per aliquod temporis ſpatium præſtare fuerunt ſoliti, inde jus naſcitur Dominis cogendi in futurum; quippè omninò contra eoſdem militat præſumptio præſcriptioni adverſa, vel quod ex liberalitate, & propria benevolentia, vel per metum, & violentiam Vaſſalli hujuſmodi ſervitia præſtiterunt, ut diſcurrit Card. de Luca *de Feud. diſc.* 53. *nu.* 3. & *de Regal. diſc.* 146. *num.* 13. Merlin. Pignatell. *cit. cap.* 83. *nu.* 17. Urſell. *concl. regal. verbo Angaria*, Novar. *de gravamin. Vaſſall. grav.* 3. *n.* 5. Verumtamen ſtante poſſeſſione diuturna, & pacifica, inferiores domini manuteneri poſſunt in jure exigendi angarias, & perangarias, potiſſimè cùm contra ſupremum Principem non agitur, ceſſat enim ex pacifica, & diuturna poſſeſſione præſumptio, quod Vaſalli, vel propria liberalitate, vel coactè hujuſmodi ſervitia præſtarent, ut optimè advertit idem Card. de Luca *cit. diſc.* 146. *num.* 16. Novar. *loco cit. num.* 8. *cum ſeqq.*

CONSTITUTIO VI.

GREGORII XI.

Incipiens (*Per Romani.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS, AD PERPETUAM Rei Memoriam.

REligioſos cujuſcumque Ordinis etiam Mendicantium, quamvis Sedis Apoſtolicæ ſint Capellani, eorum Superioribus ſubjectos remanere, ſtatuit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia, meritorum præmia, ad occaſionem laxioris vitæ quandoque traducuntur.*
2 *Regulares Capellani Sedis Apoſtolicæ remanent ſubjecti ſuis Superioribus.*
3 *Superiores Ordinis Minorum quam facultatem in ſuos ſubditos exemptos obtineant.*
4 *Exemptiones ſubreptitiæ obtentæ à Regularibus, poſſunt à quocumque Prælato declarari tales.*
5 *Regulares Capellani Capellæ Regiæ exemptæ quatenus ſubdantur ſuis Superioribus, & numer. ſeqq.*
6 *Capellani Regii ſunt exempti quoad concernentia eorum miniſterium.*
7 *Nec unquam ſunt exempti quoad viſitationem.*
8 *Canonici, & Monachi non poſſunt adſcribi Capellis Regiis abſque ſuorum Superiorum licentia.*
9 *Quod etiam procedit quoad Regulares quoſcumque.*
10 *Epiſcopus non poteſt abſque licentia Superioris Regularem ad aliquod munus extra Monaſterium aſſumere.*
11 *Nec poteſt Regularem aſſumere, ut ſit ejus Socius, vel Cubicularius.*
12 *Regulares an poſſint eſſe Vicarii Epiſcoporum.*
13 *Id prohibitum eſſe Minoribus aſſeritur.*
14 *Non autem aliis Regularibus etiam ex Ordinibus Mendicantium.*
15 *Requiritur tamen licentia Superioris Regularis.*
16 *An ſine hac licentia validi ſint actus geſti in munere Vicarii.*
17 *Quatenus hodie permittatur Regularibus eſſe Vicarios Epiſcoporum.*
18 *Regulares non poſſunt obtinere Capellanias ſæculares erectas in titulum.*
19 *Secus quoad Capellanias etſi exiſtentes in Eccleſiis ſæcularibus.*
20 *Regulares quatenus munera obire prohibeantur in Eccleſiis ſæcularibus.*

PRivilegia, nemo neſcit, meriti eſſe munera, ut 1
ex iis æquitate ſuadente, qui præ aliis virtute, vel opere ſe attollunt, ab univerſitate legis eximantur, & jure quodam ſingulari condignè decorentur, ex

quo

Digitized by Google

quo quidem fieri, *ut quiſpiam, & non æquum habeat*
ad alium, & æquum ſibi, ut dixit *Ariſtotel. Ethicor.*
lib. 5. cap. 2. Non minus verò compertum eſt, privile-
gia ipſa, quæ incitamenta ad virtutem eſſe deberent,
ex hominum malitia ad occaſionem laxioris vitæ ple-
rumque trahi, privilegiatos legibus ſolutos laxatis ha-
benis tàm liberè, & temerè concurſare, perindè ac ſi
expediti etiam eſſent ab inſita cordibus noſtris rationis,
& juſtitiæ lege; ut non immeritò, qui optimam rem-
publicam efformare curarunt, nil antiquiùs habuerunt,
quàm quod privilegii etiam nomen inde procul abeſſet,
Plato 6. de legib. Ariſtot. 18. Polit.

2 Hanc quidem depravatam libertatem Apoſtolicis pri-
vilegiis confoveri noluit Gregorius XI. in Regularibus
illis, qui in Capellanos Sanctæ Sedis ſe recipi procura-
bant, ut bonum obedientiæ, & ſuorum Superiorum
correctionem effugerent, ſibi ipſis perſuadentes tam-
quam privilegiatos, & exemptos, nulla petita licen-
tia hinc ſe pro libito vagare, & diſcurrere poſſe. Si-
quidem hac edita Conſtitutione Avenione 5. Idus No-
vembris Anno 1373. idem Gregorius conſentaneè ſan-
civit, quòd omnes, & ſinguli Religioſi quorumcum-
que Ordinum, etiam Mendicantium, Sedis Apoſto-
licæ Capellani, qui ſunt, & anteà erunt, perindè eo-
rum Superioribus, & Correctoribus omninò ſint ſub-
jecti, ac ſi prædictæ Sedis Capellani non eſſent, non
obſtantibus exemptionibus, quibuſcumque privilegiis,
& gratiis, ut latiùs in noſtra Conſtitutione. De pri-
vilegiis, & exemptionibus, quibus Summi Pontifices
condecorare ſolent Sedis Apoſtolicæ Capellanos, ali-
bi dicam, & adeſt *Conſtit. 49.* Gregorii XV. *incipiens*
Gratia. In præſenti verò opportunè animadverſum
volui, quàm tardò, & difficiliter Summi Pontifices pri-
vilegia, atque exemptiones concedere ſoleant, quibus
Regulares à Superiorum obedientia, & correctione
3 ſubtrahantur; ſiquidem non diſſimiliter ac Gregorius
XI. in præſenti Conſtitutione, qui Regularibus nulla
ſuffragari voluit exemptionis privilegia Cappellæ Pon-
tificiæ forſan conceſſa, Nicolaus V. Miniſtro generali
Ordinis Minorum conceſſit, ut omnes, & ſingulos
Fratres, juxtà Conſtitutiones, & regularia inſtituta
corrigere, & punire poſſit, quamvis ab ejuſdem obe-
dientia, viſitatione, & correctione ex ſpecialibus Se-
dis Apoſtolicæ indultis ſe exemptos eſſe prætenderent,
non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, indultis,
& litteris Apoſtolicis quibuſcumque, ut refert Rodri-
quez *quæſt. regul. tom. 2. quæſt. 64. art. 4.* Leo autem
X. ſtatuit, quod nullus Frater ex ordine Obſervan-
tium obtinere poſſet aliquam exemptionem, aut in-
dultum Apoſtolicum ſub quavis forma, & expreſſione
conceptum, niſi Generalis, aut Commiſſariorum ſuo-
rum in Romana Curia exiſtentium ad hoc expreſſus
accederet conſenſus; ita ut ſi hujuſmodi indulta im-
petrari contigeret, nullatenus illi ſuffragarentur, ut
ipſorum vi à Prælatorum juriſdictione, & regulari di-
ſciplina exemptus eſſe cenſeretur, ut in monumentis
4 Ordinis habetur; Profectò autem cùm Summi Ponti-
fices ex pluſquam rationabilibus cauſis aliquando hu-
juſmodi exemptionum privilegia Regularibus conce-
dunt, ſoliciti eſſe ſolent, ne ſubreptitiè, vel obrepti-
tiè circumveniantur, in re non modici momenti,
utpotè liquet ex Julii II. diſpoſitione, relata ab eo-
dem Rodriquez *loc. cit. art. 2.* in qua quidem omni-
bus Prælatis, atque aliis Perſonis in dignitate conſti-
tutis idem Pontifex commiſit, ut requiſiti à Superio-
ribus Ordinis Minorum, eorumque Commiſſariis Ro-
manæ Curiæ, aut aliis per eoſdem deputatis exami-
nent quaſcumque litteras Apoſtolicas, quas Fratres
ejuſdem Ordinis ſuper exemptionibus impetraverint,
cauſas in eiſdem indultis expreſſas perpendendo, qui-
bus veris non repertis, hujuſmodi privilegia minimè
ſuffragari declarent.

5 His quidem adnotatis, non incongruit hìc quære-
re; numquid Regulares, ſi Regiæ Capellæ, quæ pri-
vilegio Apoſtolico exemptionis ſit decorata, addicti
ſint, eximantur à correctione, & obedientia ſuorum
Superiorum, ad terminos *Text. in cap. cum Capella*
de privileg. Quidquid itaque indiſtinctè, & confusè
dicant Cherubin. Jun. *ſchol. 2. ad hanc Conſtit.* & Ro-
driquez *quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 64. art. 4.* Regulares
addictos ſervitio Regiæ Capellæ, ex privilegio Apo-
ſtolico exemptæ, nequidem expeditos, & ſolutos eſſe
ab obedientia, & correctione ſuorum Superiorum, tum
quia proprii Superioris correctioni ex privilegiis ex-
emptionum nunquam derogatur, argumento ſumpto ex
Concil. Trident. *cap. 4. ſeſſ. 6. cap. 6. ſeſſ. 25. de reform.*
cap. 11. ſeſſ. 24. de reform. & latiùs in propoſito notat
Fagnan. *in cit. cap. cum Capella nu. 8. cum ſeqq.* Verùm
etiam quia hujuſmodi privilegia Regiis Capellis elargi-
ta, ut plurimum perſonalia quoad locum dicuntur, adeò 6
ut Capellanos dumtaxat eximant, ſi delinquant, quà
in parte miniſterio Capellæ incumbunt, ut firmant
Abbas *ad cit. cap. cum Capella num. 2.* Jo: Andr. *num. 5.*
Fagnan. *num. 2. cum ſeqq.* Barboſ. *ibid. nu. 3. verſ. nam*
quamvis, Covar. *pract. cap. 11. num. 5.* & facit Card.
de Luca *de regul. diſc. 64. num. 2. & 4.* quamvis in aliis
terminis loquatur, & nos alibi quæſtionem reaſſume-
mus, & adeſt decretum Sacri Concil. Trident. *ſeſſ. 24.*
de reform. cap. 11. quapropter Regulares Capellani Re-
gii omninò effugere non poſſunt correctionem ſuorum
Superiorum quoad ſtatum Regularem, ſivè Religioſam
obſervantiam, ſicuti firmavimus, Regulares Inquiſito-
res, quamvis exemptos in ſuo munere, attamen ad
mox recenſitos effectus ſubjici Superioribus ſuæ Reli-
gionis, ad *Conſtit. 23.* Alex. IV. *num. 4. tom. 3. pag. 292.*
Profectò autem iidem Regulares Regii Capellani ex-
empti, & majori Capellano ſubjecti, ſi delinquerent,
in quibus Religioſi, exemptione non obſtante, ſubſunt
locorum Ordinario ex Sac. Conc. Trident. vel Conſti-
tutionibus Apoſtolicis, & tunc neque eſt dubitandum,
quòd ab Epiſcopis puniri poſſent, ex ſupra recenſita regu-
la, quod hujuſmodi privilegia ut plurimum determinatam
exemptionem, nequidem verò generalem, & in omni-
bus important; Neque tamen hìc omittam, quòd con- 7
ſultò dixi, ut plurimum, nam inſpecto tenore alicujus
particularis privilegii, aliter forſan eſſet firmandum;
quapropter harum quæſtionum determinatio ex facto
unicè pendet; id tamen certum eſt, quòd nullum exco-
gitari poteſt privilegium, quo Regii Capellani etiam
ab Ordinarii viſitatione, & correctione eximantur, ut
ſuperiùs dixi ex notatis à Fagnan. *ad cit. cap. cum Ca-*
pella num. 8. cum ſeqq. & latiùs reaſſumam, dum de
hujuſmodi Capellanis Regiis diſſerendi opportunitas ali-
bi occurret.

Pro comperto autem eſt, Regulares quoſcumque non 8
poſſe ſeſe Regiis Capellis adſcribere, niſi petita, & ob-
tenta ſui Superioris licentia, *Clement. ne in agro §. quia*
vero de ſtatu Monach. in qua apertè deciditur, quòd
Canonici, aut Monachi adminiſtrationem aliquam non
habentes, ad Curias Principum abſque ſpeciali ſuorum
Prælatorum licentia ſe conferre nequidem præſumant;
neque autem hìc terere tempus duco, diſquirendo, an
præfata Clementinæ diſpoſitio comprehendat Religio-
ſos quoſcumque, ſivè potiùs Canonicos, & Monachos
Nigros dumtaxat, pro quibus fuit edita, ut voluerunt
Pelizar. *in manual. Regul. tom. 2. tract. 7. cap. 3. ſect. 3.*
num. 193. & 194. Suarez. *de Cenſur. diſp. 23. ſect. 5.*
num. 4. contra Bonac. *de cenſur. in pratic. diſp. 8. quæſt.*
punct. 9. num. 12. alioſque; Etenim ad noſtrum effectum 9
nullam ambigendi occaſionem relinquit Concil. Trident.
cap. 5. ſeſſ. 25. de Regul. dum indefinitè prohibet: *Ne*
quis Regularis ſine ſui Superioris licentia, prædicatio-
nis, vel lectionis, aut cujuſvis pii operis prætextu ſub-
jiciat ſe obſequio alicujus Prælati, Principis, vel Uni-
verſitatis, aut alterius cujuſcumque Perſonæ, ſeù loci,
neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis ſu-
per iis obtenta ſuffragetur, & conſonat *Text. in cap.*
quanto de offic. Jud. Ordin. in quo Innocent. III. inve-
hit contra Monachos, qui Religioſum Clauſtrum ab-
horrente, per Curias Principum, & potentium diſcur-
rere non verentur; nihil attento quod in ipſis, & vi-
gor Eccleſiaſticus contemnitur, Religio, & profeſſio
Monaſtica vilior efficitur, ut dixerunt PP. in *Concil.*
Pariſinen. ſub Ludovic. lib. 3. cap. 14. & congruentiùs
in pro-

in propoſito ſancitum fuit in *Conc. Tarraconen.* tempore Hormiſdæ Papæ *can.* 11. ibi : *Monachi Monaſterio foras egredientes , ne quoquod miniſterium Eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus , niſi forte cum Abbatis imperio*, quæ & aliæ ſimiles canonicæ ſanctiones recenſentur à Gonzal. *in cit. cap. quanto de Offic. Judic. Ordin.* Anton. Auguſtin. *in Epit. libr.9. tit.41.* Renat. Chopin. *Monaſtic. lib.1. tit. 1. & 2.* Gibalin. *de Clauſ. diſquiſ.2. cap.2. §. 3. num.29.*

10 His verò conſequitivè ſubjungendum eſt , an ſaltem Epiſcopus ſua auctoritate aſſumere poſſit Regularem ad officium extra Monaſterium , invito ſuo Superiore . Quidquid igitur dicant priſci Doctores, pro tempore, quo Monachi Epiſcoporum Juriſdictioni erant ſubjecti; Certiſſimum in præſenti eſt, Ordinarium non poſſe abſtrahere Regularem è Clauſtro , abſque placito ſui Superioris, ex generalibus principiis exemptionum , quibus ſtantibus Epiſcopi nullam juriſdictionem habent in Regulares, niſi in caſibus expreſſis à Sacr. Concil. Trident. & Pontificiis Conſtitutionibus , ut ex aperta diſpoſitione Textus io *can. nullus. diſt. 58.* ibi : *Nullus ad Eccleſiaſticum officium ex Monaſterio producatur Monachus, niſi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit Epiſcopo*, & firmant in terminis Gloſſ. *in can. cum paſtoris verb. ut quidem 2. quæſt.7.* ibique Archid. & Præpoſitus, Gambar. *de poteſt. Legati à Latere lib.2. cap. ultim. num.252.* Silveſter *verb. obedientia §.6. in fine*, quos ſequitur Rodriquez *quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 64. art.* 1. Siquidem Regularis in caſibus non exceptuatis potius obedire debet Abbati , quàm Epiſcopo , ex *cit. can. 1. & 3. diſt. 58. & can. cum pro utilitate, cum can. ſequenti 16. quæſt.1.* firmat Hoſtien. *in ſumma de majorit. & obed. §. & ad quid , in medio* . Solius etenim Summi Romani Pontificis prærogativa eſt , ut etiam contradicente Abbate Monachum aſſumere poſſit , ex *can. quæ contra mores diſt.* 8. proſequitur Gloſſ. *in cit. can. cum paſtoris verbo ut quidam*, & Hoſtienſ. *loc. cit.*

11 Itaque ad caſus particulares deſcendendo , quòd Epiſcopus invito Superiore nequeat ſibi aſſumere Socium Regularem , neque ad ſuum Comitatum, neque tandem ad Cubiculariatus officium, probant Gloſs. *loc. cit.* Rodriquez *loc. cit. art.1.* Silveſter *verb. obedientia cit. §. 6. in fine* ; quinimo neque Monachum io Eccleſia ſæculari inſtitui ab Epiſcopo poſſe , contradicente Abbate , aſſerit Hoſtien. *loc. cit.* nec inſtitui in Eccleſia Parochiali , vel alia ſæculari ſine diſpenſatione Apoſtolica , ut latè dixi *tom.2. Conſtit.* 1. Anaſtaſii IV. *ſect. 1. per tot.* Non diffiteor tamen , quòd ſi utilitas evidens, vel neceſſitas urgeret, Superior Regularis cogi poſſet , ut ſuum conſenſum præſtet, & Religioſum dimittat , ut Eccleſiaſticum officium extra Monaſterium exercere poſſit , vel congruenter ad Sanctam Sedem in hujuſmodi caſu reccurrendum eſſet , ex adductis ab Hoſtienſ. *ibid.*

12 Majoris autem diſquiſitionis eſt ſimilis quæſtio, numquid Regularis poſſit eligi in Vicarium Generalem Epiſcopi, & quidem motivum dubitandi non inde oritur , quod ambiguum ſit, an exigatur licentia proprii Superioris ; Etenim undique certum eſt , Regularem non poſſe extra Religionem officium aſſumere abſque ejuſdem Superioris placito , ex ſupra adductis Juribus, & potiſſimè ex Sacro Concilio Tridentino *cap.5. ſeſſ.25.*

13 *de regul.* Verùm inter ſe non conveniunt Doctores, an hujuſmodi Vicariatus officium ſit in jure expreſsè Regularibus vetitum ; Et quidem Fratres Ordinis Minorum omninò non poſſe eligi in Vicarios Generales Epiſcoporum, etiam de licentia Superiorum, cum nullo modo hujuſce regulæ Profeſſores litigioſis actibus ſe immiſcere debeant , deſumpta prohibitione ex *Clem. exivi de verb. ſignif. poſt medium*, firmant Diana *reſolut. moral. part. 10. tract. 15. reſol. 30. §. ſed hæc* , Ventriglia *in praxi tom.2. annot.14. §. 1. num.55.* Pellizar. *in man. regular. tract.8. ſect.4. ſub ſect.3. nu.247. in fin.* Caſtropal. *tom.3. oper. moral. tract.16. diſp.4. punct.12. §. 1. num.4. & 5.* Stroz. *de offic. Vicar. quæſt.38. num. 5.* Perperam verò nonnulli DD. hanc prohibitionem extendunt ad omnes Regulares ex Mendicantium Ordinibus , innixi *Clem.1. §. ad Prioratus de Regul.* ſiquidem ejuſdem Textus diſpoſitio indefinitè non loquitur , ſed dumtaxat de Mendicantibus, qui ad Religionem non Mendicantium tranſierunt , ut ex littera patet ; His enim aſſumere prohibet prioratus, adminiſtrationes , aut quæcumque officia , etiam tamquam Vicarios, ſeù Miniſtros , vel locum aliorum tenentes ; de aliis verò Mendicantibus , nec verbum facit, ut advertunt Diana *loc. cit.* Merolla *tom.3. diſq. moral. diſp.7. cap.6. dub.5. num.36.* Pellizar. *in manul. Regul. tom.2. tract.8. cap. 6. num.247.* Pignatell. *conſult.117. num.153. tom.10.*

Concludendum itaque eſt , omnes Religioſos etiam ex Mendicantium Ordinibus , exceptis his, qui ad non Mendicantes tranſierunt, & Minoritis , aſſumi poſſe ad officium Vicarii Epiſcopi, accedente licentia proprii Superioris , tum quia nullibi in Jure id eis interdictum reperitur, Verùm etiam quia non aſpernabilem Monaſterii utilitatem inde provenire comperitur, cùm faciliùs à Vicario Regulari negotia Monaſterii promoveri poſſint , ut dicatur ſatisfactum diſpoſitioni *Text. in can. Monachi 2. 16. quæſt.1. & cap.2. de poſtul.* in quibus diſponitur , ut Monachus judiciale munus exercere poſſit , duo concurrere neceſſe eſt , licentiam ſcilicet Abbatis , & Monaſterii utilitatem , & in propoſito conſiderant DD. principalem concluſionem firmantes , inter quos Rota *in deciſ.3. de officio Vicarii in antiquis*, Ventriglia *in praxi tom.2. annot.14. §. 1. num.55. cum ſeqq.* Tamburin. *de Jure Abb. tom.3. diſp. 17. quæſt. 5. num. 7.* Barboſa *de Epiſc. par.3. alleg.54. num.12.* Pignatell. *cit. conſul.117. num.112. cum ſeqq.* Campanill *in diverſ. Juris rubr.11. cap.11. num.118.* Sbrozz. *de officio Vicarii lib.1. qu.38. num.4.* Pellizzar. *in Manual. Regul. cit. ſect.4. ſubſect.3. num.247.* Caſtropal. *cit. punct.12. §. 1. num.4. cum ſeqq.* Diana *tom.10. tract. 15. reſol. 30. §. concludendum* .

Licentia verò, neceſſarium requiſitum , ut Regularis officio Vicarii fungi poſſit , ſatis eſt quòd obtineatur ab immediato Monaſterii Superiore , videlicet à Priore, vel Præpoſito , ut reprobato Rodriquez *in quæſt. Regular. tom.3. quæſt.76. art. ult.* docente , ad id requiri licentiam Provincialis , vel Generalis, veriùs firmant Ventriglia *loco mox cit. num.55.* Diana *cit. reſol.30. §. nota* . 15

Verum ſi Monachus abſque ſui Superioris licentia ad officium Vicarii aſſumeretur, non conveniunt DD. numquid ejuſdem geſta ſint valida ; Pro negativa enim latè diſſerit Sanchez *in ſumma tom.2. lib.6. cap. 13. num. 97.* quàmplurimis DD. allegatis, quibus adde Pellizar. *loco cit. num.248.* potiſſimo argumento adducto , cum Monachus æquiparetur Servo ; Servus autem neque arbitrium validè ferre poteſt , ex *Text. in leg. Pædius §. in ſervum ff. de recept. arbitris*, ubi Gloſſ. *verb. nullum* expreſsè firmat , idem dicendum eſſe de Monacho. Veruntamen contra Sanchez enixè inſurgunt Diana *in cit. reſol.30. §. ſed difficultas cum ſeqq.* & Merola *loc. cit. num.45.* aſſerentes , Religioſum Vicarium abſque Superioris licentia , quamvis illicitè, validè tamen Vicariatus officium exercere , dummodò non ſit ex Minoritarum Ordine , latè eludendo argumentum jam ſupra relatum ab æquiparatis , *ex cit. leg. Pædius* , adeòut eorundem ſententia probabilior viſa fuerit Ventrigliæ *in cit. annot. 14. §. 1, num. 55. verſ. diſceptant* ; omnes tamen meritò conveniunt , quòd concurrente communi errore , geſta hujuſmodi Religioſi Vicarii valida cenſeantur , ex notiſſima *leg. Barbarius ff. de officio Prætor.* 16

Hæc quidem , mero Jure inſpecto , docent DD. Verùm ſi praxim , & S.C. ſenſum , ut decet , attendere velimus , regulariter improbatam eſſe hujuſmodi Regularium deputationem in Vicarios Generales , dicendum eſt , ex Decretis S. C. Epiſcopor. collectis à Nicol. *in floſc. verb. Vicarius Generalis num. 34.* Pignatell, *conſult.108. num.1. tom.10.* atque S. C. C. in *Montis Piloſi 12. Maii 1674. lib.28. Decr. pag.301.* Epiſcopo petenti indultum retinendi in Vicarium , Monachum ex Congregatione Caſſinenſi , reſcripſit *Nihil libr.28. Decr. pag.201.* rationes verò , ex quibus in Sac. eiſdem Congregationibus non probatur , quod Regulares ſint Vicarii Epiſcopi , S. C. Epiſcopor. innuit , Epiſcopo Caputaquenſi *die 27. Decembris 1591.* videlicet , tum 17

quia

Digitized by Google

quia juſtitiam potiùs à Juris Conſultis, quàm à Theologis adminiſtrari convenit; verùm etiam quia Regulares neque decet, neque poſſunt extra Clauſtra degere, *ex Conſtit.* 60. Clemeotis VIII. *incipiente Nullus* §. 19. adeòut Peyrin. *ad Conſtit.*4. Sixti IV. §.10. *num.*34. Lauret. de Franch. *quaſt.* 122. *num.* 34. non poſſe hodie Superiores Regulares licentiam date ſubditis pro munere Vicatii exercendo; veruntamen ex particularibus circumſtantiis eadem Sacra Congregatio Epiſcoporum indulgere benignè ſolet, ut Epiſcopi aſſumere valeant Regulares in ſuos Vicarios, ut pro Dominicanis, & Cœleſtinis reſcripſit in *Puteolana* 3. *Februarii* 1593. *& Veſtana* 15. *Novembris* 1606. quinimo Vicarius Patriarchæ Latini Conſtantinopolitani ſolet eſſe Regularis ex Minoribus Obſervantibus, ex eadem Sacr. Congregat. 22. *Decembris* 1618. referentibus eiſdem Nicolio, & Pignatello *locis citatis*.

18 Congruentiùs tandem ad noſtram Conſtitutionem videndum remanet, an Regulares obtinere poſſint Capellanias in Eccleſiis Sæcularibus, & quidem de Capellaniis non agimus, quæ ſint erectæ auctoritate Ordinaria in titulum Beneficii Eccleſiaſtici; etenim nulli dubium eſt, quod hujuſmodi Capellaniarum omninò incapaces ſunt Regulares, ex notiſſima regula, quod Regularia beneficia Regularibus, Sæcularia verò Sæcularibus conferenda ſunt, *cap. cum de Beneficio de prabend. in 6.* & dixit *cit. Conſtit.*1. Anaſtaſii IV. *ſect.*1. & de his Capellaniis intelligendus eſt Garzia *de benefic. part.*7. *cap.*10. *num.*37. §. *ſed hoc cum ſeqq.* ubi notabiliter firmat, Capellanias erectas io beneficium Sæculare obtineri non poſſe à Regularibus etiamſi fundatæ ſint in Regularium Eccleſiis; In terminis itaque ſimplicium Capellaniarum, quæ propriè legata pia dicuntur dicen-
19 dum eſt, nihil obſtare quin ad ipſas aſſumi poſſint Regulares, etiamſi extent in Eccleſiis Sæcularibus; itaut nullo pacto excludi poſſint, niſi obſtet lex fundationis, quinimo liberum ſit fundatoribus ad earumdem officiaturam perpetuò deputare Regulares, ex adductis à Pignatell. *conſult.*80. *num.*3. *cum ſeqq. tom.*10. & reſolvit ſemel, & iterum S. C. C. in *Mileten. Capellania*, in qua ſub facti ſerie, quod Franciſcana Lanago erexiſſet Capellaniam in Parochiali Eccleſia Oppidi Pizzoni cum certa dote, & determinato numero Miſsarum; in ultimo verò teſtamento inſtitutis hæredibus PP. Dominicanis, eoſdem nominaſset in Capellanos pro celebratione Miſsarum; oon obſtante quod Parochus, & Sacerdotes ejuſdem Oppidi contenderent non licere Regularibus celebrare in eodem Altari tamquam ſito in Eccleſia ſæculari, potiſſimè attento quodam Decreto Synodali, quo prohibebatur Regularibus, ne in Eccleſiis ſæcularium ex legato celebrarent; Sacr. eadem Congregatio in eadem *Mileten. die* 27. *Novembris* 1694. *ad* 9. primùm declaravit, delendam eſse Synodalem diſpoſitionem, atque perſtitit in decretis ſub *die* 11. *Junii* 1695. deindè verò acriter informantibus eodem Parocho, & Presbyteris Sæcularibus *die* 1. *Decembris* 1696. iterùm reſcripſit *in deciſis*, ut Patres Dominicani continuare poſsent celebrationem Miſsarum io Eccleſia Parochiali
20 Oppidi Pizzoni; Et quidem nullum conſiderari poteſt inconveniens, quando Regulares ſimplices Capellanias obtineant in Eccleſiis Sæcularium; etenim in his terminis non militat diſpoſitio adducti *Text. in cap. cum de beneficio de prabend. in 6.* ut Beneficia Sæcularia Regularibus non conferantur, cùm hujuſmodi Capellaniæ non dentur in titulum, ſed omninò habentur tamquam celebrationes manuales; neque ſanè contra Regulares adduci valet Clementinæ diſpoſitio in *cap.* 1. *de elect.* ne diverſæ profeſſionis homines in una eademque Eccleſia ſocientur; quippè tunc hæc regula ſibi vindicat locum, quando Sæculares, & Regulares unum corpus ſivè Collegium facerent, ſecus autem ſi non conſtituerent unum Collegium, ſed uti ſinguli intervenirent, ut ex Zabarell. *num.* 5. Imola *num.* 12. & Anchar. *num.* 1. *in cit. Clementin.* In propoſito animadvertit Pignatell. *in cit. Conſult.*80. *nu.*6. *tom.*10. & latiùs dixi ad *Conſtit.*7. Innocent. IV. *ſect.*2. *num.*56. *& ſeqq. tom.*3. *fol.*76.

CONSTITUTIO VII.

GREGORII XI.

Incipiens (*Virtute conſpicuos.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS, MAGISTRO, PRIORI, & Fratribus Ordinis Predicatorum.

PLures facultates Magiſtro, & Prioribus Ordinis Prædicatorum impartitur, & explicat, pleraque privilegia eidem Ordini concedit, inter quæ ut poſſint ordinari à quocumque Catholico Antiſtite ſine examine, & abſque promiſſione, ſivè obligatione ipſorum Fratrum Ordinandorum erga Ordinantem.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur diſpoſita in praſenti Conſtitutione.*
2 *Electio Generalis Ordinis Prædicatorum non indiget confirmatione.*
3 *Innuuntur nonnulla ad Juriſdictionem ejuſdem Generalis pertinentia.*
4 *Quatenus poſſit eximere Converſos à juriſdictione Provincialis, & transferre Fratres de una in aliam Provinciam.*
5 *Privilegium ſe promovere faciendi à quocumque, eidem Ordini conceſſum, quomodo hodie ſit ſervandum.*
6 *Et an poſſint examinari ab Epiſcopo ordinante.*
7 *Fratres Ordinis Prædicatorum non tenentur Epiſcopo ordinanti promittere obedientiam.*
8 *Referuntur alia quoad hoc privilegium Regularibus conceſſum.*
9 *Nec item ſponte hanc obedientiam Regulares ſpondere poſſunt.*
10 *Exemptio multoties conceditur in gratiam eximentis potiùs quàm exempti.*
11 *Pontificale Romanum quid ſtatuat quoad obedientiam Epiſcopo praſtandam in actu Ordinationis.*
12 *Refertur controverſia quoad hoc excitata inter Regulares, & Archiepiſcopum Mechlinienſem, ejuſque deciſio.*
13 *Cauſa Belgii quatenus cognoſcantur in Sacris Congregationibus.*
14 *Abbates Ciſtercienſium, dum ab Epiſcopis benedicuntur, non debent eis obedientiam ſpondere.*
15 *Iidem Abbates poſſunt benedici ab Abbate Generali. Ibid.*
16 *Etiamſi Abbates provideantur à Dataria cum clauſula, ut recipiant benedictionem à Catholico Antiſtite.*

PRæclari Ordinis Prædicatorum ſtatum proſpiciens 1
pius iſte Pontifex, plura præſcripſit io hac Conſtitutione, edita Avenione die 6. Martii Anno 1374. tum quoad facultates Magiſtri Generalis totius Ordinis, ac Prælatorum ejuſdem, tum quoad privilegia eidem Ordini, vel conceſsa, vel ab eodem Pontifice adaucta, & confirmata. Cùm autem de ordine iſto Prædicatorum egerim in *Conſtit.*2. Honorii III. *tom.*2. *pag.*387. & de privilegiis ejuſdem, uti ferè communibus cum aliis Regularibus, de his agendo, penè omnia explicavi, ut de privilegio contumulandi corpora defunctorum in eorum Eccleſiis, quod denuò conceditur in hac Conſtitutione, ſatis dixi in *cit. Conſtit.*2. etſi quid remanet

Digitized by Google

remanet explicandum, ſermo erit in aliis Conſtitu-
tionibus. Profectò in præſenti Commentario aliqua di-
cam de auctoritate Magiſtri Generalis Ordinis, necnon
quoad privilegium, ut in receptione Ordinum à quo-
cumque Catholico Antiſtite non poſſint cogi ad exa-
men, & ad ullam obligationem, ſivè promiſſionem
erga Epiſcopum ordinantem.

2 Magiſter igitur totius Ordinis Prædicatorum, voca-
tur Generalis ejuſdem, & Superior totius Religionis;
ſtatimque ac eligitur, habet plenam adminiſtrationem,
nec ab aliquo confirmari debet, prout ex conſuetudi-
ne, & privilegio comprobat Gregorius in hac Conſti-
tutione; imò adeſt *Bulla* Innocent. IV. incip. *In alia*,
in lib. privileg. Ordinis edito à F. Stephano Uſumari
ejuſdem Ordinis pag. 14. *à terg.* & dixi de hac prærroga-
tiva *tom.* 3. *in Conſtit.* 4. Clement. IV. *pag.* 408. quique
Magiſter totius Ordinis habet ſupremam, ordinariam,
3 & plenariam juriſdictionem tàm in temporalibus, quàm
ſpiritualibus in tota Religione, & Fratribus, ſub imme-
diata Romani Pontificis ſuperioritate, ex Conſtitutio-
ne præſenti, aliiſque Bullis Summorum Pontificum,
nempe Sixti IV. & Bonifacii VII. & notat Paſſerin. *de*
ſtatu hom. tom. 3. *quæſt.* 189. *num.* 190. & referuntur apud
Feſtum *in ſumma Conſtit. diſt.* 2. *cap.* 3. §. 8. *litt. B.* &
cap. 4. §. 5. *litt. F.* ubi de pluribus privilegiis dicti Ordi-
nis mentio fit, ut explicantur à Sixto IV. *Conſtitut.* 7.
incip. *Regimini*, quæ meritò Bulla aurea vocatur à Fra-
tribus iſtis, & à S. Pio V. in *Conſtit.* 11. incip. *Dum ad*
uberes, quæque privilegia Ordinis fuerunt in pluribus
moderata à Leone X. *Conſtit.* 22. à Concilio Tridentino,
aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, de quibus ſuo lo-
co dixi, & dicam pro omnium Regularium privilegio-
4 rum moderatione. De facultate autem Magiſtri hujus
Generalis eximendi Converſos à Juriſdictione Provincia-
lis, transferendi Fratres de una Provincia ad aliam, ſi-
ne tamen transfiliatione, niſi ſimul concurrat voluntas
Religioſi, & Conventus à quo, & ad quem, ſupplen-
do tamen ſolum aliquando conſenſum Conventus à quo,
pluresque alias facultates, recenſet Paſſerin. *cit. qu.* 199.
num. 131. & 133. collegitque *Magiſter Generalis Um-*
bertus in lib. Inſtruct. Official. dicti Ordinis, qui tamen
liber non habet legis auctoritatem, ut animadvertit
Paſſerin. *in cit. quæſt. num.* 133.

5 Deveniendo itaque ad privilegium conceſſum in hac
Conſtitutione, ut promoveri poſſint Fratres à quocum-
que Catholico Antiſtite, quod in §. 8. continetur, jam
de tali privilegio aliis Religionibus conceſſo egi *tom.* 1.
Conſtitut. unic. Urbani II. *ſect.* 2. *pag.* 352. in qua retuli
Decretum Sacr. Congregat. Concilii ſub Clement. VIII.
quo omnibus Regularibus privilegiatis permittitur qui-
dem, ut concedant litteras dimiſſoriales ſuis ſubditis
Regularibus, ita tamen ut eas dirigant Epiſcopo Diœ-
ceſano, in quo adeſt Conventus, ubi Frater degit, &
in ſolo caſu abſentiæ Epiſcopi à Diœceſi, vel ordinatio-
nes non facientis, ut valeant dimiſſorias dirigere alteri
Epiſcopo Catholico ſub pœnis in iis contentis, & hac
lege obſtricti ſunt Regulares omnes, etſi priùs haberent
privilegium recipiendi Ordines à quocumque proinde-
que hoc modo intelligi debet privilegium in præſenti
Conſtitutione conceſſum PP. Prædicatoribus, & latè
dixi de eodem Decreto Clementino *cit. tom.* 1. *loco ad-*
ducto, & aliqua ſubdam hoc tomo infra *Conſtitut.* 3.
6 Bonifacii IX. Ita cùm in eodem Decreto Clementino
expreſsè fuerit cautum, quòd Regulares ordinandi, de-
berent examinari, quoad doctrinam ab Epiſcopo ordi-
nante, nullo modo poteſt habere locum id, quod in
cit. §. hujus Conſtitutionis permittitur, ut ſint promo-
vendi ad ordines abſque examine, ut plenè probavi *cit.*
ſect. 2. *num.* 42. & *ſeqq.* Imò Sacra Congregatio in una
Sacra Fidei novi Regni Granatæ 14. *Martii* 1620.
cenſuit, Regulares ab Epiſcopo reprobatos non poſſe
à ſuis Superioribus ad alios Epiſcopos mitti pro Ordi-
nibus ſuſcipiendis, quinimò Epiſcopum Ordinationem
à collatione Ordinum, & ordinatos à ſuſceptorum exe-
cutione, quamdiù Archiepiſcopo expedire videbitur,
eſſe ſuſpenſos.

7 Ad materiam rurſus ejuſdem §. 8. quod Fratres iſti,
dum ordinantur, non teneantur facere aliquam promiſ-
ſionem, & obligationem erga Ordinantem, certum eſt
hic non agi de promiſſione alicujus rei, quia importa-
ret ſimoniam, & utique non per viam privilegii Fratres
in hoc privilegiarentur, quod apud omnes arceri debet;
ſed ſenſus Bullæ eſt in eo, quòd Epiſcopi ordinantes
prætendebant, ut Fratres ordinandi aliquam promiſſio-
nem, & obligationem ſubjectionis, & obedientiæ Epiſ-
copo promitterent, ad quod non teneri Papa in dicto
§. declaravit, nec poteſt Epiſcopus Diœceſanus, tàm
antè, quàm poſt Decretum Clementinum recuſare or-
dinare Regulares ſuæ Diœceſis ex eo, quòd ipſi in actu
ordinationis non promitterent eidem, ſucceſſoribuſ-
que Epiſcopis obedientiam, prout faciunt in actu or-
dinationis Clerici ſæculares, idque enim nedum in hac
Conſtitutione quoad Patres Prædicatores prohibitum eſt, 8
ſed etiam Gregorius IX. Anno 1240. id egit quoad Re-
gulares in Bulla incip. *Inducimur*, ibi: *Ut nullus ex Præ-*
latis Eccleſiarum abſque mandato ſpeciali Sedis Apo-
ſtolicæ à vobis dictam obedientiam manualem præſumat
exigere, authoritate præſentium diſtrictius inhibemus,
& Benedictus XI. Anno 1304. in Bulla incip. *Religio-*
ſam, & Alexander IV. Anno 1256. in Bulla incip. *Cum*
Prælatos, confirmata à Sixto IV. in Mari magno Car-
melitarum, vetuit ne quis obedientiam contra tenorem
Privilegiorum, & Indulgentiarum Apoſtolicæ Sedis exi-
gere, vel accipere præſumat: Clemens itidem V. in-
ter gravamina erga Regulares, à quibus Prælatos præ-
cipit abſtinere in *Clement. frequens de exceſſibus Præ-*
latorum, illud eſt, quod præfatos nollent admittere ad
ordines, & beneficia, niſi ponerent obedientiam Regu-
lares præſentantes in ſalutatione litterarum, quas pro
iſta hujuſmodi præſentatione tranſmittunt; & pro
Minoribus adeſt etiam Mare magnum Sixti IV. ibi: *Re-*
gulares eſſe ab Epiſcopis ordinandos abſque omni pro-
miſſione, & obligatione ipſorum Ordinandorum Fra-
trum, & de Fratribus Prædicatoribus ultra hanc Conſti-
tutionem ſtatuit Martinus V. Eugenius IV. & Sixtus IV.
in Mari magno Prædicatorum; Ideòque non ſolùm eſt 9
prohibitum Epiſcopis exigere hanc obedientiam ab or-
dinandis Regularibus, ſed nec etiam poſſunt recipere,
ſi id velint ordinandi, quique etiam prohibentur id age-
re, cùm ipſi ſint immediatè ſubjecti Sanctæ Sedi Apo-
ſtolicæ, uti ſuo immediato Superiori, ideòque non poſ-
ſunt ſine gravi injuria ejuſdem Sanctæ Sedis aliis ſe ſub-
mittere, & ab immediata ſubjectione erga illam ſe ſub-
trahere, nec Epiſcopo per talem ſubjectionem ſe ſubji-
cere, graviterque Epiſcopi agerent contra Sanctæ Se-
dis poteſtatem, ſi dum ab ea, uti à fonte, Juriſdictio-
nem deſumunt, id, quod hæc ſibi reſervavit, uſurpare
velint, ejuſdemque Sedis jura invadere tentent, quia 10
exemptio fit gratia exemptoris potiùs, quàm exempti,
Silveſter *verb. exemptio quæſt.* 10. Chochier *lib.* 1. *de Ju-*
riſd. in exempt. cap. 1. *num.* 17. Paſſerin. *tom.* 3. *de ſtat.*
hom. quæſt. 189. *inſpect.* 10. *num.* 756. Fagnan. *cap. quod*
ſuper num. 18. *de majorit. & obed.* Rota *dec.* 324. *num.* 5.
cor. Seraphin. Hinc Goffridus Abbas Vindocinenſis,
poſteà Cardinalis Sanctæ Priſcæ, & uti Abbas imme-
diatè ſubjectus Romano Pontifici, in ſui benedictione
obedientiam, ac ſubjectionem profiteri coactus fuerat
Epiſcopo, quem actum promiſſionem appellat, ita ſcri-
pſit Ivoni Epiſcopo Carnotenſi *Epiſtol. lib.* 2. *Epiſt.* 2.
Profeſſum veſtrum me vocaſtis; ſatis melius fuiſſet,
ut a vobis Sacratum dixiſſetis; quod ſi pro conſecra-
tione profeſſionem, & pro profeſſione ab Achodiario
Beati Petri ſubjectionem vobis vindicaſtis, conſecra-
tionem neque illam gratis minimè impendiſtis; non
enim gratis impenditur, per quod homo homini ſubje-
ctus efficitur; in profeſſione ſiquidem illa, conſilio ve-
ſtro, nimia ſimplicitate acquievi. Ubi ſi quid aliter
actum eſt, vos ſcienter feciſtis, ego autem ignoranter
peccavi, ſed Dominus Noſter honorabilis mem. Papa
Urbanus, cum per nos tranſiret, audivit à Fratribus
me vobis profeſſionem feciſſe. Unde Columbam ſedu-
ctam, cor non habentem, me dicens, & vehementer
invexans, illud veraciter mihi pro crimine imputaſſet,
ſi ignorantia mea, & juventuti miſericorditer non pe-

per-

Digitized by Google

perciſset. Quod verò ſuper hoc contra vos protulerit, pro reverentia veteri ordinis melius inde ſilere, quàm loqui. Igitur quod illicitè commiſeram, irritum fecit, & ne deinceps Abbas Monaſterii noſtri cuipiam Epiſcopo profiteatur privilegii ſui irretractabili firmitate prohibuit, cujus authoritatem ſequutus D. Paſchalis Papa, qui nunc eſt, illud iterum ſua Apoſtolica auctoritate firmavit. Hæc ſcripſerat Goffridus, hæcque etiam agnoverunt Romani Pontifices propriæ juriſdictionis tenaces, ne contra eam attentetur, obedientiam præſtare prohibentes à Regularibus. Unde
11 in ipſo Pontificali ſub Clement. VIII. edito, diverſus ritus præſcribitur quoad obedientiam præſtandam à Clericis, quàm Regularibus, dum ordinantur; nam quoad ſæculares dicit, quod promittant Epiſcopo ordinanti obedientiam ejuſque ſucceſſoribus; quoad Regulares verò voluit, ut dicatur, promittere Prælato ordinario ſuo pro tempore exiſtenti reverentiam, & obedientiam; cùmque dictum Pontificale fuerit recognitum, & approbatum à Romano Pontifice, debet ſervari ab omnibus; quam uniformitatem Rituum, Eccleſia Catholica ſemper deſideravit, cùm exinde notabilis uniformitatis utilitas reſultet. Hinc cùm Archiepiſcopus Mechlinienſis prætenderet, quòd Regulares ab ipſo ordinandi, nova forma juramenti, aliàs
12 quàm in Pontificali præſcriptum eſt, uti deberent, promittendo obedientiam ipſi, ejuſque ſucceſſoribus, quòdque in litteris dimiſſorialibus Prælatorum Regularium Archiepiſcopo dirigendis, obedientiæ erga eum mentionem facerent; recurſum ideirco habuerunt ad Sanctam Memoriam Clement. X. Regulares Belgii, cùm ſub hoc motivo Archiepiſcopus retardaret ordinationes ipſorum; remiſſaque cauſa ad Sacr. Congregationem Concilii, iſta ſub die 29. Maii 1676. propoſito præ cœteris dubio: *V. An Archiepiſcopus quando ordinat Regulares in Presbyteros, poſſit ab illis exigere promiſſionem obedientiæ ſibi præſtandæ ex forma Ritualis Aletkenſis, a Clemente IX. præſcripti;* Cenſuit *Negativè, ſed ſervandam formam in Pontificali Romano exiſten.* ut habetur *tom.29. Decret. pag. 254. a ter.* ad cujus Decreti ſenſum Sancta Memoria Innocent. XI. ſuo ſpeciali Brevi declaravit: *Regulares quatuor Ordinum Mendicantium, exemptos ab ordinaria Juriſdictione Diœceſis Mechlinien. nec obedientiam, nec juramentum fidelitatis Archiepiſcopo in ſuſceptione Sacri Presbyteratus Ordinis, ac in benedictione Abbatum, aliaque quacumque occaſione promittere debere, nec ipſum Archiepiſcopum à dd. Regularibus exemptis ullo modo exigere poſſe, nec eorumdem Regularium Superiores in quibuſvis litteris præſentatoriis ſuorum ſubditorum pro ſuſceptione Ordinum, approbatione ad confeſſiones audiendas, aut ad prædicandum verbum Dei, vel alia qualibet occaſione eumdem Archiepiſcopum verbo obedientiæ exhibitionem, ſive profeſſionem ſignificante, ſalutare debere, ſed tam ab Archiepiſcopo, quam à Regularibus præſcriptis in ſimilibus actibus, formam, & diſpoſitionem Ritualis Romani in Urbe noviſſimè impreſſi, ut præfertur, accuratè ſervandam eſſe.* Verùm cum Anno 1706. denuò recurſum habuerint Regulares ad Sanctiſſimum D. N. Clementem XI. regnantem, conquerentes præfatum Archiepiſcopum denuò differre eorum ordinationes ſub motivo, quod deberent promittere præfatam obedientiam in Ordinationibus, & litteris Dimiſſorialibus reſpectivè; hinc Sacra Congregatio mandavit præfigi terminum eidem Archiepiſcopo per Internuncium in Belgio ad deducenda Jura in Sac. Congregatione ſuper prætenſis querelis, qui porrò nihil deduxit, ſed prætendebat videri cauſam in partibus, cùm tamen ageretur de ejus intereſſe, & de re dependente à præ-
13 fato Brevi, quod nec inficiatur *Author. de libertatibus Eccleſ. Gallican. lib. 6. cap. 5. & 6.* & paſſim ſunt cauſæ, quæ in Curia videntur pro toto Belgio, præſertim in Sacr. Congregat. Concilii; proindè injunctum fuit Nuncio, ut curaret, Archiepiſcopum ſe conformare dicti Brevi, aliis etiam proviſionibus captis in caſu contraventionis, ut poſſint Regulares ordinari ab aliis Epiſcopis, ſub *die 5. Junii* 1706. ſed interim Archiepiſcopus ſcripſit Sanctiſſimo, promptum ſemper fuiſſe parere Brevi præfato, & ſenſui Sacr. Congregationis, tranſmittendo aliquas formulas juramenti, in quibus obedientia non promittebatur, ſed præſervabatur jus, quod habet Archiepiſcopus Jure delegato erga Regulares; ſed ex mente Sacr. Congregationis ſub die 21. Auguſti 1706. fuit per Breve eidem Archiepiſcopo reſcriptum à Sanctiſſimo, ut non deberet aliquo modo mutare formulam appoſitam in Pontificali Romano, quod præcisè Archiepiſcopo Mechlinienſi demandavit circa hanc controverſiam ſ. m. Innocent. XI. in Brevi ſupradicto, quodque exinde non tollatur jus, quod habet Archiepiſcopus exercendi Juriſdictionem in Regulares, uti Sedi Apoſtolicæ delegatus in caſibus permiſſis per Sac. Concil. Trident. & Conſtitutiones Apoſtolicas; quare Archiepiſcopus ſumma obedientia, & pietate, hujuſmodi declarationes contentus, ſe pariturum promiſit, ac Epiſtolam per ejus Vicarium Generalem, Provincialibus Ordinum Mendicantium Belgii directam, ſe proteſtavit paratum admittere ordinandos Regulares, licèt inſcriptio *obedientiæ* in præſentatoriis omitteretur. Ad 14
rem etiam facit, quòd Ciſtercienſes Abbates, cùm benedictionem recipiebant ab Epiſcopis, ex qua occaſione iſti prætendebant recipere actum obedientiæ ab eiſdem Abbatibus exemptis, & Abbatiſſis, conceſſum fuit privilegium ab Innocentio VIII. Abbati Generali, ut hoc munus impenderet, & Clemens VIII. ampliavit, ut Generales valerent ſubdelegare Vicarios Generales, ac alios ejuſdem Religionis ad tale munus impendendum. Sed cùm aliquando dictas Abbatias provideri 15
contigeret per Datariam cum clauſula in litteris Apoſtolicis, recipiendi munus benedictionis à Catholico Antiſtite; Sacra Congregatio Concilii in cauſa *Ciſtercienſium muneris benedicendi 23. Auguſti 1682.* cenſuit, poſſe dictos Superiores Ciſtercienſium dictum munus benedictionis impendere, etiam in caſu hujuſdi, quibus per Datariam providetur, ſervata tamen forma Indultorum.

CONSTITUTIO VIII.

GREGORII XI.

Incipiens (*Etſi à Sacris.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS AD PERPETUAM rei Memoriam.

DEcernit, quòd Illegitimi in Lateranenſi, vel Beati Petri, aut Beatæ Mariæ Majoris Patriarchalibus Eccleſiis Urbis; ad Canonicatus, Præbendas, Dignitates, Perſonatus, vel Officia, nullo prætextu, vel generali diſpenſatione admittantur, niſi in litteris hujuſmodi id caveatur expreſsè.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1. *Illegitimi quamvis ad beneficia diſpenſati, hæc tamen obtinere non poſſunt in Eccleſiis Patriarchalibus Urbis.*
2. *Diſpenſatio ab illegitimitate non tollit ipſam illegitimitatem, ſed tantùm ſuſpendit ejus effectum.*
3. *Illegitimorum conditio quàm ſit probroſa, & numer. ſeqq.*

4 *Quàm-*

4 *Quàmque item commiſeratione digna.*
5 *Illegitimi non rarò virtute præſtantes, & parentibus diſſimiles.*
6 *Laudandi illegitimi, qui parentum vitia non ſequuntur.*
7 *Et hi olim irregulares non erant.*
8 *Hodie autem ſunt irregulares ob defectum.*
9 *Hæc irregularitas non eſt de Jure Divino.*
10 *Urbanus irregularitatem ex defectu natalium primò induxit.*
11 *Quæ procedit etiam quoad Ordines Minores.*
12 *Itemque ſivè defectus ſit notorius, ſivè occultus.*
13 *In dubio illegitimitatis qualiter quis ſe gerere debeat.*
14 *Aſſeritur in dubio facti debere ſe gerere pro irregulari.*
15 *Ex diffamatione illegitimitatis qualiter hæc irregularitas inducatur.*
16 *Hæc diffamatio quatenus tollatur per juramentum.*
17 *Proviſio Beneficii facta illegitimo, eſt ipſo jure nulla.*
18 *Miniſtrans in ordine ſuſcepto abſque diſpenſatione ab illegitimitate, an incurrat ſuſpenſionem, novamque irregularitatem, & num. ſeqq.*
19 *Irregularitatem incurrit miniſtrans in ordine, à quo eſt ſuſpenſus.*
20 *Irregularitas quatenus irregularitatem non parere dicatur, nec incurritur, niſi ſit in jure expreſſa.*
21 *Legitimatio quotuplex ſit, ubi de legitimatione per ſubſequens matrimonium.*
22 *Legitimatio, & diſpenſatio ſuper defectu natalium quatenus inter ſe differant.*
23 *Diſpenſatio ſuper defectu natalium conſumitur in primo actu.*
24 *Nec comprehendit caſus conſimiles, aut majores, & an diſpenſatus in majori cenſeatur diſpenſatus in minori.*
25 *Unum Beneficium, vel Ordinem obtinere poteſt illegitimus ad eum diſpenſatus.*
26 *Diſpenſatio ad Ordines intelligitur de minoribus, & an diſpenſatus ad Majores poſſit promoveri in minoribus.*
27 *Illegitimus diſpenſatus ad Ordines non eſt diſpenſatus ad Beneficia.*
28 *Nec diſpenſatus ad Beneficia poteſt obtinere Parochiales, & Canonicatus.*
Quatenus ſub hac diſpenſatione comprehendantur Perſonatus, & primæ Dignitates poſt Pontificalem. Ibid.
29 *Diſpenſatio ad Beneficia an ſuffragetur pro obtinenda penſione.*
30 *Illegitimus nulla indiget diſpenſatione pro obtinenda penſione.*
31 *Irregularitas non importat inhabilitatem ad penſiones.*
32 *Illegitimus eſt capax penſionis, ſtatimac diſpenſatur ad primam tonſuram.*
33 *Papa ex quibus cauſis ſuper illegitimitate diſpenſare ſoleat.*
34 *Hæc diſponſatio validè non obtinetur, niſi expreſſa ſpecie illegitimitatis.*
35 *Et an hæc expreſſio reddat diſpenſationem difficiliorem, præſertim ſi petatur ad effectum ſucceſſionis.*
36 *Dataria dum diſpenſat cum illegitimis, quatenus ſoleat habilitare ad dignitates.*
37 *Clauſula,* dummodò paternæ incontinentiæ imitator non ſit, *quid importet.*
38 *Et quatenus Executor ſatisfeciſſe cenſeatur huic clauſulæ.*
39 *Legati, & Nuncii quibus cauſis poſſint cum illegitimis diſpenſare quoad Ordines, & Beneficia.*
40 *Poſſunt diſpenſare etiam extra Provinciam, & cum non ſubditis.*
41 *Epiſcopus cum illegitimis diſpenſare tantùm poteſt ad Ordines Minores, & Beneficia non Curata.*
42 *Quod procedit etiam ſi illegitimitas ſit occulta.*
43 *Non tamen poteſt diſpenſare ad duo Beneficia, nec ad Beneficium, cui annexus eſt Ordo Sacer.*
44 *Itemque nec ad Canonicatus in Cathedrali, aut Dignitates quaſcumque.*
45 *Epiſcopus ordinans non ſubditum ratione familiaritatis, non poteſt eum diſpenſare ab illegitimitate.*
46 *Epiſcopus ordinando illegitimum an cenſeatur cum eo diſpenſare, & num. ſeqq.*
47 *Voluntas diſpenſandi elicitur ſivè ex verbis, ſivè ex factis.*
48 *Quid ſi de juſta cauſa diſpenſandi non conſtet.*
49 *Rejiciuntur rationes opinionis contrariæ.*
50 *Indignus quis propriè dicatur, & quatenus differat ab incapaci.*
51 *Epiſcopus promovens illegitimum, & obtinens à Legato Apoſtolico facultatem diſpenſandi, cenſetur cum eo diſpenſaſſe.*
52 *Exequutor vigore clauſulæ,* ſi eſt ita, *non tenetur procedere judicialiter.*
53 *Legitimi nati ex illegitimis non ſunt irregulares.*
54 *Nec Capitulum poteſt condere ſtatutum, quod à Beneficiis excludantur.*
55 *Et an hujuſmodi ſtatutum cenſeatur juri contrarium.*
56 *Hæc ſtatuta non afficiunt proviſos à Sede Apoſtolica, niſi ſint facta in fundatione.*

1 EXigebat Patriarchalium Eccleſiarum Urbis Dignitas, quòd Gregorius in præſenti Conſtitutione edita Avenione 3. Idus Novembris Anno 1347. ſanciret, ne qui illegitimos natales ſunt ſortiti, quamvis miſericorditer à Sede Apoſtolica fuerint diſpenſati ad Eccleſiaſtica beneficia, earumdem tamen Sedes fœdare auderent; Quantò enim illæ cæteras Orbis Eccleſias majori dignitate præcellunt, ut qui Principes, & Magiſtræ meritò exiſtimentur plauſu, tanto debent honeſtiori decorari obſequio Miniſtrorum, ut hic ait Gregorius noſter.

2 Neque planè præfati Illegitimi ad Eccleſiaſtica officia, & beneficia diſpenſari, ſibi in animum ducere debent, quòd Apoſtolica diſpenſatio omnem maculam penitùs abſtergat, adeòut ipſi, quaſi ſuis naturalibus reſtituti, & prorſus regenerati, nec vocabulum Illegitimi mereantur, adeòut reputari debeant perinde ac ſi ex legitimo thoro nati ſint, juxta ſenſus Imperatoris in *leg. Imperialis §. præſenti C. de nuptiis, leg. interdum, leg. quæris, leg. fin. ff. de nat. reſtit.* Diſpenſatio namque ſuper defectu natalium Illegitimi maculam non abluit, nec in integrum reſtituit, ſed tantùm vulnerat, ſeù ſuſpendit Jus, quod Illegitimos inhabiles, & irregulares reddit ad beneficia, ut remoto impedimento nihil obſtet, quominùs eadem beneficia aſſequi poſſint, itaut per eamdem tollatur cauſa irregularitatis, non ipſa illegitimitas, ut poſt Prob. *ad Monach. in cap. 1. num. 12. de fil. presbyt. in 6.* Bald. *in cap. cum in cunctis n. 8. de elect.* docet Lotter. *de re Benef. lib. 2. qu. 48. num. 120.* & facit Fagnan. *in eodem cap. cum in cunctis num. 36. & cap. dilectus num. 4. de temp. ordin.* Vis enim propria diſpenſationis non percutit factum, quod per ſe non obſtat; ſed Juris effectum producentem impedimentum; diſpenſare enim nil aliud eſt, quàm legem ſolvere, ſeù relaxare, ut communiter deſcribunt Canoniſtæ, & Gloſſ. *in can. requiritis prima quæſt. 7. can. ipſa pietas 23. quæſt. 4.* Lotter. *cit. lib. 1. quæſt. 40. num. 179.* Unde notabiliter firmavit Rota *in deciſ. 272. per tot. part. 2. diverſ.* confeſſionem, quòd quis eſſet Illegitimus, ritè tamen diſpenſatus, poſſe dividi; nam quantumvis fuerit diſpenſatus, nihilominus ſemper verum eſt, quòd remanet Illegitimus.

3 Quantumvis itaque Illegitimi à Sede Apoſtolica, juxta ſuæ charitatis ingenium, diſpenſationem ad beneficia,

Digitized by Google

ficia, & officia conſequuti fuerint, obliviſci non debent, quod eorumdem nomen ignominioſum, & inhoneſtum eſt in memoria hominum, abominabile, & maledictum à Deo; ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur, ait Dominus Sapient. *cap.* 3. *&* 4. Progenies damnatorum dicitur in Conc. Tolet. *relat. in can. cum multa* 15 *quæſt.* 7. & expreſsè quod ex legibus humanis infames, maledicti ex divinis teſtimoniis habeantur, teſtatur Calixtus Papa in *can. conjunctiones* 35. *quæſt.* 2. & tandem brevi verborum circulo admodum in eoſdem invehitur Bonifacius Papa, in *can. ſi gens diſt.* 56. dum dixit: *Genus hoc ignobile, libidine furens, nec in Bello forte, nec in fide ſtabile, nec honorabile hominibus, nec Deo amabile.*

4 Verùm ab his improperiis in hanc hominum miſerrimam conditionem aliquando nos converſi, potiùs eamdem compati, quàm deteſtari adducimur; naſci enim de adulterio non eſt ejus culpa, qui naſcitur, ſed illius qui generat, quemadmodum in ſœminibus non peccat terra, quæ conſovet, non ſemen, qui in ſulcis naſcitur, non humor, vel calor, quibus temperata in germen pullulat, ſed verbi gratia fur, & latro, qui fraude, & vi eripit ſemina, ut ait D. Hieron. *in Epiſtola contra Ruſinum*; non eſt itaque omninò nec de virtute, nec de vitio Parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus; nemo inde aut obſcurus, aut clarus eſt, juxta monitum S. Jo: Chriſoſtom. *ſuper Matthæum homil.* 4. unde optimè Card. Paleottus *de Noth. & Spur. cap.* 55. Chriſtum Dominum non ſolùm de alienigenis commixtionibus, ſed etiam de adulterina ſtirpe profectum non aliud indicaſſe, ſcribit, niſi ut Nos erudiret, quàm falleret quiſquis tale hominum genus, ceù vile, & turpe averteret, & concordat D. Hieronym. *in can. Dominus diſt.* 56. Neque paternæ incontinentiæ nota Illegitimi inuri debent, qua abominabiles apud Deum, & homines redduntur, ut rationem tenere præſumunt DD. ex quo filii non tantùm corporis ſubſtantiam, ſed genium, & animi effectus, virtutes ſcilicet, & vitia à Parentibus deſumant, juxta illud in propoſito.

Et Patris ignoti abeunt cum ſemine mores. & Cic. *lib.* [illegible] *apud Cecinnam* aſſerit, Filium eſſe imaginem animi, & Corporis Patris, cùm mali corvi, malum ſit ovum, & rectè probum ab improbo non poſſe naſci filium, Strobæus *ſerm.* 88. & aliis teſtimoniis exornant Gonzalez *in cap.* 1. *de fil. Presbyt. num.* 7. Barboſa *in can. ſi gens diſt.* 56. Franceſ. *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 28. *num.* 80. Eſcobar. *de puritate Sanguinis part.* 1. *quæſt.* 1. §. 4. Teophil. Raynaud. *tom.* 3. *tract.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 3. Siquidem hujuſmodi, & ſimiles aſſertiones, vel omninò erroneæ, vel ſaltem cum grano ſalis ſunt intelligendæ, magis enim noſtris Catholicis principiis conſonat, quod peccata, & vitia Parentum, præter primum per originem, nullimodò in filios traducantur, cùm homo generet ſibi ſimilem in ſpecie, non autem ſecundùm individuum, quamobrem perſonales actus, & qui ad eos pertinent, non corrumpentes naturam, in quo natura eſt, ſed ſolùm in quantum ad id, quod perſonæ eſt, non communicantur per generationem filiis, ut ratiocinatur D. Thom. *part.* 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. & in propoſito, aureo dicto Illegitimos vindicat à prædicta nota D. Hieronym. *in cit. Epiſt. contra Ruſinum in fine*, ibi: *Quia non in ſeminibus, ſed in voluntate naſcentis cauſa vitiorum eſt, atque virtutum,* & fuſiùs D. Auguſt. relatus in *can. undecumque diſt.* 56. aſſerit: *Semen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura eſt, & eo malè utentibus malo erit, non ipſum aliquando malum eſt, ſicut autem boni filii adulterorum nulla eſt defenſio Adulterii, ſic mali filii conjugato-*
5 *rum nullum eſt crimen nuptiarum:* Et quidem non ipſa experientia demonſtrat, quòd innumeri ferè Illegitimi non tantùm Parentum exempla non ſunt ſequuti, quinimò Viri præſtantiſſimi evaſerunt, tàm in litteris, quàm in armis, & ob vitæ innocentiam ad ſupremos gradus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ fuerunt ſublimati, quos per Cathalogum referunt Alciatus *libr.* 10. *Parergon. cap.* 8. Tiraquell. *de nobil. cap.* 15. *num.* 3. Card. Paleott. *de nothis, & ſpuriis cap. fin.* Gregor. *de Republ. lib.* 7. *cap* 8. Rujas *de ſucceſſ. cap.* 15. *num.* 31. Chaſſan. *in conſuet. Burgund. rubr.* 8. *cap.* 3. *n.* 8. Unde cecinit *Statius*:

Vidi ego tranſertos alienos in robore ramos,
Altius ire ſuis.

Undecumque igitur, & ex qualicumque concubitu 6
homo naſcatur, nulla reprehenſione infectari poteſt, ſi Parentum vitia non ſequatur, ut ait D. Auguſt. *in cit. canon. undecumque*, cùm non Parentum iniquitas, ſed propria quemque condemnet, *can. ſponſus, cum can. ſequenti, & can. Iſmael diſt.* 56. & D. Jo: Chryſoſt. *ſuper Matthæum homil.* 4. ſcripſit: *Non eſt omnino nec de re virtute, nec de vitio Parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus, nemo vero indè aut obſcurus, aut clarus eſt, nunquam itaque de vitiis erubeſcamus Parentum, ſed illud unum quæramus, & ſemper amplectamur virtutem videlicèt hujuſmodi, etiamſi alienigenam quis habeat matrem, etiamſi fornicatione pollutam, vel quolibet dedecore ſordidatam, nihil tamen aut utilitate fuſcatur, aut crimine polluetur, quod ſi fornicatorem ipſum ad meliora converſum nequaquam prior vita commaculat, multò magis ex Meretrice natus, & Adulterio, ſi propria virtute decoretur, parentum ſuorum non dedecoratur opprobriis:* Neque pigebit, quod Innocent. III. Arelatenſi Epiſcopo reſcripſit, in propoſito afferre, in *cap. niſi de renunc.* §. *non tamen, in fine*, ubi ſanciendo, indultum cedendi Epiſcopatui concedendum non eſſe Epiſcopo, quia ex illegitimo concubitu ſit natus, ſi laudabilem vitam vixerit, rationem reddit: *Ego ſum, inquit, Deus Zelotes, viſitans peccata Patrum in filios, uſque in tertiam, & quartam generationem in iis, qui oderunt me, ideſt in illis, qui contra me paternum odium imitantur. Unde patet, quod illis, qui paterna vitia non ſequantur, propriè poſſint in talibus ſuffragari virtutes, illo diſcretionis adhibito moderamine, ut inter Nothos, & Manzeres, naturales, & Spurios diſtinguantur:* Quibus equidem fundatiſſimis rationibus lepidè alludere libeat cum *Soffocle.*

Legitima eſt natura viris, quibus optima natura eſt.

Legitimi, inquam, & habiles ad quaſcumque, etiam 7
Eccleſiaſticas dignitates in primis Eccleſiæ ſæculis habiti fuerunt, ex quocumque nati concubitu, dummodò moribus, & virtute commendarentur, quòd ſi Parentum vitia ſectari maluiſſent, tunc quidem ob improbos mores, non verò ob natalium defectum à Sacris arcebantur Ordinibus, ut concludit Gonzalez *in cap.* 1. *num.* 8. *de fil. Presbyt.* Thomaſſin. *de veter. & nova Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 84. *num.* 15. §. *hinc porrò*; Injuſtè enim impeditur honor, & dignitas ejus, qui nihil reati admiſit, ut dixit J. C. ad probandum, quod Spurii, Decuriones fieri valent, in *leg. Spurii ff. de decurion.* Adeòut meritorum, & virtutis excellentia origini poſtpoſita, ſuperbè potiùs, quàm ſupernè titulum nativitatis objici, ad excludendos Illegitimos ab Eccleſiaſticis dignitatibus, in propoſito ſcripſit Stephanus Tornacenſis *in Epiſt.* 69. ad Lucium III. Papam, deteſtando nonnulla ſtatuta cujuſdam Cleri, quibus moliebatur, Illegitimos ab ejuſdem Collegio excludere, cujus Epiſtolæ verbo non pigebit hìc referre: *Et quoniam in Regno Francorum aliquæ Eccleſiæ quadam ſcrupuloſa nobilitate, glorioſam, ut exiſtimant, conſuetudinem, ſibi aſſumpſerunt, ne aliqui niſi ex legitimo, & licito complexu geniti promoveantur in eis, meritorum, & virtutis excellentiam origini poſtponentes, prædicto Cancellario ſuperbè potiùs, quàm ſupernè titulum nativitatis objiciunt, ne vel ad eos accedat, vel inter eos aſcendat; eorum Pater legibus Romanæ Eccleſiæ non ſubditur, potens ſi voluerit vel eis derogare in partem, vel eas penitùs abrogare; ſolvatur in eis, ſi placet, Apoſtolica manu vinculum, quod excluſa virtute nativitatem includit.*

Verùm quidquid ad ornatum noſtræ Conſtitutionis 8
hucuſque præfati ſumus, methodicè nunc diſcurrendo, certum eſt, quod Eccleſia Dei, ſivè Filium ob Patrem,
ſivè

Digitized by Google

ſivè Patrem in Filio abhorreat, patientes defectum legitimorum natalium ab ordinibus, & conſequenter à Beneficiis iteratis ſanctionibus repellit, tamquam irregulares, ob defectum, *in cap. ut filii, & cap. nimis de fil. Presbyt. & cap.1. & 2. eodem tit. in 6. cap. innotuit. de elect. cum concord. Concil. Trident. ſeſſ.22. cap. 20. de reform. & ſeſſ.23. cap.5. de reform.* & communiter Repetentes *in cit. cap.1. & per tot. tit. de fil. Presbyt.* Lotter. *de re benef. lib.2. quaſt.48.* Garz. *eodem tract. par.7. cap.2.* Pax Jord. *lib.10. tit.18. num.1. cum ſeqq.* Campanil. *in diverſ. Jur. can. rubr.11. cap.13.* Bellett. *diſquiſit. Cleric. part.1. §. 3.* Rebuff. *in praxi diſpenſ. ex defectu natalium num.48.* Gibalio. *de Irreg. par.1. quaſt.3. cap.1.* Majol. *eodem tract. cap.4. lib.1.* Albert. *de perfecto Clerico libr.2. cap.1.* rejiciendi tamen ſunt, qui hanc irre-
9 gularitatis ſpeciem à Jure Divino promanare autumant, explicato in *cap. 23. Deuteron.* ubi Manzeres, & ſpurii prohibentur in Eccleſiam Dei intrare, uſque ad decimam generationem, ſequentes Lambertin. *de Jurepatr. lib.2. par.1. quaſt.7. art.11. num. 2. & 3.* quandoquidem Textus ibi nomine Eccleſiæ, vel Cœtum Iſraeliticum, vel Collegium Seniorum. Jus adminiſtrantium deſignavit, ut explicant Interpretes, unde ad ſolum Populum Hebræorum ejuſmodi legem latam fuiſſe probat Azor. *Inſtit. moral. par.2. lib.6. cap.2. quaſt.ult.* & ſequitur Pax Jordan. *in cit. tit.18. num.2.* Sperell. *deciſ.175. num.106.* ubi ait, nullam cadere difficultatem quòd hujuſmodi irregularitas ſit de Jure poſitivo, optimè, inquam, nam tantum ab eſt quod Jure Divino patientes defectum natalium ab Eccleſiaſticis ordinibus, & Beneficiis arceantur, quinimò ut ſupra *num.7.* diximus, in primitiva Eccleſia prorſus nova, inaudita, & inuſitata hujuſmodi Irregularitatis ſpecies fuit, adeòut illegitimi abſque ulla diſpenſatione uſque ad finem decimi, ſeù, ut alii malunt, duodecimi Sæculi ad Eccleſiaſticas Dignitates promoti fuerint, ut colligitur ex Gratian. *diſt. 56.* Urba-
10 nus enim II. omnium primus ſtatuit, ne filii Presbyterorum Sacris Ordinibus initiarentur, niſi in Cœnobiis, aut Canoniis regulariter viverent, quàm prohibitionem poſteà Patres Pictavienſis Concilii *can.9.* ſub Paſchali II. ad filios quoſcumque ex illegitimo concubitu natos protraxerunt *relat. in cap.1. de fil. Presbyt.* hiſque jactis hujus rei principiis innumeri ferè Summi Pontifices, & Concilia hujuſmodi Irregularitatem ex defectu legitimorum natalium induxerunt, ut recenſet Gonzalez *in*
11 *cit. cap.1. num.8. de fil. Presbyt.* Quin etiam priſcis in noſtro Jure DD. non ſatis perſpectum erat, an ex fornicatione geniti poſſent ad minores Ordines liberè promoveri, cùm ex *Text. in cit. cap.1. de fil. Presbyt.* ſolummodo eiſdem prohibeatur aſcenſus ad Sac. Ordines, ex hinc inde deductis ab Innocent. *in cit. cap.1. & cap. litteras eodem tit.* & notat Campanil. *in diverſ. rubr.11. cap.13. num.80.* hodie verò comperiſſimum eſt, quòd iidem illegitimi ad quoſcumque etiam minores Ordines abſque diſpenſatione promoveri nequeunt, ex *cap.1. de fil. Presbyt. in 6.* & firmat Fagnan. *in cap. ut filii n.3. de fil. Presbyt.* Rota *deciſ.207. num.7. coram Seraphin.*

12 Hujuſmodi igitur Irregularitate afficiuntur Illegitimi, ſivè eorumdem defectus notorius ſit, ſivè prorſus occultus, itaut ab omnibus pro legitimè genitis habeantur, & ad refellendum, qui contrarium docent, ſat eſt dicere, quod ſine Textu, & ratione loquantur, ut ſcribit Azor. *Inſtit. moral. par.2. cit. lib.6. cap.4. quaſ.23.* Fagnan. *in cit. cap. ut filii num.7.* Silveſter *verb. Irregularitas, & verb. Illegitimus num.1.* Pax Jordan. *citat.*
13 *lib. 10. tit. 18. num. 21.* Nunquid autem quis in dubio teneatur ſe credere illegitimum, & ſe uti Irregularem gerere; poſthabitis Moralium DD. opinionibus, lata manu congeſtis in puncto à Sperell. *in deciſ.175. per tot.* cum noſtris tamen Canoniſtis tutiùs dicendum eſt, quod in hujuſmodi dubio titubans, tenetur ſe, & conſcientiam ſuam informare. juxta diſpoſitionem Juris, antequam actum Irregulari prohibitum attentet, deindè vel ſcrupulum omninò deponere, juxtà prudentis Viri judicium, vel ſi læſam conſcientiam ſedare non valeat, ad S. Sedem Apoſtolicam confugere pro diſpenſatione ſaltem ad cautelam, quam facilè obtinebit, ut conſulit Fagnan. *in cit. cap. ne filii num.8. & 10.* Navarr. *conſ.1. de filii Presbyt.* & ipſemet Sperell. *in cit. deciſ.575. numer.115.* Vera enim, & ineluctabilis eſt concluſio, 14
quòd in dubio facti quis tenetur pro Irregulari ſe gerere ad effectum abſtinendi, & ceſſandi ab opere Irregularibus prohibito, propter periculum ædificandi ad gehennam, ut expreſsè deducitur, *ex cit. cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti 2. de homic.* & ſat eſt unum allegare Garziam latè hanc ſententiam fulcientem, *lib.7. cap.2. à num.12. ad 26.* & ſpecialiter *num.18.* Siquidem juxtà regulam receptam de tutiori parte in dubio eligenda in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, in noſtra hypoteſi tutiùs eſt abſtinere, *cap. ad aures de tempor. Ordin. cap. per tuas de ſentent. Excommun. cap. juvenis de ſponſal.* Porrò autem levi admodum fundamento firmant aliqui DD. quod ſpeciale ſit in dubio homicidii, ut quis tamquam Irregularis habeatur, quia *Text. in cit. cap. ad audientiam, & in cap. ſignificaſti* hujuſmodi regulam in propoſito homicidii firmat, quamobrem ad alios caſus non ſit extendenda, ex adductis à Navarr. *in can. ſi quis num.41. de pœnitent. diſt.7.* nam loquitur de homicidio ex contingentia caſus propoſiti; cœterum legenti patet, quod deciſionem non firmat ex peculiari indecentia, quàm homicidium habet ad res Sacras, ut dicti DD. ſupponunt, ſed ex generali principio ſupra allato, ſcilicet in dubio, quod tutiùs eſt eligendum, unde ad latitudinem rationis extendi debet, ſeù potius comprehendit dubium cujuſvis generis Irregularitatis, ex notiſſimis principiis, ut latè perpendit Fagnan. *in cap. ne innitaris num.221. & 222. de Conſtit.* & quod dicti Textus peculiare, & novum Jus in materia homicidii non inducant, firmat Garz. *loc. cit. num.18.* nec
tandem in propoſito eſt prætereundum, quod ad hujuſ- 15
modi inducendam Irregularitatem ſufficit, ut quis ſit publicè nota illegitimitatis inuſtus apud probos, & graves Viros, dummodò tamen famæ initium ex malignitate invidorum, & æmulantium proveniſſe non conſtet, ex Textu expreſſo in *cap. accedens de purgat. Canonica,* & ibi omnes repetentes. Tunc verò ſic infamatus, ut ab Irregularitate ſe expediat, non tenetur ſe probare legitimum, ſed ſufficit quod purgatione Canonica ab hujuſmodi macula ſe abſtergat, ut ex dicto *cap. accedens* firmant Maſcard. *de probat. tom.2. concl.882. num.7. & 10.* Pax Jordan. *in cit. tit.18. num.21.* Sperell. *deciſ.173.*
num.61. cum ſeq. & n.69. Quamvis autem, qui ſe Cano- 16
nicè purgat, regulariter jurat expreſsè affirmando, ſe notæ, vel ſceleris ſibi addicti immunem prorſùs eſſe, ex forma tradita in *cap. quoties verſus fin. de purgat. Canon.* Veruntamen ſingulare eſt in noſtro caſu, quod ad purgationem ſufficiat juramentum præſtitum ſuper credulitate, quod ſcilicet ex legitimo concubitu genitum ſe credere affirmet, ut contra Gloſſ. *in cit. cap. accedens,* firmantem, hujuſmodi purgationem fieri debere, probando ſe filium ex Matrimonio, quam ſequitur Pax Jordan. *loc. cit. num.22.* optimè tenet Abbas *in cit. cap. accedens num.5.* & ex Hoſtien. Socein. & Aneharan. Sperell. *in cit. deciſ.173. num.66.* ſiquidem nemo ex certo Parente ſe genitum affirmare poteſt, ut dixit Homerus *lib.1. od.*

Nondum aliquis ſuum genitorem ipſe novit.

Unde Scenicus apud *Terent.* ſcitè reſpondit, *Patrem te eſſe credo*, quod ſi Pater ulteriorem probationem exigeret, tamquam impoſſibilem rejecit J. C. in *leg. Lucius ff. de Condit. & demonſtr.* in caſu inſtitutionis hæredis, dummodò ſe filium ſuum probaret, & latè ediſſerunt Duran. *de Condit. & mod. impoſſib. part.3. cap.3.* Card. Pallcott. *de nothis, & ſpur. cap.21.* Menoch. *de arbitrar. cent.1. caſ.89.*

Ex dictis itaque patet, Illegitimum ab Altaris Mini- 17
ſterio prorſùs à Sacr. Canonibus removeri, & conſequenter quæcumque Beneficii proviſio, etiam à Sede Apoſtolica ab illegitimo impetrata, abſque mentione natalium defectus, tamquam ſubreptitia, eſt ipſo Jure nulla, ut firmant DD. ex *cap.1. & 2. de fil. Presbyt. in 6.* cum literæ Apoſtolicæ tacitam hanc condicionem habeant, *dummodò impetrans legitimus ſit*, ut recenſet Majol. *de Irregul. lib.1. cap.4. n.2.* & Pallcot. *de nothis &*

ſpur.

ſpur. c. 57. n. 5. Lotter. *de re benef. lib. 2. quæſt. 48. nu. 12.* quamobrem in nihilo ſuffragantur clauſulæ ampliſſimæ, etiam quod omnes obſtantiæ Oratoriis habeantur pro expreſſis; nam notabile, eſt, quod natalium defectus debeat ſpecialiter exprimi, neq; ſub volucro verborum cenſeatur diſpenſatus, ut latè firmat, & rationem aſſignat Rota *in dec. 271. lib. 1. cor. Puteo per tot.* quod ſi verò Illegitimus auſu temerario de facto ſe ordinari curet, & in ordinibus ſuſceptis miniſtret contra iteratam prohibitionem Sac. Canonum, graviter peccat, ut per DD. in *c. fin. de Cleric. excomm. miniſtr.* Sed denuonè aliam ſuſpenſionem, & Irregulari-
18 tatem incurrat, adeòut duplici indigeat diſpenſatione, operæ nunc pretium eſt quærere; Quamvis verò pro concludendo novo incurſu non leve videatur fundamentum, quod cùm Irregularitas non tantùm inhabilitatem producat ad Ordines ſuſcipiendos, verum etiam eorum exercitium impediat, unde ſuſpenſionem in ſe includere dixit Fagnan. *in c. niſi nu. 80. verſus finem, de Renunc.* quapropter Irregularis, ſi de facto Ordinem ſuſcipiat, remanet in ipſo ſuſpenſus, ut communiter docent DD. ex *c. Presbyterum, cap. continebatur, c. ſuſcepimus, c. ſicut, & c. ad audientiam de homicid.* ſuſpenſum autem celebrando ante ab-
19 ſolutionem, irregularitatem contrahere indubium eſt, *ca. poſtulatis, c. ſi celebret de cleric. excom. miniſtrante, c. cum dilecta de reſcriptis*; His tamen non obſtantibus dicendum eſt, quod Irregularis ex defectu natalium, Ordines ſuſcipiendo, & in ſuſceptis miniſtrando, novam ſuſpenſionem, & irregularitatem non contrahit, Archidiac. *in can. Apoſtolica num. 1. diſt. 56.* Bonacina *tom. 1. de Irregularitate diſp. 2. quæſt. 2. punct. 3. nu. 13.* Rebuff. *in praxi benef. de diſpenſ. ſuper defectu natalium n. 13.* Azor. *inſtit. moral. par. 2. lib. 6. cap. 4. quæſt. 25.* ubi ſubdit, quod Illegitimus in petitione diſpenſationis, ut à vitio originis purgetur, non tenetur exprimere, ſe Ordines de facto ſuſceptos exercuiſſe, ſed ſufficit quòd ſimpliciter exponat, ſe ſpurium eſſe, Corrad. *in praxi diſp. lib. 3. c. 5. n. 7.* ſibi tamen contrarius circa hujuſmodi ſtylum ſupra in *c. 1. n. 30. §. quapropter.* Ratio autem hujus aſſertionis non eſt deſumenda, quod in noſtro caſu agitur de ſuſpenſione ex defectu, in qua mitius convenit procedere, etſi aliud eſſet dicendum in terminis ſuſpenſionis ex delicto; verum ab illo generali principio eſt petenda,
20 quod Irregularitas Irregularitatem non parit, dummodò cenſuram non habeat adnexam, vel niſi in Jure ſit expreſsè cautum; qui enim dicit aliquem Irregularem, debet aſſignare caſum Juris, ut firmant generaliter Fagnan. *in c. ſi quis n. 4. & 5. de Cler. excom. miniſt. & a nobis n. 24. de ſent. excom.* Gibalin. *de Irregularitate c. 1. qu. 2. nu. 3. §. propterea*; In noſtro autem caſu nec in jure eſt expreſſum, quod Illegitimus Ordines ſuſcipiendo, & in ipſis miniſtrando novam Irregularitatem incurrat, ut teſtantur DD. ſupra allati, neq; Irregularitati ex defectu reperitur adnexa Cenſura Eccleſiaſtica, quæ eſt pœna, & quidem gravis delicti, *can. nemo el 2. 11. q. 3. can. corripiantur 24. q. 3.* Capella Tholoſan. *dec.* 298. Atque tandem non urget ſupradicta objectio, cùm licèt Irregularis de facto Ordinatus remaneat ſuſpenſus ab Exercitio Ordinis ſuſcepti, hujuſmodi quidem ſuſpenſio intelligi debet pro quodam canonico impedimento ex Irregularitate ipſa producto obligante ſub pœna mortalis reatus; non verò pro ſuſpenſione, prout eſt una ex tribus Cenſuris Eccleſiaſticis, in cujus violatione tamquam in pœnam contrahitur Irregularitas, quæ ultra impedimentum exercitii, includit etiam incapacitatem, ut explicat Tolet. *in ſumma lib. 1. c. 72. n. 8. & 9.* & ſequitur Pax Jordan. *de re Sac. lib. 3. tit. 6. nu. 393.* & in terminis illegitimi Bonacina *cit. n. 3. punct. 13.*

Poſt datam verò ſuperiùs cognitionem circa Ille-
21 gitimorum Irregularitatem, noſtrum nunc erit ſubnectere, quomodo ab hoc impedimento expediantur; ſiquidem tres caſus Juris invenio, in quibus Illegitimi habiles fiunt ad Ordines, vel ſcilicet per Regularem profeſſionem, ex *Tex. in c. ut fil. de Presby.* vel per legitimationem, ſivè obveniat ex ipſa per ſubſequens Matrimonium, ſivè per reſcriptum Principis Eccleſiaſtici, ex *Tex. in ca. tanta, qui fil. ſint legitimi* & ibi *Gloſs.* vel tandem per ſimplicem diſpenſationem ab habente ad id poteſtatem, ex *Textu in c. 1. & finali de fil. Presbyt.* Circa verò primum relatum modum hic non eſt immorandum, cùm propriam ejuſmodi tractationis ſedem habeamus *in Conſt. 71.* Sixti V. *incip. Cum de omnibus*, qua cavetur, ne Illegitimi ex certo ibi expreſſo damnato complexu geniti, ad quamcumque Religionem admittantur, niſi ad habitum converſorum, ſivè famulorum, & in *Conſt.* 3. Gregorii XIV. *incip. Circumſpecta*, ubi moderatur, & ad terminos juris reducitur præfata Sixtina Conſtitutio. De legitimatione itidem alibi ſum verba facturus, & ſpecialiter in *Conſtit.* 15. Julii II. *& in Conſtit.* 45. Pii IV. in quibus legitimandi facultas conceditur Comitibus Palatinis, & Scriptoribus Archivii Romanæ Curiæ; Quapropter de Illegitimorum diſpenſationibus hic diſſerendo, primùm
animadvertere operæ pretium eſt, quod licèt diſpenſa- 22
tio ſuper defectu natalium ad effectum diſpenſatum idem operetur, quod legitimatio ipſa, & plena reſtitutio natalium, juxtà opinionem Rotæ communiter receptam *in dec. 3. de fil. Presbyt. in antiquis*, & facit Abbas *in c. per venerabilem nu. 12. qui fil. ſint legitimi*. Verumtamen non eſt hic confundenda legitimatio cum diſpenſatione, ut notat Majol. *de Irregul. lib. 1. c. 8.* nam toto Cœlo inter ſe diſtant; legitimatio enim tamquam favorabilis omnem maculam Illegitimi abſtergit, ac prorſus regenerat, & ad omnes effectus, ſeu quaſi dicam diſpenſationes ſe extendit, ad quas ſe protrahit poteſtas legitimantis; Diſpenſatio verò eſt arida, & odioſa, quæ nec notam illegitimitatis abſtergit, nec priſtinis naturalibus reſtituit, ut ſuprà latè probavimus, ſed dumtaxat elidit effectum Illegitimitatis juxta verba diſpenſationis in ſubjecto diſpenſato; ideòque tantum valet quantum ſonat, ut latiùs conſiderant Corrad. *in praxi diſp. lib. 1. c. 1. n. 5. §. ſed hic* Gambar. *de poteſt legat. à latere lib. 7. nu. 364. cum ſeqq.* Lotter. *de re benef. lib. 2. quæſt. 48. nu. 116. cum ſeqq.* Bonaccina §. 1. *de Irregularitate diſp. 7. qu. 2. punct. 3. n. 14.*

Hinc planè conſequitur, quod diſpenſatio ſuper defectu natalium, primo actu conſumitur, vel melius dicam, includit dumtaxat primum actum ſubſequentem, eoque expleto, ipſa extinguitur, ut ex *c. is qui de fil.*
Presbyt. in 6. firmant communiter Doctores, inter 23
quos Paſſerin. *ibid. num.* 10. Lotter. *cit. qu. 48. n. 23.* Corrad. *in praxi benef. lib. 2. c. 12. nu. 118. & 123.* ubi notabiliter firmat, quòd ſi illegitimus diſpenſatus ad beneficium, ſua culpa indebitè illud receperit aliud beneficium obtinere non poterit, & remanet fruſtratus effectu diſpenſationis, tamquam in primo actu malè conſumptæ, ſecus verò ſi culpa vacet, cum diſpenſatio ceſſante dolo debeat intelligi cum effectu,
Franch. *in c. 1. nu. 1. & 13. de fil. Presb.* Item hujuſ- 24
modi diſpenſationes nunquam comprehendunt caſus conſimiles, eoque minus extenduntur ad majores, *c. 1. de fil. Presb. in 6. cap. non poteſt de præbend.* Felin. *in c. poſtulaſti n. 8. de reſcriptis*, an verò cui conceſſum eſt majus, cenſeatur etiam diſpenſatus in minori, quidquid dicant indiſtinctè Doctores, incontrovertibiliter amplectendam eſt opinio Campanil. *in diverſ. rub. 11. c. 13. n. 91.* quod ſcilicet nunquam intelligitur quis habilitatus ad id, quod minus eſt ex diſpenſatione obtenta in majori, niſi illud minus comprehenſivè, & neceſſariò includeretur in majori, vel eſſet ejuſdem neceſſarium conſecutivum, & dependens, juxta caſus Gloſſ. *in c. non poteſt. de præb. in 6. cum concord.* & facit Fagn. *in c. quia in tantum n. 20. & ſeqq. de præb.* Rota *in dec. 353. n. 14. & 15. cor. Ludoviſ.* Corrad. *de diſp. lib. 1. c. 6. n. 3. 16. & 24.* Ex quibus profectò binis generalibus regulis in noſtro propoſito concludendum, eſt, quod
Illegitimus diſpenſatus ad beneficium, nequit niſi uni- 25
cum obtinere, ex Textu expreſſo in *c. 1. de fil. Presby.* Ita diſpenſatus ad certum Ordinem, in ejuſdem ſuſceptione conſumitur diſpenſatio, Bonaccin. *cit. diſp. 2.*

punct. 3. *num.* 14. §. *advertendum*; ſimpliciter verò
26 habilitatus ad Ordines, intelligitur tantùm diſpenſatus ad minores, niſi aliter de mente diſpenſantis conſtet, Paſſarin. *in c.* 2. *n.* 7. *de fil. presbyt.* & Barboſa *nu.* 8. Bonaccin. *loc. cit.* Campanil. *in cit. c.* 13. *n.* 95. Azor. *Inſt. mor. par.* 2. *lib.* 6. *c.* 3. *q.* 6. utique tamen, ſi Illegitimus eſſet habilitatus ad Sacros Ordines, poſſet per minores ad eoſdem aſcendere, niſi tamen aliquis ex minoribus ſonaret in privilegium exemptionis, Dignitatis, ut de Acolytatu eſt caſus in *dec.* 8. *par.* 1. *& dec.* 70. *part.* 2. *coram Caputaquen.* & aſſertionem firmant Campanil. *in cit. c.* 13. *n.* 93. Adden. *ad dec.* 2. *de fil. Presbyt. in novis*, & alii DD. communiter, & vide, quæ dixi *to.* 3. *Conſt.* 14, Innocentii IV. *n.* 15. Porrò hic quæres, an Illegitimus diſpenſatus ad Ordines cenſeatur habilitatus ad beneficia; verùm quia non eſt hic nobis o-
27 tium controverſam aſumere diſputationem, ſufficiat in propoſitum ſententiam tamquam communem indicare, de qua penes Abbat. *in c. literas de fil. Presb. num.* 3. Paſſarin. *in c. ſi is n.* 8. *eodem tit. in* 6. Bellet. *diſquiſ. Clerical. par.* 1. §. 3. *nu.* 37. Rebuff. *de diſpenſ. ſuper defectu natal. n.* 48. Navarr. *conſil.* 3. *q.* 5. *de fil. Presbyt.* Campanil. *in cit. c.* 13. *n.* 96. Azor. *Inſtit. moral. cit. c.* 3. *qu.* 4. Pro comperto tamen eſt, quod defi-
28 ciens in natalibus, habilitatus ſimpliciter ad Beneficium, non niſi ad ſimplex dicitur diſpenſatus; ideòq; nec Canonicatus, neque beneficia curata poteſt ambire; Quòd ſi diſpenſationem eſſet conſequutus ad quæcumque beneficia etiam curata; attamen ad perſonatus, & Dignitates nequiret promoveri; & tandem in diſpenſatione ad dignitates, & perſonatus, non comprehenduntur Dignitates majores, & primæ poſt Pontificalem, multoque minùs Epiſcopatus, qui propter excellentiam, & præeminentiam eſt ſpeciali nota dignus; & latiùs caſus enumerant Paſſarin. *loco mox cit. num.* 19. Pax Jordan. *cit. tit.* 19. *nu.* 70. Corrad. *in praxi diſp. lib.* 2. *cap.* 6. *& lib.* 2. *c.* 5. Campanil. *in cit. c.* 13. *n.* 96. *cum ſeq.* Axor. *cit. c.* 3. *q.* 4. *cum ſeqq.* Bellett. *in cit.* §. 3. *n.* 38. *cum ſeqq.*

Pauliſper autem eſt immorandum, dum conſequen-
29 ter ad prædicta diſceptandum occurrit, an ſpeciali, & expreſſa diſpenſatione indigeat Illegitimus, ut obtinere valeat Eccleſiaſticam penſionem; Quamvis enim Gigas *de penſion. qu.* 18. *&* 19. *per tot.* ejuſque Aſſeclæ non ſolùm ex profeſſo concludant pro affirmativa, verùm etiam firment, Illegitimum etiamſi ad beneficia ſimplicia, & curata, & ad alia quæcumque diſpenſatum, penſionem tamen conſequi non poſſe, pluribus adductis rationibus. Nihilominùs tamquam
30 communis amplectenda eſt opinio à Rota perpetuò recepta, quod Illegitimus ad Eccleſiaſticam penſionem conſequendam nulla indiget diſpenſatione ſuper defectu Natalium, quapropter ſi ad primam ſaltem clericalem tonſuram ſit diſpenſatus, proculdubio abſque alia habilitatione penſionem obtinere valet, ut firmat Corrad. *in praxi diſpenſat. lib.* 2. *c.* 1. *nu.* 17. ubi ſuperfluam, & non neceſſariam dicit hujuſmodi ſupplicationem ad penſiones, quæ à nonnullis primam opinionem ſectantibus in Dataria porrigitur, Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. §. 5. *num.* 24. Bellett. *diſquiſ. Cleric. par.* 1. §. 3. *num.* 29. Gratian. *diſcept.* 218. *nu.* 64. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 40. *n.* 143. Ricc. *in praxi par.* 2. *reſol.* 445. *num.* 3. Rota *in dec.* 425. *n.* 1. *par.* 1. *diverſ. & in dec.* 549. *par.* 2. *rec. & in dec.* 1264. *nu.* 2. *cor.* Seraphin. *& in dec.* 264. *n.* 3. *& dec.* 569. *n.* 7. *cor. Penia*, *& in dec.* 31. *n.* 8. *cor. Coccin. & in dec.* 53. *n.* 2. *cor. Buratt. & in dec.* 117. *n.* 4. *&* 18. *cor. Duran. & in dec.* 278. *ferè per tot. cor. Merlino*; Ratio ſiquidem hujus aſſertionis indè potiſſimè deſcendit, quod Illegitimus non eſt penſionis incapax ratione Illegitimitatis, ut contra *Gigantem*, quem ſequutus eſt Campanil. *in diverſ. Jur. can. rub.* 11. *c.* 13. *n.* 64. firmant omnes relati DD. & ſpecialiter Lotter. *n.* 130. *& Roſa in cit. dec.* Penſio enim Eccleſiaſti-
31 ca, licèt ſit ſpiritualitati annexa, eſt quoddam Jus temporale, quod nomine beneficii non venit, etiamſi aſſignetur loco ejuſdem, ut cæteris omiſſis ſat eſt allegare Fagnan. *in c. ad audientiam à nu.* 40. *ad* 121. *de reſcriptis*. Quapropter Irregularis potiſſimè ex defectu, 31
qui expreſsè a Sac. Canonibus inhabilitatur ad beneficia, de Jure non eſt incapax penſionum, ut poſthabitis DD. ratiociniis ex ſenſu Sac. Congregationis Concilii in una *Cremonenſi*, tenet Garzias *de Benef. par.* 1. *c.* 5. *n.* 136. *&* 137. poſt Suarez *de cenſuris to.* 5. *diſp.* 44. *ſect.* 3. *&* 4. *n.* 39. & cum diſtinctione etiam decidum memorat Fagn. *in cit. c. ad audientiam n.* 133. & in *Novarien.* 24. *Aprilis* 1655. ſub dubio: *An per Irregularitatem incurſam, ex cauſa patrati homicidii præſtita, quis efficiatur incapax penſionis, quemadmodum efficitur incapax beneficii ex c.* 7. *ſeſſ.* 14. *de refor. Sacra, &c. reſpondit, diſpoſitionem dicti c.* 7. *ſeſſ.* 14. *non comprehendere penſiones, nec propterea induci incapacitatem penſionis*: Illegitimus verò catenus ante diſpenſationem ad 32
Clericatum penſionem obtinere non valet, quia penſio merè Laico ex ſtylo Curiæ notiſſimo reſervari non poteſt, itaque ſtatimatq; Illegitimus prævia diſpenſatione ad Clericalem ſtatum promovetur, efficitur capax penſionis, non quia remotum fuit impedimentum Illegitimorum natalium, ſed quia ſegregatur à Laicis, adjiciturq; cœtui, & ordini Clericali; nec ſingulare eſt in Illegitimo, quod qui eſt incapax Clericalis ordinis, ſi ad eumdem habilitetur, abſque alia diſpenſatione obtinere poſſit etiam penſionem, nam hoc idem firmavit Rota in infante, qui propterea eſt penſionis incapax, quia non poteſt eſſe Clericus; quod ſi ad Clericatum ſit diſpenſatus, fit etiam capax penſionis, ut in *dec.* 264. *n.* 1. *ad* 5. *cor. Penia*, *& in dec.* 549. *n.* 6. *par.* 2. *rec.* & firmat Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 40. *n.* 146. Corrad. *in praxi diſpenſ. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 18.

Nunc autem deſcendendo ad enumerandum eos, qui cum Illegitimis ad Ordines, & beneficia auctoritatem 33
habent diſpenſandi; ſuperfluum ferè eſt hìc exordiri à ſummo Pontifice, cùm ſuppoſito, hujuſmodi impedimentum ex defectu natalium provenire à Jure poſitivo, neceſſariò conſequitur, quod Papæ ſubjacet ſupremo arbitrio, adeout nefas ſit in dubium revocare, an ipſe cum hujuſmodi Irregularibus diſpenſare poſſit ad quæcumq; beneficia, & dignitatem etiam Papalem, ut ait Abbas *in c. per venerabilem n.* 5. *qui fil. ſint legit.* Sola itaque quæſtio in hujuſmodi habilitationibus ſiſtit circa ipſius voluntatem, cùm tamquam prudens, & diligens Paterfamilias non ſoleat, niſi cognita cauſa diſpenſare, & in noſtris terminis notant Abbas *in cit. c. per venerabilem n.* 5. Corrad. *in praxi benef. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 96. Lotter. *de re benef. cit. q.* 48. *n.* 133. Campanil. *in diverſ. rub.* 11. *c.* 13. *n.* 103. ibique cauſarum ſpecies numerat, & eſt notabilis *Tex. in c. niſi de renunc.* §. *non tamen*, ubi colligitur, quod hujuſmodi diſpenſationes ſolis ſuffragantibus meritis ſupplicantis concedi poſſunt. Quamvis autem de ſtylo in hujuſmodi diſpenſationibus impetrandis non ſufficiat exponere, 34
ſupplicantem pati defectum natalium, ſed neceſſariò qualitas illegitimitatis exprimenda ſit, quæ ſcilicet variat ſpeciem concubitus; v. g. an ex ſoluta, vel conjugata, &c. ut notat Corrad. *in praxi diſp. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 3. non verò, quæ tantùm Parentum crimen aggravat, novam tamen ſpeciem concubitus non inducit, ut eſt caſus in *dec.* 2. & latiùs in *dec.* 4. *de fil. presbyt. in antiquis*; Attamen hujuſmodi expreſſio im- 35
petrationem quoad ordines, & beneficia difficiliorem non reddit, cùm tam naturalis, quàm Adulterinus, & Spurius, abſque culpa, culpa, alieno vitio laborent, ac propterea æquè venia digni ſunt, ut concludit idem Corrad. *loc. cit. in fine*; quod ſi verò quoad ſucceſſiones agatur, tunc militat concluſio, tantò difficiliorem eſſe Illegiti- 36
morum diſpenſationem, quantò turpior apparet eorumdem origo, quàm firmat Campanil. *in diverſ. Jur. Can. rub.* 11. *c.* 13. *n.* 79. Sayr. *de cenſur. lib.* 6. *c.* 10. *n.* 21 *&* 20. Oldrad. *conſ.* 247. Decian. *conſ.* 80. *n.* 19. *lib.* 2. juxta ſenſum Gloſſ. *in c.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. *verbo defectus* ibi: *indiſtinctè intellige, prout jacet, de quocumque defectu, ſivè ſit Spurius, ſivè Adulterinus, ſivè naturalis, licèt alias quoad ſucceſſiones diſtinguitur, nec ita de facili diſpenſetur cum uno, ſicut cum reliquo*: &

facit

facit Corrad. *loc. cit. n.* 3. Porrò autem hujuſmodi di-
ſpenſationes cum Illegitimis, quæ ab Apoſtolica Sede
expediuntur, ſignari ſolent in Dataria cum Clauſula:
Citra habilitationem ad dignitates, &c. ut commemo-
rat practicus Corrad. *loc. cit. n.* 11. *& ſeq. & n.* 15.
ibique quid importet, & an ſoleat poſtmodum hu-
juſmodi rigor relaxari, explicat; noſtrum vero erit cir-
ca aliam clauſulam, in diſpenſationibus apponi itidem
ſolitam, immorari: *dummodo paternæ incontinentiæ*
37 *imitator non ſit &c.* Hujuſmodi quidem verba origina-
liter deſumpta eſſe patet ex Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de
ref. c.* 15. in principio, & concordant cum *can. propo-
ſuiſti diſt.* 82. *& c. licet de fil. presb.* in hujuſmodi ve-
rò diſpenſationibus, non utique operantur conditionem
ut reddere valeant gratiam conditionalem, ſed potiùs
ſonant in quendam modum inſtruentem Executorem,
qualiter debeat, & ſuper quibus inquirere, ut abſque
etiam ſpeciali expreſſione ſubintelligerentur, ut ex Ro-
ta *in dec.* 4. *n.* 4. *in Antiquis* communiter firmant DD.
quamobrem ſi diſpenſatus paternam imitaretur incon-
tinentiam, gratiam non evadere eluſoriam tenent Cam-
panil. *in cit. c.* 13. *n.* 88. Corrad. *loco cit. n.* 19. Lotter.
de re Benef. lib. 2. *qu.* 48. *nu.* 137. Rota *in dec.* 249.
38 *lib.* 1. *cor. Puteo.* Verum quomodo ab Executore ad
diſpenſandum deputato, hujuſmodi clauſulæ ſatisfieri
debeat, nullus docet Auctor, quem viderim; At no-
bis dum a ſecretis officio fungimur Sac. Congregat.
Concilii, notabilem methodum ex ejuſdem oraculo
deſumere, datum eſt; Cenſuit itaque in *Sarzanen.*
19. *Decembris* 1596. *Clauſula, Dummodo Paternæ
incontinentiæ imitator non ſit, in litteris diſpenſatio-
nis appoſita, non aliter ſatisfieri, quam ſi Epiſcopus
inquirendo, nihil bonis moribus indignum compererit
adversùs eum cui conceſſa eſt diſpenſatio; ſufficere ta-
men Oratorem integro decennio probè vixiſſe, quamvis
prius incontinentiæ nomine ſuſpectus eſſet, ſed hoc caſu
debere Epiſcopum accuratiùs inquirere, ad diluendam
prioris vitæ ſuſpicionem; ſi itaque Epiſcopus toto decen-
nio diſpenſandum laudabiliter vixiſſe compererit, ut
dictum eſt, debere exequi literas diſpenſationis, ut in
lib.* 8. *Decret. pag.* 195. *a ter.* & in *Avenionen.* 20.
Decembris 1653. propoſito dubio: *Ad quid teneatur Or-
dinarius Executor deputatus in diſpenſatione cum clau-
ſula: dummodo, &c.* Reſpondit dandam eſſe mox rela-
tam declarationem, ut in *lib.* 19. *Decr. pag.* 296.

Profectò ultra primam Sedem, & Legatus à latere,
39 ſivè Nuncius, & Epiſcopus cum ſuis Diœceſanis valent
ad ordines, & beneficia ſuper Illegitimitate diſpenſa-
re; Ad quæ verò beneficia, & ordines Legati poteſtas
ſe extendat, unicè dependet ab inſpectione facultatum
quæ iiſdem in expeditionibus tribuuntur, latè Rota
in dec. 287. *num.* 4. *& per tot. coram Ludoviſ.* in qua
fuit dictum, non potuiſſe Legatum diſpenſare cum il-
legitimo ad Canonicatus in Cathedrali, quia in ejuſ-
dem literis hujuſmodi facultas non legebatur, & pro-
pterea cenſebatur denegata; latam tamen, & pleniſſi-
mam formulam hujuſmodi facultatum, quæ Legatis,
& Nunciis conceduntur, recenſet Gambar. *de poteſta-
te Legati libr.* 7. *capitul.* 3. *numer.* 5. Corrad. *de di-
ſpenſ. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. Rota *in dec.* 43. *n.* 2.
par. 16. *rec.* ubi hujuſmodi poteſtas extenditur non ſo-
lum ad Canonicatus, verùm etiam ad majores, & prin-
cipales dignitates in Cathedralibus, & Metropolitanis;
40 Legatus verò, ſivè Nuncius circa ea, quæ in facultati-
bus habent, poſſunt etiam extra Provinciam, & in non
ſubditum ſuper Illegitimitate diſpenſare, ut ex generali
regula, quia hujuſmodi diſpenſationes actus ſunt volun-
tariæ Juriſdictionis, firmavit Rota *in dec.* 353. *nu.* 5.
& 6. *coram Ludoviſ.* quidquid incidenter dixerit in
dec. 287. *nu.* 9. & adverti Beltramin. *ibid. n.* 11. *& in
dec.* 349. *nu.* 5. *cor. Coccin.* Hoc tandem in propoſito
animadvertum volui, quòd qui ſimpliciter à Summo
Pontifice facultatem habent legitimandi, non tantùm
poſſunt ad omnes Juris effectus natalibus reſtituere, ſed
eò magis ſuper quocunque defectum diſpenſare valent,
ſivè ad ſingularem effectum Illegitimum habilitare, non
verò è converſo, ut docet Campanil. *in diverſ. rub.* 11.
c. 13. *n.* 78. *§. primo*, & faciunt Gambar. *de poteſt. Le-
gat. à lat. lib.* 7. *n.* 364. *cum ſeqq.* Bonacc. *t.* 1. *diſp.* 7.
de Irregul. q. 2. *punct.* 3. *n.* 14.

Epiſcoporum verò poteſtas cum illegitimis diſpenſan-
di, limitatur à jure in *c.* 1. *de fil. presb. in* 6. ad Or- 41
dines minores, & beneficium, cui cura non immineat
animarum; & ſanè ad hujuſmodi effectus permiſſos poſ-
ſe Epiſcopos cum quolibet illegitimo diſpenſare, vide-
licet ſivè ſit adulterinus, ſivè ſpurius, & nefarius, com-
muniter firmant DD. ex litterali Gloſſ. *in cit. c.* 1. *verb.
defectum.* Jure autem nullus datur caſus, quòd Epiſco-
pus in his diſpenſationibus excedere poſſit limites, ſi-
bi in *cit. c.* præſcriptos, ut ibi omnes Repetentes, &
potiſſimè Geminianus, & Archidiac. firmant; quam-
vis enim nonnulli DD. voluerint, quod cum illegitimis
ex defectu occulto poſſit hujuſmodi verificari caſus, quod
ſcilicèt Epiſcopus etiam ad Sacros Ordines diſpenſet,
vigore S. Conc. Trid. *c.* 6. *ſeſſ.* 24. *de ref.* attamen pro-
babiliùs videtur dicendum; quod cùm hujuſmodi irre-
gularitas proveniat ex defectu, comprehendi nequeat
in eadem Conciliari diſpoſitione, ubi dumtaxat Epi- 42
ſcopis facultas tribuitur diſpenſandi in irregularitati-
bus ex delicto occulto provenientibus; quamobrem
Epiſcopum nequire illegitimum occultum ad Sacros
Ordines diſpenſare, firmant, & contrariis reſpondent
Paſſerin. *de elect. cap.* 25. *n.* 191. Sayr. *de cenſur. lib.*
6. *c.* 11. *nu.* 8. Suarez *eod. tract. t.* 5. *diſp.* 50. *ſect.* 5.
n. 5. Bonacin. *to.* 1. *de Irregularitate diſp.* 7. *punct.* 3.
qu. 2. *n.* 15. Pialec. *in praxi regul. par.* 1. *c.* 1. *nu.* 56.
& 60. aliique enumerati à Barboſa *ad Concil. cit. c.*
6. *num.* 24. Conveniunt autem DD. quòd Epiſcopus 43
ex poteſtate ſibi attributa in *cit. c.* 1. *de fil. presb. in*
6. nonniſi ad unicum tantùm beneficium poſſit ille-
gitimum habilitare, quamvis ejuſdem ſit tenuitatis,
ut vigore *Concil. c.* 7. *ſeſſ.* 24. *de ref.* alias poſſet duo
beneficia uni Clerico conferre; poteſt verò ad quod-
cumque beneficium ſimplex diſpenſare, dummodò Sa-
crum Ordinem non habeat adnexum, & aliud non ob-
ſtet impedimentum, utputà fundatio beneficii, in qua
caveatur, ut illegitimis conferri nequeat; Item ad Ca-
nonicatum Collegiatæ Eccleſiæ, quantumvis inſignis,
& ad dimidiam portionem, ſeù beneficium interius in
Cathedralibus; quamvis eidem ſimplicibus beneficiis,
Canonicatibus, & dimidiis portionibus unita reperia-
tur acceſſoriè animarum cura; ſecùs verò ſi principali-
ter, ex generalibus regulis. Profectò autem Epiſcopus 44
vigore *cit. Textus* diſpenſare nequit cum illegitimis,
non ſolùm ad beneficia curata, verùm nec ad Ca-
nonicatum Cathedralis Eccleſiæ, cùm ſonet in digni-
tatem, vel certiùs quia ex Sac. Conc. Trid. adnexum
habet Ordinem Sacrum, eò autem minùs ad perſona-
tus, vel dignitates qualcumque, etiam ſine cura, ut
latiùs explicant Paſſerin. *in c. ſi ut n.* 18. *cum ſeqq. de
fil. presb. in* 6. *& in tract. de elect. c.* 25. *qu.* 19. *per
tot.* Barboſa *de Epiſcopo par.* 2. *alleg.* 45. *nu.* 20. *cum
ſeqq.* Corrad. *in praxi benef. lib.* 2. *c.* 12. *nu.* 115. *ad
finem*, Antonell. *de Jur. Cler. c.* 50. *n.* 1. *& per tot*
Garz. *de benef. lib.* 7. *c.* 2. *à nu.* 50. *ad* 70. Lotter. *de
re benef. lib.* 2. *q.* 48. *n.* 147. *cum ſeq.* Bellett. *diſquiſ.
Cler. par.* 1. *§.* 3. *n.* 26. *& ſeq.*

Neque eſt prætereundum, quod Epiſcopus licèt fa-
miliarem ſuum non ſubditum ordinare valeat, concur- 45
rente triennali ſervitio ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 9. *de
Refor.* attamen ſecum diſpenſare nequit ſuper illegitimi-
tate, ut docent DD. plena manu congeſti à Barboſa *ad
cit. cap.* 9. *num.* 16. & olim reſolvit Sac. Congregatio
ejuſdem Conc. Interpres, die 5. Februarii 1604. ibi:
*Illegitimus nequit diſpenſari ad Ordines minores ab
Epiſcopo, qui ordinat ratione familiaritatis trienna-
lis, lib. poſit.* 55. *pag.* 853. ubi Cardinalis Alciatus
optimè rationem ita aſſignat; quia familiaritas aufert
tantùm impedimentum ſubjectionis quoad ordinatio-
nem, non autem defectum natalium, Navarr. *conſil.*
13. *de tempor. ordination.* Neq; efficitur quis Subditus,
niſi poſt beneficium, nec beneficium poteſt conferri,
niſi Ordinato, & ordinari non poteſt niſi habilis.

Numquid verò Epiſcopus ſimpliciter promovendo 46

illegitimum ad minores Ordines, ſivè ad Sacros ex mandato de diſpenſando Nuncii, vel Legati Apoſtolici cenſeatur cum eodem illegitimo diſpenſare, admodum inter DD. eſt controverſum. Verùm ad hujuſmodi diſſolvendam quæſtionem, firmare non dubito regulam, quod Epiſcopus promovendo illegitimum, ſeu alium promoveri prohibitum in caſibus, tamen, in quibus diſpenſationem impartiri poteſt, cenſetur cum ipſo tacitè diſpenſare, ut ex *Innoc.* tenet Fagnan. *in c. veniens nu. 4. de fil. presbyt.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 4. nu. 17. cum ſeqq.* Lambertin. *de Jurepatr. lib. 2. par. 1. q. 7. art. 30. n. 28.* Vivian. *in praxi Juriſp. lib. 6. c. 4. n. 37.* Barboſa *de Epiſcopo par. 2. alleg. 46. n. 37. verſ. contrarium*, & cenſuit Sacra Congregatio Concilii in *Veneta, ſeu Arben.* infra recenſenda *n. 52.* Ex facto enim ejus, qui poteſt abſolvere inducitur abſolutio realis, ut ait Alexand. *conſ. 164. n. 8. vol. 7* ex notiſſimo axiomate, quod voluntas non ſolùm verbis, ſed concludentiùs ex facto elicitur, *leg. de quibus, ff. de legib. leg. recuſari ff. de acquir. hered.* & ibi *Gloſſ.* & quidem ad diſpenſationem faciendam nul-
47 la verba, ſivè præciſa forma à jure eſt præſcripta, ſed ſatis ſuperque ſufficit, quod ſivè verbo, ſivè facto quomodolibet deducatur voluntas in diſpenſare potente, ut compertiſſimum dicunt DD. communiter, inter quos Sanchez *loc. cit. n. 1.* Leo *in praxi pœnitentiaria par. 2. rub. quid ſit diſpenſat.* aliique, quos numerat D. Juſtis *de diſpenſat. lib. 1. c. 3. n. 27. & 28.*

Profectò autem, cùm ad concludendam legitimam
48 diſpenſationem, non tantùm conſtare debeat de voluntate, & poteſtate diſpenſantis, verùm etiam de cauſa diſpenſationis, juxta Sac. Conc. Trid. *c. 18. ſeſſ. 25. de refor.* & doctrinam D. Thom. *in 1. 2. qu. 97. art. 4.* Cauſa, inquam, utilitatis, vel neceſſitatis eſt conditio ſine qua non fit diſpenſatio, ſed quidem irrationabilis diſſipatio, juxtà latiſſimè deducta per Fagnan. pluribus in locis, & potiſſimè in *c. nimis n. 4. ad 12. de fil. presbyter.* Quapropter ſi Epiſcopus abſque rationabili cauſa illegitimum, ſeu alium ordinari prohibitum Eccleſiaſtico cœtui adiiciat, tunc equidem hujuſmodi promotio tacitæ diſpenſationis nomen non meretur, & nullius eſt effectus, ſicut irrita, & nulla eſſet expreſſa diſpenſatio abſque cauſa conceſſa, Guttierez *canon. qu. libr. 1. c. 19. nu. 5.* Ricc. *in praxi reſol.* 410. Barboſa *de Epiſcopo par. 2. alleg. 34. nu. 1.* Guerret. *in ſpecul. Jur. c. 17. de diſpenſ. Epiſc. per tot.* Graff. *deciſ. aur. par. 1. lib. 2. c. 31. n. 1.*

Nec autem contra noſtram principalem aſſertionem
49 prævalere videtur opinio Gloſſ. *in cap. permittimus verbo diſpenſare de ætat. & qualit. in 6.* quam ſequuti ſunt Corrad. *in praxi diſpenſationum lib. 1. c. 3. n. 4. cum ſeqq. & praxi benef. lib. 2. c. 12. num. 101. cum ſeqq.* Lotter. *de re benef. lib. 2. q. 48. n. 142.* Bellet. *diſquiſ. Cleric. par. 1. §. 3. n. 35.* aliiq; autumantes, Epiſcopum promoventem illegitimum non diſpenſare, niſi priùs dicat, *diſpenſo tecum*, ſolò adducto argumento ex *c. nihil eſt de elect.* ex quo elicitur, quod promovens indignum, eſt puniendus, unde uno ore concludunt, quod ubicumque Canon imponit pœnam Ordinario, illi prohibere cenſetur promotionem, ex Abb. *in c. ad abolendam n. 3. verſ. nota de fil. presb.* Quandoquidem nimis extenſivè hujus concluſionis ratio deſumitur, ex laudato *Textu in c. nihil*, ibi enim ſancitur, quod ſi fuerit incautè confirmatus indignus electus ad regimen animarum qui ſivè ob defectum ſcientiæ, ſivè ob inhoneſtos mores, vel quomodolibet partes boni Paſtoris adimplere nequeat, non ſolùm deiiciendus eſt indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus, itemque quod Epiſcopus ad Sacros Ordines, & Eccleſiaſticas dignitates eos non promoveat, qui commiſſum ſibi officium dignè adimplere non valent; Patet itaque, quod hujuſmodi diſpoſitio aſſertam concluſionem non inferat, cum Epiſcopus non tantùm non debeat, ſed nec volens poſſit tales indignos diſpenſativè promovere, ſicque extra caſum noſtræ quæſtionis verſamur, in qua præſupponitur Epiſcopi poteſtas diſpenſandi cum illegitimis ad minores Ordines, ut probavimus; Ulterius ſi verba *cit. Textus* ſlaterà ponderentur, ibi ſub verbo, *Indigni*, comprehendi nequit illegitimorum promotio, qui dumtaxat in pro- 50
prietate ſermonis, Eccleſiaſtici miniſterii dicuntur incapaces, argumento ſumpto ex *leg. legum §. naturalis in fine, & leg. finali C. de natural. liberis*, ex communi regula, qui abſque ſui culpa à muneribus repelluntur eorundem indigni non ſunt, ſed incapaces apud Bellon. *de jure accreſ. cap. 7. q. 48. num. 51. §. ſed hæc*; Indignus enim propriè dicitur, qui capax eſt acquiſitionis, licèt ex proprio contracto demerito, vel ob culpam, aut virium acquiſita retinere non poſſit & tamquam ab indigno auferuntur, ex latè deductis per Andreol. *controverſ.* 239. Bellon. *cit. qu. 48. in princ. & n. 6. qu. 53. nu. 1. cum ſeqq.* Peregrin. *de Jure fiſci lib. 2. tit. 2. n. 4. & lib. 3. tit. 1. n. 2.* Gomez. *to. 1. variar. c. 10. n. 29. & 30.* Urceol. *de tranſact. q. 84. n. 46. cum ſeqq.* In noſtris igitur terminis Epiſcopus diſpenſativè ad minores Ordinis promovendo illegitimum, non promovet indignum, itaut cenſuræ *cit. Tex.* ſe ſubiiciat, ſed tantùm incapacem; quinimò hujuſmodi indulgentia dignum ex cauſa motiva diſpenſationis, ut notabiliter deſumitur ex *cit. c. niſi verſ. ego ſum de renunciat.* & dixit Imperator in *cit. leg. legem §. naturalibus in fine, C. de natural. liberis*, ibi: *Movente miſericordia, qua indigni non ſunt, qui alieno laborant vitio.*

Majori autem ratione cenſetur Epiſcopus tacitè diſpenſaſſe cum illegitimo, dum vigore commiſſionis ſeù 51
mandati de diſpenſando Legati, ſivè Nuncii eumdem ad Eccleſiaſticos Ordines promoverit; Siquidem de potentia Epiſcopi non eſt dubitandum; ſtante legitima commiſſione; voluntas autem diſpenſandi eò evidenter deſumitur, quia id habuit in mandatis; rationabilis verò cauſa diſpenſationis exprimitur in ſupplici libello Legato, ſivè Nuncio porrecto, & canonizatur in mandato de diſpenſando, Ordinario directo cum clauſula *ſi eſt ita, &c. diſpenſes*, ut ſolet, Concurrentibus itaque his tribus neceſſariis requiſitis, omninò pro diſpenſatione eſt concludendum, neque enim ulteriùs requiritur, quod conſtet Epiſcopum narrata in reſcripto juſtificaſſe, cùm exequutor vigore clauſulæ: *ſi eſt* 52
ita, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, non teneatur in forma judicii procedere, ſed ſufficit quod extrajudicialiter, & per ſimplicem informationem narrata verificet, potiſſimè quando nullus adeſt contradictor, & nulli fit præjudicium, ut in terminis Barboſa *de clauſ. clauſul.* 154. *n. 8.* De Juſtis *de diſpen. lib. 1. c. 6. n. 305. cum ſeqq.* Sperell. *dec. 109. nu. 48.* Rota *in dec. 155. num. 1. 14. & 15. cor. Manzanedo*, & alibi paſſim, quæ quidem extrajudicialis informatio præſumitur interveniſſe, cùm gratia fuerit exequuta; dum enim Epiſcopus vigore commiſſionis illegitimum Eccleſiaſticis ordinibus inſignivit, ſignum eſt evidens, quòd extrajudicialiter proceſſit, ſe informavit, & narrata juſtificavit, ut firmat Rota *in dec. 842. nu. 4. cum ſeqq. cor. Buratt. & dec. 155. cor. Mazanedo, & dec. 59. n. 10. & 17. par. 11. rec.* & aliæ adductæ à Roſa *de exequut. liter. Apoſtol. par. 1. c. 8. n. 16. in fine, & in addit. n. 18. & 24.* Quibus equidem conſideratis principalem concluſionem approbavit Sac. Congr. Concilii in *Veneta, ſeu Arben. diſpenſationis 27. Aprilis* 1709. ibi enim facti ſerie propoſita, quod reportato à quodam legitimo mandato, ſeù commiſſione Nuncii Apoſtolici de diſpenſando, Epiſcopo Arben. directa, cum ſolitis clauſulis; in vim hujus Indulti idem Epiſcopus ad Sacros Ordines præfatum illegitimum abſque præcedenti expreſſa diſpenſatione promovit, itaque cum ad majorem geſtorum ſecuritatem fuerit quæſitum: *An conſtet de legitima diſpenſatione*; fuit reſolutum *Affirmativè*.

Pro coronide tandem animadvertendum eſt, quòd hujuſmodi irregularitatis ſpecies, quæ ſcilicet ex defectu 53
legitimorum natalium provenit, non progreditur ultra perſonam ipſius illegitimi, ut perpendit Card. Paleott. *de Super. c. 53. n. 4.* quamobrem legitimè natos ex illegitimis, jure communi inſpecto, eſſe habiles,

&

Digitized by Google

& idoneos ad ordines, & ad quæcumque beneficia, dignitates, & honores tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, optimè firmarunt Lotter. *de re benef. lib. 2. quæſt. 48. num. 7. & ſeq.* Corrad. *in praxi benef. libr. 2. capit. 13. num. 107. cum ſeqq.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 5. num.* 118. Pax Jordan. *variar. tom. 2. lib. 10. tit. 19. num. 18. & ſeqq.* Bellet. *diſquiſ. Cler. par. 1. §. 3. num. 55.* Rota *in deciſ. 361. num. 13. par. 4. tom. 2. rec. & in Leodien. ſeù Aquiſgranen. Canonicatus ſuper bono Jure die 7. Martii 1701. §. quod autem coram D. Scotto, confirmata 20. Januarii 1702. §. ſubſiſtere coram D. Priolo;* & in aliis confirmatoriis, tum quia in his non repræſentatur ſpecies illa incontinentiæ Genitoris, quàm in illegitimo Eccleſia abhorret, ut voluit *Lotter. loco cit.* & Paleott. *ubi ſupra*, vel meliùs, quia licèt legitimi ex parente illegitimo ſint incapaces omnium, quæ proveniunt ex perſona Patris, ſeù ejuſdem contemplatione; attamen ſunt capaces omnium ex perſona propria, vel ipſius intuitu provenientium, ut concludit Gonzalez *ibid. nu. 120. in fine*, & allegat Cephal. *conſ. 103. nu. 7. lib. 1.* ubi latè hanc rationem exornat.

Adeò autem abſonum eſt à jure, quod legitimi ex
54 illegitimis nati, ab Ordinibus, & beneficiis excludantur, ut nullus inferior id cavere valeat, neque Capitulum in ſuis Eccleſiis ſcrupuloſa nobilitate ductum hanc conſuetudinem aſſumere poſſit, cum hujuſmodi ſtatuta adverſarentur Juris communis diſpoſitioni, contra quam ſolius prævalet Romani Pontificis auctoritas, ut magiſtraliter firmat Rota *in cit. dec. Leodien. ſeu Aquiſgranen. Canonicatus cor. D. Scotto §. & quidem cum ſeq. & in eadem cor. D. Priolo §. data cum ſeq. & in earundem confirmatoria 25. Novembris 1707. §. quibus non obſtat coram D. Lancetta*, quidquid dicant Capon. *diſcept. foren. cap. 53. num. 42. cum ſeqq.* Bordon. *quæſt. moral. controv. 48. n. 149. cum ſeqq.* aliique in paribus terminis autumantes, hujuſmodi ſtatuta non eſſe difformia à jure communi, ſed potiùs, quòd præ-
55 ter jus dici debeant, cum nullus Canon in corpore Decretalium ſtatuat, quod legitimi ex illegitimis ad beneficia admittantur; Quandoquidem, ut benè ponderat Rota *in cit. dec.* & potiſſimè coram *D. Priolo, & D. Lancetta*, ſufficit ad noſtrum intentum, quod hujuſmodi legitimi ſint de jure capaces aſſequendi qualiacumque beneficia, ut præfata diſpoſitio ſtatutaria dicatur juri contraria, ſi per ipſius obſtaculum præpediantur, juxta notata per Lucidor. *de illegitim. Cler. & Regul. cap. 30. num. 2. & ſeqq.* & facit Barboſa *de Canon. c. 42. num. 17. cum ſeqq.* Tantò autem certiùs eſt, quod
56 hujuſmodi ſtatuta ab inferioribus condita non afficiant Collationes, quæ à Sede Apoſtolica fiunt, quanto clarior eſt regula, quod iidem inferiores nequeunt ligare manus, ſeù ponere legem Superioribus, quidquid ſecus eſſet de conditionibus adjectis in limine fundationis, ut ex *Textu expreſſo in cap. cum inferior de majorit. & obedient.* diſtinguendo firmant Lotter. *de re benef. lib. 2. quæſt. 38. n. 11.* Gonzalez *ad reg. 8.* Cancell. *gloſſ. 9. §. 1. num. 52.* Rota *in dec. 375. n. 1. cum ſeqq. par. 4. tom. 1. & dec. 345. num. 12. cum ſeqq. part. 16. & deciſ. 665. par. 18. rec.* & optimè in *cit. Leodien. ſeu Aquiſgranen. & in earundem Confirmatoria 22. Januarii 1703. §. validitas, §. verum, & §. finali coram Reverendiſs. Moliner*; Nunquid verò hujuſmodi ſtatuta, auctoritate Apoſtolica confirmata, ſivè Pontificia indulta, extra limen fundationis beneficiorum ad id impetrata, proviſos à Sede Apoſtolica etiam afficiat, ſeù potiùs cenſeatur, Papam voluiſſe tantùm ligare inferiores Collatores, non verò legem imponere ſuis proviſionibus, ad propriam Sedem, favente Deo, tractationem rejicimus.

CONSTITUTIO IX.

GREGORII XI.

Incipiens (*Cupientes.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS. PRIORI, ET FRATRIBUS Eccleſiæ S. Ambroſii Extra Muros Mediolani.

UT Fratres S. Ambroſii ad Nemus, ſub Regula S. Auguſtini religioſam vitam ducere poſſint, auctoritate Apoſtolica indulget.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Congregatio S. Ambroſii ad Nemus quando, & à quo erecta.*
2 *Sub Regula D. Auguſtini fuit approbata à Gregorio XI.*
3 *Ejus habitus, progreſſus, & reformationes indicantur.*
4 *Olim obtinuerunt in Urbe Eccleſiam S. Clementis.*
5 *Eam ſuppreſſit Urbanus VIII.*

ANtiquiſſimum Ambroſianum ſodalitium originem
ſitam ducere à Scriptoribus perhibetur, cùm D. 1
Ambroſius, ut in ſolitudine intentiùs divinæ contemplationi poſſet inſiſtere; in quadam Sylva extra portam Mediolani, Comenſem nuncupatam, ſecedebat; tunc enim ad ipſum conveniebant quamplures ſpiritu Religionis afflati, ut ſub ejuſdem ſancta directione vitam ducerent; Hinc D. Aug. *lib. 8. de Civit. Dei* ſcripſit: *Extra Caſtra Mediolani extat Monaſterium plenum bonis fratribus ſub Ambroſio Nutritore.* Dudum itaque 2
hujuſmodi S. Ambroſii Ordo inſtitutus, ſed abſque certa Regula à Sede Apoſtolica approbata, tandem rogante Simeone Mediolanenſi Archiepiſcopo, à Gregorio XI. confirmatus fuit ſub Regula S. Auguſtini, hac edita Conſtitutione Avenione Anno 1375. die 29. Novembris, quam per extenſum poſuit Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 2. diſp. 24. q. 4. nu. 70.* Hujus quidem Congregationis Monaſterium Princeps illo eodem loco ſuſcitatum fuit, in quo primùm S. Ambroſius ſeceſſerat, quamobrem nomen ſortitus eſt S. Ambroſii ad Nemus, ut amenuſſimus Petrarca lepidè dixerit: *Nunc quidem Sylva evulſa eſt, manet tamen Ambroſii nemus; in lib. de vita ſolitar.* Utebantur Monachi Tunica, Scapulari, & Pallio Canuſino, cum corrigia fibulata; & la- 3
tiùs hujus Congregationis inſtitutionem, & progreſſum recenſet, Maruil. *in lib. Italico idiomate edito, Oceano di tutte le Religioni*, nec multum diſcrepant Morigia *de Orig. Relig.* Penott. *in hiſt. tripart. libr. 2. c. 74.* Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 2. diſp. 24. quæſ. 2. num. 70.* Profectò autem Apoſtolica auctoritate communicata, hujuſmodi Cong. in quampluribus Monaſteriis ſe propagari cœpit, ſub unica verò Congregatione redacta fuit ab Eugenio IV. in *Conſt. 22. incip. Regimini*, deindè à Sixto V. de Anno 1589. unita fuit Congregationi Fratrum S. Barnabæ, ſeù Apoſtolorum, de qua etiam meminit *cit.* Tambur. *n. 71.* quam quidem confirmavit Paulus V. in *Conſt. 12. incip. Paſtoralis.* Nulla tamen extra Italiam Religio hæc poſſidebat Monaſteria, vel domus; Neq; tandem prætereundum eſt, hujus Congregationis Eccleſiam S. Ambroſii Mediolanen. eamdem non eſſe, cujus meminimus *tom. 3. ad Conſtitut. 7.* Innocentii IV. *ſect. 2. n. 58.* in qua reſident Canonici, & Capitulum ſæculare, atque Abbas,

& Monachi Ciſtercienſes, adeòut in uno latere Eccleſiæ
adſint Sæculares, in altero Regulares, ut fit mentio in
Mediolanen. Viſitationis 28. *Novembris* 1705. *lib.* 55.
Decret. Sac. Congreg. Conc. pag. 420. *à t.* Iidem Fra-
tres S. Ambroſii ad Nemus habuerunt in Urbe Eccle-
ſiam, & Monaſterium S. Clementis ſitum in Monte Cœ-
lio, de qua Baſilica egit latè, & eruditè in libro, cujus
titulus eſt de *S. Clemente Papa, & Martyre, ejuſque Ba-
ſilica in Urbe Roma*, Vir eruditus, mihique amici-
tia conjunctiſſimus, Philippus Rondaninus Faventinus,
dum in Urbe fuerat, deinde ad Eccleſiam Cathedralem
dictæ Civitatis Canonicus Theologus inſtallatus, ma-
ximo ſuæ Patriæ beneficio, non minori Urbis jactura,
ob profectum juvene tanta eruditione refertum ſperatu-
rum. Ut autem hic Auctor notat *libr.* 2. *c.* 8. Fratres
hujuſmodi Turrim Campanariam ejuſdem Baſilicæ à
fundamentis reſtaurarunt; Extinctis tamen ab Urbano
5 VIII. hujuſmodi Fratribus; fuerunt in dicta Eccleſia ſub
Innocentio X. ſubſtituti PP. Prædicatores, & in eorum
Monaſterio Mediolanenſi S. Ambroſii ſubrogati in præ-
ſenti reperiuntur Fratres Minores Reformati, qui ibi
maxima vivunt ædificatione.

CONSTITUTIO X.

GREGORII XI.

incipiens. (*Sacra* .)

EPITOME BULLÆ

GREGORIUS. ABBATI MONASTERII S. Spiritus De Sulmona Valvenſis Diœce-ſis, Ejuſque Coabbatibus.

EXemptionem à Decimis, quam Benedictus XI. & Joannes XXII. Congregationi Cœleſtinorum conceſſerant, Pontifex hic declarat, & extendit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur exemptiones à decimis conceſſæ Cœleſtinis à pluribus Pontificibus.*

2 *Urbanus VIII. communicavit Cœleſtinis omnia privilegia Congregationum Monaſticarum.*

3 *Sub communicatione privilegiorum, quæ privilegia non veniant.*

4 *Exemptio à decimis difficiliter conceditur, & cum cauſæ cognitione.*

5 *Nec regulariter venit ſub generali communicatione, & qua ratione.*

6 *Exemptio à decimis non intelligitur de ſpiritualibus, niſi exprimantur.*

7 *Nec quoad Regulares ſuffragatur, niſi adſit derogatio* c. nuper de decim.

8 *Expreſſa conceſſio privilegii, vel ſpecifica derogatio Concilii Generalis induci valet ex clauſularum prægnantia.*

9 *A quid in communicatione privilegii exemptionis à decimis.*

10 *Effertur antiqua opinio Rotæ, quod ſub communicatione privilegiorum comprehenderentur decimæ.*

11 *Quatenus ab hac ſententia eadem Rota receſſerit.*

12 *Exemptio à decimis venit ſub communicatione privilegiorum, ſi conſtet de mente Papæ.*

13 *Præſertim ſi deficiat tantùm derogatio,* cap. nuper de decim. *& adſit expreſſa exemptio à decimis.*

14 *Communicatio exemptionis à decimis difficillimè inducitur; ſi non adſit expreſſa mentio decimarum, & deficiat derogatio* c. nuper de decim.

15 *Communicatio privilegiorum regulariter non fit ex certa ſcientia.*

16 *Clauſula* quorum tenores, &c. *non operatur quoad privilegium, quæ non comprehenditur ſub communicatione.*

17 *Nec quoad privilegia, quæ tertio irrogant præjudicium.*

18 *Expenditur deciſio Rotæ in* Hiſpalen. decimarum.

19 *Communicatio privilegiorum facilius inducitur inter unum, & aliud Monaſterium ejuſdem Ordinis.*

20 *Præſertim ſi non agatur de exemptione à decimis, ſed de earum translatione.*

21 *Itemque ſi adſit res judicata, & obſervantia interpretativa.*

PRæ cæteris exemptionibus, & privilegiis, quibus
inclytam Monachorum Cœleſtinorum Congrega- 1
tionem donaverat Benedictus XI. in ejus *Conſtit.* 2.
quam in præcedenti Tomo commentati ſumus, ſpecia-
le erat illud exemptivum à ſolutione decimarum ex fru-
ctibus terrarum uſque tunc per ipſos acquiſitarum,
quas propriis manibus, vel ſumptibus colerent; item-
que de hortis, & nutrimentis animalium. Quæ qui-
dem exemptio, utpotè quæ conceſſa fuerat, dum hæc
Congregatio adhuc in ſuis initiis erat, ac proindè pau-
cis locis, ac Monaſteriis ſuffragabatur: idcircò Joan-
nes XXII. eam, extendit ad omnia Monaſteria, Prio-
ratus, Eccleſias, Capellas, aliaque loca uſque tunc
acquiſita, vel impoſterùm acquirenda. Cùmque non-
nulli de hujuſmodi extentione, ſeù comprehenſione du-
bitarent; idcircò noſter Pontifex ad omnem æſitatio-
nem tollendam, hac Conſtitutione edita Avenione 18.
Kalendas Februarii Ann. 1376 declaravit, ac de novo
Cœleſtinis conceſſit, ut de poſſeſſionibus jam acqui-
ſitis (exceptis iis, de quibus Cœleſtini decimas ſolve-
re conſueverant) itemque de novalibus poſſeſſionum
per eos impoſterùm juſto titulo acquirendarum, quas
propriis manibus, aut ſumptibus tunc excolebant, aut
in futurum excolerent, ſivè de hortis, vel nutrimentis
animalium decimas ſolvere non tenerentur, prout de
hujuſmodi Cœleſtinorum exemptione meminere *Cho-
pin. libr.* 2. *Monaſticon. tit.* 1. *num.* 5. *Barboſ. de Pa-
roch. par.* 3. *c.* 28. *n.* 21.

Prodierunt ſubinde poſt hanc Conſtitutionem plures
aliæ Summorum Pontificum Conſtitutiones quoad Con-
gregationem Cœleſtinorum, de quibus memini *tomo*
3. *ad citat. Conſtitut.* 2. *Benedict. XI. numero* 3. *&*
4. At ſpecificè quoad exemptionem à ſolutione de-
cimarum non alia præter hanc occurrit in noſtro Bul-
lario Conſtitutio. Tametſi Urbanus VIII. *Conſtitut.* 2
26. *incipien. Sacroſancti to.* 5. *Bullar.* communicave-
rit Cœleſtinis omnia privilegia Caſſinenſium, aliorum-
que Congregationum Monaſticarum, non ſolùm ad ho-
rum inſtar, ſed etiam pariformiter, ac æquè principa-
liter, perinde ac ſi ea omnia illis, & eorum ſingulis
ſpecialiter, & expreſsè, & non ad inſtar, ſed à principio
conceſſa, & primò eorum favore à Sede Apoſtolica no-
minatim emanaſſent. Certè autem aliæ Congregationes
Monaſticæ majora obtinent privilegia exemptiva à deci-
mis, uti præſertim ſunt Ciſtercienſes, aliique de quibus
latè dixi *t.* 2. *ad Conſt.* 6. Honor. III. *pag.* 465. & di-
cam infra ad *Conſt.* 8. Martini V. *incipien. Militantis*
Cæterùm potiſſimum in hac re operæ pretium eſt ſcru-
tari, quatenus ſub hac privilegiorum communicatione
comprehenſa cenſeatur exemptio à decimis, prout &
alia privilegia ſpeciali nota digna. Receptum enim, 3
& vulgare eſt, ut ſub his privilegiorum communicatio-
nibus regulariter non veniant ea, quæ ſunt difficilis
conceſſionis, præſertim ſi agatur de præjudicio tertii,
ad communiter notata per Doctores *in leg.* 1. *ff. dele-
gat.* 1. ubi Jaſon. *nu.* 21. *&* 22. Socein. *Jun. nu.* 43. Al-
ciat. *numer.* 4. Bald. *in leg. fiſtulas* §. *frumenta ff. de
con-*

Digitized by Google

contrahen. emption. Felin. *in cap. ſedes num.* 3. *de reſcript.* Natta *conſil.* 4. *n.* 6. latè Burrius *conſ.* 19. *n.* 9. *& per tot.* & dixi *to.* 3. *ad Conſtit.* 2. Benedicti XI. *nu.* 14. *& in hoc to. ad Conſtit.* 3. Gregorii XI. *n.* 24. *&* 25. Et quidem privilegium exemptivum à ſolutione
4 decimarum, utpotè quod nonniſi cùm magna difficultate, & cum cauſæ cognitione conceditur, ut inquit Jo: Andr. *in c. dudum de privil. nu.* 5. Rota *dec.* 269 *nu.* 2. *coram Coccin. dec.* 40. *n.* 2. *par.* 4. *t.* 1. *recent.* ſub his generalibus privilegiorum communicationibus
5 regulariter non venit, niſi alioqui appareat expreſſa mens concedentis; Idque ex triplici ratione; tum ſcilicet quia hujuſmodi exemptio difficiliter conceditur, tum etiam quia exindè læditur jus Parochi, ſivè alterius habentis intentionem fundatam in perceptione
6 decimarum; unde fit, ut conceſſa exemptione à decimis, niſi decimæ ſpirituales, & ordinariæ exprimantur, conceſſæ ſolùm cenſeantur decimæ temporales, & extraordinariæ, ut poſt Bald. *in cit. leg. fiſtulas §. frumentum in fine*, Felin. *in cap. ſedes nu.* 3. *de reſcript.* Fagnan. *in cit. c. dudum de decim. n.* 35. Barboſ. *de Paroch. par.* 3. *c.* 28. §. 3. *n.* 41. firmavit Rota *dec.* 65. *coram Puteo lib.* 3. *dec.* 279. *n.* 3. *cor. Coccino*, *dec.* 607. *nu.* 13. *cor. Cerro*, *dec.* 201. *num.* 11. *par.* 13. *rec.* Tum demum quia cùm Concilium Generale relatum in celebri *cap. nuper de decim.* præſertim
7 injunxerit Regularibus ſolutionem decimarum; exemptiones per ipſos à Sede Apoſtolica poſteà obtentæ non ſuſtinentur, niſi prævia ſpecifica derogatione ejuſdem Concilii, ut quoad aliud Decretum Concilii Lateranenſis, relatum *in c. prohibemus eodem tit.* latè dixi ad *Conſtit.* 3. *hujus Pontificis nu.* 24. adeòque exemptio à decimis comprehendi non poteſt in privilegiorum communicatione, in qua nec exemptio expreſsè conceditur à decimis, nec adeſt derogatio Concilii. Hinc porrò eſt,
8 quod ſi agatur de comprehendendo in communicatione generali privilegio ſpeciali abſque neceſſitate derogationis alicujus Concilii Generalis; Vel è contra, ſi inducenda ſit derogatio ejuſdem Concilii expreſsè non facta, ſuppoſita tamen expreſſa conceſſione privilegii requirentis derogationem Concilii; tametſi clauſulæ prægnantes alterutrum aliquando importare valeant, ſi nempè ex iis eliciatur mens Papæ comprehendendi privilegium ſpeciale, vel derogandi Concilio Generali, ut in terminis *Clemen. dudum de Sepult.* tradit Cardin. de Luca *de Paroch. diſcur.* 23. *num.* 5. Rota *dec.* 243. *nu.* 4. *cum ſeqq. cor. Peutinger. dec.* 45. *nu.* 26. *coram Zarat. dec.* 84. *numer.* 3. poſt Tamburin. *de Jure Abbat. & dec.* 7. *num.* 1. poſt Murga *diſquiſ. foren.* & quoad *cap. prohibemus de decim.* dixi *in cit. Conſtit.* 3. *hujus Pontificis n.* 26. Non tamen eadem clauſularum
9 prægnantia importare valet communicationem privilegii, quod utrumque requirit, ſpecialem ſcilicet conceſſionem, & expreſſam derogationem Concilii Generalis, prout requiritur in exemptione à decimis; qua ratione hoc privilegium non cenſeri communicatum ex clauſulis prægnantibus, omnimodam adæquationem cum ſpecialiter privilegiatis importantibus, docent Fagnan. *in cit. c. nuper n.* 34. Barboſ. *de Paroch. par.* 3. *c.* 28. §. 3. *n.* 41. Rota *dec.* 48. *n.* 13. *par.* 1. *dec.* 214. *n.* 5. *par.* 2. *recent. dec.* 298. *num.* 6. *coram* Seraphin. *dec.* 90. *num.* 2. *& ſeqq. & dec.* 95. *nu.* 3. *& ſeq.* poſt Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. Coccin. *annot.* 261. *num.* 456. *tom.* 1. *dec.* 607. *num.* 11. *& ſeqq. coram Cerro*, & in aliis deciſionibus infra citandis.

Fuit quandoque Rota in eo ſenſu, ut exemptio à
10 decimis comprehenſa cenſeretur ſub communicatione privilegiorum, attentis clauſulis ampliſſimis cum clauſula *ſublata*, & decreto irritanti, ex quibus elici poſſe cenſuit ſpecialem exemptionem à decimis, & derogationem *c. nuper*, innixa rationibus, & regulis generalibus, quòd ſcilicet derogationes contentæ in privilegio communicato, cenſeantur repetitæ in privilegio communicante, ad tradita per Calarub. *in tractat. de commun. priv. pag.* 55. Mand. *de Privil. ad inſtar. q.* 8. *nu.* 8. *verſ. & in terminis*, Oldrad. *conſ.* 300. *Pariſ. conſ.* 22. *nu.* 3. *lib.* 4. quòdque privilegium communicans communicaret cum omnibus, & ſingulis clauſulis, atq; decretis in privilegio communicato contentis, attenta præſertim clauſula *quorum tenores*, quæ operatur, ut verba privilegii communicati cenſeantur de verbo ad verbum inſerta in communicatione, ut latiùs habetur in *Carthaginen. decimarum* 17. *Maii* 1599. *cor. Penia*, inter ejus impreſſas *deciſ.* 674. Verùm cum
ſubinde prodiiſſet celebris in hac re deciſio in *Valentina decimarum* 28. *Novemb.* 1603. *cor. Card. Lancellotto*, relata *in dec.* 40. *par.* 4. *tom.* 1. *rec. & in dec.* 89. poſt Tambur. *to.* 3. *de Jure Abbat.* in qua non obſtante communicatione privilegiorum, clauſulis magis prægnantibus facta, Rota excluſit communicationem exemptionis à decimis, quæ reſolutio capta, fuit nemine Votantium diſcrepante, ut tradit Certus *dec.* 593. *nu.* 4. atque ex hac deciſione originaliter conſtabilita fuit hæc Rotæ ſententia, cùm priùs contrarium aliquando cenſuiſſet, ut refertur *in dec.* 5. *n.* 16. *par.* 14. *rec.* propoſita iterum eadem cauſa *Carthag.* fuit receſſum à deciſis, ut refertur in *dec.* 1090. *nu.* 11. 11
& ſeqq. cor. eod. Penia. Et quidem cum controver- 12
ſia hæc non ſit poteſtatis; nam extra dubium eſt poſſe Papam Regulares à decimis eximere, & Conciliis Generalibus derogare; ſed merè voluntaris, nempe quatenus in communicatione generali cenſeatur Papa hoc ſpeciale privilegium comprehendere voluiſſe; non negamus quòd ſi verba communicationis ſint adeò prægnantiſſima, ut Papæ voluntatem præſeferant de comprehenſione decimarum, hæc etiam comprehenſæ cenſeantur, & quidem cum majori facilitate ſi non
adſit duplex obſtaculum, deficientis ſcilicet expreſsè 13
exemptionis à decimis, & derogationis Concilio Generali; nam ſuppoſita expreſſa, & ſpeciali exemptione à decimis, tametſi hæc non ſuſtineatur, niſi concurrat derogatio *cit. c. nuper*, ex ſupradictis; attamen etiam ſpecifica derogatione ceſſante, derogatio induci poteſt ex æquipollentibus, ut in his terminis conſiderat Card. de Luca *de decim. diſc.* 4. *nu.* 19. *& ſeqq.* & generaliter dixi ſupra ad *cit. Conſtit.* 3. *hujus Pontificis numero* 26.

Cæteroquin ſi ex generali communicatione privi-
legiorum elicienda ſit Papæ voluntas communicare 14
volenti exemptionem à decimis, & derogandi Concilio Generali, id longè difficilius eſt, & ut plurimum non elicitur ex clauſulis quantumvis prægnantibus; nam, ut magiſtraliter firmavit Rota *in cit. Valentina Decimarum*, hæc exemptio non ſolet concedi, vel ſaltem cum magna difficultate conceditur, præſertim cùm agatur de præjudicio Parochi, adeò-
que communicatio ſtrictè eſt intelligenda. Ulterius quia 15
hæc exemptio concedi non ſolet, niſi prævia cauſæ cognitione, ut ſupra dixi, quod ut plurimum non fit in generalibus communicationibus privilegiorum, præſertim attenta clauſula illa apponi ſolita, quatenus ſcilicet Decretis Concil. Trident. & Regularibus inſtitutis illius Ordinis, cui fit communicatio, contraria non exiſtant, quæ etiam clauſula appoſita legitur in communicatione privilegiorum facta Cœleſtinis in *cit. Conſt.* 26. Urbani VIII. hæc etenim clauſula præſumere facit, quod Papa non habuerit certam ſcientiam privilegiorum communicatorum; unde eſt, ut non apponatur in gratiis, quæ ex certa ſcientia conceduntur; Ceſſante igitur in Papa certa ſcientia hujus privilegii, non cenſetur comprehenſum ſub communicatione generali, præſertim cùm ſit contrarium diſpoſitioni juris, contra quod non præſumitur Papa aliquid concedere, niſi ſpecialiter expreſſerit, Abb. *in cit. c. examinata nu.* 6. *de confirm. utili, vel inutili*, Felin. *in c. nonnulli num.* 32. *de reſcript.* Alexand. *in leg. quamquam Cod. de Teſtam. milit.* Rota *dec.* 222. *num.* 2. *coram Mantica*, & præſertim attenta hac clauſula, communicationem exemptionis à decimis excluſit Rota *dec.* 40. *nu.* 4. *par.* 4. *recent. deciſ.* 190. *nu.* 15. *coram Penia*, ubi etiam fuit dictum, quod nec ad hunc effectum ſuffragatur clauſula *quorum tenores*, *&c.* quæ quamvis ex ſe operetur perinde ac ſi totus tenor privilegiorum fuiſſet de verbo ad verbum inſertus, ad tradita per Butr. *conſ.* 2. *n.* 2. Gonzal. ad Regul.

8. *Cancellar. gl oſs.* 35. *num.* 102. Marc. Anton. *var.*
reſol. lib. 1. *reſo l.* 46. *num.* 4. Rota *deciſ.* 109. *num.* 3.
cor. Ludoviſ. deciſ. 629. *numer.* 15. *& ſeqq. coram Bi-*
chio, nihilominus hæc clauſula operatur tantùm, ut
cenſeantur expreſſa solùm privilegia, ad quæ ſe ex-
tendit communicatio, non autem ea, quæ ſine ſpe-
ciali expreſſione non comprehenduntur, uti ſunt ea,
de quibus, ſi concedens notitiam habuiſſet, abſolutè
denegaſſet, vel ſaltem difficilius conceſſiſſet, Decius
conſ. 142. *num.* 7. De Rubeis *in ſingular.* Rotæ *tomo*
2. *part.* 4. *clauſ.* 658. *num.* 3. Marta *de clauſ. par.* 1.
clauſ. 139. *num.* 3. Rota *deciſ.* 981. *n.* 8. *cor. Seraph.*
& apud Marcheſan. *de Commiſ. par.* 1. §. 2. *nu.* 6. & in
noſtris terminis Rota *cit. deciſ.* 40. *num.* 6. *& ſeqq.*
par. 4. *recent.* eoque magis quia per communicatio-
17 nem exemptionis à ſolutione decimarum irrogatur
præjudicium tertio, quo caſu eadem clauſula non o-
peratur quoad non expreſſa, ut apud Marta *cit. clauſ.*
139. *num.* 20. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 36.
num. 54. Seſſe *deciſ.* 93. *num.* 24. Rota *deciſ.* 41. *num.*
32. *& dec.* 363. *num.* 25. *part.* 10. *recent. deciſ.* 12. *n.*
3. *coram Emerix Juniore.*

Porrò quamvis Rota contrarium firmare viſa ſit
18 in *Hiſpalen. decimarum cor. Card. Taja*, relata in
dec. 5. *part.* 14. *& deciſ.* 17. *par.* 15. *recent.* in qua
fuit firmatum, privilegium conceſſum cuidam pecu-
liari Monaſterio Carthuſienſium percipiendi decimas
de ſuis terris, & poſſeſſionibus traditis ad excolen-
dum, quas coloni ſolvere aliis teneretur, cenſeri com-
municatum ſub generali communicatione facta aliis
Monaſteriis ejuſdem Ordinis, tametſi non adeſſet ſpe-
cifica derogatio *cit. cap. nuper.* Nihilominùs Rota in
his deciſionibus agnovit ſoliditatem ſuperius firmatæ
concluſionis, præſertim in *cit. dec.* 5. *par.* 14. ſuamque
proinde reſolutionem aliis rationibus comprobare con-
19 nixa fuit; Agebatur etenim ibi de communicatione
privilegiorum, non quidem inter unam Religionem,
& alteram; ſed inter unum Monaſterium, & alia
ejuſdem Religionis Monaſteria, inter quæ facilius in-
ducitur privilegiorum communicatio, ut apud Pelli-
zar. *in Manual. Regular. tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 3. *num.*
43. *tom.* 2. Rodriqu. *qu. Regul. tom.* 1. *qu.* 36. *art.* 3.
& quæſt. 55. *art.* 8. Rot. *cit. dec.* 5. *num.* 5. Ulterius
Rota ibi declinavit neceſſitatem ſpecificæ derogatio-
nis *cit. capit. nuper de decim.* nam hanc certum eſt
tantùm requiri in exemptione à decimis, nec un-
20 quam deciſum reperitur id requiri in decimarum tran-
ſlatione, ut in *cit. deciſ.* 17. *num.* 16. quo caſu ſuffi-
ceret derogatio generalis; eo autem caſu decimæ;
quæ à Colonis Carthuſienſium de Jure Parochis de-
bebantur, tranſlatæ, ac conceſſæ fuerunt ipſis Carthu-
ſienſibus, adeòque non de exemptione, ſed de deci-
marum tranſlatione agi videbatur; ut in *cit. dec.* 5. *n.*
8. *& cit. dic.* 17. *num.* 12. *& ſeqq.* eo, que magis,
quia hæc opinio Rotæ, quod exemptio à decimis
non veniat ſub communicatione privilegiorum, con-
21 ſtabiliri cæpit ex *cit. Valentina decimarum*, edita de
anno 1603. quando jam plures ſententiæ prodierant
favore Carthuſienſium quoad hanc exemptionem, quæ
in rem judicatam tranſitum fecerant; accedente etiam
obſervantia interpretativa, ut in *cit. dec.* 5. *num.* 17.
quæ omnia ſufficiens motivum exhibere valuerunt
comprehendendi exemptionem, ſeu tranſlationem de-
cimarum ſub communicatione privilegiorum, tametſi
non adeſſet ſpecialis derogatio Concilii Generalis.

CONSTITUTIO I.

URBANI VI.

Incipiens (*Apoſtolicæ.*)

EPITOME BULLÆ.

URBANUS ARCHIEPISCOPO BRUNDUSINO, Camerario Noſtro &c.

IMpartitur Urbanus facultatem Camerario S. R. E. cognoſcendi de cauſis Cameralibus, tam cum perſonis ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, ſummarièque, ac manu regia procedendi, necnon eaſdem cauſas reaſumendi ab aliis Judicibus, eiſque inhibendi.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Hominum recta conſilia cur Deus non rarò inania reddat.*
2 *Perturbationes in Urbe excitatæ poſt Gregorii XI. obitum; pro nova Pontificis electione.*
3 *Urbani VI. electio, ac varii animorum affectus quoad ſuſtinendam validitatem ejuſdem electionis.*
4 *Ejuſdem Patria, & natales indicantur.*
5 *Thomas Petra, Abbreviator, & Urbani VI. à ſecretis.*
6 *Ejuſdem Pontificis litterarum, & eximiæ virtutis ſtudia.*
7 *Ipſius geſta durante Pontificatu.*
8 *Dirum ſchiſma tunc exortum refertur, ac reliqua Pontificis geſta, & obitus.*
9 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione, quoad cognitionem cauſarum, Card. Camerario competentem.*
10 *De facultatibus amplis Cardinalis Camerarii. Remiſſivè.*
11 *Juriſdictio Camerarii hodie eſt in parte conceſſa aliis Judicibus.*
12 *De Tribunali Cameræ, & Auditore Camerarii. Remiſſivè.*
13 *Indicantur alia Tribunalia, in quibus tractantur negotia Cameralia.*
14 *Cardinalis Camerarius quam hodie facultatem habeat in Camera.*
15 *Quamque facultatem priùs habuerit.*
16 *Hodie etiam conſervat antiquam ſui muneris amplitudinem.*
17 *Habet Juriſdictionem Criminalem in Camerales ſibi ſubditos.*
18 *Quam præeminentiam retineat in creatione Auditorum Rotæ.*
19 *Deputat Collectores, & Subcollectores pro decimis papalibus.*
20 *Præfectus Signaturæ Juſtitiæ an poſſit condere Edictum declarativum quoad pertinentiam Juriſdictionis Cameræ Apoſtolicæ, & num. ſeqq.*
21 *Affertur Conſtitutio Clementis VIII. quoad exemptionem Cameræ ab eo Signatura.*
22 *Signatura Juſtitiæ declarat pertinentiam cauſarum quoad diverſa Tribunalia.*
23 *Excipiuntur Tribunalia habentia Signaturam in ventre.*

24 *Pro-*

24 *Proponuntur media aptiora pro componendis his controverſiis inter Signaturam, & Cameram.*

Divina quippè providentia factum eſt, ut ea, quæ
1 hominum judicio diſponuntur, ut bonum aliquod
inde eveniat, non ratò ſpe ſruſtrata, id quòd ſpera-
tur, minimè ſubſequatur, ut ita humanæ intelligentiæ
non tribuatur effectus, nec ſuperbia intumeſcant mor-
tales; ſed idquod recto fine intentatur, aliquando poſt
majores labores, ac tempus diuturnum Divina Boni-
tas permittit eventurum, etiam pro operantium debi-
ta quadam remuneratione. Hinc videmus eveniſſe,
quod etſi antiqui Chriſtiani plura fuerint moliti pro
aliquo articulo fidei firmando, vel certo ritu ſtabilien-
do, aut reformatione morum introducenda; attamen
quot impedimenta, perturbationes, imò mortem paſ-
ſi fuerunt, optatuſque finis niſi poſt plurium annorum
decurſum non apparuit; Ita pariter in novis Religio-
nibus inſtituendis, initia Fundatoribus quaſi deſpera-
ta viſa fuerunt; Dei tandem ope, fugatis procellis,
tranquillitas finis operantibus ſucceſſit; Ita certè con-
tigit in reditu Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Summi Pa-
ſtoris ad Urbem, Sedem à D. Petro deſignatam pro
Romano Pontifice, Univerſali totius Orbis Chriſtia-
ni Antiſtite. Ceſſent quidem garruli detractores, Gre-
gorii XI. reditum objurgantes, dum ſchiſma Eccleſiæ
tam pernicioſum ex eo eveniſſe dicunt; quia rationa-
bili cauſa Gregorius, ut ad Urbem accederet, ſe mo-
vit, tot enim mala, quæ Eccleſiæ ſtatum, ac tempo-
rale dominium in Italia peſſundabant, id ſuadebant;
quare etſi evenerint inconvenientia, tamen iſta ceſſa-
runt, ac refloruit in Urbe Sedis Apoſtolicæ decus per
quinque adhuc ferè ſæcula, ac ita in ævum fulgere
omninò in ſpem erigi quiſque debet.

Mortuo itaque Gregorio 8. Kalendas Aprilis Ann.
2 1378. jam incæperunt mala, nam metuentes Cives
Romani, ac Magiſtratus, ne à Cardinalibus Pontifex
renunciaretur exterus, qui denuò Sedem Apoſtolicam
extra Italiam conferret, adiverunt Cardinales ipſos,
petentes ſibi dari Summum Pontificem Italum, ne ite-
rum Roma, tot malis vexaretur, quot paſſa fuerat
Pontifice Avenione Sedente. Coacto proindè Concla-
vi ex treſdecim Cardinalibus Gallis, & quatuor Ita-
lis, inter primos exorta eſt diſſentio inter Lemovicen-
ſes, & reliquos Gallicæ nationis, unde triplex evenit
Conſiliorum partitio, treſque factiones candidatum pro-
prium exoptabant. Urgebat Populus, Senatuſque Ro-
manus pro Italo; ſuadere curabant Electores, quod
etſi juſta fuiſſet cauſa continuationis Sedis Pontificiæ
in Urbe, tamen hujuſmodi urgentibus modis, potiùs
labefactaretur. Sedes ipſa in totius Eccleſiæ perni-
ciem, ſi coacta electio haberetur; Continuavit tamen
diù Romanorum ſtrepitus, Banderiorum, ſeù Capitum
Regionum ad Conclave acceſſus, Cardinales iterum
admonentes de Italo Cardinale in Pontificem eligen-
do: Electus itaque demum fuit Bartholomæus Prigna-
3 nus Neapolitanus, Archiepiſcopus Barii, extra Car-
dinalium Collegium, coronatus die 14. Kalend. Maii
dicti anni 1378. impoſito ſibi nomine Urbani VI. Va-
rii varia circa hujuſmodi electionem ſcripſerunt, eve-
niente Schiſmate, aliquique coactam aſſeruerunt ejus
electionem, timore Romanorum peractam; alii id ne-
garunt, libertatem ejus comprobantes; ſed quidquid
fuerit de aliquo timore initio Conclavis incuſſo, hoc
certum eſt, Urbanum fuiſse pacificè coronatum cun-
ctis approbantibus Cardinalibus, Epiſcopis adſtanti-
bus, Clero, & Populo acclamantibus ante fores Baſi-
licæ Vaticanæ, eumque more ſolemni Cardinales ve-
nerati fuere in Palatio, functionibus publicis, & pri-
vatis, ac in Conciſtoriis, idque abſque alicujus recla-
matione aliqua, aut proteſtatione nec quidem clan-
deſtina; idque evenit per plures menſes, donec Car-
dinales receſſiſſent aliqui ab Urbe, ut dicam: eamque e-
lectionem tutati fuere tot inſignes, ac docti Viri; &
præſertim D. Catharina Senenſis Virgo, pluribus E-
piſtolis eidem ſcriptis, Cardinalibus, ac Carolo Ro-
manorum Regi.

Pontifex iſte Urbanus, Neapolitanus dicitur, ut
verè fuit, licèt aliqui Piſanum eum velint, eo erro- 4
re ducti, quia Avum Piſanum habuit, Patrem verò
Neapoli ortum, ignobilemque ajunt, ſed verò nobi-
lem alii dicunt, cùm Mater ejus fuerit de nobili Fami-
lia Brancatia, cui ſanguis ignobilis conjunctus non
fuiſſet, & quod Prignana familia nobilis eſset, contra
Ciacconium *in vita hujus Pontificis* firmat Victorell. *in
addit.* pluresque ejuſdem Regni in Cardinalium Colle- 5
gio cooptavit, & præſertim apud ſe retinuit Thomam
Petra, Prælatum Abbreviatorem, & ejus a ſecretis in-
timè charum, quique etiam maximè dilectus fuit Vir-
gini Catharinæ Senenſi, ut refertur in oratione ejuſ-
dem in *Impreſſ. antiqua Aldimanutii Anno* 1500. &
deinde in collectione poſt librum *de dialogo* ejuſdem
Sanctæ *pag.* 337. *in prima oratione*, quæ dicitur re-
collecta ab ipſo Thoma Petra, & in epiſtola ſcripta
Raymundo ſuo Confeſsario per eamdem Beatam, &
in quodam ſupplemento vitæ dictæ Sanctæ manuſcri-
pto Thomæ Caffarini *pag.* 164. habetur, quondam re-
velationem factam fuiſse dicto Venerabili Thomæ Pe-
tra. Juvenis operam Juri Pontificio Avenione ſedulo
navavit, & maximi habitus apud omnes Summos quo- 6
que Pontifices, ut notat Victorell. *ibidem*. Ante Pon-
tificatum mirabiles de eo narrantur virtutes; fertur enim
ſingulis noctibus, poſtquam ad proprium cubile cau-
ſa quieſcendi accedebat, coram ſe Bibliam legi voluiſ-
ſe per aliquam horam, & tempus raro conſumebat ſi-
ne lectione, vel ſui officii exercitio, aut oratione, &
niſi ex maxima muneris neceſſitate, per plateas non
incedebat, & iter faciens duabus tantùm beſtiis uteba-
tur, mula ſcilicet pro ſe, & equo, ſuper quo ejus fa-
miliaris ipſum aſsocians equitabat; Induebatur Cilicio
continuò, noctuque dormiens ſuper tunica talari alba
de mediocri panno laneo; erat patiens in adverſis,
compatiens calamitatibus aliorum. Jejunia ſervabat e-
tiam in Adventu, & à Sexageſima; bonoſque Religio- 7
ſos amabat. Hinc nil mirum, ſi Cardinales in eum in-
tenderent, itaut quæcumque coactio inveriſimilis fue-
rit, cùm temporibus illis, ærumnis plenis, electio tam
eximii Viri opportuna viſa meritò fuerit, Ad Pontifi-
catum tamen aſsumptus à pluribus carpitur Urbanus,
& nulli ferè charus fuit, itaut Aegidius Cardinalis Vi-
terbienſis dixerit: *Eo ex humanis erepto, in tanta
Neapolitanorum Cardinalium Turba, qui potuerat la-
crymas dare, vix unus inventus*: Sed non mirum,
cùm tot ipſo ſedente evenerint diſſidia, perturbatio-
nes, bella, ſchiſmata, ut bonus, vix malus non vide-
retur. Certè enim eluxit maxima tanti Pontificis in
tot adverſis conſtantia, itaut magni animi Vir meri-
tò dici debeat; ſed ſeveritatis nota maculatus, ut ſæ-
viret in omnes nedum inimicos, ſed & in ſui aliquos
ſequaces.

Poſt quatuor menſes, & dies decem ab ejus electio-
ne in Pontificem, receſſerunt ab Urbe primùm Car- 8
dinales Galli, deinde aliqui Itali in Civitatem Ana-
gniæ, & ſub motivo coactæ ejus electionis novum crea-
runt Summum Paſtorem, unanimi ſuffragio Fundis in
Campania, in Regno Neapolitano Civitate, Rober-
tum Gebennenſem, qui aſſumpſit nomen Clem. VII.
qui ſtatim ad Regem Galliarum ſcripſit, ut ipſum re-
cognoſceret; hinc initium tam diri ſchiſmatis fuit,
quod numquam vidit Eccleſia tam diuturnum anno-
rum fere 40. ac trium deinde eodem tempore Ponti-
ficum, Urbiſque Chriſtiani diviſio ſubſecuta fuit, dum
Urbano paruere Italia, Germania, Anglia, Hyber-
nia, Hungaria, Belgia, Britannia, & Luſitania, at-
que tandem Aragonenſes, & Cathalani, qui Clemen-
ti priùs faverunt; Clementi verò parebant Galli pri-
mùm, deinde Scoti, mox Navarræi, ac Hiſpani Po-
puli, imò in utriuſque obedientia fuere inſignes viri
etiam pietate, & virtute referti. Triginta duo volu-
mina, hujus Schiſmatis hiſtoriam recenſentia, repe-
riuntur in Archivio Vaticano, in quibus regiſtrata ſunt
vota pro utraque parte, ac Doctorum varii tractatus;
itemque D. Catharinæ Senenſis ſcripta, electionem
Urbani tutantia. Urbanus igitur populi Romani tu-
multus

Digitized by Google

multus ſæpè expertus, ac ſumma conſtantia eis ſupe-
rior, plura paſſus incommoda, ac belli vices, nunc
victor, victuſque nunc, Neapoli ſe contulit, primum
à Carolo Rege benignè, & honorificè exceptus, ſed
deinde in ſervitutem quaſi detentus in Caſtronovo ſub
ſpecie hoſpitalitatis per plures dies fuit; in ædibus Ar-
chiepiſcopalibus tandem ſe recepit, ibique pluries ſa-
cra publicè miniſtravit, Regis aſſiſtentis præſentia. Lu-
ceriam in Apulia deinde receſſit, & Carolo Regi, ac
Reginæ ſacra interdixit; ſed obſidione cinctus aufugit
opera Ducum, & Baronum Andegaventium pugnan-
tium cum Carolo; terreſtri deinde, ac difficili itinere
Aquilam in Brutio ſe contulit; & ab illa Civitate Ma-
re petiit, & triremibus Januenſibus longo itinere Ja-
nuam appulit, ſecum Ducens captivos aliquos Cardi-
nales, & in eos tunc ſæviiſſe fertur. Lucam deinde per-
venit, cujus Magiſtratui enſem, & pileum ſacrum do-
navit, ibique ſacra celebravit, ac etiam Othoni Brun-
ſuvicenſi, & Thomæ Sanſeverino ſacra interdixit, ac
Crucem promulgavit, cùm Neapolim occupare inten-
deret. A Luca Peruſium, ab iſto Tyburis Civitatem,
deinde Ferentinum appulit, tandemque coactus à Po-
pulo Romano Urbem rediit, in qua paulò poſt obiit
anno 1389. Idibus Octobris, & in Vaticano ſepultus,
licèt ejus ſepulchrum non videatur cum aliis everſum;
obiit durante etiam Schiſmate Clementis VII. de quo
alibi infra dicam.

Inter alias hujus Pontificis Urbani providas ordina-
6 tiones ea fuit, quæ in hac Conſtitutione edita in Ur-
be 8. Septembris 1379. enunciatur. Vix enim elapſus
fuerat annus à die electionis ejus, ac initio ferè ſchiſ-
matis, conſiderans proinde Urbanus neceſſitatem, ut
7 Camera Apoſtolica exhauſta non foret, & ſuis non pri-
varetur emolumentis tam neceſſariis in illa Sedis Apo-
ſtolicæ anguſtia, curavit Camerarii S. R. E. Cardinalis,
qui tunc erat Archiepiſcopus Brunduſinus, Juriſdictio-
ni conſulere, ut cauſæ Camerales ab ipſo tantùm co-
gnoſcerentur, nec amplius apud alios Judices agita-
8 rentur, prout tunc fiebat, ut Papa ipſe enunciat in
præſenti Bulla, in grave ejuſdem Cameræ intereſſe,
ac diſpendium, cùm non facilè coram extraneis Judi-
cibus rationes Cameræ videri, & defendi poſſint à Fiſ-
cali, & Procuratore, aliiſque Officialibus ejuſdem.
9 Ut quoque Camerarius cognoſcere valeret privativè ne-
dum de cauſis verè Cameralibus, ſed etiam de iis, in
quibus directè, vel indirectè intereſſe Cameræ conſide-
rari poſſet, juxta arbitrium ejuſdem liberum, cum e-
mergentibus, connexis, & dependentibus, & tam ſi
ſint Criminales, quàm Civiles, tàm cum laicis, quàm
cum Eccleſiaſticis perſonis, Communitatibus, Capitu-
lis, & Collegiis, &c. cum facultate inhibendi, & reaſ-
ſumendi ab aliis Judicibus, ac ſummariè, & de plano
procedendi, ut latiùs in dicta Bulla penes *Cherubinum*.

Jam de Origine Cardinalis Camerarii, latè dixi ſu-
10 pra ad *Conſt.* 1. Urbani V. ac plura indicavi quoad ejus
ampliſſimum munus antiquum, munitum pleriſque fa-
cultatibus, & quidem ſatis amplis, ut in *cit. Conſt.* 1.
Urbani V. in hac, & in *Conſt.* 24. Leonis X. §. *6. &
Conſt.* 65. Clem. VIII. in cujus ſumma *Cherubinus* alias
notat Conſtitutiones, & præciſè quoad facultates S. R.
E. Camerarii adeſt Bulla ſ. m. Greg. XV. directa Cardi-
nali Ludovico Ludoviſio Camerario ex ejus fratres ne-
poti, pridie Nonas Maii Ann. 1621. Pontificatus An-
no primo, quod etiam Breve nuncupatur, cùm verè ex-
peditio ſit ad formam Bullæ, ad quam uti anchoram,
faciam recurritur pro juriſdictione Camerariatus, cùm
unitim omnia ibi exprimantur latiſſimè, uti voluit Pa-
pa ad favorem Nepotis tunc Camerarii, & Succeſſo-
rum; quæ Bulla non reperitur hìc impreſſa: Verùm
tamen eſt, quod plura fuerunt immutata, præſertim
quoad ingentia emolumenta, ac officiorum proviſiones
Camerario aliàs indultas, & moderatas, ut infrà di-
cam; ſed quod ſublatum non eſt, à dicta Bulla conceſ-
ſa, præſervata dici meritò debent; Verùm ut notavi in
cit. Conſt. 1. Urbani V. hoc munus videtur diviſum ho-
11 die in ſubalternatis Miniſtris; quia ultra Juriſdictionem
in cauſis Curialium, aliorumque indifferentibus, qui-
bus præeſt A. C. Auditor Camerarii dictus, & quoad
cauſas reſpicientes gubernium Urbis eſt juriſdictio Vi-
cecamerarii, qui eſt Gubernator Urbis, juxta providas
Summorum Pontificum partitas facultates, ſed etiam
conſiderato tantùm intereſſe Cameræ, juriſdictio Ca-
merarii nunc partita reperitur in tot alias perſonas, ut
plura Tribunalia conflata quidem ſint; nam nedum eſt
Camera plena, in qua ſunt duodecim Cameræ Clerici, 12
Tribunal ſupremum, habens in ventre Signaturam, ad
quod Tribunal appellatur à quibuſcumque aliis Tribu-
nalibus Cameralibus ſubalternis, imò ab ipſo Auditore
civili ipſius Cardinalis Camerarii, de quo Cameræ Tri-
bunali, latè Veſtr. *in Praxi Judic. lib. 2. cap.* 1. & dicam
alibi; & Cardinalis Camerarius dicitur caput Cameræ,
Fiſcoque præeſt, & proindè Præfecto Prætorio æquipa-
ratur, ut notat Gravat. *ad cit.* Veſt. *num.* 4. tamen præ-
ter honorificentiam, quodque in ingreſſu Clericorum
coram ipſo fiat ingreſsus, & quod Congregationes ali-
quæ Camerales coram ipſo fiant, nullam obtinet Juriſ-
dictionem in Camera quoad cauſas, quæ ibi decidun-
tur; Ulterius adeſt Theſaurarius, qui præeſt ærario Pon-
tificio, quique cognoſcit cauſas quoad loca montium,
& ſpolia privativè, alioſque Appaltatores bonorum Ca- 13
meralium, & Gabellarum defraudatores, juxtà varia
chirographa obtenta à Summis Pontificibus. Adſunt
quoque Clericus Cameræ, Præſes Annonæ cum ſuo
Tribunali quoad Annonam, Piſtores, & alios ad ar-
tem; Præſes Graſciæ cum ſuo Tribunali quoad eos e-
juſdem muneris Graſciæ, nempè laniones, &c. Ita Tri-
bunal Zecchæ, Archivii viarum, aliaque in numero
conſiderabili, quæ omnes materiæ reducuntur ad Ca-
meralia negotia, & appellatur ultimò ad Cameram, ni-
ſi adſit ſpecialis Papæ prohibitio, imò etiam quoad cau-
ſas Communicatum, quæ etiam reducebantur ad Ca-
meralium, inſtituta fuit Congregatio Boni Regiminis,
ad quam ſpectat cognitio quarumcumque cauſarum ſpe-
ctantium ad intereſſe Communitatum Status Eccleſia-
ſtici, etſi agatur de Gabellis, & non ad Camerarium,
ut reſcripſit Signatura Juſtitiæ in *Fulginaten.* 28. *Sept.*
1701. *Ponente D. Strozzio*; & quoad Aquam Urbis
Felicem, & Paulinam adſunt Præfecturæ, & Congre-
gatio Aquarum, ac Confinium ſuper Fluminibus, &
confinibus Status Eccleſiæ, ut etiam Card. de Luca *in
Relat. Romana Curiæ diſc.* 11.

Reſtricta igitur eſt in præſenti facultas Camerarii,
ut non cognoſcat omninò cauſas particularium, niſi ad- 14
ſit intereſſe Cameræ, cùm id reſervetur A. C. & Gu-
bernatori, & neque votet in Camera, ſed tantùm uti
caput habet locum, & poteſt intervenire in Tribunali
Cameræ, & coram eo plura decernuntur ſpectantia ad
dictas Præfecturas, purà quoad pretium carnis, & ali-
quas proviſiones publicas, unà cum Clericis Cameræ,
quæ fit in ejus domo. Præeſt Gymnaſio, ſeù univerſi-
tati Urbis, ut dixi ſupra ad *Conſt. 6.* Joannis XXII. *n.*
13. Plura officia olim diſtribuebat, ac ſitus in platea
Agonali, aliiſque pro venditione Victualium, ſed poſt
ſuppreſſionem officiorum venalium Clericorum Came-
ræ, aliorumque fuerunt etiam à ſ. m. Innocentio XII.
plura à Camerariatu diſmembrata, præſertim quoad ſi-
tus concedendos, applicatos Tribunali Viarum, ut in
Conſt. incip. Sacerdotalis die 26. Novembris 1692. *in
ejus parvo Bullario pag.* 74. §. 14. *in ordine la* 14. In
forenſibus verò habet Tribunal, quod exercetur per Au-
ditorem, qui ſolet eſſe Prælatus, apud quem cognoſce-
bantur in prima inſtantia cauſæ, ubi habet intereſſe Fiſ-
cus, vel cauſæ dependentes ab appaltu Doganarum, a-
liorumque vectigalium Doganæ, & fraudes, exceptis
iis, quæ cognoſcuntur privativæ à Theſaurario, vel a-
liis Præfecturis; & præcipuè revidebat cauſas Juris con-
grui, ac refectionis Viarum publicarum, Campſorum,
ſeù Bancheriorum, & hebræorum, eorumque Uni-
verſitatis, unà cum Vicario Urbis, ſuper uſu publica-
rum platearum, quarum ſitus Camerarius ſolet conce-
dere pro venditione Victualium, quoad Typographum
Cameralem, alioſque Officiales publicos, & Appalta-
tores, quoad Decimas Papales, quæ imponuntur, &
plures alias cognoſcit, ubi intereſſe Fiſci verſatur,

quoties

quoties alicui ex prædictis privativè non fuerit conceſ-
ſum, ut apud *cit.* Card. de Luca *diſcuſ.* 11. nam cum
Auctoribus antiquioribus cautè in hac re non procedi-
tur ob mutationes rerum, imò poſt editum diſcurſum
Cardinalis de Luca, plura evenerunt, tempore præter-
rim f.m. Innocent. XII. qui cauſas juris congrui, quæ
erant communes cum Magiſtris Viarum, Auditori Ca-
merarii privativè adjudicavit; itaut ab eo appelletur ad
Præſidem Viarum, & deindè ad Cameram, reliquæ ve-
rò cauſæ viarum, & hujuſmodi ad Præſidem Viarum
ſpectare voluit, ut in dicta Bulla legitur, & Chirogra-
phum conceſſit Theſaurario quoad fraudes Doganarum,
& in d. Bulla, ac in Chirographo edito eodem an. 1698.
plura officia venalia à Camerario providenda, vel ſup-
preſſit, vel applicavit idem Papa aliis, & adeſt quoque
Chirographus Sanctiſſimi D. N. die 1. Februarii 1701.
pro nova Congregatione Annonæ, & Agriculturæ, in
quo adeſt Cardinalis Camerarius cui ſubjicitur in
figura Conſultorum Præfectus Annonæ, & Præſes Gra-
ſciæ.

Plura enim antiquæ forenſis juriſdictionis, & emo-
16 lumentorum priorum amiſit Cardinalis Camerarius,
non tamen proindè decus ejus muneris diminutum fuit,
tum ex aliqua decora præeminentia in omnibus negotiis
Cameralibus ei præſervata quoad congreſſus, Congre-
gationeſque pro bono eorum regimine; tum quia ma-
ximus fulgor ejus reſplendet, uti præſidens temporali-
bus Eccleſiæ Romanæ, & proinde ſit primus poſt Ro-
manum Pontificem, & Cardinalem Vicecancellarium
in ſpiritualibus præſidentem, caput Collegii Clerico-
rum Cameræ, ac redditruum Pontificiorum, ſed non ha-
bet votum deciſivum in Camera, Gonzal. *cap. ad audi-
entiam num.* 8. *de reſcriptis*, Choel. *in notit.* Cardinal.
cap. 8. *in princ.* Veſtr. *cit. lib.* 2. *cap.* 1. Card. de Luca
cit. diſc. 11. *& de Judic. diſc.* 47. *num.* 36. Capuccius *in
praxi lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 146. Rota *dec.* 86. *par.* 4. *div.*
R. P. D. Fattinellus *reſp.* 2. *n.* 19. *&* 49. itaut vivæ vo-
cis oraculum Summi Pontificis habere non ſit dubitan-
dum, ex ſupra citatis; Habet quoque criminalem juriſ-
17 dictionem, quam exercet per aliquem Locumtenentem
criminalem quoad Officiales Camerales, perſonaſque
ſibi ſubjectas, & eſt Tribunal etiam Eccleſiaſticum, quia
procedit quoad cauſas ſibi ſpectantes Juris congrui, &
alias etiam contra Eccleſiaſticas perſonas, & loca; ha-
18 bet quoque præeminentiam non ſolùm Clericos Cameræ
admittere, ut dixi, ſed etiam Auditores Rotæ Roma-
næ, qui poſtquam ſuas fecerint diſputationes publicas,
ac examen coram Cardinali Vicecancellario; accedunt
in plena Camera in ædibus Camerarii congregata (ut
ſolet fieri pluries juxta contingentias) & ibi genuflexi,
à Cardinali Camerario recipiunt Rocchetum, Cap-
pam, & Biretum prævio juramento, & receptione ad
oſculum pacis cum Camerario, ac Clericis, ut ab an-
tiquo ſervatum fuiſſe teſtatur Bellamera *dec.* 610. & ho-
die ſervatur, & notat Gomeſ. *in proæm. regul. Cancell.
tit. Rota immutatio*, Cherub. *in compend. Conſt.* 2. Six-
ti IV. *ſchol.* 2. R. P. D. Fattinellus *reſponſ.* 2. *num.* 22.
& reſp. 13. *n.* 3. qui ait, quòd in abſentia Camerarii,
fit functio à Decano Cameræ, coram tota etiam Came-
ra, de qua etiam dixit R. P. D. Anſaldus *in ejus præfat.
ad deciſ. ejus impreſſas*. Deputat rurſus Camerarius Col-
19 lectores, & Subcollectores in Provinciis, & Civitatibus
pro exactione Decimarum Papalium, Rota *in Licien.
Canonicatus deciſ.* 261. *n.* 4. *par.* 5. *recent.* ubi quod in-
trer reſervatio beneficiorum Sedi Apoſtolicæ, & quod
liberum ſit Camerario deputare Collectorem, vel Sub-
collectorem in Provincia, & Civitate, & non debeat
intelligi facultas, ut Collector ſit deputandus in Provin-
cia, Subcollector in Civitate, & rurſus *n.* 10. ſubditur,
quod talis reſervatio intrat, etſi adfuerit alius ſubcolle-
ctor Nuntii Apoſtolici Neapolitani pro ſpoliis, quæ non
ſpectant ad Camerarium, ſed ad Nuncium, & Theſau-
rarium Generalem, quia ſunt munera quoad ſe diverſa,
exactio ſpoliorum, & decimarum; Nequit tamen Ca-
merarius derogare, vel commutare ultimas voluntates,
cùm ſit Papæ reſervatum, Rota *dec.* 114. *num.* 22. *par.*
20 9. *recent.* Noviſſimè autem occaſione cujuſdam edicti e-
manati à Cardinali Præfecto Signaturæ, quo cavetur,
citationes coram Signatura, vel ejus Auditore quoad
cauſas pendentes in Tribunalibus R. Cameræ Apoſtoli-
cæ, impunè ſperni poſſe, exceptis citationibus ad vi-
dendum declarari cauſam, & cauſas ſpectare ad alia Tri-
bunalia, remittique ad alios Judices; excitata proinde
fuit quæſtio, An in cauſis Cameralibus, de quibus du-
bitatur, an ſpectent ad Camerarii Tribunal, vel Tribu-
nalia Cameralia reſpectivè, ſpectet id declarare ab Ca-
merarium, vel potius ad Signaturam Juſtitiæ; Cujus re-
ſolutio fuit remiſſa Rev. D. Corradino Archiepiſcopo A-
thenarum, & SS. D. N. Auditori, nec adhuc prodiit re-
ſolutio; Pro parte enim Cardinalis Camerarii adduce-
bantur plures Conſtitutiones Pontificiæ, & præſertim
ſupra enunciata Gregorii XV. confirmans omnes ante-
cedentes, in quibus fuit conceſſa Cameræ, & Camera-
rio in cauſis Cameralibus privativa juriſdictio, etiam de-
clarandi illarum pertinentiam, & in *Conſt.* Pauli III. & 21
Pii IV. *Conſt.* 55. innovatis in *Conſt.* 65. Clem. VIII. &
præcisè §. 38. ibi: *Signatura Juſtitiæ non poſſit, nec de-
beat, ſive reformando, ſive declarando aliquid in Ca-
mera noſtra, vel alibi, in cauſis ſpectantibus ad Ca-
merarium prædictum reſcribere, & ſupplicationes ſi-
gnare, nullius ſint roboris, nullamque tribuant Juriſdi-
ctionem, & in* §. 40. quod nullus Judex poſſit avocare ab
iis cauſas Camerales ſub prætextu, quod non ſint tales,
& ad dicta Tribunalia non ſpectent, & §. 41. quod non
poſſit Signatura Juſtitiæ cognoſcere, neque ſe ingerere,
& cognoſcere, an cauſæ ſint de juriſdictione Camerariа-
tus, vel Cameræ, & pertinere ad Camerarium, & Ca-
meram, etſi partes non acquieverint tali declarationi,
Signaturam Gratiæ adire deberi citato Commiſſario Ca-
meræ. Quod plenè confirmavit Gregorius XV. in *cit.
diplomate*, & ſentire videntur ſpectare ad Camerarium,
& Cameram, nec ſe intromittere poſſe Signaturam Ju-
ſtitiæ, Card. de Luca *diſc.* 47. *de Judic. in ſupplem. nu.*
38. 39. *&* 40. qui idem dicit de Theſaurario, Ridolph.
in praxi par. 1. *cap.* 7. *num.* 97. *& par.* 3. *cap.* 5. *num.*
163. D. Conſtantin. *ad Stat. Urb. adnot.* 52. *num.* 28.
& noviſſimè R. P. D. Fattinellus *reſp.* 1. *n.* 10. *verſ. Imo
in hujuſmodi cauſis, & reſp.* 3. *in append. num.* 14. *pag.
mihi* 20. His autem poſſet addi id, quod enunciatur in
hac *Conſtitutione* Urbani VI. §. 2. ibi: *Auctoritate A-
poſtolica per te (ſcilicet Camerarium) vel alium, ſeu a-
lios de omnibus, & ſingulis quæſtionibus, controverſiis,
cauſis, & litibus præſentibus, & futuris, ſpiritualibus,
Eccleſiaſticis, & temporalibus, civilibus, & criminali-
bus, nedum ad ipſam Cameram pertinentibus, ſicut eſt
hactenus conſuetum, ſed & de quibuſcumque jure, & ne-
gotio ipſius Cameræ directè, vel indirectè quoquomodo
tangentibus, ſeu etiam quæ ſecundum tuum liberum arbi-
trium viderentur ea poſſe tangere quomodolibet in futu-
rum, ipſaſque cum emergentibus, & ab eis dependenti-
bus cognoſcere, & quoties tibi videtur ad te, & Came-
ram advocandi ab aliis Tribunalibus, etiam poſt litis
conteſtationem, ac inhibere iis, ne ſe intromittant.
Quam Urbani VI. Conſtitutionem præcisè confirma-
vit Gregorius XV. *in cit. Conſtit.* Unde videtur ad ar-
bitrium Camerarii, pertinere declarare cauſas ſibi ſpe-
ctare, & Cameralibus Tribunalibus; & licèt pro parte
Signaturæ poſſet opponi Reformatio Julii III. & Pau-
li V. *Conſtit.* 71. *tit. de Aud. Cam.* ubi quod orta lite 22
inter Tribunalia, ad quod ſpectet cognitio cauſæ, de-
beat recurri ad Signaturam Juſtitiæ, ſeù ejus Præfectum,
quia reſpondent Camerales, id intelligi debere de Tri-
bunalibus A. C. Vicarii, & Fori Capitolini, de qui-
bus loquitur, & non poteſt comprehendere Cameram,
& Judices Camerales, qui habent Signaturam in ven-
tre, & in hoc eſt ſpeciale indultum, quod præſervat
Conſtitutio Julii III. Sed poſſet objici, omnes prædictas
facultates concernere cauſas verè Camerales, in quibus
concurrit intereſſe Fiſci, & citatur Commiſſarius Ca-
meræ, ut enunciatur in dictis Reformationibus, non
autem in aliis cauſis indifferentibus inter privatos, quæ
competere ſibi prætenduntur à Cameralibus ratione ad-
miniſtrationis alicujus muneris Cameralis; Quia quo-
ad iſtas tantùm non debet excludi jus Signaturæ, nam
conſi-

Digitized by Google

conſideratur hoc caſu cauſa non eſſe fiſcalem, ſed privata, & potiùs per aliquod ſubſecutum privilegium Papæ Camerali Tribunali cognoſcendam traditam, & ſic Signatura uti repræſentans Principem debet videre, an ſit de iis privilegiatis, præſertim cùm in dd. Reformationibus *tit. de Camera* fuerit injunctum, ut Camerarius cognoſcat tantùm de cauſis, ubi adeſt intereſſe Fiſci cum privatis, non tamen ubi agitur inter privatos; Replicatione tamen per Camerales facienda, quod Juriſdictio Cameræ ſit cum privatis, etiam quotieſcumq; agatur de negotio proveniente ex negotio Fiſcali, juxta ſuperiores Conſtitutiones, & ſic in omnibus cauſis urget eadem ratio, tàm ſi ſint propriæ fiſcales ob Fiſci intereſſe, quàm ſi agatur de dependentibus à Fiſco inter privatos, & ſicuti in omnibus his urget Cameralis Juriſdictio, ita vigere debet contemporanea facultas declarandi, an ſit de iis, & ad quem proinde pertineat cognitio, juxta præfata Indulta, & præſertim cùm id fuerit confirmatum à Gregorio XV. poſt dictas Reformationes, quique etiam confirmavit in Camerario jus cognoſcendi cauſas Fiſcales, & alias dependentes, & quaſcumque, in quibus hactenus judicare conſueverat. Verùm poſſet replicari in dd. Indultis, & præſertim ultimò in citata Gregoriana poſt Reformationes ſublatam fuiſse quidem quamcumque facultatem aliis, & conceſſam ſolùm Camerario, & Cameralibus Tribunalibus in omnibus cauſis, quæ coram ipſis agitantur in vim Indultorum, declarare quoad ipſos pertinentiam earum, ut conſiderat Card. de Luca *cit. diſc.* 47. *nu.* 39. ſed ſi agatur inter privatos, in quibus ſine aliquo motivo diſputabili, & dependente ab Indultis velit quis alium vocare coram Tribunali Camerali, non impeditur quod Signatura in hoc agat impediendo, & cogendo partem adire proprium Judicem, quia non afficit cauſas Camerales; ſed tantùm cogit ſuos ſubditos, qui volunt adire Judicem non proprium, aliàs ſequeretur, quod omnes privatorum cauſæ introduci valerent ex calumnia litigantium in Camera, abſque eo, quod à proprio Tribunali Superiore poſſent coerceri. Nihilominus tamen pro parte Signaturæ ulteriùs prætenditur adeſſe plura exempla harum declarationum in cauſis hujuſmodi, vel ad favorem Cameræ, vel etiam aliorum Judicum, factarum ab Auditore Signaturæ, & à Signatura plena, cujus idem eſt motivum, imò de pertinentia inter ipſa Tribunalia Cameralia, putà ſpectare ad Camerarium, & non ad Theſaurarium, aliaque hujuſmodi, & quod inconcuſſa ſit praxi, ut accedant. Notarii Camerales ad Audientiam Signaturæ, & ad rem *cit.* Card. de Luca *diſcurſ.* 47. animadvertit remedium ſalutare, ut ad tollendas ambages

42 ges juriſdictionis congruat Papam id decidere in ſui Signatura Gratiæ, & quatenus ſubſiſteret iſtud privilegium Camerale, poſſit deputari ab eodem Signatura Juſtitiæ, ut procedat in hujuſmodi pertinentiis cauſarum loco Signaturæ Gratiæ, quia expectare iſtam, daretur anſa litigantium protractionibus; ſed neque in hoc conſuleretur, quia non omnes cauſæ merentur adire plenam Signaturam, & ſic requireretur Auditor, coram quo frequentes inſtantiæ fieri poſſunt, qui utique deberet eſſe Auditor Sanctiſſimi, ad quem recurratur in hac cauſarum pertinentia in frequentibus cauſis, quæ occurrerent; quatenus nolit id remittere eidem Camerario, qui ſicuti nefas non eſt, ut judicet in cauſa propria Fiſci, ita neque ut declaret cauſam ad ipſum ſpectare, prout in cauſis Miniſtrorum S. Officii practicari, refert idem Card. de Luca *relat. Rom. Cur. Adnot. ad diſc.* 14. *in ſupplem. nu.* 11. Niſi tamen deveniendum ſit, ob multiplicitates cauſarum, quæ in hujuſmodi Cameralibus foris eſse poſſunt circa præfatam pertinentiam, ſtantibus innumeris ferè Cameræ Tribunalibus ſubalternis, inter quæ non facilè patietur, ut unus tantùm ex iis de pertinentia inter ipſa judicare debeat; ad certum Tribunal deſtinandum ex auctoritate Papæ; Meum non erit igitur efformare judicium in hac re, nec quomodo intelligenda ſint indulta Cameralia quoad hoc, vel admittenda juriſdictio Signaturæ Juſtitiæ, nec quoque illis canonizatis, quod remedium proviſionale ſit recipiendum ad obviandum litigantium fraudibus, & ſubterfugiis, ſatis ſemper majoribus invertis cumulatis, & majori proinde zelo extirpandis; cùm totum id ſit reſervatum ſummæ SS. D. N. providentiæ, ac præfati Illuſtr. & Rever. D. Corradini Auditoris ejus, cui examen hujus rei commiſſum extitit, eximiæ doctrinæ, cum qua ſemper copulatum habet juſtitiæ amorem ſuique Principis bonam famam; Unde dubitari nequit ſatis veritati, & fori utilitati conſulturum fore.

CONSTITUTIO II.

URBANI VI.

incipiens (*Sacroſancta.*)

EPITOME BULLÆ.

URBANUS, PRIORI GENERALI, Et Fratribus Servorum B. Mariæ, &c.

EXimit Ordinem Servitarum ab omni Ordinariorum juriſdictione, poteſtate dominio, viſitatione, & qualibet præſtatione, etiam Subſidii Charitativi.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur exemptiones Servitis conceſſa in hac Conſtitutione.*
2 *Regulares de Jure eximuntur à lege Diœceſana.*
3 *Lex Diœceſana, & lex juriſdictionis quid ſint, & num. ſeqq.*
4 *Lex Diœceſana quatenus importet legem juriſdictionis, ab eaque porrò diſtinguatur.*
5 *Diſtinctio inter legem Diœceſanam, & juriſdictionis eſt doctrinalis.*
6 *Improbatur vulgaris diffinitio legis Diœceſanæ, & juriſdictionis.*
7 *Traditur earum melior diffinitio.*
8 *Eadem diſtinctio inter utramque legem ſolidius explicatur.*
9 *Quatenus oportuerit hic concedi Servitis exemptionem ab utraque lege.*
10 *Charitativum ſubſidium quid ſit, & quo Jure ab Epiſcopo exigatur.*
11 *Exigi non debet ab Epiſcopo habente Eccleſiam divitem.*
12 *Quatenus Epiſcopus ad hunc effectum cenſeatur dives.*
13 *Non cenſetur dives attentis ejus bonis patrimonialibus.*
14 *Capituli conſilium eſt exquirendum pro exigendo ſubſidio charitativo.*
15 *Referuntur cauſa, ex quibus Epiſcopus ſubſidium exigere poteſt.*
16 *Et quid poſt editam Taxam Innocentianam, & num. ſeqq.*
17 *Taxa Innocentiana an obliget extra Italiam.*
18 *Quantitas ſubſidii charitativi de Jure non eſt taxata.*
19 *Sed debet ſervari ſolitum, & quibus circumſtantiis attentis.*
20 *Nec Capitulum Sede vacante condere poteſt ſtatutum, quo ſolita quantitas imminuatur.*
21 *Quid quoad quantitatem ſervandam poſt Taxam Innocentianam.*
22 *Eccleſia, & Beneficia omnia Diœceſis contribuere debent pro ſubſidio charitativo.*
23 *Excipiuntur obtinentes Beneficium inſufficiens ad ſubſtentationem.*
24 *Contribuere tenentur Beneficia vacantia, etſi fructus pertineant ad Cameram Apoſtolicam.*
25 *Contribuere tenetur Clericus in Diœceſi, ubi ſitum*

Digitized by Google

tum eſt Beneficium, etſi alibi domicilium habeat.
26 *Beneficium dicitur eſſe in Diœceſi, ſi in ea adſit Ec-*
cleſia, quamvis bona alibi exiſtant.
27 *Quid dicendum de Beneficiis unitis exiſtentibus in*
diverſis Diœceſibus.
28 *Item contribuere tenentur Penſionarii, ſint ſpecia-*
liter exempti.
Quod etiam procedit in contributione facienda pro
Seminario. Ibid.
29 *Subſidium charitativum non ſolvitur ex diſtributio-*
nibus quotidianis.
30 *Excepto niſi diſtributiones cedant loco præbendæ.*
31 *Epiſcopus habet aſſiſtentiam juris pro exactione ſub-*
ſidii charitativi.
32 *Regulares de jure, vel ex ſpecialibus privilegiis ab*
hac contributione ſunt exempti.
33 *Limitatur quoad Eccleſias Monaſteriis unitas, a-*
liàs huic præſtationi obnoxias.
34 *Niſi forſam etiam quoad has ſpecialem exemptio-*
nem obtineant.
35 *Quatenus ſub exemptionibus generalibus ſubſidium*
charitativum comprehenſum cenſeatur. Remiſ-
ſivè.

POſtquam Fratrum Servorum B. M. Virginis Or-
1 dinem ad rectam Regularis diſciplinæ normam
reduxerat Clemens VI. ut dixi ſupra in ejus *Conſt.* 2.
pag. 196. ipſique Servitæ Romanæ Cathedræ expecta-
tioni reſpondentes, ſolita Summorum Pontificum mu-
nificentia ſe dignos reddidiſſent; non multum abſuit
quin opportunis promoverentur exemptionibus. Enim-
verò Urbanus VI. hac Conſtitutione edita Romæ die
7. Aprilis Ann. 1379. eos, eorumque loca exemit à
poteſtate, dominio, viſitatione, & juriſdictione cu-
juſcumque Ordinarii; necnon à qualibet præſtatione
exactionum, ſivè ſubventionum, etiam ſubſidii Chari-
tativi; itemque à Synodali, & alterius cujuſvis con-
gregationis convocatione; quodque ordinaria auctori-
tate excommunicari, ſuſpendi, aut interdici non va-
leant, ſivè aliàs ratione contractus, ſeù delicti juriſ-
dictio in eos exerceri.

Hic autem primò dubitaverit aliquis; quid oportue-
2 rit Servitas ſpeciali Conſtitutione ab exactione ſubſi-
dii Charitativi, aliarumque præſtationum Ordinario
loci debitarum, cùm hæc ſint de lege Diœceſana, à
qua Jure communi omnes Regulares ſunt exempti,
can. ſi ex Laicis 10. *qu.* 1. *can. inter cætera*, ubi Gloſſ.
verſ. ſolutionis 10. *qu.* 3. *can. quam ſit* 18. *qu.* 2. &
pluries alibi dixi, præſertim *tom.* 3. *ad Conſt.* 11. A-
lex. IV. *ſect. un. num.* 6. *pag.* 229. Ad horum ſanè in-
3 telligentiam præmittendum eſt, quid ſibi velint hujuſ-
modi nomina lex Diœceſana, lex juriſdictionis, &
quatenùs inter ſe differant; Diſcordant enim inter ſe
DD. non ſolùm in aſſignanda diverſitate inter utram-
que legem, ſed etiam circa ſubſiſtentiam ipſius diſtin-
ctionis; cùm aliqui velint, hunc loquendi modum de
lege Diœceſana, & lege juriſdictionis non eſſe doctri-
nalem, & fermè videri commentitium, ut poſt Bu-
trium *in conſ.* 19. quem laudat Felin. *in cap. dilectus
num.* 8. *de Offic. Judic. Ordin.* Fagnan. *ibid. numer.* 4.
Paſſerin. *de ſtat. homin. tom.* 3. *quæſt.* 189. *art.* 10. *in-
ſpect.* 10. *num.* 672. Verùm mihi in hac re, alioqui
4 inter DD. ſatis intricata, tria videntur conſtituenda.
Primum, legem Diœceſanam, ſi vis nominis atten-
datur, ita diſtingui à lege juriſdictionis, ut tamen
eam importare valeat, quatenus in latiori ſignificatio-
ne comprehendit univerſum jus, quod Epiſcopus in
Diœceſi obtinet, atque ita conciliari poſſunt Innoc. *in
cit. c. dilectus, & in c.* 1. *num.* 2. *de ſtat. Monach.* Ab-
bas *in c. auditis in* 1. *notab. de reſtit. in integr.* aſſe-
rentes, unicam eſſe legem Epiſcopi, ſcilicet Diœceſa-
nam; non enim implicat, quod hæc latè ſumpta com-
prehendat legem juriſdictionis, à qua porrò diſtingua-
tur in ſtrictiori acceptione; de qua re habemus in Ju-
re plura exempla, præſertim in adoptione, quæ ab ar-
rogatione differt, & tamen eam comprehendit juxta
ampliorem, vel ſtrictiorem acceptionem, *leg.* 1. & 2.
ff. de adoptionib. Ulteriùs aſſero, diſtinctionem inter
legem Diœceſanam, & juriſdictionis frequentiùs à DD. 5
admiſſam, eſſe doctrinalem, nec inficiari poſſe, quic-
quid dixerit Butrius *cit. conſ.* 19. etenim eam diſertè
ſupponit *Textus in citat. cap. Dilectus*, ubi quòd ſen-
tentia prolata quoad legem Diœceſanam, non præju-
dicet legi juriſdictionis, unde benè Butrium redarguit
Gonzal. *in cit. cap. dilectus numer.* 9. *in fine*, quòd hanc
diſtinctionem negare ſit auſus contra expreſſam De-
cretalem. Tertium quod in hac re aſſero, non be-
nè exiſtimaſſe Gloſs. *in cit. cap. dilectus verſ. de lege*, 6
quod de lege Diœceſana ſint tantùm omnia ea, quæ
in recipiendo conſiſtunt, uti eſt perceptio cathedrati-
ci, procurationis, quartæ mortuariorum, vel decima-
rum, & ſimilium, de quibus apud Rot. *dec.* 213. *n.*
12. & 13. *par.* 17. *rec.* de lege verò juriſdictionis ſint
ea, quæ conſiſtunt in dando, ſeù faciendo, uti eſt jus
viſitandi, collatio Sacramentorum, correctio morum,
& alia, de quibus in *cap. conquerente eod. tit.* & la-
tiùs apud Fagnan. *in cit. cap. dilectus num.* 3. Caſſa-
ingh. *de privil. Regular. par.* 3. *cap.* 1. Azor. *inſtit.
moral. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 32. *quæſt.* 2. Tamburin. *de
Jure Abbat. tom.* 1. *diſput.* 15. *quæſt.* 7. *num.* 1. & 2.
Emanuel *quæſt. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 62. Zerola *in
praxi Epiſcop. par.* 2. *verſ. Jura Epiſcopalia*, Rota
dec. 70. *num.* 3. & *ſeqq. par.* 13. *recen.* Nullibi enim in
Jure cautum eſt, quod ea, quæ conſiſtunt in recipien-
do, ſint de lege Diœceſana, & de lege juriſdictionis
ſint ea, quæ in dando, ſeù faciendo conſiſtunt, qui-
nimò quamplurima ſunt conſiſtentia in recipiendo,
quæ ad legem Diœceſanam non pertinent; prout mul-
ta non cadunt ſub lege juriſdictionis, quamvis in dan-
do, vel recipiendo conſiſtant, ut rectè advertunt Abb.
in cit. c. dilectus num. 4. Fagn. *ibid. num* 3. *in fine*,
Azor. *cit. c.* 32. *q.* 2. *verſ. cæterum*. Unde aliis melius
viſum eſt, has leges non aptiùs diffiniri poſſe, niſi dif- 7
finitione per partes, nempè lex Diœceſana eſt, ad
quam ſpectat perceptio Cathedratici, quartæ decima-
rum, & ſimilium, à quibus jure communi Monaſteria
eximuntur; lex verò Juriſdictionis eſt, quæ obedien-
tiam, ſubjectionem, reverentiam, inſtitutionem, cor-
rectionem, reformationem, Sacramentorum collatio-
nem, cauſarum deciſionem, aliaque, in quibus eodem
jure Monaſteria Diœceſano de jure communi ſubiiciun-
tur. Qui ſanè diffiniendi modus originem habuiſſe vi-
detur à Theorica Innocen. *in cap.* 1. *num.* 2. *de ſtat.
Monach.* qui cùm voluerit totam Epiſcopi auctorita-
tem conſiſtere in lege Diœceſana, cenſuit inter hanc,
& legem juriſdictionis non aliàs diverſitatem conſtitui
poſſe, niſi quia cùm jure cautum ſit, ut Monaſteria
quoad legem Diœceſanam ab Epiſcopo ſint exempta,
ut ſupra dixi, rectè aſſeri poſſit, quod ea in quibus
Monaſteria de Jure Epiſcopo non ſubſunt, pertineant
ad legem Diœceſanam; reliqua verò ſint de lege Ju-
riſdictionis; hinc proinde magis communiter recepta
eſt præfata diffinitio per partes, ita conſtituendo tan-
tùm difficultatem in ſegregando membra, quæ ad
unam, vel alteram legem pertinent, ut apud Cho-
chier. *de Juriſdict. Ordin. in exempt. par.* 1. *quæſt.*
15. *num.* 6. & 7. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.* 1.
tit. 1. *cap.* 1. *num.* 15. & *ſeqq.* Bertachin. *de Epiſcop.
lib.* 4. *par.* 2. *num.* 80. *cum ſeqq.* Cucchus *Inſtitut. Ca-
nonicar. lib.* 1. *tit.* 12. *verſ. hæc jura*, Bott. *de Syno-
do par.* 1. *num.* 61. & *ſeqq.* Hæc autem quamvis ſo-
lidiora videantur; magis tamen concinnè id perſtrin-
xiſſe videtur Gonzalez *in cit. cap. dilectus num.* 9. hic 8
enim legis nomine idem venit ac ratio; idemque eſt
lex Diœceſana, ac jus ad Epiſcopum ratione Diœce-
ſis pertinens; prout ea, quæ ad ipſum ſpectant ratio-
ne Juriſdictionis, legem Juriſdictionis conſtituunt.
Porrò Epiſcopi conſiderari ſimpliciter poſſunt uti E-
piſcopi, præſcindendo à Diœceſi, quam obtinent, &
eis ita conſideratis plura Jure Divino competunt, uti
Succeſſoribus Apoſtolorum; talia ſunt Sacramentorum
collatio, aliaque quæ juxta vulgarem ſententiam legem
Juriſdictionis componunt; quæ Juriſdictio per Sedem
Apoſtolicam, mediante aſſignatione Diœceſis, & cæ-

torum

torum ſubditorum applicatur quoad perſonas certæ
Diœceſis, à qua per exemptionem denuò eximit Papa
aliqua bona, ſeù perſonas ab Epiſcopo. Conſiderari
item Epiſcopi valent, utì peculiarem Diœceſim obti-
nentes, ſub qua ratione ei debentur Cathedraticum, a-
liaque legem Diœceſanam conſtituentia. Hinc cùm
certum ſit, alia competere Epiſcopis utì Epiſcopi ſunt;
alia verò quatenus propriam Diœceſim obtinent, irre-
fragabile eſt, legem Juriſdictionis reſpicientem Epiſco-
pum ſimpliciter utì talem, diſtingui à lege Diœceſa-
na, competente Epiſcopo utì Diœceſim habente. Si-
militer hinc certior Regula elici valet pro conſtituen-
dis certis finibus inter utramque legem, prout diverſa
ſunt ea, quæ Epiſcopo, utì Epiſcopus eſt debentur, ab
iis, quæ ipſum utì Diœceſim habentem ſequuntur.

Exemptiones autem hìc conceſsæ partim ad legem
9 Diœceſanam, partim ad legem Juriſdictionis pertinent.
Certè autem exemptio à lege Juriſdictionis neceſsaria
fuit; nam ceſsantibus privilegiis Monaſteria Jure com-
muni ab hac lege non ſunt exempta. Exemptio item à
lege Diœceſana potuit eſse neceſsaria; nam verè hæc
Jure communi fuit tantùm conceſsa Monachis, eorum-
que Monaſteriis, non autem Fratribus Mendicantibus,
ut colligitur ex *cit. can.* 1. 10. *qu.* 1. & omni caſu mos
eſt Summorum Pontificum concedere ex privilegio,
quod aliàs Jure communi competebat, ex rationibus,
quas adduxi *to.* 2. *ad Conſt.* 6. Honor. III. *num.* 57. *&*
to. 3. *ad Conſt.* 4. Innocent. IV. *num.* 7. *pag.* 27. Cujus
iteratæ conceſſionis eam ulterius rationem indicat Six-
tus V. *in Conſtit.* 34. *incip. Pontifex* §. 1. quia inquit,
ea eſt quorumdam hominum improbitas, taliſque rerum
humanarum conditio, ut niſi ſæpius eadem iterentur,
& legum pœnis fulciantur, hujuſmodi hominum auda-
cia, & temporis injuria, optimæ leges, & privilegia
conculcentur. Porrò de ſingularibus privilegiis in hac
Bulla conceſſis, juxtà aliàs propoſitam neceſsariam re-
rum partitionem, vel infrà in ſimilibus Conſtitutioni-
bus dicemus, vel jam in Superioribus expoſuimus, ut
præſertim de exemptione Regularium ab Ordinariis
quoad cenſuras, dixi *tom.* 3. *ad Conſtit* 2. Alexandr.
IV. *ſect. unic. per tot.* Hic autem de ſubſidio charita-
tivo ſpecialiter tractandum aſsumimus, & quatenus ab
eo Regulares ſunt exempti.

Charitativum ſubſidium, quod & moderatum cha-
10 ritatis auxilium à PP. nuncupatur, juribus quæ Epi-
ſcopus in Eccleſias ſubditas obtinet accenſetur; illud e-
nim exigere fas eſt Epiſcopis, ubi gravi quapiam, &
arcta neceſſitate urgentur. Plura ſanè de eo Generalia
Concilia, & Summi Pontifices opportunè ſanxerunt,
præſertim ex quibus cauſis, in qua quantitate, & à
quibus perſonis exigi oporteat; ita eſſrenam quorum-
dam Antiſtitum avaritiam compeſcentes, qui in his,
aut ſimilibus exactionibus adeò graves ſuis ſubditis exi-
ſtunt, *ut pro hujuſmodi cauſa, ipſa interdum Eccleſia-*
ſtica ornamenta ſubditi exponere compellantur, & lon-
gi temporis victum brevis hora conſumat, ut conqueri-
tur Concilium Lateranenſe in *cap. cum Apoſtolus in*
princip. de cenſib. Etenim in officii charitatis quidem
eſt, ut ſicuti ſubditi Principi ſuo egenti ſuppetias ferre
tenentur, *leg.* 1. *Cod. de ſuperindicto lib.* 10. ita grex
Paſtori ſuo neceſſitate urgente ſubſidia ſuppeditet; At
charitatis ſubſidium charitatis limites prætergredi non
debet; nam ſi à ſubditis ex charitate exhibetur, non
niſi ad charitatis normam petendum eſt; quod agno-
ſcentes Epiſcopi ſanctiſſimi, potiùs in extremas angu-
ſtias adduci paſſi ſunt, ne qua hujuſmodi exactione
quantumvis legitima plebibus ſuis moleſti eſsent, ut re-
fert Thomaſſin. *de Benef. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8.

Et quidem ipſo ſubſidii charitativi nomine attento,
11 apparet hanc contributionem non eſse ordinariam, ſed
ſubſidiariam; nec ſub nomine exactionis venire, ſed po-
ſtulationis; unde non niſi ex rationabili, & manifeſta
cauſa peti poteſt, ut decernitur *in cit. cap. cum Apoſto-*
lus §. *prohibemus.* ubi cum Concilium prohibuerit E-
piſcopis gravare ſuos ſubditos talleis, & impoſitioni-
bus, ſubdit: *Suſtinemus autem pro multis neceſſitati-*
bus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut ſi manifeſta, ac
rationabilis cauſa extiterit, cum charitate valeant ab
eis moderatum auxilium poſtulare. Proinde cuicumq;
cauſæ, quantumvis rationabili, ſemper præire debet
Epiſcopi egeſtas, & impotentia, qua ceſsante intrare
non poteſt hujuſmodi remedium ſubſidiarium, cùm di-
viti ſuccurri non oporteat, Hoſtienſis *in cit. cap. cum*
Apoſtolus num. 7. & ibi Abb. *num.* 2. Gonzal. *num.* 10.
Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 87. *num.* 3. Pi-
gnatell. *tom.* 9. *conſult.* 142. *num.* 5. ubi quòd non de-
beatur Epiſcopo habenti redditus ultra congruam, &
reſpondit Sacr. Congr. Concilii in *Gerunden. ſubſidii*
charitativi, in qua propoſito dubio. *I. An Epiſcopi*
pingues redditus habentes, quia videlicet nedum con-
gruam ipſis juxta formam Sac. Concil. Trident. aſſigna-
tam, verùm etiam duplicatam, ac longè majorem ha-
bent, poſſint exigere charitativum ſubſidium à ſuis Cle-
ricis Diœceſanis, ſub die 17. Febr. Anni 1663. nega-
tivè reſolutum fuit *tom.* 23. *Regeſt. pag.* 435. & con-
ſonat reſolutio Sac. Congregationis Epiſcoporum, quæ
aliàs Hydruntino Archiepiſcopo reſcripſit: *Nelle Chie-*
ſe ricche non ſi può eſiggere il ſoſſidio caritativo, ne an-
che per la prima volta. Nelle povere ſi concede ſola-
mente dov' è la conſuetudine per la ſpedizione delle Bol-
le, e non mai per cauſe particolari de Prelati, che non
abbiano ſorte alcuna di dipendenza dalla Chieſa, e l'
eſatto altrimente ſi deve reſtituire, ut refert Chriſpin.
ad Taxam Innocentianam annot. 13. §. 30. *numer.* 2.
Idemque procedere etiam poſt Taxam Innocentianam
reſolutum fuiſse ab eadem Sac. Congregatione in *Po-*
licaſtren. 19. *Aprilis* 1697. *Ponente clar. mem. Car-*
dinali Petruccio, tradit Monacellus *in formular. tom.*
1. *tit.* 1. *form.* 1. *num.* 37. Verùm cùm hodie poſt
Taxam Innocentianam permiſsum non ſit Epiſcopis 12
petere ſubſidium charitativum, niſi unica vice in pri-
mo ingreſsu, ut iterum infrà dicam, non puto hoc ca-
ſu eſse adeò rigoroſè procedendum, ut Epiſcopus cen-
ſeri debeat dives ad hunc effectum, ſtatim ac conſtet
habere congruam à Concilio præſcriptam, vel aliquid
amplius; nam ſi id ſufficeret, jam cùm ferè omnes E-
piſcopi congruam habeant, non eſset umquam locus
hujuſmodi ſubſidio. Idcircò niſi Epiſcopalis menſa ſit
valdè dives; ultra quantitatem reddituum attenden-
dum etiam eſt, quod Epiſcopus non ſtatim ac Diœ-
ceſim ingreditur, menſæ redditus exigit, ſed multo-
ties annum labi oportet; alioqui autem premitur Epi-
ſcopus alieno ære contracto occaſione promotionis,
ultra actuales expenſas pro ſuſtentatione propria, &
familiæ. Unde ultra quantitatem reddituum, hæc etiam
in facti hypoteſi conſideranda erunt, pro inſpiciendo,
ſit necne locus hujuſmodi remedio ſubſidiario. Pauper-
tas autem, & impotentia Epiſcopi conſiderari debet 13
reſpectu redituum Epiſcopatus; Unde quamvis Meno-
ch. *de arbitr. caſu* 178. *num.* 13. *& ſeqq.* voluerit, E-
piſcopum aliunde proviſum ex bonis propriis patrimo-
nialibus, non poſse charitativum ſubſidium imponere;
verius nihilominus eſt in hoc caſu paupertatem Epiſco-
pi conſiderari attentis redditibus ſuæ congruæ, ut te-
nent Bellencin. *de ſubſid. charitat. queſt.* 49. *num.* 1. *&*
ſeqq. Oldrad. *conſ.* 249. *per tot.* Ventrigl. *in praxi par.*
2. *annot.* 25. §. 1. *num.* 4.

Suppoſita igitur inſufficientia reddituum Epiſcopi,
& concurrentibus cauſis, de quibus infra dicam, non 14
poteſt ſtatim Epiſcopus ſubſidium charitativum indice-
re, ſed exquirere debet conſilium Capituli, ſeù Cleri
contribuere debentis, vel etiam rem proponere in Syno-
do Diœceſana, ut notat Pignatell. *cit. conſult.* 142. *n.*
8. Bellencin. *cit. tract. queſt.* 10. Barboſ. *de Jure Eccleſ.*
lib. 3. *cap.* 21. *num.* 5. & fuit reſolutum *in cit. Gerun-*
den. ad 2. ibi: *An Epiſcopi, quibus pro exigendo cha-*
ritativo ſubſidio non obſtat ſufficientia, ſivè exuberantia
redituum, poſſint illud exigere nulla urgente cauſa, &
inconſultis eorum Capitulis Sacr. Congregat. *Negativè*
reſpondit. Cauſæ autem rationabiles hujuſmodi ſubſi- 15
dium exigendi potiſſimè ſunt; ſi Epiſcopus accedere de-
beat ad Concilium Generale, vel Provinciale, aut ad
Summum Pontificem, vel Regem ob ſuæ Diœceſis,
vel commune Eccleſiæ bonum; Itemque ſi Regem, aut
Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolicum Nuncium in ſua Provincia excipere debeat; ſi pro tuendis Eccleſiæ juribus magna debita contraxerit, vel expenſas fecerit pro fabrica Eccleſiæ, vel alia re continente ejus publicam utilitatem; ſimiliter pro expeditione Bullarum, ac aliis expenſis factis occaſione promotionis, prout has aliaſque cauſas; ex quibus Epiſcopus non tantùm ſemel, ſed etiam pluries poteſt de Jure ſubſidium charitativum petere, referunt paſſim Doctores *in cap. conquerente de offic. Ordin. & in cit. cap. cum Apoſtolus*, latè Bellencin. *cit. loco quæſt.* 16. *per tot.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.* 3. *alleg.* 87. *num.* 26. *& ſeqq.* Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *diſput.* 10. *quæſt.* 3. *num.* 1. *& ſeqq.* Ventrigl. *citat. annot.* 25. §. 1. *num.* 9. *& ſeqq.* Verum quamvis jure
16 communi attento res ita ſe habeat; poſt tamen editam Taxam Innocentianam videtur dubitari poſſe, an in omnibus præfatis caſibus poſſint Epiſcopus ſubſidium charitativum propria auctoritate poſtulare, cùm in eadem Taxa diſponatur: *Il ſuſſidio caritativo in quelle Diœceſi, nelle quali ſia ſolito eſiggerſi, e non altrimente, ſi eſigga ſolamente per una volta nel primo ingreſſo del Veſcovo, ſecondo la Taſſa ſolita antica d' anni* 40. *in dietro, ſi che non s' attenda il ſolito più moderno da detto tempo in giù, nè ſi poſſa eſiggere ſotto qualſivoglia preteſto, anche di volontario donativo.* Idcircò
17 quicquid ſit in locis extra Italiam, de quibus jure dubitatur, an comprehendantur ſub Taxa Innocentiana, præſertim quia cùm edita fuerit lingua noſtrali, conjicere eſt Summi Pontificis mentem in ea edenda fuiſſe, reſtringendi ejus diſpoſitionem intra Italiæ limites, cùm alioqui conſuetum ſit, quod Conſtitutiones, quibus Pontifex Urbem, & Orbem afficere intendit, lingua latina edantur, ut latiùs dixi *tom.* 1. *in proœm.* §. 3. *num.* 31. *& ſeqq. pag.* 13. ubi præſertim id comprobavi ex mente Sac. Congreg. Concil. in *Tarraconen.* 2. *Maii* 1699. quibus addo ſimilem reſolutionem Sac. Congregationis poſteà editam in *N. Provinciæ Hiſpalen.* 20. *Novembris* 1706. *ad* 1. in qua cùm Vicarius pro juribus ad ſe ſpectantibus novam taxam de Ann. 1704. confeciſſet, longè exorbitantiorem ea, quæ à Viſitatore Apoſtolico uſque ab Anno 1606. confecta fuerat, ac proindè ejus moderatio peteretur; Sac. Congr. quamvis rem dirimere valuiſſet reſcribendo, quòd ſervaretur Taxa Innocentiana, in qua præfinita ſunt omnia emolumenta, quæ eo caſu controvertebantur; tamen attenta præfata dubietate de comprehenſione locorum extra Italiam ſub eadem Taxa reſcripſit: *Circumſcripta Taxa Anni* 1704. *dilata, & examinetur Taxa Anni* 1606. Itemque in *Urgellen. Subſidii Charitativi* 26. *Januarii* 1692. in qua cùm occaſione ſubſidii charitativi Epiſcopo in primo ingreſſu ſolvendi, controverſia exorta eſſet circa quantitatem ſolvendam, prætendente Epiſcopo ſubſidium in quantitate aliàs ſoluta de Anno 1671. Capitulo autem ſolitum deſumente ex alia ſolutione facta de Anno 1627. proindeque propoſito ſecundo dubio, *An, & in qua quantitate ſit ſolvendum ſubſidium, charitativum moderno Epiſcopo, & ſucceſſoribus*, Sac. Congregatio ſimpliciter reſcripſit, *Subſidium deberi*; Cum tamen litigium dirimere valuiſſet reſcribendo, quòd ſervaretur Taxa Innocentiana, etenim in ea expreſsè decernitur, ut quoad quantitatem ſolitum deſumendum ſit ex eo, quod ante quadraginta annos fuit ſervatum, ut infra dicam. Quicquid, inquam, ſit extra Italiam, hodie ſaltem in Italia, attenta Taxa Innocentiana, ſubſidium charitativum peti ab Epiſcopo non poteſt, niſi pro unica vice, & ex unica tantum cauſa in primo ingreſſu Diœceſis, pro expenſis ſcilicet factis occaſione promotionis, & quatenus fuerit ſolitum, ut apud *cit.* Chriſpin. & etiam advertit Monacell; *in formular. legali tom.* 1. *tit.* 1. *formula* 1. *num.* 39. & 40. ubi quod primus Epiſcopi ingreſſus non debeat intelligi de phyſico, & perſonali; ſed de ingreſſu in poſſeſſionem Eccleſiæ, ſivè per ſe ipſum, ſivè per Procuratorem facto. Unde concurrentibus aliis cauſis à jure approbatis, Epiſcopi recurrere debent ad Sedem Apoſtolicam, ab eaque facultatem obtinere.

Quantitas autem Subſidii Charitativi in *cit. cap. cum*
Apoſtolus non taxatur, ſed tantùm dicitur, quod debeat 18
eſſe moderata. Benedictus XII. In *Extrav. Vas Electionis* §. *cæterum de cenſib.* Subſidii Charitativi quantitatem taxavit, ut non excedat quantitatem procurationis ab Epiſcopo in viſitatione exigendam. Frequentiùs tamen DD. aſſerunt hujuſmodi Extravagantem non eſſe uſu receptam, adeòque quantitatem ſubſidii charitativi non eſſe jure taxatam, ſed Epiſcopi arbitrio remitti, ut poſt Card. *in cit. cap. cum Apoſtolus quæſt.* 7. *& in cap.* 1. §. 1. *de exceſs. Prælat.* tenent Menoch. *de arbitrar. l.* 2. *centur.* 2. *caſu* 189. *num.* 3. *&* 4. Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 6. Bellencin. *loc. cit. qu.* 41. Boer. *deciſ.* 134. *num.* 10. Ventrigl. *cit. annot.* 15. §. 2. *n.* 1. Bellett. *diſquiſit. Cleric. par.* 1. §. 12. *de Cleric. debitore num.* 14. Pignatell. *cit. conſult.* 142. *num.* 17. *tom.* 9. Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſ.* 3. *num.* 9. Ego tamen cenſeo, eſſe quidem, jure communi attento, in arbitrio Epiſcopi taxare quantitatem ſubſidii charitativi, non ſanè ex eo, quòd Extravagans Benedicti XII. non ſit uſu recepta, nam quoad hoc locum veritati relinquo, præſertim cùm non tam facilè ſit derogare Conſtitutionibus Pontificiis per non uſum, ut faciles Doctores opinantur, & latiùs dixi *tom.* 3. *ad Conſtit.* 6. Urbani IV. *num.* 50. *&* 51. & alibi paſſim; Sed potius quia *Sac. Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *de refor. cap.* 3. poſuit in optione eorum, qui viſitantur, ſolvere procurationem Epiſcopo viſitanti in pecunia, ſivè exhibendo victualia; unde cùm ex hoc Decreto Concilii ſublata fuerit taxa procurationis præſcripta in *cit. Extrav. Vas electionis*; ſublata etiam cenſetur taxa ſubſidii charitativi, quæ, ut dixi, regulanda erat à taxa procurationis; alioqui autem Sac. Concilium de quantitate ſubſidii charitativi nihil diſpoſuit; adeòque res reincidit ad primævam Juris diſpoſitionem in *cit. capit. cum Apoſtolus* §. *prohibemus*, quòd ſcilicet ſolvendum ſit in quantitate moderata arbitrio Epiſcopi; atque in hoc ſenſu fuit Sac. Congr. Conc. in *cit. Gerunden.* in qua propoſito quinto dubio: *In caſibus, quibus eſt permiſſum exigere charitativum ſubſidium, quanta debeat eſſe illius quantitas.* Reſcriptum fuit: *Eſſe arbitrariam pro qualitate indigentiæ, dummodo moderatam, & non oneroſam.* Proin-
dè reſolutio Sac. Congreg. Epiſcoporum, relata per Bar- 19
boſ. *in cit. cap.* 21. *num.* 7. *& in ſumma Apoſtol. deciſ. ver. ſubſidium num.* 2. firmans, quoad quantitatem ſubſidii charitativi ſervandum eſſe ſolitum, ac idcircò excludi arbitrium Epiſcopi, intelligenda videtur rebus in ſimili ſtatu permanentibus, ſeù iiſdem concurrentibus circumſtantiis, egeſtatis ſcilicet Epiſcopi, & cauſæ exigendi ſubſidium, quo caſu congruum eſt ſolitam quantitatem non alterari; & ſolitum in hac re dicitur, quod iteratò ſervatum eſt, ut notat Ventrigl. *cit. annot.* 25. §. 2. *n.* 1. *in fine.* Cœteroqui cùm cauſæ ſubſidium petendi variæ ſint, quæ proinde majorem, aut minorem ſubventionem exigere poſſint; idcircò ſolitum exigendi ſubſidium in certa quantitate ex una cauſa, non poterit firmare ſtatum in alia, in qua, niſi etiam ſolitum concurrat, quod eſſet ſervandum; non cenſetur reſtricta facultas ſubſidium taxandi, quæ Epiſcopo à Jure conceditur; Quemadmodum autem Epiſcopus hujuſmodi ſo-
litum eadem cauſa, & circumſtantiis concurrentibus al- 20
terare non poteſt, ita nec Capitulum Sede Vacante ſtatutum condere valet, quo quantitas ſubſidii ſolvi ſolita minuatur, ut poſt Lapum *alleg.* 20. tenent Bellencin. *loco cit. qu.* 46. *per tot.* Ventrigl. *cit. annot.* 25. §. 2. *num.* 4. & reſolvit Sac. Congreg. Concilii in *Urgellen. ſubſidii charitativi die* 26. *Januarii* 1692. ubi ad primum Dubium: *An ſtatutum à Clero Urgellen. Sede Epiſcopali Vacante conditum ſuper minori quantitate ſubſidii charitativi, ſuſtineatur*; Reſcriptum fuit *Negativè*. Hæc
quidem procedunt jure communi attento, & quoad 21
loca, in quibus non viget Taxa Innocentiana, ut ſupra dixi; alioqui autem intra Italiam ſervanda eſt Taxa Innocentiana, quæ quoad quantitatem ſubſidii charitativi omninò ſervari voluit taxam ſolitam; hanc porrò eam eſſe declaravit, quæ ante quadraginta annos præcedentes ipſam Taxam Innocentianam, de anno 1678. editam

Digitized by Google

tam practicata fuit; itaut major ſumma exigi non poſ-
ſit ſub quocumque prætextu etiam voluntarii donativi,
Epiſcopo Chriſpin. ad Taxam Innocent. annot. 13. pa-
ragrapho 30. num. 4. prout aliàs Sacr. Congr. Concilii
declaraverat in Gerunden. 12. Auguſti 1588. ad 8. de
qua meminit Garzias de Benefic. par. 8. cap. 1. num. 77.
Pignatell. cit. conſult. 142. num. 3. Quatenus autem, &
quo caſu Epiſcopo licitum ſit exigere donativa, ſeù ſtre-
nas dixi tom. 2. ad Conſt. 1. Anaſtaſii IV. ſect. 3. per tot.
pag. 33.

Porrò perſonæ, à quibus Epiſcopus ſubſidium chari-
22 tativum petere poteſt, ſunt ejus ſubditi, ex Textu in cit.
cap. cum Apoſtolus §. probibemus, cap. conquerente de
offic. ordinar. adeòque omnes Clerici, & Eccleſiæ Diœ-
ceſis pro eo contribuere tenentur, Fagn. in cap. præte-
reà num. 36. Ne Prælati vices ſuas, Bellencin. cit. tr.
quæſt. 26. Federic. de Senis conſil. 274. in princip. Cle-
rici autem contribuere tenentur habito reſpectu ad fru-
23 ctus ſuorum Beneficiorum; adeòque Clerici Beneficium
non habentes, vel ſi id quod habent ſit tenue, & ad
propriam ſuſtentationem inſufficiens, cogi non poſſunt
ad hujuſmodi ſubſidium præſtandum, etiamſi amplum
obtineant patrimonium; Beneficium verò tenue obtinen-
tes, certè gravarentur petendo ſubſidium ex fructibus ad
victum inſufficientibus, ut latè apud Bellencin. loc. cit
quæſt. 30. & 31. Azor. inſtitut. moral. tom. 2. lib. 9. cap.
14. quæſ. 6. Barboſ. cit. alleg. 87. num. 48. & 49. Cæte-
24 roqui omnia Beneficia Diœceſis pro hujuſmodi ſubſidio
contribuere tenentur. Et quidem ex fructibus Beneficio-
rum vacantium pertinentibus ad Cameram Apoſtoli-
cam, detrahuntur non ſolùm onera intrinſeca Miſſarum,
Oeconomi, & ſimilia, ſed etiam iſtud pro ſubſidio cha-
ritativo, ut re maturè diſcuſſa reſolvit Sacra Congrega-
tio Concilii in Venafrana ſubſidii charitativi die 2. Apri-
lis 1672. lib. 27. Regeſt. pag. 351. in qua propoſito pri-
mo dubio, An ex redditibus Canonicatum, Parochia-
lium, & Beneficiorum, quæ vacabant tempore, quo Cle-
rus impoſuit collectam pro ſubſidio charitativo, ſolven-
da ſit rata dictæ collectæ, ex quo tempore impoſitionis
redditus nondum fuerant avulſi à ſolo, vel percepti. Sa-
cra Congregat. perpenſis etiam deductis per D. Theſau-
rarium pro Jure Cameræ, cenſuit teneri ſolvere. Adeò
25 autem verum eſt, contributionem eſſe faciendam ex om-
nibus Beneficiis Diœceſis, ut quoad hoc non attendatur
an Beneficiati ſint Diœceſani, vel exteri, & in aliena
Diœceſi degentes, ſed tantùm locus Beneficii; Unde
cùm in una Caſtren. ſeu Hidruntina ſubjectionis ſuppo-
neretur quendam Clericum eſſe ſubjectum Epiſcopo Ca-
ſtren. ratione originis, & Archiepiſcopo Hidruntino
ratione domicilii; ac proindè dubitaretur, An præfatus
Clericus teneretur ſolvere ſubſidium charitativum utri-
que Epiſcopo, & an teneretur concurrere ad ſolutionem
ſpolii cum Clero utriuſque Diœceſis: Sacr. Congregat.
Concilii die 2. Decembris 1673. ad utrumque dubium
reſpondit, Teneri in ea Diœceſi, in qua poſſidet Bene-
ficium, ut habetur lib. 28. Regeſt. pag. 199. à tergo Con-
tributio igitur facienda eſt Epiſcopo Diœceſis, in qua
ſitum eſt Beneficium, nec Beneficiatus degens in diver-
ſa Diœceſi, hujus Epiſcopo contribuere tenetur, niſi
ibi aliud Beneficium obtineat. Beneficium autem in Diœ-
26 ceſi ſitum cenſetur, ſi in ea ſit Eccleſia, ſeù titulus,
quamvis bona in aliena Diœceſi exiſtant, unde ex eo non
contribuitur Epiſcopo, in cujus Diœceſi bona tantum
ſita ſunt, ſed ubi eſt Eccleſia, ut firmat Bellencin. eod.
tract. qu. 35. Azor. cit. cap. 14. qu. 6. Barboſ. de Jure Ec-
cleſ. lib. 3. cap. 21. num. 34. quod etiam dicendum eſt de
27 Beneficiis unitis Diœceſis unitis Eccleſiæ alterius Diœ-
ceſis, quæ contribuere debent Epiſcopo, in cujus Diœ-
ceſi exiſtunt, ut tenent Bellencin. cit. qu. 36. Ventrigl.
cit. annot. 21. §. 1. num. 28. excepto niſi conſtet bona,
ex quibus erecta ſunt Beneficia, prius pertinuiſſe ad Ec-
cleſiam in aliena Diœceſi exiſtentem, & ſubindè fuiſſe
erecta in Beneficium, ut in eiſdem terminis quoad con-
tributionem Seminario faciendam cenſuit Sac. Congre-
gat. Concilii in N. 12. Aprilis 1654. Propoſitio enim
dubio, An Commendatarius Abbatiæ exiſtentis in Diœ-
ceſi N. quæ habet Beneficia unita in aliis Diœceſibus,
teneatur contribuere Seminario ejuſdem Diœceſi N. pro
eiſdem Beneficiis unitis exiſtentibus in aliis Diœceſibus.
Sac. Congregat. juſſis dari Decretum aliàs editum in Tro-
jana 20. Novembris 1593. tenoris ſequentis. Sac. &c.
cenſuit, ſi bona exiſtentia in Diœceſi Trojana ſint pro-
pria aliquorum Beneficiorum, ſeu Eccleſiarum ibidem
ſitarum, quæ tamquam membrum ſubjecta & unita ſunt
Monaſterio: pro Seminario ratione dictorum bonorum
debere ſolvi Epiſcopi loci, in quo bona cum Beneficiis,
ſeu Eccleſiis ſita ſunt; niſi conſtiterit bona prius fuiſſe ap-
plicata ipſi Monaſterio, & deinde erecta Beneficia, ſeù
ædificata Eccleſia, quia tunc contributio eſſet facienda
Epiſcopo loci, in quo ipſum Monaſterium exiſtit. Por-
rò ſi Beneficia penſionibus gravata reperiantur, Benefi- 28
ciati contribuere non tenentur, niſi pro rata fructuum
deducta penſione; pars autem oneris reſilit in Penſiona-
rios, qui ad hujuſmodi contributionem concurrere de-
bent, quamvis Diœceſani non ſint. Fagnan. in cap. ad
audientiam num. 86. de reſcript. Gratian. deciſ. Marcb.
20. num. 10. Gigas de penſion. quæſt. 28. num. 19. Ton-
dut. eodem tr. cap. 6. n. 5. ubi quod penſionarius tenetur
pro rata contribuere ad ſolutionem onerum impoſito-
rum ſuper fructibus Beneficii; & in terminis contri-
butionis faciendæ Seminario, eadem Sac. Congregat. in
Tropien. 18. Auguſti 1652. reſolvit, teneri contribue-
re Seminario ille, cui reſervata eſt penſio ſuper Menſa
Epiſcopali; excepto tamen caſu, quo Papa in reſerva-
tione penſionis penſionarium ab hujuſmodi onere exe-
merit, prout etiam aliquando concedi ſolet exemptio à
quocumque onere etiam decimarum Papalium, ut tra-
dunt Ventrigl. cit. annot. 25. §. 1. num. 30. Barboſ. de po-
teſt. Epiſcop. alleg. 87. num. 52. & de Jure Eccleſiaſt.
cap. 21. num. 44. & in terminis Seminarii reſolvit ea-
dem Sac. Congregat. in Forolivien. Contributionis 16.
Julii 1661. ubi quòd Seminario contribuere tenentur
Beneficiari, etiamſi in Beneficiis impoſitæ ſint penſio-
nes, quæ ex indulto Apoſtolico ſunt ſpecialiter ab hujuſ-
modi contributione exemptæ. Cum autem Beneficiati
ad hujuſmodi ſubſidium concurrere non teneantur, ni- 29
ſi ratione fructuum Beneficiorum, ſub quorum nomine
non veniunt diſtributiones quotidianæ, ſequitur quod
ex his, prout ex aliis emolumentis incertis, non con-
tribuatur pro ſubſidio charitativo, ut poſt Bellencin. lo-
co cit. quæſt. 27. tenent Gonzal. ad regul. 8. Cancell. in
proœm. §. 7. num. 174. Moneta de diſtribut. par. 3. qu.
9. num. 19. Verum in hac re conſideranda eſt natura
ipſarum diſtributionum, ut reſpondit eadem Sac. Con-
gregatio in cit. Gerunden. ſubſidii charitativi 17. Fe-
bruarii 1663. ad 4. ubi cum quæreretur, an Epiſco-
pus poſſit ſubſidium charitativum exigere à ſuis Cleri-
cis Beneficiatis, non habentibus alios redditus, quàm
diſtributiones quotidianas; Sacra Congregatio reſpon-
dit, Explicandam eſſe naturam harum diſtributionum. 30
Unde cùm multoties diſtributiones cadant loco præ-
bendæ; ut alibi dicam, eo caſu certum eſt, uti fructus
præbendæ ſubjici iiſdem contributionibus, ut quoad
contributionem Seminario faciendam cenſuit eadem
Sac. Congregat. in Narnien. Contributionis 28. Maii
1661. ubi, quòd ſi redditus Canonicorum omnes in di-
ſtributionibus conſiſtant, Canonici tenentur ad contri-
buendum Seminario pro ea rata diſtributionum, quam
abſentes ex juſta cauſa percipiunt.

Sit igitur regula pro Epiſcopo, ut omnes Eccle-
ſiæ, & Beneficia Diœceſis teneantur ei contribuere pro 31
ſubſidio charitativo, in quo proinde habet intentio-
nem fundatam, ac juris aſſiſtentiam, quæ ſola ſufficit,
uſque ex adverſo de exemptione conſtet, ex cit. c. cum
Apoſtolus §. probibemus, cit. c. conquerente, ubi Fa-
gnan. numer. 38. & 39. Rota dec. 1072. num. 7. &
10. cor. Penia, deciſ. 116. num. 16. cor. Carillo dec.
179. num. 9. cor. Buratt. & in Gerunden. Juriſdictio-
nis ſuper bono Jure die 5. Martii 1692. cor. D. Mo-
lines Decano. Certè autem cùm ſubſidium charitati-
vum ſit de lege Diœceſana, utpotè quod debetur E-
piſcopo, uti Diœceſim obtinente, ut ſupra diximus;
exempti à lege Diœceſana pro eo contribuere non te-
nentur; unde cùm Monaſteria ab hac lege de jure ſint 32
exem-

Digitized by Google

exempta, ex Textu *in cap. dilectis de offic. Ordin.* & dixi ſupra *numer.* 2. exempti etiam erunt à præſtatione ſubſidii, Bellencin. *de ſubſid. charit. quæſt.* 29. Hoſtienſ. *in ſumm. tit. de Cenſibus*, *§. ex quibus cauſis, verſ. item Epiſcopus exigit*, Chochier *de juriſd. Ordin. in exemp. part.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 8. Bellet. *diſquiſit. Cleric. par.* 1. *tit. de Clerico debitore* §. 12. *num.* 18. Ventriglia *cit. annot.* 25. §. 1. *nu.* 35. quam pariter exemptionem obtinent omnes Regulares Mendicantes ſivè ex communicatione privilegiorum, ſivè quia id eis peculiariter indulgetur in ſuis privilegiis, quorum plurima referunt Rodriqu. *quæſt. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 66. *art.* 1. & 2. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *n.* 1. & 2. prout in hac Conſtitutione ſpecialiter id conceditur Fratribus Servitis. Quòd tamen non procedit pro
33 Eccleſiis Monaſterio unitis, quæ aliàs hujuſmodi præſtationibus ſubjectæ erant; pro his enim Regulares contribuere Epiſcopo tenentur, ut tradunt Barboſ. *de Jur. Eccleſ. cit. cap.* 21. *num.* 51. & *de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 87. *num.* 46. Bellencin. *eod. tract. quæſt.* 29. *num.* 3. & 5. Ventrigl. *cit. annot.* 25. §. 1. *num.* 35. Chochier. *loc. cit. par* 4. *quæſt.* 9. *num.* 2. ubi quod Regulares, & exempti contribuere teneantur, ſi habeant populum ab Epiſcopo non exemptum, & tradit D. Piton. *par.* 2. *diſcept.* 35. *num.* 18. Quod etiam limitatur pro Eccleſiis Regularibus unitis, quæ ſpecialem quoad hoc exemptionem obtinuere, quo ſenſu intelligenda eſt reſolutio Sac. Congregat. Concilii *in Auguſtana* 14. *Decembris* 1630. *ad* 4. *tom.* 14. *Regeſt. pag.* 356. de qua meminere Bonfadin. *in theſauro Eccleſiaſt. Deciſ. reſol.* 36. *num.* 20. Barboſ. *in Summa Apoſt. deciſ. ver. ſubſidium*, *num.* 3. ubi quod Fratres S. Joannis Hieroſolymitani, ſivè eorum Vicarii in Parochialibus Religioni unitis non teneantur, neque ab Epiſcopo compelli poſſint ad contributionem Seminarii, nec ad ſolutionem cathedratici, ſeù ſynodatici, vel charitativi ſubſidii; Et quoad contributionem Seminarii pro Regularibus Mendicantibus reſolvit eadem Sac. Congregatio in *Agrigentina* 29. *Martii* 1649. *tom.* 18. *Regeſt. pag.* 630. ubi quod Seminario contribuere non tenentur Regulares Mendicantes pro Beneficiis eorum Conventibus unitis. Cæterùm controverſiæ, quæ circa exemptionem ab hujuſmodi ſubſidiis ſuboriri poſſunt, facti potiùs ſunt quàm juris, cùm maximè pendeant ex ipſis verbis exemptionum, quatenùs ſcilicet, ceſſante expreſſa ſubſidii charitativi mentione, comprehenſum ſub generali exemptione cenſeatur, ac quoad hæc nonnulla videas penes Piton. *par.* 2. *diſcept.* 35. *n.* 14. & *ſeqq.* Rota *dec.* 1274. *n.* 9. *cor. Coccino*.

CONSTITUTIO III.

URBANI VI.

Incipiens (*Quis ſicut.*)

EPITOME BULLÆ.

URBANUS, AD PERPETUAM REI Memoriam.

Contra laicos Officiales, ſeù Juriſdictionem temporalem obtinentes, Miniſtros Eccleſiæ bannientes, relegantes, aut proſcribentes, pœnam excommunicationis ipſo facto promulgat, & Communitates, ac Oppida eorum Interdicto Eccleſiaſtico ſupponit, non obſtantibus privilegiis quibuſcumque.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſiæ immunitas à Laicorum oppreſſionibus pluries per Summos Pontifices vindicata.*
2 *Id egit Urbanus VI. in præſenti Conſtitutione quoad bannientes Epiſcopos, alioſque Clericos.*
3 *Itemque plures Principes Laici, & affertur ad rem Lex Caroli IV.*
4 *Quæ præſcripſerit Concil. Trident. quoad Immunitatem Eccleſiaſticam ſervandam.*
5 *Auſtriacæ domus pietas in juribus Eccleſiæ conſervandis.*
6 *Excommunicatio, & Interdictum ſtatuit Urbanus VI. contra bannientes perſonas Eccleſiaſticas.*
7 *Aliaſque pœnas præſcripſit Clemens V. & Bulla Cœnæ.*
8 *Non recipientes Epiſcopos in ſuis Terris, quas pœnas incurrant.*
9 *Civitas interdici poteſt pro delicto ſui Rectoris, præſertim ſi banniat Eccleſiæ Miniſtros.*
10 *Nec interdici poteſt, ſi bannitio ſequatur ex culpa privatorum.*

Dotalis Eccleſiæ libertas à Chriſto Domino ei conſtituta, etſi aliquando Principes ſæculi eam labefactare tentaverint, tamen ſemper conſtantia Roma- 1
norum Pontificum in priſtinum floruit, imò ab iiſdem laicalibus poteſtatibus religioſè cuſtodita, ut fecerunt tot piiſſimi Imperatores in eorum legibus emanatis, de quibus adſunt ſupra adducta *Conſtitut.* 10. *Innocentii III.* & *Conſtitut.* 1. *Honorii III.* & infra *Conſtitut.* 4. *Bonifacii IX.* Malitia tamen hominum ſæpè in Miniſtros Eccleſiæ, eam conſervare enixis viribus curantes, erumpere non erubuit, ut paſtore deleto non eſſet, qui eam amplius tueretur, ac oves, populus nempè Chriſtianus, diſſiparentur. Hinc non omiſerunt aliqui Principes, Duces, aliique Oppidorum domini, aut Officiales laici in Paſtores Eccleſiæ, Miniſtroſque inferiores inſævire, eos bannientes, relegantes, aut proſcribentes, ut iis abſentibus Eccleſiaſtica jura deprædarentur à laicis, & ut alii pœnarum hujuſmodi timore correpti in defenſione Immunitatis Eccleſiaſticæ repeſcerent. Huic ſcandalo vi- 2
tando conſulere curavit ſemper Romanorum Pontificum providentia, dum cenſurarum mucrone tales perditos homines afficere non deſtitere; ut egit Urbanus noſter in hac Conſtitutione edita in Urbe 4. Idus Decembris Anno 1383. excommunicationis ſententiam erga tale facinus committentes promulgando, ac interdicti ipſo facto, quoad loca, & Terras ipſorum dominorum, in quibus hujuſmodi committuntur exceſſus. Hoc idem longè ante præſcripſerat Clem. V. in Concilio Viennenſi anno 1309. de quo dixi ſupra *tom.* 3. *ad Conſtitut.* 1. *Clem. V.* quæ Conſtitutio regiſtratur in *Clement.* 1. *de pœnis*, & etiam in *Bulla Cœnæ Domini excomm.* 11. Verùm ne dum Canones Eccleſiaſtici, ſed piiſſimi Principes Laici, 3
id prohibuere Valentinianus Theodoſius, ac Arcadius Imperatores in *Cod. Theod. lib.* 16. *tit. de Epiſc. aud. cap. ult.* & Fridericus II. ac Carolus IV. Imperatores, de quibus legibus fit mentio in Conſtitutionibus citatis Innocentii III. & Honorii III. ac infra in *Conſtitut.* 4. *Bonifacii IX.* ubi ita habetur ex lege Caroli, ibi adnexa: *Item pronunciamus, & declaramus Imperiali auctoritate, quod quicumque Laicus cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat, auſu ſacrilego, & propria temeritatis audacia Sacerdotem, vel Clericum Sæcularem, vel Religioſum diffidaverit, vel captivaverit, proſcripſerit, ſpoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in Carcere detinuerit, aut hujuſmodi maleficia perpetrantes, ſcienter receptaverit, vel favore in his eis præſtiterit, præter pœnas à Sacris,*

Digitized by Google

& Imperialibus , & Canonicis ſanctionibus eis inflictas, ſint ipſofacto infames , & omni honore privati , nec ad placita , & Concilia nobilium admitti quovíſmodo poſſint . Quæ lex duplici vinculo conſtat , temporali ſcilicet , utpotè emanata ab Imperatore , & ſpirituali , cùm fuerit coofirmata à Summo Pontifice in *cit. Conſtit. 4. Boniſac. IX.* de qua infrà . Ad tantum igitur facinus abolendum omittere putavi DD. noſtros , Moraleſque qui conſcientias tantùm ſtimulant , tot Decretales Summorum Pontificum , quæ id idem ſtatuunt ; quis itaque dubitabit tale facinus ab omnibus reprobari non debere , dum tot pœnæ in id committentes ab eadem Imperiali auctoritate latæ fuerunt ; ultra pœnas ſpirituales à poteſtate Eccleſiaſtica indictas .

4 Incurritur enim excommunicatio latæ ſententiæ ab iis , qui tales actus prohibitos agunt , necnon Interdictum ipſo facto quoad loca , & ulteriùs notantur infamia rei , ac honoribus temporalibus ſpoliati , ac infames reputantur ; & ad rem tuendæ Immunitatis Eccleſiaſticæ in Eccleſiæ Miniſtris exclamaverunt Tridentini Patres in Oecumenica Synodo *cap.* 20. *ſeſſ.* 25. *de reform.* majori conſideratione digni , quia non agebatur de ſola Romana Curia , quæ blandiri ſummopere Eccleſiaſticorum Immunitati per ora Laicorum fertur , ſed de cœtu Eccleſiaſtico totam Eccleſiam repræſentante variarum Nationum , & quidem earum , quæ potiùs libertatem fovere curant ad favorem laicorum Principum ; aderant quidem Oratores eorum , & tamen infraſcripta verba ad perpetuam memoriam inſcribi Synodus illa decrevit , ut cordi cujuſcumque Principis inſculpta remanerent : *Cupiens Sancta Synodus Eccleſiarum diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui , ſed etiam perpetuo ſartam tectam quibuſcumque impedimentis conſervari ; præter ea , quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit ; Sæculares quoque Principes officii ſui admonendos eſſe cenſuit , confidens eos , ut Catholicos , quos Deus S. Fidei , Eccleſiæque Protectores eſſe voluit , jus ſuum Eccleſiæ reſtitui , non tantùm eſſe conceſſuros , ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam ergaClerum , Parochos , & Superiores Ordines reverentiam revocaturos , nec permiſſuros , ut Officiales , aut inferiores Magiſtratus , Eccleſiæ , & perſonarum Eccleſiaſticorum immunitatem , Dei ordinatione , & Canonicis ſanctionibus conſtitutam , aliquo cupiditatis ſtudio , ſeu inconſideratione aliqua violent , ſed unà cum ipſis Principibus debitam Sacris Summorum Pontificum , & Conciliorum Conſtitutionibus obſervantiam præſtent . Decernit itaque , & præcipit , Sacros Canones , & Concilia Generalia omnia , necnon alias Apoſtolicas ſanctiones , in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum , libertatis Eccleſiaſticæ , & contra ejus violatores editas , quæ omnia præſenti etiam Decreto innovat , exactè ab omnibus obſervari debere . Proptereàque admonet Imperatorem , Reges , Reſpublicas , Principes , & omnes , & ſingulos cujuſcumque ſtatus , & dignitatis extiterint , ut quò largius bonis temporalibus , atque in alios poteſtate ſunt ordinati , eò ſanctius , quæ Eccleſiaſtici juris ſunt , tamquam Dei præſcripta , ejuſque Patrocinio tecta venerentur , nec ab ullis Baronibus , Domicellis , Rectoribus , aliiſve Dominis temporalibus , ſeu Magiſtratibus , maximeque Miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur , ſed ſeverè in eos , qui illius libertatem , immunitatem , atque juriſdictionem impediunt , animadvertant , quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem , Religionem , Eccleſiarumque protectionem exiſtant , imitantes anteriores , optimos , Religioſiſſimoſque Principes , qui res Eccleſiæ ſua imprimis auctoritate , ac munificentia auxerunt , nedum ab aliorum injuria vindicarunt . Adeoque ea in re quiſque officium ſuum ſedulò præſtet , quo cultus divinus devotè exerceri , & Prælati , cæterique Clerici in reſidentiis , & Officiis ſuis quieti , & ſine impedimentis cum fructu , & ædificatione populi permanere valeant .*

5 In ævum igitur vivat Auſtriacæ Domus auguſta pietas , quæ erga Sanctam Sedem Apoſtolicam , ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales , Epiſcopos , alioſque Eccleſiæ Miniſtros ſemper obſequentiſſima ſe oſtendit , & quod Synodus Tridentina ejus præcipuo favore indicavit , continua protectione , & Religioſa obſervantia confovet , hancque pietatem alii Principes ſequi debent tanto exemplo ejus , cui floridiſſima Regna ſubiiciuntur , quibus arma dederat Deus , ut Eccleſiæ muros cuſtodiret ; ſciantque etiam expertam Romanorum Pontificum conſtantiam in Eccleſiæ libertate defendenda , contra Miniſtros Eccleſiæ proſcribentes , ut temporibus his , etſi ſatis difficilibus , Eccleſiaſticæ Immunitatis aſſertor maximus eſt Clemens XI. qui tot continuis laboribus , Sanguini , & Carni non proſpiciens , dotalem Eccleſiæ hanc libertatem confovere non deſinit .

Deveniendo igitur ad praxim materiæ hujus Bullę , 6
animadvertendum eſt , Urbanum edidiſſe hanc Decretalem contra habentes temporalem Juriſdictionem , tàm ſi fuerint Domini locorum , quam Officiales quocumque modo appellatos , cujuſcumque fuerint dignitatis , mandantes , auctoratum habentes , dantes auxilium , conſilium , aut favorem in bandiendo , relegando , aut proſcribendo Miniſtrum quemcumque Eccleſiaſticum , tàm in dignitate conſtitutum , quàm eam non obtinentem , ſub pœna excommunicationis ſoli Romano Pontifici reſervatæ , & in articulo mortis tantùm abſolvendæ , ac Interdicto ipſo facto in Terris , in quibus talia fierent . Clem. tamen V. *in cit. Clem. 1. de pœnis* procedit contra quoſcumque cujuſcumque conditionis fuerint , qui Pontifices , id eſt Epiſcopos bandiunt , vel percutiunt , aut capiunt , ratum id habentes , mandantes , conſilium auxilium , vel favorem præſtantes ; Unde noſtra Conſtitutio procedit contra proſcribentes quoſcumque Miniſtros Eccleſiæ , & ſic plures perſonas ; Clementina verò comprehendit tantum Epiſcopos , contra quos talia fiunt ; ſed procedit in pluribus caſibus , nempè percuſſionis , capturæ , & ſimilium . Ulterius ultra pœnas excommunicationis , & interdicti contentas in hac Conſtitutione , Clemens impoſuit privationem feudorum , locationum , Officiorum , ac Beneficiorum in Eccleſia ejuſdem Epiſcopi , ac inhabilitatis deſcendentium uſque ad ſecundum gradum incluſivè per lineam maſculinam ad præfata Beneficia , ac Interdicti in tota Diœceſi , & in loco , ubi Epiſcopus detinetur , & ſi fuerint duæ Diœceſes ; præſcribit modum , ubi excommunicationem contra delinquentes feſtivis diebus publicari demandavit . Bulla verò in Cœna Domini ſic contra hujuſmodi reos pœnas comminatur : *Excommunicamus , anathematizamus omnes interficientes , mutilantes , vulnerantes , percutientes , capientes , carcerantes , & hoſtiliter inſequentes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales , Patriarchas , Archiepiſcopos , Epiſcopos , Sedis Apoſtolicæ Legatos , vel Nuncios , aut eos à ſuis Diœceſibus , Territoriis , Terris , ſeù Dominiis eiicientes , necnon id mandantes , vel ratum habentes , ſeu præſtantes in eis auxilium , conſilium , vel favorem* . Quia omnes ſubduntur excommunicationi latæ Sententiæ in dicta Bulla Cœnæ Domini contentæ , Romano Pontifice reſervatæ , & ſic comprehendit plures actus ; quàm noſtra Conſtitutio reſtricta ad bannientes , relegantes , & proſcribentes ; Rurſus Bulla Cœnæ nominat Cardinales , Epiſcopali Dignitate præditos , itemque Legatos , & Nuncios ; hæc Bulla Urbani procedit in quocumque Eccleſiæ Miniſtro , quod verificatur in graduatis contentis in d. Bulla Cœnæ , & de Epiſcopis in iſta , & in Clementina enunciatis ; & etiam in quocumque Miniſtro Eccleſiæ dignitatibus prædictis non graduato ; Ulterius noſtra Bulla continet actum bannitionis , relegationis , vel proſcriptionis à quocumque loco ; Clementina verò , & Bulla in Cœna Domini procedit de loco Diœceſis , Bonac. *de Cenſ. in Bulla Cœnæ diſp. 1. q. 12. pu. 1. num. 9. & num.* 16. §. 4. & licèt aliqui dicant , Bullam poſſe applicari , ſi Epiſcopus fuerit ejectus à loco , in quo habet Juriſdictionem jure patrimoniali , vel à Patria propria , ut ſentit *cit.* Bonac. *n.* 17. *& nu.* 18. dicit etiam Bullam comprehendere Epiſcopum , qui renunciavit Epiſcopatui , ſi eiiciatur à Patria , vel Regno proprio , quia Bulla loquitur de terris ſuis , poſtquam mentio fecerit de Diœceſibus ,

ut ſu-

ut ſupra notavi ex verbis Canonis ejuſdem Bullæ Cœnæ; ſed alii negant, ut apud Ugolin. *ad cit. Can. Bullæ Cœna* §. 1. *num.* 4. Duard. *in eadem Bulla quaſt.* 9. *num.* 6. *&* *q.* 4. *n.* 5. Scortia *in ſelect. Pontiſ. theor.* 420. Del Bene *de Immunit. cap.* 2. *dub.* 8. *ſect.* 5. *num.* 2. *&* 3. quæ opinio videtur verior, ſed quoad noſtram præſentem Bullam id procedit, ſi bannitio fiat à quocunque loco; non tamen in ulla ex dictis Conſtitutioni-
8 bus comprehenditur caſus, ſi quis non admittat Epiſcopum, vel aliquem Miniſtrum Sedis Apoſtolicæ in ſuis Terris, quia loquuntur de ejectione, quæ ſupponit jam factam eorum admiſſionem; Contra verò eos non recipientes adeſt excommunicatio contenta in *Extravag. Joannis XXII. ſupra gentes de conſuet.* ubi ſupponuntur Interdicto Eccleſiaſtico loca, & Regna, in quibus non recipiuntur. Demum in pœnas inflictas reſpectivè ab hac noſtra Bulla, in Clementina, & in Bulla in Cęna Domini, incurrunt quoque mandantes, ratum habentes, auxilium, concilium, & favorem dantes, ut ad materiam ſcripſerunt latè Barboſ. *cit. Clementina*, Bonac. Scortia *cit. loc.* ubi alii.

9 Locus verò, in quo interdictum fulminatur per hanc Conſtitutionem Urbani, & aliam Clement. V. juſtè patitur dictam pœnam pro delicto ſui domini, ſeu Officialis, prout aliàs à Sacris Canonibus id idem impoſitum reperitur pro delicto Superioris, *cap. non eſt vobis de ſponſalibus*, *cap. ſanè* 2. *de offic. delegati*, *cap. ubi periculum*, §. *præterea de electione in* 6. *cap. ſi ſententia de ſent. excom. in* 6. ex ea ratione, quia ſubditorum pœna redundat in dominum, ac Rectorem, & ſubditorum clamoribus faciliùs domini expergiſcuntur, & videmus in pluribus exemplis in Scriptura Sacra id factum, quia pro peccato Davidis interfectus fuit populus, & aliàs apud Gratian. *in compilat. Decreti*, *Can. Eccleſia* 1. *q.* 4. Culpa tamen, ut intret pœna populi pro Superiore, debet eſſe gravis, quia eſt remedium extraordinarium, quod paſſim non eſt adhibendum, ne vileſcat, & juſtè impoſitum fuit in hac Bulla contra proſcribentes Eccleſiæ Miniſtros, & in *cit. Clem.* contra id agentes in Epiſcopos. Debet tamen ſequi actus ejectionis ex culpa domini, ſeu Officialis, aut Univerſitatis, ſeu Capitis ejus, & habentis in loco juriſdictionem tàm mediatam, quàm immediatam, nec ſufficit, ut actus ſequatur culpa alicujus privati, à quo expellantur, & debet ſequi effectus, ut de his, & aliis ad rem conſuli poſſunt Duard. Ugolin. Barboſ. *cit.* & Schorzia *theorem.* 76. *&* *theor.* 420. Del Bene *cit. cap.* 2. *dub.* 8. *ſect.* 5. *&* *ſeq.* Monaccll. *formul. tom.* 3. *tit.* 3. *formula* 8. *num.* 8. & Bonacina *to.* 3. *de Interd. in particulari diſp.* 4. *quaſt.* 3. *punct.* 4. *n.* 1. *&* 10. & de praxi Interdicti Eccleſiaſtici vide Cyrillum Epiſcopum Neocaſtrenſem *poſt quaſt. Juris*, & Monaccll. *cit. tom.* 3. *tit.* 3. noviſſimè ſcribentes, & nos alibi dicemus.

CONSTITUTIO I.

BONIFACII IX.

Incipiens (*Superni.*)

EPITOME BULLÆ.

BONIFACIUS, &c. AD PERPETUAM REI Memoriam.

B. Mariæ virginis viſitantis Eliſabeth feſtum, quolibet anno recolendum die 2. Julii inſtituit, cum adhortatione ad jejunium ſuæ Vigiliæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Bonifacii IX. natales, & ad Pontificatum aſſumptio referuntur.*
2 *Ejus geſta durante Pontificatu, & obitus.*
3 *Feſtum Viſitationis Beatiſſimæ Virginis inſtituit Urbanus VI.*
4 *Idemque hac Conſtit. cavit Bonifacius IX.*
5 *Idem feſtum quam congruè fuerit inſtitutum.*
6 *Cur hoc feſtum celebretur die 2. Julii.*

E Vivis erepto Urbano Papa VI. Conclave adiverunt Cardinales, qui ejus obedientiam ſequeban- 1
tur, ac poſt paucos dies renunciatus extitit Summus Pontifex, Petrus Tomacellus Neapolitanus ex prænobili familia Tomacella, quæ eadem eſt cum ea cognominis Cybo, 4. nonas Novemb. Anno 1389. Ipſe enim aſſumpſit nomen Bonifacii IX. Natales agnovit in Civitate Neapolis, bonis fortunæ non dives, qui Urbem veniens tempore Urbani VI. ejus Concivis, Acolithus primùm, deindè Prothonotarius Apoſtolicus ac Cardinalis creatus fuit. Mediocri doctrina præditus, ſed ſtatura, ac decoro vultu, Juvenis annorum 45. modeſtiſſimus, ac continentiſſimus extitit, ut Juventutem ſuam cum gravi ſenectute commutaſſe viſus fuerit. Matrem viventem, de nobili familia Philomarina ejuſdem Civitatis Neapolis, adhuc Pontifex habebat, ut literæ ejuſdem matri directæ indicant, à Victorel. in ejus vita adductæ. Fuit apprimè ejus ele-
ctio neceſſaria illis temporibus, ut ſeveritas Urbani 2
miti ejus animo levaretur; Plura egit, ut patrimonium D. Petri recuperaretur; magnoſque exercitus in præſidiis pro ſtatus Eccleſiaſtici tuitione aluit: plurima ædificia in Urbe, & mole Hadriana extruxit, & tamen poſt tot expenſas propinquos ditavit, Cameramque locupletiſſimam reliquit. Jubilæum anno 1400. celebravit; Turbas populi Romani ſedavit, ac ſub pacifica obedientia reduxit; Bononienſes redire ad Eccleſiam compulit. Vixit in tam florida ætate, & tanta peccandi licentia graſſante, ut nulla ei libido, nulla voluptas impigi, vel obiici potuiſſet, ut ait Platina, quodque mitiſſimus cum aliis, ſolus ſibi tamen durus erat, ad bonos excipiendos benigniſſimus, ſed ſeveriſſimus contra malos; utrumque in Pontificem damnabat, in probos, improboſque, æquum, vel ſeverum ſe oſtendere, alterum in alteros eſſe oportere, ut ſcripſit Cardinalis Ægidius apud Victor. *in ejus Vita.* Sedit annos 14. menſes 11. ac obiit in Urbe die prima Decemb. an. 1404. ejuſdem Pontificatus tempore obiit Clem. VII. Antipapa die 16. Septemb. 1394. Avenione, & vacavit Antipapatus diebus 11. Cui ſucceſſit Petrus de Luna, dictus Benedictus XIII. qui vixit uſque ad Concilium Conſtanſienſe, & tempora Martini V. & de dictis Antipapis dicam in ſequentibus Commentariis.

Divexabatur infauſtè Chriſtianus Orbis teterrimo,
funeſtoque ſchiſmate inter Urbanum VI. & Rober- 3
tum Gebennenſem, dictum Clementem VII. quod innui ſupra *Conſtitut.* 1. *Urbani VI.* quo terribiliùs hactenus Eccleſiæ non contigerat, & cujus peſſimi ſucceſſus pro rei indignitate recenſeri ſatis non poſſunt, cùm Urbanus verus Succeſſor Petri, poſtquam benè proſpexit, quòd zizania hujuſmodi ab inimico hominis ſuperſeminata profundiùs radices in cordibus hominum, & Potentatum Terræ fixerat; ut Deus ſpeciali auxilio ad eamdem eradicandam manus ſuas adjutrices admoveret ad Deiparam Virginem mediatricem noſtram potentiſſimam toto corde confugit, ut quæ pacem annunciavit univerſo mundo, pacem impetrare dignaretur Eccleſiæ; inſtituta pro voto feſtivitate ejuſdem Viſitationis ad Eliſabeth ſingulis annis ſub duplici officio, & vigilia ſexto nonas Julias ex devotione recolenda, ut recenſet Briet. *in Annal. ad annum Domini Noſtri Jeſus Chriſti* 1389.

N 2 Victo-

Victorel. *in addit. ad Ciaccon. §. annum Jubileum, verſ diem feſtum*, Cherubin. *fil. ad hanc Conſtitut. Schol. primo*.

Vita verò functo Urbano VI. priuſquam perpetua
4 Conſtitutione ad futuram rei memoriam hujuſmodi celebritas ſanciretur, libentiſſimè Bonifacius IX. pro ſui innata pietate, ne Prædeceſſoris intentum fruſtraretur, hac edita Conſtitutione apud S. Petrum 5. Idus Novembris Anno 1390 diſtrictè omnibus, & quibuſcumque Eccleſiæ Prælatis injunxit, quatenùs tam glorioſum feſtum perpetuò die 2. Julii devotè, ac ſolemniter celebrent, & celebrari curent; ac jejunium vigiliæ ſuadeant, & memorant Card. Baron. *ad Martyrolog. Roman. die 2. Julii*, Victorell. ad Ciaccon. *in Vita Bonifacii IX.* Patres quoque Baſileænſis Concilii *ſeſſ.* 43. ad impetrandam Eccleſiæ pacem, & unitatem, quam ipſimet deviando à ſuo capite ſubvertebant, hac renovata feſtivitate, patrocinium B. Virginis implorarunt, hujuſmodi edito decreto: *Decrevit Synodus ad honorem Dei Genitricis, ut poſt expleta Reſurrectionis Dominicæ, Pentecoſtes, glorioſæ Trinitatis, Corporis Chriſti, Beatorum Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli ſolemnia, in quibus Eccleſia poſt ſolemnitatem Annunciationis Dominicæ, quam præfata Viſitatio temporis ordine confeſtim ſequebatur, eſt accupata, per ſingulas Chriſtianorum Eccleſias quolibet anno ſexto nonas Julii feſtum Viſitationis Glorioſæ Virginis celebretur*, & referunt Briet. *in Annal. ad Ann. Chriſti* 1441. Azor. *inſtit. mor. par. 2. lib. 1. c. 23. q. 1.*

Miraculis, & ſignis comprobavit Deus hanc glorio-
5 ſam ſolemnitatem Sanctiſſimæ Virginis Viſitantis Eliſabeth, ut refert Jo: Pragenſis in libello manuſcripto contra Adalbertum quendam, hujus feſtivitatis procacem Impugnatorem, quem libellum vidit in Bibliotheca Vaticana Card. Baronius, & commendavit in *Martyr. Romano die 2. Julii*; Merita quidem feſtiva memoria quolibet anno Eccleſia recolit tam admirabile myſterium, in quo Virgo ad altiſſimum Maternitatis Dei faſtigium provecta, humilitatis, & charitatis promptiùs exequitur officia, in quo Eliſabeth audita Virginis ſalutatione, ſpiritu divino repleta, magna voce prophætavit, dicens: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* in quo Joannes Baptiſta nondum natus, cùm ex Utero in Dominum videret, terminos naturæ concutiens, exultavit præ gaudio, in quo tandem Virgo veneranda in humilitatis ſpiritu reſpondens, admirabili Cantico magnificavit Dominum.

6 Congruum autem pro coronide hujus Commentarii eſt quærere, cur Urbanus VI. ejuſque Succeſſor Bonifacius IX. hanc ſolemnitatem inſtituerint recolendam die 2. Julii cùm cæteroqui S. Evangeliſta poſt effatum Sanctiſſimæ Incarnationis Myſterium dicat, quòd diebus illis Deipara Virgo abiit in Montana cum feſtinatione, ibique S. Bonaventura *to. 2. oper. in Evang. Lucæ*, ſcripſerit, Mariam ſtatim diluculo illius diei, ſivè noctis, qua concepit filium Dei profectam fuiſſe; quamobrem probabile ſit, quod ipſa B. Virgo iter ſuſceperit die 26. Martii, & conſequenter labente propemodum eodem menſe, perveniſſe ad Eliſabeth trium circiter dierum itinere confecto, ut ſentit Azorius *Inſtit. mor. lib. 1. c. 23. quæſ. 8. par. 2.* In qua quidem quæſtione, quidquid dicant nonnulli DD. verius eſt, quod cupientibus laudatis Pontificibus hanc feſtivitatem debita cum ſolemnitate celebrari, ut ex noſtra Conſtitutione; diebus autem labentis Martii, plerumque Eccleſia ſit intenta in Dominicæ Paſſionis myſteriis recolendis; ideò noſtram celebritatem tranſlatam voluerunt, poſtquam eſt omninò Eccleſia ab omnibus ſolemnioribus feſtivitatibus expedita, ut videntur etiam innuere PP. Baſileænſis Concilii in recenſito Decreto, & conſentaneè ad diem 2. Julii, immediatè ſequentem Octavam diem S. Jo: Baptiſtæ, circa quod tempus liquido conſtat, ſanctam viſitationem finem habuiſſe, expirato jamjam tertio commorationis menſe, dicente S. Evangeliſta: *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus*, ut defendit idem Azor. *cit. par. 2. lib. 1. cap. 23. q. 8. §. alii, verſ. Probabile*, ibi: *Probabile itidem eſt, expectaſſe uſque ad octavam diem, quo circumciſus eſt Joannes, & poſtridie ad domum rediiſſe, prætereà, ut ſupra dixi, Eccleſia celebrat Viſitationis diem ſecunda Julii, quia ea die Deipara ex domo Zachariæ diſceſſiſſe videtur, & quæſ. 2.* ubi aliam hujus temporis congruentiam aſſignat, noſtræ tamen non multum abſonam.

CONSTITUTIO II.

BONIFACII IX.

INCIPIENS (*In ſupremæ.*)

EPITOME BULLÆ.

BONIFACIUS AD PERPETUAM REI Memoriam.

ERigit in Civitate Ferrariæ Studium generale in Sacra Pagina, Jure Canonico, Civili, Medicina, & qualibet alia licita Facultate, cum conceſſione privilegiorum aliis Univerſitatibus indultorum.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Civitatis Ferrarienſis origo, & progreſſus illuſtratur.*
2 *Ejus præſens ſtatus ſub Romano Pontifice indicatur.*
3 *Studium generale antiquitùs in ea erectum.*
4 *Eique plura privilegia conceſſit Bonifacius in hac Conſtitutione.*
Proponuntur tractanda in hoc Commentario. Ibid.
5 *Studium Juris Civilis opportunum non eſt Clericis.*
6 *Referuntur plures Decretales id prohibentes.*
7 *Regulares exeuntes è clauſtris ad Leges, vel Medicinam addiſcendam, quas pœnas incurrant.*
8 *Idemque prohibetur Presbyteris, & minoribus Clericis habentibus Perſonatum.*
9 *Qui, ſi Scholas ingrediantur, arceri debent per Lectores ſub iiſdem pœnis.*
10 *Studium Juris Civilis non prohibetur Clericis, ſi fiat ob eruditionem.*
11 *Dummodò fiat privatè, & ob majorem Canonum intelligentiam.*
12 *Jus Civile, & Canonicum quatenus inter ſe ſint connexa.*
13 *Clerici licitè audiunt Jus Civile, & Phyſicam in Archigymnaſio Sapientiæ, & lucrantur fructus præbendarum.*
14 *Indicantur aliquæ Univerſitates idem privilegium habentes.*
15 *Et an hoc privilegium habere cenſeantur Univerſitates, quibus indultum eſt Clericis ſtudere cuicumque facultati non prohibitæ.*
16 *Tutiùs eſt obtinere diſpenſationem, & quatenus hæc concedi ſoleat à Sede Apoſtolica.*
17 *Clerici Studentes Juri Civili non lucrantur fructus Præbendarum, niſi ex diſpenſatione Papæ.*
18 *Regulares, & Clerici, an ſicuti ſtudere, ita etiam publicè docere jus Civile, & Medicinam prohibeantur.*
19 *Afferuntur variæ DD. ſententiæ.*
20 *Comprobatur non eſſe prohibitum.*
21 *Qua ratione eiſdem permittatur docere, non autem addiſcere.*

22 *Nec*

Digitized by Google

22 *Nec eis prohibetur aſſumere lauream Doctoralem in præfatis ſcientiis.*
23 *Præſertim in iis Univerſitatibus, in quibus permittitur Clericis his ſcientiis ſtudere.*

1 RElictis eorum fabulis, qui vel à nepotibus Noe, vel à Trojanis exulibus Ferrariam volunt originem traxiſſe, conſonant inter ſe Hiſtorici, à Ferrarola, citra Padum olim Vico, ſuum ſumpſiſſe exordium, & nomen. Certè autem præcipuis Italiæ Civitatibus hodie accenſeri valet, eſtque ſupra Padum ſita in Gallia Ciſpadana; cęterùm ubi olim Ferrarola erat, ibi hodie S. Georgii magnificum ſpectatur Cœnobium; ſiquidem Ferrarienſis populus cùm externarum, barbararumque gentium injuriis, ac invaſionibus ſe expoſitum videret, ex decreto Theodoſii Imperatoris, ultra Padum domicilium tranſtulit, quod deinde ampliſſimis ædificiis auctum, mœnibuſque munitum, in Civitatem, à Ferrarola Ferrariam dictam, coaluit Ann. 433. eique Smaragdus Exharchus ſub Mauritio Imperatore viſus eſt ultimam manum admoviſſe, cùm plures pagos, vicoſque ad ampliandam Ferrariam ſub iiſdem muris, ac nomine conſpirare juſſiſſet anno 595. Vitalianus deindè Pontifex à Vicohabentia in novam Urbem Ferrariam Epiſcopalem dignitatem tranſtulit anno 657. unde verſus de Vicohabentia canunt:

Sed magna illa ego ſum Viguentia, cujus in alvo
Ferraria eſt orta, & cui Pater hic populus.

De ejus Eccleſia Epiſcopali fit mentio in *c. cum M. 9. de Conſtitut.* quæ Decretalis edita fuit ad inſtantiam Canonicorum Eccleſiæ Ferrarienſis, & de ea meminit Gonzal. *ad cit. tex. n. 2.* Ughel. *Ital. Sac. to. 2. fol.* 540. Sigonius *lib. 2. de Regno Italiæ*, Coronell. *in notis ad Congor. tom. 3. fol.* 307. Rubeus *in hiſt. Ravenna*, & latè Guarin. *in Comm. de Eccl. Ferrarienſi*. Ejus Civitatis ſitus propè ripam Padi, qua Ortum, Auſtrumque reſpicit, alluitur; Cœlum tamen craſſum eſt ob ſitum paluſtrem. Plateas, viaſque amplas habet, magnumque circuitum, ſed ejus amplitudini populi numeroſitas non
2 reſpondet; Placido Eccleſiæ Romanæ dominatui temporali nunc ſubeſt pluribus privilegiis decorata; ac licèt miliæ Eſtenſi ab Eccleſia infeudata, tamen ſub Clemente VIII. eidem Romanæ Sedi devoluta fuit, ipſeque Pontifex eam adivit ſolemni Comitatu, ac Auguſtali pompa, ut in *Conſt. 52. ejuſdem*; ibique Rotam inſtituit, ut in ejus *Conſtit. 59.* in qua ſubinde Paulus V. arcem conſtruxit. Uſque à tempore Friderici II. Imperatoris, ſtudium ibi floruiſſe aſſeritur, Gonzal. *loc. cit.* ve-
3 rùm a Bonifacio IX. Studii generalis diplomate decorata fuit hac Conſtitutione edita Romæ 4. Nonas Mart. Anno 1391. aliiſque privilegiis eandem Univerſitatem cumulavit idem Clemens VIII. in *Conſtit. 94.* In eo Studio Aretinus Juris Conſultus præclariſſimus ſe legiſſe affirmat in *inst. Inſtitut.* necnon prius Salycetus, ut ſcribit Horatius Luc. *de privil. Scholarium cap. fin. n. 23.* aliique inſignes Viri, etiam ante formalem præſentem Bonifacianam erectionem.

4 Plura in hac Conſtitutione à Bonifacio indulta ad condecorandum Ferrarienſe Studium, aliis etiam Univerſitatibus conceſſa fuere, & de iis latè dixi in aliis conſimilibus Conſtitutionibus commentatis. Cum autem Pontifex concedat in hac Conſtitutione facultatem legendi, & audiendi reſpectivè tàm in Sac. Scriptura, Jure Canonico, & Civili, quàm in qualibet alia licita facultate, opportunè diſquirendum hìc eſt, an Eccleſiaſtici licitè valeant aliis facultatibus incumbere ultra Sacram Scripturam, vel Theologiam, aut Canonicum Jus, anve etiam potiantur iiſdem præbendarum fructibus, quibus gaudent, dum Canonicæ facultati operam dant; vel Theologiæ, ſeu Sac. Scripturæ, ut dixi ſupra ad *Conſt. 9. Bonif. VIII. to. 3.*

5 Ad rem itaque exordimur cum Petro Bleſen. *epiſt. 9. verſ. 26. Res plena diſcriminis eſt in Clericis uſus legum, & ſecularium litterarum, quærere peritiam*: ex his enim auriunt quomodo publicis litigiis, conventionibus, & ſæcularibus actibus ſe involvant, qui dumtaxat divinis, & ſpiritualibus rebus vacare debent, ut dicitur *in can. mollitus 21. q. 4. & can. duo ſunt genera 12. q. 1.* In vanitate enim, & obſcuritate ſenſus ambulant, & quaſi vino inebriantur, qui Sæcularibus Diſciplinis occupantur, ut ſcripſit D. Hieron. *ad Damaſum d. Filio Prodigo*, unde Imperator ait in *leg. conſulta C. de teſtam. Abſurdum Clericis eſt, imo etiam opprobrioſum, ſi peritos ſe vellent oſtendere diſceptationum eſſe Forenſium.* Qui enim ad removendam cæcitatem ignorantiæ hujuſmodi ſcientias diſcere appetit, quaſi ſiliquis ventrem ſuum replere cupit, quæ ſanè inflant, & onerant, ſed non ſatiant, ut lepidè notat Gloſſ. *marg. in can. legimus diſt.* 37. quibus benè perpenſis, vehementer idem Petrus Bleſenſis collacrymabatur malè contritum tempus, quod in ſtudiis Juris Civilis inſumpſerat, ibi: *Dicant Legiſtæ, quid illis ad ſalutem animæ conferunt illæ Principum leges, quibus ego infelix aliquando militavi.*

Quapropter non tantùm Sac. Canones indultis, & privilegiis recenſitis in præcedenti Conſtitutione, Ec- 6
cleſiaſticos non invitant ad hujuſmodi ſtudia, quinimò cenſuris, & pœnis aliquibus Clericis expreſsè interdicunt legibus humanis, & Phyſicæ incumbere, ne occaſione ſcientiæ ſpirituales Viri mundanis rurſus rationibus involvantur, ut ſunt Text. *in cap. non magnopere ne Cleric. vel Monach.* ex Concilio Turonenſi deſumpto, ibi: *Statuimus, ut nulli omnino poſt votum Religionis, & poſt factam in aliquo loco Religioſo profeſſionem, ad Phyſicam Legeſvè mundanas legendas permittantur exire, ſi vero exierint, & ad clauſtra intra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicuti excommunicati ab omnibus vitentur, & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerint audiantur; reverſi autem in choro, capitulo, menſa, & cæteris ultimi fratrum exiſtant, niſi fortè ex miſericordia Sedis Apoſtolicæ totius ſpem promotionis amittant*; quæ quidem Conſtitutio ab Honorio III. *in cap. ſuper ſpecula eod. tit.* extenditur *ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos Perſonatus habentes, necnon Presbyteros, niſi ab his intra ſpatium præſcriptum deſtiterint*, & proſequitur in *cap. ſuper ſpecula de privilegiis*; Et tandem Bonifacius VIII. *in c. ut periculoſa ne Cler. vel Monach.* ſub pœna itidem excommunicationis inhibuit, ne Regulares in Scholis, vel alibi temerè habitum ſuæ Religionis dimittant, ac accedant ad quævis ſtudia literarum, niſi à ſuo Prælato cum conſilio ſui Conventus, vel majoris partis ejuſdem licentiam obtinuerint.

Ex his itaque Decretalibus patet, quod Regulares 7
Profeſſi è Clauſtro exeuntes ad audiendas Leges, vel Phyſicam, ſive medicinam, poſt lapſum duorum menſium a die exitus computandum, ſunt ipſo facto excommunicati, dummodò tamen habitum non dimiſerint; nam in his terminis ſibi vindicaret locus decretalis Bonif. VIII. qui abſque alia dilatione in eoſdem excommunicationem fulminat, etiamſi ad quæcumque Eccleſiaſtica ſtudia pergant. Quòd ſi verò non exeant, ſed in Clauſtris Legibus, & Phyſicæ operam navent, pœnis prædicti Text. in *cap. non magnoperè* non ſubjacent, ex quo ejuſdem litera hunc caſum non comprehendat, ideò tamquam pęnalis non eſt extendenda, ut notant, & materiam illuſtrant inter alios, Abb. Jo. Andreas, Fagnan. & Barboſa *in eodem cap. non magnopere, & cap. ſuper ſpecula ne Cler. vel Monach.* Del Bene *de offic. Sac. Inqu. par. 2. dub. 236. ſect. 21. & 22.* Mandol. *de Signatur. Gratiæ tit. lic. audien. leg. & phyſic.* Albert. Trot. *de vero, & perfect. Clerico lib. 2. cap. 35. cum ſeq.* Panimoll. *in dec. 40. à n. 8.* & Rota *in dec. 26. n. 28.* poſt Antonell. *de Jur. Cler.*

Presbyteri verò, aliique minores Clerici perſonatum, ſivè in titulum, ſivè in commendam habentes, 8
ubivis hujuſmodi ſcientias audiant, ſivè privatè in propriis Domibus, ſivè publicè in Univerſitatibus, poſt duos menſes computandos, à quo die inceperunt audire, in Cenſuras ipſo facto incurrunt, & fiunt inhabiles ad Ordines, & Beneficia abſque Summi Pontificis di-

Digitized by Google

ſpenſatione; nam eis, qui clauſuram non ſervant, apta-
ri non poſſunt verba Textus, de Clauſtris exeuntes,
ideòque militat indefinita extenſio pœnarum; ut con-
tra Abb. firmat Fagnan. in *cit. c. ſuper ſpecula nu.* 17. *&*
23. Graſſ. *de effect. Cleric. effect.* 29. *num.* 2. Cotrad. *in*
in prax. diſpenſ. lib. 5. *c.* 5. *nu.* 3. *&* 7. *§. porrò*, aliique
ſupracitati, Diaconi verò, & Subdiaconi, aliique in-
feriores Clerici, quamvis obtineant Beneficia; dummo-
dò non Perſonatus, ſub cenſura hujus Textus non com-
prehenduntur. Item & Parochi, quandiù non ſint Pres-
byteri, & dummodò eorumdem Eccleſiæ non fuerint
plebaniæ, ſub ſe Capellas habentes, ut declaravit Bo-
nifacius VIII. *in cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & notat Fagnan.
cit. loco num. 16. dicuntur autem Plebani, qui in majo-
ribus oppidis conſtituuntur, quibus præter propriæ Ec-
cleſiæ curationem, certarum quoque Eccleſiarum, &
Presbyterorum, qui in minoribus Eccleſiis præſunt, cu-
ra committitur; ideòque ad hunc effectum propriè di-
cuntur habere perſonatum, ut ex Abb. *in cap. ad audien-*
tiam de Eccleſ. ædific. notat Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *lib.*
3. *cap.* 21.

Si itaque Regulares, Presbyteri, aliique comprehen-
9 ſi in dicto *cap. ſuper ſpecula*, temerariè Scholas intra-
verint ad audiendas Leges, & Phyſicam tunc Doctor
eos ab audientia expellere tenetur; quod ſi ſuum cona-
tum perficere non poſſit, exeat è Schola, juxta ea quæ
dicuntur de Presbytero celebrante cum excommunica-
tus intrat Eccleſiam, ut ait Gloſ. *in cit. cap. periculoſa*,
verbo retinere, ne Cler. vel Monach. & notat Mandoſ.
in praxi ſignat. Grat. verb. licent. aud. leg. in fine. Do-
ctores enim, ſivè Magiſtri, qui hujuſmodi Perſona ſcien-
ter docent, aut in Scholis ſuis retinent, pari excom-
municatione cum eis percelluntur; ut contra Magiſtros
docentes Religioſos, qui habitum Religionis dimiſe-
runt, expreſsè habetur in dicto *cap. ut periculoſa*, & diſ-
ſerit Del Bene *cit. ſect.* 30. *per tot.* contra verò docentes
Sæculares Sacerdotes, alioſque Clericos Jus Civile, &
Phyſicam, ſibi locum vindicant termini Textus in *c. ſi*
concubinæ, & cap. nuper de ſentent. excomm. in quibus
ſancitur majori excommunicatione ligari, qui commu-
nicant Criminoſi in Crimine.

10 His autem adnotatis; cùm hujuſmodi prohibitio non
ea ſanè dirigatur ad improbandum ſtudium legalis
ſcientiæ, ita ut tamquam peſtifer prohibeatur Monachis,
& ſupradictis Clericis ſimplex contactus, ut de ſtudio
Magiæ, & Hæreſum habetur in *leg. omnes C. de Hæret.*
& in leg. culpa C. de Maleſ. eſt quidem res ſacratiſſima
Civilis Scientia, ut dicitur in *leg.* 1. *de var. & extraor.*
cognit. Undè leges dicuntur ſacratiſſimæ in *leg. leges C.*
de legibus, & alibi paſſim; quoniam ipſæ, ut juſtæ ſunt,
ex lege æterna prodierunt, quas per ora Principum
Deus promulgari voluit, ex *can. fin.* 16. *quæſt.* 3. *& leg.*
fin. Cod. de præſc. 30. *vel* 40. *annorum.* Ideò dicendum
eſt, quod dumtaxat ſtudium principale, quod ſcilicet
ſic terminet ad ſolum oblectamentum, vel ut quis effi-
ciatur cauſidicus, vel Phyſicus; profeſſiones quippè
alieniſſimæ à ſorte Clericali, à Sac. Canonibus, & Con-
ciliis prohibetur; qui enim ad eruditionem Sæculares
ſcientias addiſcunt, ut errores legendo deteſtentur, &
utilia, quæ in eis inveniunt ad uſum Sacr. Eruditionis
devoti vertant, tales laudabiliter Sæcularibus litteris in-
cumbunt, ut ait Grat. *poſt can. turba diſt.* 37. ubi ait
Beda: *Turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui*
eos Clericos à legendis Sæcularibus libris omnibus modis
exiſtimat prohibendos, in quibus ſi inventa ſint utilia,
quaſi ſua ſumere licet, & D. Ambroſius ſcribit ſuper Lu-
cam: *Legimus aliqua ne negligamus, legimus ne ignore-*
mus, legimus non ut teneamus, ſed ut repudiemus, &
proſequitur D. Hieronym. *in can. ſi quis, & can. qui*
de menſa, & Clemens Papa *in can. relatum diſt.* 37. in
quibus convincitur, quod Grammatica, & Phyſica le-
genda eſt, ut per eam Sac. Scripturæ intelligantur; Ad
noſtrum autem propoſitum, quod ſtudium Legum Ci-
11 vilium ad majorem S. Canonum intelligentiam Regula-
ribus, & Presbyteris, aliiſque Clericis Perſonatum ha-
bentibus per Textus ſupra allegatos non prohibeatur,
dummodò fiat privatè in Camera, ne cadat ſub prohibi-
tione auditus communiter firmant DD. inter quos Abbas
in cit. c. ſuper ſpecula in fin. & Fagn. *ibid. num.* 30. *ad* 35.
Barboſa *n.* 7. Lotter. *de re Beneſic. lib.* 3. *q.* 27. *num.* 204.
Del Bene *loco cit. num.* 5. & Graſſ. *num.* 3. Bellet. *diſquiſ.*
Cler. par. 1. *§.* 30. *num.* 3. Rota *in dec.* 26. *num.* 29. poſt
Antonell. *de Jure Cler.* & Panimoll. *dec.* 40. *nu.* 9. Si-
cut enim leges non dedignantur Sacros Canones imita-
ri, ita & Sacrorum ſtatuta Canonum Principum Con-
ſtitutionibus adjuvantur, ut dicitur *in cap.* 1. *de nov. ope-*
ris nunciat. undè inquit Bald. *in proœm. decretal.* quod
Juris Canonici ſanctio Juris Civilis ſublimitate decora- 12
tur, & legum Civilium Majeſtas Canonum auctoritate
firmatur, & unum propter aliud coruſcat: qui enim
non ſapit in utroque, non habet tantam dulcedinem,
cùm ex legibus, & Canonibus fiat perfectus Juriſcon-
ſultus; Duo namque hæc Jura adeò ſunt connexa, ut
unum ſine altero vix intelligi poſſit, ut ait Rebuff. *de*
nomin. quæſt. 5. *n.* 14. unde paulò poſt concludit: *Imò*
audacter dico, quod jus Pontificium perfectè non poteſt
intelligi ſine legibus, cùm ſit medulla legum, & jus Ca-
nonicum eſt practica Juris Civilis; non perperam itaque,
& ego concludam cum illo vulgari dicterio: Legiſta ſine
Canonibus parum valet, Canoniſta verò ſine legibus ni-
hil. In publicis autem Univerſitatibus Regulares, &
Clerici prædicti indiſtinctè, ut dixi, nequeunt Juri Ci-
vili, & medicinæ ſtudere, cùm ſivè ſtudium fiat prin-
cipaliter, ſivè obiter, locum ſibi vindicaret diſpoſitio
dicti *cap. non magnopere*, ratione auditus, ubi nulla di-
ſtinctio habetur, ut notat Fagnan. *in cit. cap. ſuper ſpe-*
cula num. 32. Paſſerin. *in cap.* 1. *n.* 9. *de privil. in* 6. Bar-
boſa *de Epiſc. alleg.* 56. *num.* 26. *& Voto dec.* 88. *nu.* 34.
ubi alii Doctores.

Plures tamen Academiæ peculiaribus privilegiis à 13
Summis Pontificibus ab hujuſmodi ſanctione exemptæ
fuerunt, adeò ut non tantùm Clerici, quibus Leges, &
Phyſicam ſub cenſuris eſt prohibitum in eiſdem liberè
incumbere poſſint; verùm, ut fructus ſuarum præben-
darum tamquam præſentes lucrari valeant, ac ſi Juri
Canonico, vel Theologiæ ſtuderent, ut de Archigymna-
ſio Sapientiæ Romæ hoc privilegium deſumit Paſſerin.
cit. n. 9. *&* 10. *ex cap. ut de diverſis privil. in* 6. verùm
expreſsè elicitur ex *Conſt. Leonis X. incip. dum ſuaviſſi-*
mos §. 13. In cujus quidem Conſtitutionis ſequelam fir-
mavit Panimoll. in Univerſitate Sapientiæ Urbis Ro-
mæ, poſſe Presbyteros alioſque Clericos legibus, &
medicinæ incumbere, *dec.* 40. *num.* 13. & cenſuit Sac.
Congregatio Conc. in *Romana, ſeu Nicoter. legati* 14.
Febr. & 30. *Maii* 1699. *lib. Decret.* 49. *pag.* 55. *à terg.*
& 207. *à terg.* Nec non ſimili privilegio decoratum
fuit ſtudium Patavinum, & Senarum, ut notat Lotter. 14
de re beneſic. cit. qu. 27. *n.* 207. utpotè etiam ſtudium Pi-
ſanum ex Conſtitutione Innoc. VIII. & Univerſitas Pi-
ctavienſis, ut memorat Gonzal. *in cit. c. non magno-*
pere n. 4. *in fine*, Mancin. *controv. diſp.* 27. quorum fa-
vore expreſsè derogantur *cit.* Text. *in cap. non magnope-*
re, & c. ſuper ſpecula Ne Cler. vel Monach.

Numquid autem in his Univerſitatibus, in quarum
erectione Summi Pontifices indefinito uſi ſunt loquendi
modo, ut Scholares liberè ſtudere queant in quavis le- 15
gitima facultate, atque ſpecialiter quod doctorari poſ-
ſint in jure Canonico, Civili, & Medicina Presbyteri,
aliique Clerici prohibiti, abſque metu cenſurarum va-
leant ibidem Sæcularibus ſcientiis incumbere; Pro affir-
mativa facit Paſſerin. *in cit. cap.* 1. *de privileg. in* 6. lo-
quendo de privilegio Univerſitati Romanæ conceſſo ab
Innocentio IV. ſcilicet ibidem ſtudium Juris Civilis,
& Canonici perpetuò vigeat, & ſtudentes in ipſa Pri-
vilegiis ſtudiorum cauſa conceſſis gaudeant, ubi ſic ra-
tionem ſui dicti adducit: *Nam in hac decretali abſolu-*
tè ſtatuitur, ut ob commoditatem venientium ad Urbem
de diverſis Provinciis, habeantur in hoc ſtudio lectiones,
nedum Juris Canonici, ſed etiam Civilis, & abſolutè
omnibus ſtudentibus in utroque Jure privilegia conceduntur:
quibus adſtipulatur Garzia *de Beneſic. cit. c.* 2. *num.*
66. *&* 104. firmans, quod in Academia Salamantina po-
terit quis operam dare Philoſophiæ, & Logicæ, & alii
cuicumque facultati licitæ, & indefinita conſtitutione

Euge-

Digitized by Google

Eugen. IV. concrisa anno 1431. & faciunt Perez, aliique Doctores *citat.* à Barboſa *dicto Voto deciſ.* 88. *num.* 34. & 35.

16 Tutiùs tamen erit, quod Presbyteri aliique ſupra enumerati Clerici, operam legibus, vel medicinæ dare volentes, in his Univerſitatibus opportunum deſuper indultum expreſsè à Sede Apoſtolica impetrare curent; frequentiſſimè enim cum clauſula, *pro majori Sacrorum Canonum intelligentia*, minoribus 25. an. ad triennium hujuſmodi indulta à Sede Apoſtolica concedi ſolent, ut teſtatur Corrad. *in praxi diſpenſ. lib.* 5. *c.* 5. *in princip. & per tot.* Verùm cùm Regularium hujuſmodi privilegia per organum S. Congr. Conc. explicanda remitti ſoleant, ſæpiùs ſuo tempore fuiſse denegata, quàm conceſsa, ait Fagnan. *in cap. ſuper ſpecula numer.* 34. *Ne Cleric. vel Monach.* quem ſtylum Sacræ Congregationis, & ego comprobare poſsum, dum uſquequo in munere Secretarii eidem inſervio, ſemper hujuſmodi ſupplices libelli rejecti fuere; cæterum quoad Regulares certum eſt, quod numquam diſpenſari ſolent, ut in publicis Univerſitatibus Leges, & Phyſicam audire poſſint, ſicque quoad eos Jura, de quibus ſupra indiſtinctè ſervantur, ut dicit Mand. *in prax. Signatura Gratia ver. licen. audiendi Leges verſus finem.*

17 Pro comperto autem eſt, quod nullus præter Papam diſpenſare poteſt, vel quod Presbyteri, aliique comprehenſi *in cit. cap. ſuper ſpecula* incumbere poſſint legibus, vel medicinæ etiam tranſeundi cauſa ad Jus Canonicum, & Theologiam, vel quod alii Clerici hujuſmodi Sæcularibus ſcientiis incumbere non prohibiti, valeant interim fructus ſuorum Beneficiorum lucrari, ac ſi Juri Canonico, vel Theologiæ ſtuderent, ut firmant Archidiac. *in can. non dicatis nn.* 10. 12. *qu.* 1. Corrad. *in praxi diſp. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. *cum ſeqq.* Garzia *de Beneſic. lib.* 3. *cap.* 2. *numer.* 103. & benè notat Rebuf. *de nominat. cit. loc. num.* 35. licèt abſque fundamento recedit favore ſui Archiepiſcopi Pariſienſis.

18 His itaque expeditis, non incongruum hìc eſt quærere, an Regulares, & Presbyteri, aliique Clerici perſonatum habentes valeant in publicis Univerſitatibus Cathedras Juris Cæſarei, & Medicinæ moderari, adeout diſpoſitio *cit. cap. non magnopere, & c. ſuper ſpecula* ſit dumtaxat reſtricta ad ſtudentes, non autem comprehendat docentes. In hoc ſanè theoremate duas quaſi contrarias efformant ſectas Hoſtienſ. & Abbas. Siquidem

19 Hoſtienſis cum ſuis Sectatoribus ſatis ſuperque clarè ex contextu *d. c. non magnopere* pro negativa reſultare autumant hujus quæſiti deciſionem; ibi enim dicitur: *Ad legendas Leges*, & infra: *Ad Phyſicam, Legeſve mundanas legendas non permittantur exire.* Quapropter non tantùm ibidem prohibetur dictas ſcientias audire, verùm & legere, ſivè docere; & meritò quidem: *Culpa enim ſimilis eſt, tàm prohibita diſcere, quàm docere*, ut ait Text. *in leg. culpa C. de maleſic.* & fortiùs in noſtro caſu; nam cauſa finalis dictæ diſpoſitionis, ne ſcilicet ſpirituales Viri mundani rursùs actionibus involvantur, militat tàm ſi quis ſe implicet legibus ſtudendo, quàm docendo, ideòque idem jus eſt ſtatuendum, etiamſi litera Textus deficeret, *leg. quidem*, §. *nummulario ff. de edendo.* Verùm Abbas *in cit. cap. ſuper ſpecula n.* 16. valdè miratur, quod Hoſtienſis, alioquin lucerna Juris Canonici, ſupradictam Theoricam firmaverit; Ait enim, quòd ex caſu dicti Textus evidenter colligitur, ibidem dumtaxat ſtudere, non docere eſse prohibitum; Hujus namque prohibitionis cauſa fuit, quod nonnulli Religioſi ad proficiendum, non ad docendum è clauſtris exhibant, ut apti ſe redderent, ibi: *Languentium Fratrum conſulendi corporibus, & Eccleſiaſtica negotia fideliùs pertractandi:* Verbum autem, legere, ibidem non pro docere, ſed pro addiſcere uſurpatur, cùm omnis qui ſtudet, ut proficiat, legat; Legiſta enim à legendo dicitur, ut inquit Iſidor. *lib.* 5. *etymol.* unde idem Abbas concludit, quòd præfati Textus ſolùm loquuntur de audientibus, ſivè legentibus ſtudendo, ideòque tamquam pœnales ad docentes non ſunt extendendi.

20 Ab hac ſiquidem opinione Abbatis pro quæſiti reſolutione, tamquam veriori, & communiori non eſt recedendum, ut dicunt Fagn. Gonzal. & Barboſa *in cit. cap. ſuper ſpecula, & de poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 56. *à num.* 34. *ad finem, & in voto* 88. *à n.* 1. Mendo *de jure Accadem. lib.* 2. *qu.* 30. *à numer.* 357. Graſſ. *in dec. aureis lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 3. Suarez *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 23. *ſect.* 3. *ex n.* 17. Siquidem extraneum, & novum videri non debet, quod ait Abbas, ibidem legere pro addiſcere accipiatur, nam pariter pro lectione diſcipuli, & non magiſtri, ſumitur in *cap.* 1. *de elect. cap. fin. de ætat. & qual. c. poſt translationem de renunc. can. fin. diſt.* 36. aliis autem ambagibus omiſſis, pro ejuſdem ſententiæ probabilitate, magnam vim faciunt declarationes *d. c. non magnopere* ſubſequenter factæ ab Honor. III. *in cit. c. ſuper ſpecula*, & Bonif. VIII. *in c. ſtatutum ne Cler. vel Mon. in* 6. in quibus dumtaxat prohibetur dictas ſcientias audire, & ſtudere; Unde, ut benè notat Fagnanus nimis præſumptuoſum eſt, quod ipſi Pontifices non expreſſerunt, aſserere, nam eſset dicere, vel quod haud fideliter dictam Conſtitutionem retulerunt, aut illius tenorem ignorarunt, *can. licuit diſt.* 17.

21 Contra autem Hoſtienſem, ejuſque Sectatores dicendum eſt, diverſam rationem in ſtudente, & docente militare, qui enim de novo ad diſcendum pergit, præſumitur quòd malo zelo cupiat iterum ſe involvi in actionibus ſæcularibus; qui verò Leges civiles docet, quas antea didicit, aliis communicat ſententiam in ſe bonam, & neceſsariam ad humanam converſationem, ut dicitur in *proœm. Digeſt.* ideòque benè dixit Gloſ. *in can. legimus diſt.* 37. quod etſi nullus ſit uſus in ſubjecto, attamen ſcientia in omnibus eſt neceſsaria. Extra autem rationem exadverſo allegatur, *cit. lex culpa*, ubi quidem ſancitur, quod culpæ ſimilis eſt tam prohibita diſcere, quàm docere, nam ibidem agebatur de ſcientia in ſe mala, ut eſt Magia, ideoque ſi malè eſt eam addiſcere, pejus eſt eam aliis communicare, quod non eſt dicendum de Sacratiſſima Juriſprudentia; Unde concludendum eſt cùm Abbat. & DD. proximè citatis, quod Presbyteri aliique comprehenſi in *d. c. ſuper ſpecula*, & Regulares, niſi ex particularibus Conſtitutionibus prohibeantur, poſſunt docere, & Cathedras Juris Civilis, & medicinæ in publicis Univerſitatibus moderari, cùm eiſdem de jure communi hoc cenſeatur permiſſum, dum in dictis Textibus, nec alibi invenitur prohibitum, *leg. necnon verſ. & clauſula, ff. ex quibus cauſis, leg. mutus*, §. *cum quæritur ff. de Procurat. & leg. diſſentientis, C. de repud.* [illegible]

22 Cùm itaque Religioſi, aliique non prohibeantur Jus Civile, & Medicinam docere, nec item eoſdem prohiberi eſt aſſerendum Lauream Doctoralem in eiſdem ſcientiis poſſe aſſumere; Hujuſmodi enim gradus principaliter accipitur, & datur in teſtimonium benè navati ſtudii, ut alios licitè quis docere valeat, ut ad rem notat Mendo *cit. quæſt.* 31. *nn.* 177. *in fine*, unde quidquid contra dicant Tambur. *de jur. Abbat. lib.* 3. *diſp.* 3. *quæſ.* 6. *numer.* 38. Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 43. Roter. *in comp. reſol.* 170. *num.* 1. dicendum eſt, quod Presbyteri, qui ante Clericatum, & Regulares, qui ante profeſſionem licitè Legibus, & Medicinæ incubuerunt, quamvis etiam illicitè ſtuduerint, & contra Sacros Canones deliquerint, dummodò in illis periti ſint, in eiſdem ſcientiis gradum Doctoratus liberè aſſumere poterunt; dummodò tamen, ſi fuerint Regulares, ſui Superioris licentia accedat; nullibi enim hujuſmodi gradus acceptio prohibetur, non enim ex prohibitione ſtudii induci poteſt, cùm ſit res omninò diverſa, ut latè firmant Fagnan. *in cit. cap. non magnopere n.* 8. *Ne Clerici, vel Monach.* & Barb. *ibid. num.* 4. *& de Jur. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 43. *nu.* 61. Pereira *de Repub. Literaria lib.* 8. *diſp.* 2. *quæſ.* 1. *n.* 1248. Panimolla *in cit. dec.* 40. *num.* 10. Caſtrop. *tom.* 3. *diſp.* 4. *pu.* 13. §. 6. *n.* 1. Mendo *cit. quæſt.* 31. *num.* 379. ubi *n. ſeq.* probat, quod Regulares etiam abſque Superioris licentia validè, quamvis illicitè hujuſmodi gradum aſſumunt; Quinimò Regulares poſſunt Monaſterium obligare pro expenſis Doctoratus, cùm hoc vergat

in utilitatem Monaſterii, ut docuerunt Felin. *in c. cum dilecta n. 19. de Reſcriptis*, Gaſpar Calderin. *inter conſil.* Jo: Calder. *conſ. 2. de Magiſtris.*

Et tandem pro coronide animadvertendum eſt, quòd cùm Summus Pontifex, ſivè privilegium conceſſerit alicui ex prædictis Univerſitatibus, ut ibidem recenſitæ Perſonæ prohibitæ valeant legibus, & phyſicæ incumbere, ſivè cum aliqua ex dictis perſonis diſpenſaverit ad hujuſmodi ſtudia, præſumitur etiam tacitè diſpenſare, ut valeant in eiſdem ſcientiis ad lauream doctoralem aſſumi, ut notat Abbas *in cit. cap. ſuper ſpecula n. 11. verſ. formavit Ne Cler. vel Monach.* Felin. *in cap. cum dilecta n. 19. de reſcript.* & Graſſ. *cit. effect. 29. num. fin.*

CONSTITUTIO III.

BONIFACII IX.

INCIPIENS (*Sacroſancta.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS PRIORI GENERALI, ET Fratribus Ordinis Carthuſienſis.

EXimit Fratres Ordinis Carthuſianorum à Juriſdictione, viſitatione, & correctione Epiſcoporum, quòdque non poſſint excommunicari, interdici, aut Suſpenſionis vinculo innodari.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Indicantur plura privilegia conceſſa Ordini Carthuſianorum.*

2 *Refertur exemptio eis in hac Conſtitutione conceſſa.*

3 *Regulares quatenus ſubiiciantur Ordinario quoad ſuſceptionem Ordinum.*

4 *Exemptio Carthuſienſium, aliorumque Regularium quoad ordines, qualis fuerit ante Decretum Clementis VIII.*

5 *Decretum Clementinum quid quoad hoc diſpoſuerit.*

6 *Affertur ad rem reſolutio Sacr. Congregat. Concil. quoad Carthuſianos.*

7 *Exemptio Regularium quoad ſuſceptionem Ordinum debet conformari Decreto Clementino.*

8 *Regulares an poſſint ordinari à non Diœceſano, ſi Diœceſanus habuerit ordinationes non publicas, nec pravio edicto.*

9 *Superiores Regulares in Dimiſſoriis datis Epiſcopo non Diœceſano, quatenus debeant exprimere, Diœceſanum non habere ordinationes.*

10 *Regulares ſcientes, quòd Epiſcopus habeat ordinationes, quamvis privatas, non poſſunt adire Epiſcopum non Diœceſanum.*

11 *Superiores Regulares, qui quoad ordinationes ſubditorum non ſervant Decretum Clementinum, quas pœnas incurrant.*

12 *Et an incurrant ſuſpenſionem Regulares ordinati contra formam ejuſdem Decreti.*

13 *Suſpenſio impoſita à Concilio Tridentino quoad ordinatos ab alieno Epiſcopo, an comprehendat Regulares.*

14 *Regulares dum licitè adeunt alienum Epiſcopum pro ordinibus, non tenentur habere Dimiſſorias ab Epiſcopo loci.*

15 *Conſuetudo ſe ordinare faciendi contra Decretum Clementinum, an ſuffragetur Regularibus?*

16 *Regulares vigore Brevis extra tempora an poſſint ordinari à quocumque Epiſcopo, & n. ſeqq.*

17 *Affertur ſtylus Secretariæ Brevium in concedendo hæc Brevia Regularibus.*

18 *Adducuntur rationes hunc ſtylum comprobantes.*

19 *In his Brevibus Dataria præſervat diſpoſitionem Decreti Clementini.*

20 *Qualiter conſulendum ſit, ne Regulares eludant Epiſcopos Ordinarios in obtinendis Brevibus extra tempora.*

MErita quidem laude Carthuſienſium Ordinem, fon-
tem parvulum, qui crevit in flumium Martinus 1
V. appellavit in ejus *Conſt. 4.* quia in ſui exordio par-
vus, & humilis, eximia ſanctitate totum deindè Orbem
ſuavitatis odore replevit, univerſamque Eccleſiam læti-
ficare, ac ordinare non deſinit; Ejus initia jam retuli
tom. 2. in Conſtitutione 7. Alexandri III. pluraque pri-
vilegia eidem à Romanis Pontificibus fuerunt conceſ-
ſa, ut ſcilicet ſub ſolita protectione Sedis Apoſtolicæ
permanerent, quodque ad teſtificandum in judicio non
cogerentur, ejuſque oblati fruerentur illorum privile-
giis, *cit. to. 2. ad Conſt. 3. Honor. III. & Conſt. 3. Gre-
gorii IX.* ac uſum Altaris portatilis iiſdem conceſ-
ſum fuiſſe, dixi ſupra ad *Conſt. 2. Urbani V.* In præſen-
ti autem Bonifacius IX. cum animadvertiſſet, quòd
Carthuſienſes etſi in vim præfatæ Conſtitutionis Ale-
xandri III. exemptos fuiſſe ſe autumaverint, tamen à
pluribus Epiſcopis talis controvertebatur exemptio; eò
forſan ſub motivo, quòd in Alexandrina Bulla Ordo
fuit tantùm ſub protectione D. Petri, Sediſque Apo-
ſtolicæ receptus, quod non importaret plenariam e-
xemptionem, præſertim ſtante Conſtitutione Conci-
liari relata in *c. volentes de priv. in 6.* ut ſcilicet qui-
libet exemptus ratione rei ſitæ, delicti, aut contra-
ctus ſubiiciatur Ordinariis; proindè iſte Pontifex con-
ſulere volens majori Carthuſianorum quieti, & tran- 2
quillitati, ut majori fervore vitæ contemplativæ, cui
addicuntur, incumberent, hac Conſtitutione edita in
Urbe 17. Kalendas Aprilis Ann. 1391. amplam exem-
ptionem iis conceſſit, derogando quoque *cit. cap. vo-
lentes*, quodque non valerent cenſuris innodari ab E-
piſcopis, aliiſque Superioribus Prælatis, nec iſtorum
viſitationi, correctioni, & juriſdictioni ſubiicerentur;
idque tàm quoad eorum perſonas, quàm Monaſteria,
domos, loca, ac bona, ſed immediatè tantùm ſubja-
cerent Juriſdictioni Sedis Apoſtolicæ; quod confirma-
runt plures Romani Pontifices, & præſertim Sixtus
V. ac notiſſima eſt hujus Ordinis ampla exemptio,
ut notat Cherubinus jun. *ad hanc Bullam ſchol. 1.* Non
tamen exindè hujuſmodi Religioſi eximuntur ab ea Juriſ-
dictione, quam noviſſimæ Conſtitutiones Pontificiæ,
præſertim Leonis X. in 32. & Sac. Conc. Trid. pluribus
in locis contra Regulares exemptos, præcipuè extra
Clauſtra degentes, & ex *Conſt. 39. Clementis VIII.* E-
piſcopis reſtituta eſt, ut ſuo loco dixi, & alibi agam.

Ea autem ſpecialis facultas in Ordinariis remanſit 3
erga Regulares exemptos, quæ circa collationem or-
dinum verſatur, ut debeant à propriis Epiſcopis, in
quorum Diœceſibus Monaſteria degunt, ubi moran-
tur ordinari, & ab iiſdem Epiſcopis examinari circa
doctrinam, præhabitis tamen literis dimiſſorialibus
proprii Superioris Regularis, dirigendis iiſdem Diœ-
ceſanis, ſi ordinationem faciant, ſin minus dirigere
ſufficiat eas alio cuicumque Catholico Antiſtite, qui
communionem cum Eccleſia Romana habeat, abſque
Literis Dimiſſorialibus ipſius Epiſcopi Diœceſani; id-
que procedere in quocumque Regulari exempto, &
etiam quoad Religiones, quæ ante decretum Clemen-
tinum habebant privilegium, ut à quocumque Catho-
lico Antiſtite ordinari valerent, ut latè dixi *to. 1. Conſt.
un. Urbani II. ſect. 2.*

Ut igitur magis in ſpecie hæc materia eluceſcat 4
quoad Carthuſienſes, de quibus in hac Conſtitutione
loquimur; certum eſt quod in vim hujus Bullæ omni-
nò iſti

nò iſti eximebantur ab Ordinariis in omnibus, &
ſic etiam quoad ordinationes; quia nihil excluſum
fuit; ſed quia plura per Leonem X. fuerunt modifi-
cata quoad Regularium exemptiva privilegia ab or-
dinariis in *Conſt.* 22. *incip. Dum intra tom.* 1. *Bullarii*,
ut benè notat Cherubinus *in initio hujus Bullæ*, ideò
quoad collationem Ordinum hujuſmodi exemptis pro-
viſum fuit ibi §. 11. quodque promovendi Fratres ad
ordines examinentur per Epiſcopos ordinarios, & or-
dinentur ab ipſis, nec ab aliis Epiſcopis, niſi ordi-
nario requiſito, & rationabiliter non contradicente;
& S. Conc. Trid. pluribus in locis videtur ſtatuiſſe, ut
quilibet ordinetur à proprio Epiſcopo; ſed verè dubi-
tari poteſt, an in ejus diſpoſitione in hoc compre-
hendantur Regulares habentes ſpeciale indultum ſe
promovendi à quovis Epiſcopo, ut notavi *cit. ſect.* 2.
Urbani II. n. 4. Idcircò ad tollendas ambages editum
5 fuit decretum Sac. Congregat. Concilii ſub Clemente
VIII. ejus juſſu, ut *ibid. n.* 5. retuli; quo injungitur
omnibus Regularibus, ut quoad ordinationes litteræ
dimiſſoriæ fiant à Superioribus Regularibus, directis
tamen Epiſcopis Diœceſanis; ſi autem iſti abeſſent à
Diœceſi, vel ordinationes non habuerint, poſſe alteri
Epiſcopo cuicumque hujuſmodi litteras dirigere, à
quo ordinari valeant ipſi Regulares, ut latè ibidem
plura ad idem decretum explicavi; & in terminis Car-
thuſianorum dixit S. Congr. Concilii in *Caputaquen.*
6 *Ordinationis* 11. *Februarii* 1708. propoſitis dubiis: *Pri-
mo An Monachi Carthuſienſes S. Laurentii Terra
Padula Caputaquen. Diœceſis promoti ad Ordines tàm
Sacros, quàm Minores ab Epiſcopo Policaſtr. & Mar-
ſicen. ſint licitè ordinati, & quatenùs Negativè. Se-
cundò. An, & quas pœnas incurrerint ipſimet ordina-
ti, & eorum Superiores in caſu, &c, Ad primum* cenſuit
*Negativè. Ad ſecundum Superiores incurriſſe pœnas
contentas in decreto ſa. me. Clementis VIII. ſed ex gratia
abſolvendos.*

Hac igitur occaſione diſputari contingit de pluri-
bus circa hujuſmodi ordinationes; & admiſſo privile-
gio Carthuſienſium, prout ferè omnium Regularium,
præſertim Mendicantium, ut exempti ſint à Juriſdi-
ctione Epiſcopi Diœceſani etiam quoad ordinationes,
quia *cap. Veniens de præſcript. & cap. nullus de temp.
ordin. in* 6. procedit de jure communi, & ante ob-
7 tentas exemptiones, & privilegia recipiendi ordines
à quocumque Catholico Epiſcopo; non eſt contro-
verſum deberi talia privilegia conformari decreto ge-
nerali hujus Sacræ Congregationis ſub Clement. VIII.
ut ſcilicet ad Superiores Regulares pertineat dimiſſo-
rias concedere ſubditis Regularibus, ſed directas Epi-
ſcopo Diœceſano Conventus, ſi ordinationem faciat;
eo abſente, vel ordinationes non faciente, ac, en ca-
ſu licere eaſdem dimiſſorias cuicumque dirigere, quod
etiam aliis decretis S. Congregat. anterioribus ei ſub
Clemente, fuerat dictum, ut Nuntio Apoſtolico Hiſ-
paniæ 27. *Septembris* 1589. *lib.* 7. *Lit. fol.* 77. *Regula-
res poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum Diœce-
ſanum, ſi vere abſuerit, ad quemcumque alium.* Simi-
liter reſpondit *in Hiſpalen.* 11. *Januar.* 1596. *Superio-
res Regulares poſſe ſuis ſubditis Regularibus dare lite-
ras dimiſſoriales ad Epiſcopum tamen Diœceſanum,
& ſi non eſſet habiturus ordinationes, vel abſuerit
Epiſcopus Diœceſanus, ad quemcumque alium, dum-
modo Regulares non diſtulerint de induſtria in id tem-
pus, ſed exprimere debent in literis abſentiam proprii
ordinarii, vel ipſum non eſſe habiturum ordinationem;*
Cùm igitur in dicta cauſa *Caputaquen.* ordinatio fue-
rit ſequuta ab Epiſcopo Policaſtren. tempore quo E-
piſcopus Caputaquen. Diœceſanus non fecerit eo die
Ordinationem, ſed habuerat quidem ante, & ex in-
duſtria dimiſſio Carthuſienſium à ſuis Superioribus
uſque tunc protracta fuerat. Quoad autem ordinatos
ab Epiſcopo Marſic. conſiderabatur contra reſolutio-
nem, id fuiſſe tempore, quo ordinatio ab Epiſcopo
Caputaqu. fiebat, ſed id erat in angulo Diœceſis per-
amplæ per 40. milliaria, & ſic longè à Carthuſia, nec
8 conſtabat fuiſſe ordinationem generalem prævüs pu-
blicis edictis, ut ad hunc caſum requiri, ut Regula-
res ponantur in mala fide, dixerunt Coron. *lib.* 3. *contr.*
1. *cap.* 5. *num.* 74. Paſſer. *de ſtat. hom. q.* 189. *art.* 10. *in-
ſpect.* 10. *n.* 814. *in fin. tom.* 3. & licèt conſiderari po-
tuiſſet, quod in literis dimiſſorialibus Regularium nul-
la aderat mentio, quod Epiſcopus ordinationem non
faceret, ut requiritur juxta Clementinum decretum,
& notat Paſſerin. *cit. n.* 868. Monacell. *in formul. to.* 2.
tit. 13. *for.* 4. *num.* 18. & dixi *to.* 1. *cit. loco n.* 31. tamen
hujuſmodi accidentalis defectus non importaret ex ſe 9
actum illicitum, quia ſubſtantialiter eſicitur effectus
decreti, ut Regulares ordinentur ab alio Epiſcopo, ſi
Diœceſanus non habuerit ordinationes, prout non ha-
buit, Paſſer. *loc. cit. n.* 881. *verſ.* 5. *ſi in dimiſſoriis*; De-
mum conſideratione dignum fuit inſpicere, quod non
ex eo, quod fuerit actum contra decretum Clementi-
num, ordinatio reddita fuit illicita; ſed tantùm incurriſſe
Superiores pęnas contentas in præfato decreto Clementi-
no, privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliorumque,
nec ulla adeſt pœna ſuſpenſionis ordinandorum.

Verùm quoad illicitum actum ordinationis, fuit ita
judicatum; quia verè actum extitit contra formam decreti; 10
nam Epiſcopus fecerat ordinationes, & ſufficit eas fe-
ciſſe in Diœceſi, quaſi in loco à Conventu longinquo;
& rurſùs conſtitit Superiores Carthuſiæ inſtituiſſe apud
Epiſcopum pro licentia dimittendi ſuos ſubditos ordi-
nandos ab alieno Epiſcopo, ac Epiſcopus renuit, ex eo
quod vellet per ſe ipſum eos ordinare, unde non potue-
rat in contemptum alibi mittere ſub motivo ignorantiæ
ordinationis, tametſi ſpecialis, quia debet Epiſcopus
Diœceſanus præferri; unde eliciebatur, ex induſtria e-
vitandi Epiſcopum proprium, affectaſſe ignorantiam Or-
dinationum, & Epiſcopum habuiſſe promptum animum
eos ordinandi, quotieſcumque enim fit actus contra le-
gem, illicitus dicitur, quia Decreta Apoſtolica obli-
gant in foro conſcientiæ, Fagn. *cap. ſi quis num.* 38. &
39. *de Regul.* & in his terminis Monacel. *cit. in append.
pag.* 295. *num.* 3. *& ſeq.* Tranſgreſſores verò Regulares
Superiores Sac. Congr. cenſuit, incurriſſe in pœnas Cle- 11
mentini Decreti, quod videtur ipſo facto pęnam impo-
nere, Monacell. *cit. loco num.* 3. *& ſeq.* licèt aliqui di-
cant, quod utatur verbo *incurrant*, aliqui incurrent,
Paſſer. *cit. n.* 810. Non tamen alias pœnas ſuſpenſionis
in ordinatis voluit Sac. Congr. canonizare, & meritò; 12
quia licèt adſit quædam reſolutio Sacr. Congr. *lib.* 58.
pag. 48. *anno* 1618. ibi: *Regulares invito Epiſcopo Diœ-
ceſano ab alio ordinati, ſunt ſuſpenſi, & ſi miniſtra-
verint, irregulares, & ordinans per annum ſuſpenſus
à collatione ordinum*; Tamen cum in *Paſſav. Ordi-
num* fuerint propoſita per Summarium infraſcripta du-
bia: *Primò: An Regulares Ordinis tàm Mendicantium,
quàm non Mendicantium, exiſtentes infrà fines Diœ-
ceſis Paſſav. poſſint ſub prætextu cujuſvis privilegii,
vel conſuetudinis etiam immemorabilis, ordinari ab
alio Antiſtite, cui Litera Dimiſſoriæ proprii Abbatis,
vel Superioris Monaſterii dirigerentur. Secundò: Quam
pœnam incurrant, ſi contra fiat, tàm Regulares, quàm
Epiſcopi ordinantes.* Sac. Congreg. *die* 26. *Jul.* 1675.
cenſuit: *Ad primum dandum eſſe decretum editum ſub
Clemente VIII. Ad ſecundum, quod ponatur in folio*, cùm
non reperiretur ampliùs deciſum, proindeque cauſa bis
propoſita in folio, nempè *die* 16. *Novemb. &* 7. *Decem-
bris dicti anni* fuit dilata reſolutio; Etenim verè non
videtur quoad Regulares intrare pœnam ſuſpenſionis, 13
prout de ordinatis ab alieno Epiſcopo ſtatuit Conci-
lium Tridentinum *cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de reform.* ut moti-
vabatur ab aliquibus in dicta *Paſſavien.* quia Conci-
lium non loquitur de Regularibus; & cùm iſti habeant
facultates ſe promovendi à quocumque, Decretum
Clementinum talem facultatem non ſubſtulit, imò eam
præſupponit, dum indefinitè cenſuit, poſſe Regula-
res ſuis ſubditis Regularibus literas dimiſſorias con-
cedere, & ſic non dubitavit de exemptione ab Epi-
ſcopo, quia illius eſt dimittere, cujus eſt ordinare per
ſe, ſi capax ſit, vel per eum, cui ordinandus dimitti-
tur, ſed tantummodò injunxit Superioribus, ut certo
modo tales dimiſſorias concederent Diœceſano ſub cer-

tis pœ-

Digitized by Google

tis pęnis, nulla facta mentione ſuſpenſionis, vel illicitæ teceptionis; hinc cùm in *Miden.* Epiſcopus in Synodo agnoviſset, quod decretum Clementis VIII. Superiores Regulares tenerentur ſervare ſub pœna privationis officii: tamen pro ejus obſervantia majori demandavit, Regulares ordinandos debere habere dimiſſorias ab Epiſcopo, vel ſaltem teſtimoniales, aliàs remanerent ordinati ſuſpenſi ab ordine ſuſcepto; S. Congr. die 24. Aug. 1686. reſpondit, *Confirmandum eſſe decretum juxta formam tantùm decreti Clem. VIII.* & ſic mirum non eſt, ſi io adducta *Caputaq.* quamvis ſecundum dubium conceptum fuiſſet, An & quas pœnas incurrerint ipſimet ordinati, & eorum Superiores; Congreg. oihil reſpondit quoad Ordinatos, & Ordinantes; ſed tantùm Superiores incurriſſe pœnas decreti Clem. VIII. quia de his tantùm loquitur dictum decretum, nec ullo modo de ordinatis, aut ordinantibus facit mentionem, prout fit io *cit. c.* 8. *ſeſſ.* 23. *de refor.* quæ diſpoſitio Conciliarii rurſùs diſponit, ut qui ab alio Epiſcopo, quàm Diœceſano ſe promoveri petat, ſui Ordinarii teſtimonio commendetur; non autem dicit, Epiſcopi, ſed Ordinarii, cujus nomine certè venit Superior Regularis reſpectu Regularium. Ceterum ad rem
14 nullo modo poſſunt prætendere Epiſcopi, ut Regulares ordinandi recipiant eorum dimiſſorias, ut dixi *to.* 1. *loc. cit.* & reſolvit S. Congr. ad ſavorem Præmonſtratenſium *die* 20. *Julii an.* 1675. ibi: *An in caſibus, in quibus licet Superioribus Regularibus eorum ſubditos Regulares tranſmittere ad alios Epiſcopos extra Diœceſim pro ordinibus ſuſcipiendis, ſint neceſſaria dimiſſoriales Epiſcopi Diœceſani, vel ordinatores debeant eſſe contenti dimiſſoriis Superiorum tantùm.* S. Congr. cenſuit, ſervandam eſſe declarationem ſub Clem. VIII. in quo excluduntur hujuſmodi dimiſſoriales Epiſcoporum, & facit *cit. Miden.* ſupra adducta, & licèt Monac. *to.* 2. *tit.* 13. *form. n.* 29. adducat Epiſtolam S. Cong. Conc. datam Archiepiſcopo novi Regni Granatæ die 14. Mart. 1620. in qua enunciatur eſſe ſuſpenſum Regularem ordinatum à non Diœceſano, tamen procedit io eo, qui rejectus fuerat ab examine à Diœceſano, & ſic in caſu ſpeciali, & rurſùs talis Epiſtola non reperitur in Regeſtis Decretorum, & Epiſtolarum Sac. Congregationis.

15 In citata rurſùs *Paſſavien. Ordinum* in dubio ſuprà poſito diſputabatur, ao quatenùs Superiores Regulares ex uſu antiquo dimittentes ſuos ſubditos Regulares ad quemcumque Epiſcopum, etiam non impedito Epiſcopo Diœceſano, potuiſſent id continuare. Et licèt in prima propoſitione per Summarium fuiſſet reſolutum die 20. Julii 1675. ſervandam eſſe declarationem ſub Clemente VIII. & ſic *negativè*, quia ea demandat debere dirigi dimiſſorias Diœceſano; Tamen die 16. *Novemb.* & 7. *Decembr.* ejuſdem anni cauſa fuit poſita in ſolio, ac dilata reſolutio, & in ultima dictum, quod Nuntius audiret Regulares; Motivum dubitandi fuit, ut ex ſolio elicitur, quod in adducto decreto Clementino non abrogatur uſus contrarius; & cauſa non apparet aliàs propoſita; Sed verè videtur debere ſervari dictum decretum, quia vel uſus adducitur ante decretum Clement. VIII. & nihil intereſt, cùm eo tempore omnes Regulares exemptionibus hujuſmodi, ac privilegio ſe promovendi à quocumque, ita utebantur, ſub motivo, quod eorum privilegia non remanſiſſent vulnerata per Concilium, imò & ſi quoad Mendicantes adſit Bulla S. Pii V. tamen fuit redacta ad terminos Juris communis; Vel uſus eſt poſt decretum Clementinum, & nec poteſt ſuffragari, quia adeſt expreſſa lex contraria indefinitè loquens de omnibus Regularibus; unde contra hujuſmodi Pontificias leges nequit opponi non obſervantia, præſertim cùm agatur de diſciplina Eccleſiaſtica conſervanda; & rurſùs quia dictum decretum procedit per modum declarationis privilegiorum, quibus ſicuti uti volunt Regulares, ita hoc facere debent modo à Papa præſcripto, nec patientia Epiſcoporum poterat obeſſe, cùm unus alteri ſucceſſori præjudicare non poſſit.

16 Sed quid dicendum, ſi Regularis obtinuerit à Sede Apoſtolica Breve pro recipiendis ordinibus extra tempora, an debeat ſervari Decretum Clementinum, vel potiùs poſſit promoveri à quocumque Epiſcopo, ita ut non debeant dirigi Dimiſſoriæ Diœceſano; Iſta diſputatio evenit inter Carthuſianos, atque præfatum Epiſcopum Caputaquen. Propoſito enim dubio in *Caputaqu. Ordinationis I. An Monachi Carthuſienſes Monaſterii Sancti Laurentii Padulæ Caputaqu. Diœceſis, ordinati ab Epiſcopo Policaſtren. in vim Brevium Apoſtolicorum, ſint licitè ordinati in caſu, &c. & quatenus negativè? II. An & in quas pœnas inciderint tàm ordinati, quam Priori dictæ Carthuſiæ.* S. Congr. Concil. cenſuit ad I. *Affirmativè. Ad II. proviſum in primo.* Ratio fuit, quia etſi facultates iſtæ de ſe promovendo à quocumque Epiſcopo, concedi debeat cum clauſula *de Ordinarii licentia*, vel *cum Literis Dimiſſorialibus Ordinarii*, ut proprii ſubditi ex ignorantia non declinent à proprio eorum Paſtore, qui eos cognoſcit, juxtà *c.* 8. *ſeſs.* 23. *de refor.* niſi contrarium ſervatur juſta cauſa exigente, ut ex *c.* 11. *ſeſs.* 7. *de refor.* Mand. *de Sign. Gratiæ ver. licentiam ad Ordines*, Staphil. *de lit. gratia tit. de lit. Apoſt. fol.* 535. & dixi *cit. to.* 1. *pag.* 346. *n.* 77. Tameo in Brevibus, quæ conce- 17
duntur pro Regularibus ſtylus eſt Secretariæ Brevium, ut apponatur tantum Clauſula *de Superiorum licentia*, ut notat *cit.* Mandoſ. & quidem cum iſta clauſula non detogatur diſciplinæ, ut quis ordinetur cum licentia ejus Ordinarii, quia verè Superior Regularis eſt Ordinarius eorum, & eos agnoſcit, ac paſcit, & ordinari poſſunt ſine literis Dimiſſorialibus Epiſcoporum, ut dixi, & ſolis literis Dimiſſorialibus eorum Superiorum; Nec obſtat Decretum Clementinum, ut iſtas litteras Dimiſſoriales teneantur Superiores dirigere Epiſcopo Diœceſano, quia cùm Papa voluerit tantùm licentiam Suprriorum Regularium dimittentium, ut quilibet Epiſcopus ordinare poſſet, videtur data præambula facultas iiſdem Superioribus eas dirigendi cuicumque, non obſtante Decreto Clementino, ac ſublata ejus modificatio, & pro ea vice reducta in ejus primævo vigore privilegia Regularium ſe ordinandi à quocumque, & etiam ſervatur Concilium *cit. cap.* 8. quia præſervatur in Brevibus Licentia Superiorum, qui ſunt Ordinarii, nec ex eo quod Papæ non fuerit aſſertum Decreti Clementini obſtaculum, ut à quocumque promoverentur, niſi in caſu impedimenti Epiſcopi Diœceſani, cui jam id innoteſcere cenſendum eſt; cum omnia quæ Juris ſunt in ſui pectoris ſcrinio habeat, & cùm diſpoſitio Brevis ſit clara, nequit dubitari
ita voluiſſe; Licet autem opponeretur per Epiſcopum, 18
quod ſi Papa ſciviſſet contumaciam Patrum Carthuſienſium, noluiſſe eos adire Epiſcopum Caputaq. in Ordinationibus de quibus in *cit. Caputaq.* 11. *Feb.* 1708. tale Breve non conceſſiſſet; Attamen quia hujuſmodi Brevia paſſim conceduntur; & ſic uti id fit non obſtante Clementino Decreto, ita non obſtante dicta reſolutione fundata in ejus tranſgreſſione, Papa Breve conceſſit, ut à quocumque Epiſcopo promoverentur de Licentia Superiorum Regularium; Motivabatur quoque, quòd ſicuti Decretum Clementinum procedit, ut mittendi ſint Regulares ad Epiſcopum Diœceſanum, ſi fiant ab eo ordinationes generales, non autem ſi fiat ordinatio ab Epiſcopo Diœceſano pro aliquibus privata, & ſine edictis, Pelliza. *in manuali Regul. tr.* 6. *c.* 14. *n.* 31. ubi de communi, & praxi, Corrad. *in praxi diſpenſ. lib.* 4. *c.* 6. *n.* 17. §. *S. Congr. verſ. itaut*; mirum ideò non eſt, quod cum agatur de Brevi recipiendi Ordines in tribus diebus feſtivis, vel extra tempora, dirigantur cuicumque Epiſcopo, qui velit hoc onus aſſumere ordinandi diebus non præſcriptis: Benè tamen facerent Superiores Regulares, ſi ſubditos mitterent etiam in hoc caſu Diœceſano Epiſcopo, vel ſaltem ſcrutari, ſi iſte tale incommodum habere vellet, nam conſiderari debet Paſtor totius Diœceſis, in
quo ipſi degunt, ipſi aluntur, ipſi plura Beneficia re- 19
cipiunt, & habere ſemper debent erga eum reverentialem ſubjectionem. Unde in Dataria Apoſtolica, in qua expediuntur etiam Brevia Ordinationis extra tempora in tribus diebus feſtivis, ponitur clauſula, *ſervata*

tamen

Digitized by Google

tamen forma Decreti felicis record. Clement. Papæ VIII. Hinc cùm Epiſcopus Caputaquen. recurreret ad SS. D. N. ex eo quod dicti Carthuſienſes, ad eludendam ejus Juriſdictionem quoad Ordines, obtinerent ſemper Brevia extra tempora in tribus diebus feſtivis per Secretariam Brevium, nec æquum videri diceret, ut declinent formam præſcriptam à Decreto Clementino, ex eo quod in Brevibus non apponatur Clauſula, *ſervata forma dicti Decreti*, & ex eo quod in eis indulgetur ut poſſint ordinari à quocumque Catholico Antiſtite, unde petebat vel prohiberi expeditionem dictorum Brevium ad favorem præfatorum Carthuſianorum contumacium, vel apponi Clauſulam, *ſervata forma Decreti Clementini*, ut uniformentur expeditionibus per Datariam; Cumque hujuſmodi negotium fuerit à Sanctiſſimo remiſſum Congregationi particulari, dum hæc ſcribimus, pendet adhuc reſolutio, quàm alibi opportunè addam, ſi ſequatur.

CONSTITUTIO IV.

BONIFACII IX.

Incipiens (*Juſtis.*)

EPITOME BULLÆ.

BONIFACIUS, MINDENSI, ET VERDENSI Epiſcopis, Et Decano Eccleſiæ Mindenſis.

Confirmat, & obſervari mandat Conſtitutiones Friderici II. & Caroli IV. pro Immunitate, & Juriſdictione Eccleſiaſtica editas, inter quas idem Carolus quoddam ſtatutum, ut excommunicati Laici, & publicè denunciati in Civili Foro minimè repellantur, irritat, & annullat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Refertur motivum edendi hanc Conſtitutionem.*
2 *Fridericus II. quas leges ediderit favore Immunitatis Eccleſiaſticæ.*
3 *Quas item leges in eadem re ediderit Carolus IV.*
4 *Excommunicati privantur Communione fidelium, & quomodo.*
5 *Numerantur effectus Excommunicationis Majoris.*
6 *Excommunicationis nomine venit Excommunicatio Major.*
7 *Excommunicati in judicio non admittuntur.*
8 *Quid ſi non ſint denunciati, & non adſit ſcandalum.*
9 *Acta geſta in Judicio cum Excommunicato quatenus ſint valida.*
10 *Exceptio Excommunicationis debet opponi infra octo dies.*
11 *Et poteſt opponi etiam coram Judice Laico, & quatenus hic de hujuſmodi exceptione cognoſcere poſſit.*
12 *Excommunicatus Reus conventus poteſt ſtare in Judicio.*
13 *Idque tum per ſe, tum per Procuratorem.*
14 *In Judicio revocationis attentatorum an poſſit agere Excommunicatus.*
15 *Et quid ſi agatur de concedenda manutentione, vel de appoſitione ſequeſtri.*
16 *Nec poteſt agere in judicio jactationis jactationum, aut alio judicio voluntario.*
17 *Appellatio an, & quando permittatur Excommunicato.*
18 *Regulariter in Curia ei denegari ſolet appellatio.*
19 *Præſertim ſi agatur de Excommunicatione ob recurſum ad Judices Laicos.*
20 *Quod ſi in cenſuris inſorduerit, numquam auditur, etiamſi ſit Reus.*
Niſi forſan compareat, nullum Beneficium implorando, Ibidem.
21 *Excommunicatus poteſt appellare ab ipſa ſententia Excommunicationis.*
22 *Et quatenus tunc ei concedi oporteat abſolutio cum reincidentia, vel ad cautelam.*

Reprimendis nonnullorum Laicorum auſibus, qui-
bus in partibus Germaniæ labefactabatur Eccle- 1
ſiaſtica libertas, & potiſſimè in Bruuvicenſi, Hilden-
ſemenſi, & Halauſtratenſi Diœceſibus, Bonifacio Pa-
pæ ſatis in præſenti viſum fuit ſufficiens Sæculare Bra-
chium, cùm ad id confirmaverit, & obſervari juſſerit
notiſſimas Friderici II. & Caroli IV. leges, hac edita
Conſtitutione Avenione 6. Kal. Junii Anno 1391. De 2
Friderico Imperatore ſæpe ſæpiùs in noſtro hoc opere
mentionem fecimus, & juxta verſipellem ejuſdem ani-
mum, nunc ſua facinora exprobando, non ſemel eum-
dem reſipiſcentem commemorando, ut in *Conſtitut.* 1.
Alexandri III. num. 3. *cum ſeqq. tom.* 2. *& in Conſtit.*
8. *& in Conſtitut.* 1. *Gregorii IX. num.* 2. *& in Conſti-
tut.* 13. & tandem in *Conſtit.* 3. *Innocent. IV. tom.* 3.
Leges verò, quas idem Fridericus edidit, pro tuendis
juribus, & Eccleſiaſtica libertate, primus comproba-
vit Honorius III. in ejuſdem *Conſtitut.* 1. *incip. Has le-
ges tom.* 2. in cujus quidem Commentario hæc retuli-
mus, cum concordantibus Apoſtolicis Bullis, & ea-
rum nonnullas commentario illuſtravimus, alias verò
expoſuimus in *Conſtitut.* 10. *Innocent. III. tom.* 2. *& in
Conſtitut.* 10. *Urbani IV. à num.* 22. *tom.* 3.

Neque minori utilitate, ſed incomparabili conſtan- 3
tia ad tuendam Ordinis Eccleſiaſtici libertatem, &
juriſdictionem piiſſimus Carolus IV. Imperator ab In-
nocentio VI. animatus ſuam edidit inſignem Conſti-
tutionem, in qua ceſſavit, & annullavit quaſdam ini-
quas Ordinationes contra perſonas, & privilegia Ec-
cleſiaſtica tunc vigentes, referente Raynald. *in annal.
ad ann.* 1359. *num.* 12. *&* 13. Scottia *ad Conſtit. Apoſt.
Epiſt.* 29. *theorem.* 77. *&* 78. Hæ quidem Carolinæ leges
relatæ in calce noſtræ Bullæ plerumque verſantur in aſ-
ſerenda Eccleſiarum capacitate acquirendi, & retinendi
temporalia bona, quam latè firmavi *Conſtitut.* 10. *In-
noc. III. tom.* 2. ne ex redditibus Eccleſiaſticis laicalia
onera extorqueantur, neque tandem Sæcularis poteſtas
Eccleſiaſticam labefactare moliatur, quod aſſerui in
Conſtitut. 1. *Honorii III. ſect.* 1. *tom.* 2. *& in Conſtit.*
5. *Urbani IV. tom.* 3. Neve Clerici, aliique Eccleſia-
ſtici Ordinis repellantur à Judiciis, & teſtimonio fe-
rendo etiam in cauſis pro locis ipſis piis, de qua re
dixi ad *Conſtitut.* 3. *Honorii III. tom.* 2. prout contra
dominos temporales, & Officiales bannientes, ſeù
proſcribentes Eccleſiaſticos Miniſtros dixi ſupra *hoc
tomo Conſtitut.* 3. *Urbani VI.* Reliquum itaque eſt ha-
rum Caroli legum, & hujuſce Conſtitutionis exigen-
tiam inſiſtere in alia ejuſdem Imperatoris lege in hac
Bulla confirmata, & in hoc opere adhuc intacta ex-
plicari, videlicet quod Excommunicati, & publicè
denunciati repellantur à Foro Civili, Excommunica-
tionis pœna à Sacris Canonibus impoſita: quæ gra-
viſſimum importat animæ vinculum, de qua dixi *to.*
1. *ad Conſtitut.* 1. *Leonis IX. ſect.* 3. ea etenim pri-
vat Excommunicatum Communione Sacramentorum,
& Fidelium, ac eos repellit à Communione cum
membris Chriſti, ut ſcripſit D. Auguſt. *relat. in can.
multi* 2. *quæſt.* 1. & latiùs referuntur Canone à Gra-
tiano *in Decreto cauſa* 11. *quæſt.* 3. *& Can. ſicut Apo-
ſtoli* 16. *quæſt.* 3. ac aliis ſequentibus, incipiendo à
tempore Apoſtolorum, qui Communionem quamcum-
que prohibuerunt cum hujuſmodi Reis, nedum in

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiis, ſed Domi, ac alibi: hinc ad hujuſmodi effectum Honorius Papa ait: *Cura ſit omnibus Epiſcopis Excommunicatorum omninò nomina tàm Epiſcopis vicinis, quàm ſuis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita præ Foribus Eccleſiæ cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia Excommunicatis aditus Eccleſiaſticus excludatur, & excuſationis cauſa omnibus auferatur*, ut refertur *in can. Curæ* 11. *q.* 3. Hæc enim Excommunicatio hujuſmodi
5 Communionem auferens, & prohibens, major dicitur, quæ privat activa, & paſſiva Sacramentorum perceptione, & ſuffragiis Eccleſiæ, atque Communione Fidelium tàm Spirituali, & interna, quàm externa, imò politica; nam agit nedum ut Excommunicati non valeant percipere Sacramenta, eaque adminiſtrare, & ne cum ipſis fideles communicent in Sacramentorum uſu, prout in Divinis Officiis, ſed neque communicent, ac participent de ſuffragiis Eccleſiæ; imò ut cum ipſis fidelibus non communicent in aliis actibus humanis, in quibus verè conſiſtit propria, & plenior Excommunicatio, unde privatio conſortii totius Chriſtianitatis nuncupatur in *can. Canonica* 105. 11. *q.* 3. ad differentiam Excommunicationis minoris, quæ etiam dicitur Excommunicatio, ſed non quoad hujuſmodi omnes effectus, cùm privet paſſiva Sacramentorum participatione, *cap. à nobis* 2. *de excepr.* dum au-
6 tem de Excommunicatione fit mentio, etſi antiquitùs intelligeretur de minori; poſt decretalem tamen Gregorii IX. de majori eſt intelligenda, *cap. ſi quam de ſent. excom.* Fermoſin. *cap. cum ab homine q.* 31. Gibal. *de Cenſur. diſquiſ.* 1. *quæſt.* 2. *n.* 4. Nicolius *Fl̃ſit. Canonic. lib.* 5. *tit.* 39. *de ſent. Excom. pag.* 169. Cùm igitur Excommunicatione majori privetur Excommunicatus omni Chriſtianorum commercio, meritò cum ipſo nequit loqui, ſalutari, aut conſociari, & conſequenter vitatur commercium, & conſociatio in Judicio, à quo proindè repellitur *cap. Intelleximus de Jud. cap. exceptionem de excepr. c. decernimus de ſent. Excom. in* 6. Unde cùm hoc Juribus pluribus Canonicis fuerit indictum, & plures Judices Laici hujuſmodi excommunicatos in Judicio admittebant etiam in vim aliquorum Statutorum editorum; ideò Carolus IV. Imperator inter alias ſuas leges emanatas eam poſuit, qua contra Canonicas Sanctiones non permitteretur, quòd à Judicibus Laicis excommunicati, & publicè denunciati non repellerentur à Foro Civili. Unde caſſat, & irritat omnia Statuta contra prædictas Carolinas Leges edita, quarum obſervantiam plenariè demandavit, quas Carolinas leges Papa in hac Conſtitutione comprobavit, & confirmavit.

Firmum itaque remanet, nedum Jure Canonico,
7 ſed etiam Civili excommunicatos majori excommunicatione debere à Judicio repelli, ut plenè Doctores *ad cit. Textus*, & præſertim Gonzal. *in cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, Paſſer. *in cap. pia conſideratione* 1. *de excepr. in* 6. Scortia *ad hanc Bullam Epic.* 29. *per tot.* Barboſ. *cit. textibus*, Paul. Chriſtin. *dec. Belgic.* 98. *vol.* 1. Surd. *de alim tit.* 8. *privileg.* 83. Duen. *reg.* 278. *& ſeq.* Vant. *de nullit. ex defic. Juriſ. ſeu Mandati num.* 58. *& de nullit. ex defec. Juriſd. deleg. n.* 61. Soccin. *reg.* 175. Gratian. *diſcept.* 974. Sanfel. *dec.* 55. *numer.* 20. *& ſeq.* Ridolphin. *in praxi par.* 1. *cap.* 8. *nu.* 48. *& ſeq.* Ubert. *de citat. cap.* 5. *num.* 80. *& ſeq. cap.* 9. *num.* 279. *& ſeqq.* Capuc. *in prax. tom. . cap.* 7. *num.* 128. Decian. *tract. crim. to.* 1. *cap.* 20. *num.* 1. *cum ſequentibus*, Riccinl. *de Jur. perſon. extra grem. Eccleſ. exiſtent. cap.* 32. Beller. *diſq. Cleric. part.* 1. *de diſcipl. Cleric.* §. 10. *num.* 5. *cum ſeq.* Rota *dec.* 85. poſt Urceol. *de tranſact. & plenè dec.* 165. *per tot.* poſt Zacch. *de oblig. Camerali dec.* 160. *n.* 5. *cor. Carillo dec.* 556. *cor. Buratt. & dec.* 107. *par.* 6. *rec.* ubi concordantes, quos auctores alioſque conſulere oportet ad rem, & ſolùm in hoc commentario aliqua ſpecialia ad praxim omittere non putavi.

8 Diſputatur præſertim in hac re, an peccent hujuſmodi excommunicati, ſi in judicio agant, & affirmativè aliqui dicunt, negativè alii, ut refert Paſſerin. *cit. n.* 7. Verùm, ſi agatur de excommunicato non denunciato, neque notorio Clerici percuſſore, qui tolerari poteſt, juxta famigeratam *Extravag. Ad evitanda* videtur, quod ſecluſo ſcandalo, vel contemptu per ſe non dicitur peccare ſecus autem, ſi agatur de excommunicato vitando, quia tunc præberet occaſionem peccati aliis communicantibus, prout ſi poſt exceptionem talis excommunicationis denuò perſeveret in agendo, niſi adſit neceſſitas excuſans, eademque regula videtur ſervanda, ſi quis promitteret cum Juramento non opponere dictam exceptionem excommunicationis in actore, quia teneretur opponere in publicè denunciato, vel notorio percuſſore, ſecùs in tolerato, ut proſequitur Paſſerin. *cit. n.* 5. excommuni- 9
catus tamen, ſi agat in Judicio, acta ſunt valida, niſi opponatur exceptio excommunicationis à colligante, quo caſu repellitur, ut expreſsè dicitur in *cit. cap. pia conſideratione de excepr. in* 6. quod procedit, etſi colligans repellens excommunicatum excommunicatione majori, ipſe quoque ſit excommunicatus excommunicatione minori, *c. à nobis* 2. *de excep.* Verùm parte non opponente de excommunicatione actoris, Judex poteſt, & debet actorem, publicè tamen excommunicatum, ex officio repellere, *cap. exceptionem* 12. *de excep. cap. pia conſideratione eod. tit. in* 6. Gonzal. *cap. intelleximus num.* 6. *de Judiciis*, & etiam dixit Carolus Imperator in hac Bulla relatus, Ridolph. *in prax. cit. loco nu.* 49. ubi Judicem non debere audire etiam Reo volente, Rota *dec.* 182. *cor. Seraph.* idque, ut dixi procedit in publicè denunciato, vel notorio Clerici percuſſore poſt Extravagantem ſupra citatam, quia alii ſunt tolerati, & licèt à Reo poſſit opponi quæcumque excommunicatio major, tamen talis neceſſitas non eſt in eo, niſi actor fuerit denunciatus, ſed ſi pars,
vel Judex ex officio id agat non admittendo excom- 10
municatum, etſi toleratum, poteſt id facere, quia diſpoſitio extravagantis non eſt lata ad favorem excommunicatorum, ſed eorum qui cum iis ſociantur, ne incurrant in excommunicationem minorem. Unde acta Judicialia ſemper valent, donec quis à Judice fuerit repulſus, vel à parte oppoſita exceptio excommunicationis, ut non agat; quia etſi peccarent actores excommunicati modo, quo dixi ſupra, tamen non reſultat nullitas actorum, quæ non intrat niſi à lege fuerit impoſita nullitas, prout eſſet in caſu exceptionis oppoſitæ *cit. c. pia de excepr. in* 6. ubi latè exponitur, quod talis exceptio debet probari infra octo dies; aliàs ne partes defatigentur, acta valebunt etiam poſt oppoſitam exceptionem prædictam; poterit tamen iſta ſemper opponi in qualibet parte Judicii, ſed ſine præjudicio expenſarum, ut plenè *cit.* Paſſerinus materiam latè explanans, & noviſſimè Monacel. *in formul. to.* 3. *prælud. numer.* 33. *& ſeq.* Rota *dec.* 150. *lib.* 2. *coram Puteo*, ac de praxi etiam Rotæ Ridolphin. *citat. numer.* 52.

Adducta Jurium diſpoſitio, ut repelli debeat Ex-
communicatus, procedit tàm coram Judice Eccleſia- 11
ſtico, quàm laicali, tum quia quoad Forum animæ uterque ſubjicitur judicio Eccleſiæ, tum etiam quia in utroque eadem ratio conſideratur, Communio ſcilicet vitanda cum Excommunicato, & demum quia de Foro laicali loquitur lex Carolina, de qua in hac Bulla, ibi: *in Foro Civili*, ideſt laico, & docent præfati DD. & exceptio iſta debet probari quoad factum excommunicationis coram Judice ipſo, coram quo opponitur, etſi laico; ſi verò inſurgat quæſtio de validitate, vel juſtitia cenſuræ, debet id videri coram Judice Eccleſiaſtico, ſuſpenſa interim cognitione Cauſæ principalis, in qua oppoſita fuit exceptio excommunicationis, Paſſer. *cit. n.* 12. & dixi *tom.* 3. *ad Conſtit.* 1. *Innoc. IV. ſect.* 1. *n.* 9.

Poteſt tamen excommunicatus in Judicio ſiſti, nec 12
quidem valet rejici, ſi veniat uti reus, quia tunc cùm vocetur ad judicium, nec actor vult ſuperſedere, æquum non eſt, ut cum tanto gravamine reus ſuccumbat, abſque eo quod ſe defendat; prout videmus etiam in caſu conſociationis cum excommunicatis in aliis actibus; quia licitè id fieri valet, ſi concurrat neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitas, Dian. *reſ. mor. par. 5. tract. 9. reſ. 2.* Coſt. *de
rem. ſubſid. rem. 118. per tot.* Monac. *cit. to. 3. in pralud.
n. 41.* & concurrit alia ratio, quod cùm agatur de reo,
ſi cauſa differatur, id eſſet in eorum utilitatem, & ſic
non permittendum, ut eſt in bannito, qui & ſi in Ju-
dicio non admittatur, id ceſſat ſi fuerit reus, ut poſt
alios docet Rayn. *obſer. Crim. to. 3. c. 33. §. 2. nu. 63. &
64.* Aliqui tamen volunt, ut eo caſu poſſit quidem Reus
13 ſe defendere per Procuratorem, non autem per ſe ipſum,
ſed communiter tenendum eſt, ut poſſit per utrumque,
Gonzal. *cit. cap. Intelleximus n. fin. de Judiciis*, & gene-
raliter reum non poſſe ejici à limine Judicii docuerunt
cit. DD. & præſertim Ridolph. *cit. n. 50.* Rot. *dec. 356.
n. 5. & 6. cor. Buratt. dec. 85. n. 2.* poſt Urceol. *de tranſ.*
14 Hinc plura emergunt rursùs diſputanda, ſcilicet an
excommunicatus agere valeat in Judicio revocationis at-
tentatorum; Et affirmant aliqui, apud Lancellot. *de at-
tentatis cap. 22. nu. 4. & cap. 20. num. 84.* Pax Jordan.
elucub. Can. vol. 3. lib. 14. tit. 14. num. 172. & nu. 220.
Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. par. 7. proem. n. 239.* Magon.
dec. Lucen. 71. Rot. *dec. 72. num. 6. & 7. coram Burat.
& dec. 146. num. 10. & 13.* ubi alii, & de veriori *cor.
Pamph. & dec. 236. n. 16. par. 4. to. 2. rec.* Sed contra-
rium ſenſit eadem Rota *in dec. 1184. num. 6. cor. Pæ-
nia*, ubi quod difficilis ſit hujus articuli definitio. Ve-
rùm in purgatione attentatorum, nedum jus purgatio-
nem petentis conſiderari valet, ſed etiam Judicis ſpre-
ti, qui ex officio poteſt eam revocare; unde ſemper ta-
lis purgatio ſolet concedi à Rota, etiam ad favorem
excommunicati, ut in *cit. dec.* & conſideravit Ricciul.
cit. lib. 4. cap. 32. nu. 21. & alii apud Adden. ad Burat.
dec. 72. numer. 8. ubi quod cum minori difficultate id
15 procedat, ſi apponatur ſequeſtrum, quia eo caſu non
conceditur manutentio excommunicato; & verè ſic tu-
tiùs proceditur, quandoquidem ceſſat ratio, ob quam
aliqui denegant purgationem attentatorum ad favorem
excommunicati, vel ſi agatur de caſu plenè non pro-
batæ excommunicationis, ut in *dec. 149. n. 7. par. 17.
rec.* imò etiam concedere manutentionem non eſſet ab-
ſonum, ne attentans fruatur temeritatis fructu, præ-
ſertim ſtante appellatione interpoſita per excommuni-
catum; qui poteſt id agere, ut dicam, & fruſtratorium
eſſet, ſi pendente appellatione innovari potuiſſet, &
ſic concedere manutentionem diceretur actus conſecu-
tivus appellationi, & nihil de novo excommunicato
appellanti tribueretur, prout ſi tempore dato à lege ad
probandam excommunicationem pars attentaret, quo
caſu ſine ſcrupulo debet dari manutentio; Si verò in
primo Judicio excommunicatus ſit actor, & repella-
tur, & poſteà pars attentet, tunc poterit proce-
dere per ſequeſtrum, ut majeſtas Judicis conſervetur,
& pars excommunicati utilitatem aliquam non repor-
tet, quia non poteſt agere neque in Judicio reintegra-
tionis, Rot. *cit. dec. 1184. num. 8. cor. Pania*, & neque
pro manutentione, Rota *dec. 236. num. 11. par. 4. to. 2.
rec. dec. 372. cor. Cavaler. dec. cit. 1184. num. 5. cor. Pa-
nia, dec. 34. num. 5. cor. Otthoo. dec. 107. nu. 5.* ubi alii
16 *par. 6. rec.* Sicuti nec poteſt excommunicatus compare-
re in Judicio Jactationis Jactationum, aut alio Judicio
voluntario, quia tantùm permittitur defenſio, quæ eſt
de jure naturæ, imò ut intret defenſio debet attendi,
an habeat naturam ſolius defenſionis, quæ excommu-
nicato conceditur, ne indefenſus ſuccumbat, quod per-
mittitur, non autem ſi habeat naturam actionis, &
impugnationis, ut ipſe majus jus obtineat, vel jus al-
terius diminuat, & reus voluntarius comparator acto-
ri, ut magiſtraliter diſtinxit Rot. *dec. 165. numer. 5. &
ſeq.* poſt Zach. *de obligat. Cameral.* hinc ex eadem cauſa
excommunicatus compenſationem petere nequit in Ju-
dicio, quia eſſet agere; poteſt tamen retinere, quia
eſt defenſio, Puteus *lib. 2. dec. 284. num. 7.* ita ex ea-
dem theorica nequit reconvenire actorem, Gonzal.
cap. cum inter de exceptionibus num. 6. Paſſerin. *cit. c. 1.
num. 30. de except. in 6.* nec poteſt petere beneficium de-
ducto, ne egeat, & ceſſionem bonorum, Marchel. *de
Commiſs. par. 3. tit. de Commiſs. admiſs. ad ceſs. bon. §. 1.
num. 60. & 61.* Caval. *dec. 514. n. fin.* Secus autem ſi a-
gatur de cauſa neceſſaria, & patiente moram contra de-
bitorem, ut de muliere agente pro dotis aſſicuratione
contra virum vergentem ad inopiam, ſi periculum ſit
in mora, Surd. *de alim. priv. 83. n. 8. & ſeq.* Grat. *diſcep.
974. num. 24.* qui *n. 25.* addit, ſemper poſſe agere filios
utili actione, etiam matre excommunicata, itemque
actio eſt permiſſa in Judicio alimentorum, aliiſque pri-
vilegiatis.
Poterit ulterius excommunicatus appellare, quia id 17
eſt in ſequelam defenſionis, non poteſt tamen proſequi
appellationem, niſi appellatus eam proſequatur, quia
hoc caſu continuaret ſe defendere, & licèt excommu-
nicatus nequeat obtinere reſcriptum à Principe, *cap. 1.*
ubi plenè Paſſerin. *de reſcript. in 6.* tamen poteſt reſcri-
ptum appellationis petere, Paſſerin. *cit. cap. num. 15.*
Ridolphin. *cit. loc. num. 50.* Scacc. *de appelat. quæſt. 5.*
Fagnan. *cap. per tuas num. 15. de ſent. excomm.* & plenè
Rot. *dec. cit. 165. nu. 5.* poſt Zacch. *de oblig. Camer. dec.
414. par. 9. rec. tom. 2.* quia ſemper continuatur defen-
ſionis actus; non poteſt tamen petere executionem ſen-
tentiæ, nec poteſt inſtare, ut appellans proſequatur cau-
ſam, quia quamvis poſſit ſe defendere, nihil autem ad
proprium commodum intentare, ut proſequitur *cit.* Paſ-
ſerin. *n. 17.* & Scacc. *cit. loco*; iſta autem appellatio per-
miſſa excommunicato non procedit in actu extrajudi-
ciali, ut docent DD. quia ſi quis appellat ab electione
facta, dicitur provocatio ad cauſam, non permiſſa ex-
communicato; niſi contineat mixturam judicialem, ut
in Executore volente providere alium de beneficio ſibi
ſpectante.
Sed etſi excommunicatus valeat appellare, tamen
ſolet à Principe, ſivè à Signatura in Curia aliiſque Tri- 18
bunalibus reiici ad hoc beneficio, & ei denegare au-
dientiam, quia beneficium appellationis procedit à le-
gis Civilis permiſſione, nec eſt de jure naturæ, ut eſt
defenſio, quod præſertim comprobatur ex eo, quod
Papa, aliique Principes paſſim committunt cauſas cum
clauſula, appellatione remota, quod fieri non poſſet,
ſi appellatio eſſet defenſio debita jure naturæ, ut ma-
giſtraliter dixit Rota *cit. dec. 165. n. 6. & 7.* poſt Zacch.
de obligat. Cameral. & tunc denegata audientia nequit
amplius ſtare in Judicio; & ad hujuſmodi excommuni-
catos repellendos ob recurſum ad Judices laicos facilia 19
ſunt Tribunalia Curiæ, & ſufficiunt tales quales proba-
tiones etiam præſumptivæ, ut denegetur eis audientia,
licèt pro inferendis Cenſuris, ſeù declarationibus ea-
rum requirantur plenæ probationes, ut paſſim Rota ſer-
vat, Add. ad Pamphil. *dec. 107. num. 10. dec. 96. num.
2. & ſeq.* ubi Adden. *num. 6. & ſeq. coram Ludoviſ. dec.
81. num. 11. par. 12. rec.* demùm ſi ſit reus, atque ab- 20
ſolvi contemnat, ac diu inſurdeſcat in excommunica-
tione, etiam denegatur omninò, ut ſe in Judicio ſiſtat,
etſi utì reus originarius, & nec in gradu appellationis,
Rot. *dec. 536. num. 6. cor. Buratto, & cit. dec. 165. nu. 8.
cum concord.* ſi tamen compareat utì reus, nullum bene-
ficium implorans, debet audiri ſine abſolutione, quia
nequit inauditus condemnari, Rota *dec. 85. n. 2.* poſt
Urceol. *de tranſact.*
Si autem agatur de eadem ſententia excommuni- 21
cationis, excommunicatus appellans, ſi dicat de nul-
litate illius poterit appellationem proſequi abſque abſo-
lutione; Si verò opponat de injuſtitia excommunicatio-
nis, debet tamen priùs abſolvi cum reincidentia, *c. per
tuas de ſent. excom.* ubi plenè Fagn. *num. 8. & ſeq.* Paſſer.
cit. cap. pia num. 19. de except. in 6. & cap. 1. de reſcrip.
nam injuſtitia notoria æquiparatur nullitati; Verùm hoc
difficilè eſt in praxi, & ſic ratione injuſtitiæ debet pe-
tere abſolutionem; ratio differentiæ eſt inter iſtum ca-
ſum excommunicationis, & alias cauſas, quia in iſto
excommunicationis principaliter de ea diſputatur, &
idcircò reus non petens abſolutionem, videtur conte-
mnere cenſuras, quæ juſtæ, vel injuſtæ ſint, debent
ſervari, ut notat *cit. loco num. 16. & 17.* tamen in pra- 22
xi etiam quoad appellantes quoſcunque, ab excommu-
nicatione Sedes Apoſtolica ſolet abſolvere eos ad cau-
telam, etiam contradicente excommunicato; ut pro-
ſequitur cit. Fagn. *numer. 17. & 18.* niſi adſit notòria
nulli-

Digitized by Google

nullitas, de qua tamen difficilis eſt caſus; ita ſi agatur de declaratione Cenſuræ Juris, à qua declaratione appelletur, de rigore non tenetur appellans petere abſolutionem, donec videatur cauſa, quia non impugnat juſtitiam Cenſuræ, ſed ſolum factum an verè fuerit tale imò appellando ſupponit ſe non incurriſſe cenſuras, & petendo abſolutionem fateretur incurſionem, quod importat contradictionem, Fagnan. *cit. n.* 26. verùm, ut ipſe etiam fatetur *num.* 28. in praxi datur abſolutio appellanti cum reincidentia, antequam audiatur, & ita ſervatur à Metropolitanis, ab A. C. & à Sacr. Congregationibus, niſi ob contumaciam potiùs rei, hunc in eadem Cenſura permanere ſinant.

CONSTITUTIO V.

BONIFACII IX.

Incipiens (*Ab Origine.*)

EPITOME BULLÆ.

BONIFACIUS PATRIARCHIS, Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c.

IN Sanctarum Cœtu declarat adeſſe Brigittam Viduam Svecam, aſſignata feſtivitatis die.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *S. Brigitta Natales, ac conjugalis vita referuntur.*
2 *Ejus eximia pietatis opera, ac dona prophetia, & revelationum.*
3 *Inſtituit Ordinem S. Salvatoris.*
4 *Ejuſdem obitus, & adſcriptio inter Sanctas in hac Conſtitutione.*
5 *Referuntur geſta quoad ejus Canonizationem in Concilio Conſtantienſi.*
De ejus revelationibus, ac earundem verificatione.

1 BRigittæ eximiæ virtutes in hac Conſtitutione re-
feruntur; quam tamen totum Chriſtianum Orbem
ſanctitatis odore repleviſſe, ſatis piis viris perſpectum
eſt, ſi ſpectemus ejus vitam, ſi miracula, ſi de-
mum revelationes, quas meruit à divino fonte hau-
rire; Brigitta etenim, vulgò Brigida etiam dicta, na-
tales agnovit ex Patre Birghero, & matre Sighride con-
jugibus, ex nobiliſſimo Regum Svecorum genere pro-
gnata, quæ Vvlphoni Neritiæ Principi matrimonio co-
pulata, ſuſcepit ex thoro octo liberos, quatuor ſcili-
cet mares, totidemque fœminas; ſobolem Virumque ad
opera pietatis allicere non deſtitit; & ad S. Jacobum
Compoſtellanum peregrinata eſt cum Viro; Hoc au-
tem Ciſtercienſi Monacho facto, ipſa Vaſtanenſe Mo-
2 naſterium fundavit, ſub regula S. Salvatoris ab ipſo
Domino accepta; Urbem deinde Dei impulſu adve-
niens, ad Hieroſolymitana ſacra loca luſtranda dein-
dè profecta eſt, aſperrimo vitæ genere, prophetiæ
dono, revelationumque divinarum dono condecora-
ta, quæ & ſcriptis mandatæ extant; Ubique cele-
berrima eſt, ac omnium penè ſui temporis Scripto-
rum ſtylo commendata; Religioſorum Ordinem S. Sal-
vatoris ab ea inſtitutum ſub regula D. Auguſtini plu-
3 ribus Conſtitutionibus communivit, ejuſque alumni
tàm Viri, quàm mulieres intra eadem Monaſteriorum
ſepta ſub diverſis clauſuris veſte, & chlamide griſei
coloris induebantur, cruce rubra chlamidi intertexta,
cum albo circulo in medio. Hujus Ordinis meminit
Thomas Vvalſinghamus *in hiſtor. Anglicana in Henri-
co V. pag.* 387. & S. Antoninus 3. *par. Chronici tit.* 24.
c. 11. quem Urbanus V. confirmavit, ejuſque etiam ha-
bitum induit Brigitta; caputque Ordinis fuit præfatum
Vaſtanenſe Cœnobium in Diœceſi Lyncopenſi, & de
ejuſdem ordinis reſtauratione, ac formula profeſſionis
tempore Urbani VIII. mediante ejus Brevi, in una
Belgii profeſſionis Regularis S. Cong. Conc. 19. Septem-
bris 1682. & ex alio Brevi ſa. me. Innocentii XI. in ea-
dem cauſa 8. Maii 1683. Obiit admirabilis Vidua Ro- 4
mæ 10. Kal. Auguſti Anno 1373. A Bonifacio igitur
IX. poſt 17. annos inter Sanctas Viduas cooptata fuit,
aſſignata feſtivitate pro eo die, quo obiit, nempe die
23. Julii ſupra enunciato, ut in hac Conſtitutione e-
dita in Urbe Nonis Octobris 1391. Verùm Joannes
XXIII. in Concilio Conſtantienſi, ſupplicantibus Re-
gnorum Sveciæ, Daniæ, & Norvegiæ oratoribus, ejus
ſanctitatem iterum declaravit in eodem Conc. ut tra-
dunt *Trithemius in Chronico Spanhemenſi, & Naucle-
rus generat.* 48. Tandem ut ejus Canonizatio tempore
Schiſmatis facta apud omnes in majori veneratione ha-
beretur, Martinus V. eamdem confirmavit primo an-
no ejus Pontificatus, ut recenſet Cherubinus initio
hujus Bullæ, quam in Bullario prætermiſit; Ejuſdem
feſtum celebratur ab univerſali Eccleſia, die 7. Octo-
bris, ejuſque corpus translatum fuit ad Vaſtanenſe Mo-
naſterium, & in Urbe adeſt Eccleſia in honorem ejus
dicata; de cujus Revelationibus dubitare fas non eſt,
cùm ultra verificationem quamplurium, ut Sandet. *lib.
6. viſibil. Monarch.* notavit, ab etherodoxo impio Nu-
gatore Balæo, de illarum veritate differente, in du-
bium numquam revocatæ fuere, imò quammaximè pro-
pugnatæ: & illo, quo par erat titulo, ſtupor, & mi-
rabilia, laudatæ extitere, ut videre eſt apud Boland.
in actis Sanctor. menſis Februarii to. 1. *pag.* 113. *n.* 88.
& præfatas revelationes conſcripſit in parte Surius *de
Hiſtor. Sanct.* 23. *Julii*, & omnes à Cardinali Turrecre-
mata recognitas, Conſalvus Durante Theologus notis
illuſtravit.

CONSTITUTIO UNICA

INNOCENTII VII.

Incipiens (*Sedis Apoſtolicæ*)

EPITOME BULLÆ.

INNOCENTIUS AD PERPETUAM REI Memoriam.

REgulam Fratrum, & Sororum de Pœnitentia, Ordinis S. Dominici, Apoſtolica auctoritate communit, approbatque.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Innocentii VII. natales, & ad Pontificatum aſſumptio referuntur.*
2 *Ejus præclara dotes, geſta, & obitus.*
3 *Approbavit Regulam Ordinis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia.*
4 *Hic Ordo quatenus inſtitutus fuerit à D. Dominico.*
5 *In eo habitum ſuſcepit B. Catharina Senenſis.*
6 *Ejus Fratres dicuntur Tertiarii, & quatenus aſſimilentur Tertiariis aliorum Ordinum.*
7 *Fratres Tertiarii an poſſint vivere non collegialiter.*
8 *Mulieres Tertiaria vivere volentes collegialiter, ſervare debent clauſuram.*

9 *Ter-*

9 *Tertiariæ viventes in communi, emittere debent tria vota Religionis.*
10 *Tertiariæ in propriis domibus viventes, non poſſunt compelli ad clauſuram.*

1 NEapolitanæ Urbis civem optimum, Pontificem
Bonifacium IX. ſubſequitur ejuſdem Regni ſobo-
les Innocentius VII. vigeſimuſnonus ex Neapolitani
Regni alumnis, qui ad univerſalis Eccleſiæ clavum
regendum ſublimitati fuere; quique Sedis Apoſtolicæ
eximius non minus moderator extitit, electus 3. Non.
Novembris 1404. Agnovit natales Innocentius in Civi-
tate Sulmonis Pelignorum, in Diœceſi proinde Sul-
monenſi, & non Valvenſi, ut dixerat Ciaconn. *in
ejus vita*; hæ enim duæ Diœceſes unitæ erant, prout
ſunt, & tempore ejuſdem Innocentii ſcriptæ reperiun-
tur literæ ejus Capitulo Sulmonenſi, cui Eccleſiæ plu-
ra aurea dona miſit pro Sacris peragendis, ut refert
Oldoinus *in Vita hujus Pontificis*, cujus nomen fuit
2 in baptiſmate Coſmatus Melioratus; Juvenis dum fuit,
operam utrique Juri dedit, ac ſub Urbano VI. Cleri-
cus Cameræ Apoſtolicæ electus, ac Collector reddi-
tuum Cameræ in Anglia miſſus primò fuit, mox Ar-
chiepiſcopus Ravenatenſis, ac deindè Bononienſis re-
nunciatus, ac Romanæ Eccleſiæ Theſaurarius, & Vi-
cecamerarius creatus, Cardinalis Cameratius demum
extitit; Fuit mitis indolis, ac probitatis eximiæ, Ju-
ris conſultiſſimus, ſingularique facundia, & venuſtate
præditus, vitæ integritate ornatus, ac Eccleſiaſticæ li-
bertatis acerrimus propugnator; beneficiis vincere
omnes curabat, unde Guelfos, & Gibellinos, qui Ur-
bem tunc inter ſe ſeditionibus vexabant, ſic alloquutus
fuit, importunitatem petentium objurgans: *Conceſſi e-
quidem, quidquid à me petiſtis, nec jam ſupereſt quod
petere poſſitis, niſi hanc Pontificiam veſtem:* Plura e-
git ut ſchiſma finem videret, ab Urbe diſcedens ad eam
rediit, à Romanis maxima acclamatione veneratus; La-
dislai Regis Neapolitani ambitionem fregit, eum ex-
communicavit, ac Regno privavit, & poſt biennium,
& dies aliquot ſui Pontificatus piè obiit 8. Id. Novemb.
An. 1406. in Baſilica Vaticana ſepulturæ traditus.
3 Iſte etenim Summus Pontifex Innocentius, ſtudio ſpe-
ciali, benignoque favore Regulares proſequens, Regu-
lam Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Ordinis S.
Dominici approbavit, hac Conſtitutione edita Romæ
6. Kal. Julii Anno 1405. in qua omnia capita dictæ Re-
gulæ recenſentur; Fratrum etenim, & Sororum Ordo,
qui de pœnitentia nuncupatur, S. Dominicum Inſtitu-
torem agnovit, qui Ordinem Prædicatorum etiam pe-
perit, de quo Ordine dixi *to. 1. Conſtit. 2. Honor. III.*
4 Cum etenim ille in partibus Longobardiæ pro hæreticis
convertendis inſudaret, tunc in adjutorium ſibi adſci-
vit quaſdam perſonas, quæ hæreticos facto expugna-
rent, quos gladio Verbi Dei convertere non poterat;
His quidem Viris hanc vitam recipientibus, certam vi-
vendi regulam pro ſpirituali progreſſu præſcripſit, qui
tamen extra ſtatum veræ Religionis, ſed in propriis do-
mibus vivebant, Fratres de militia S. Dominici nuncu-
pati. Verùm extirpatis in illis partibus hæreticis, quo-
rum centum mille ipſum Patriarcham Dominicum con-
vertiſſe fertur, quamvis hujuſmodi militantium in præ-
ſcripta Regula occaſio ceſſaſſet, continuavit tamen idem
vivendi inſtitutum, cùm ex temporali militia piè inſtru-
cta, milites ad militiam expugnantem propriæ carnis
ſtimulos converſi fuerint, & Fratres de Pœnitentia S.
Dominici meritò nuncupati extitere. Quæ vitæ ducen-
dæ forma à Sancto præſcripta, cùm cuicumque perſo-
narum ſtatui accommodata viſa fuerit, eam & Virgi-
nes, & Viduæ, ac conjugati dietim amplectebantur,
unde in magnam ſobolem multiplicati, optimæ Chri-
ſtianæ converſationis ſpecimina continuò præſtabant;
hinc ſuccedente tempore, Innocentius IV. Papa hujuſ-
modi Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Regulam
probavit, deindè Joann. XXII. eoſdem Fratres dixit non
comprehendi ſub exprobato Beguinarum, & Beguino-
rum nomine; demùm Innoc. VII. approbavit dictam re-
gulam in pluribus capitibus digeſtam, ac redactam pro
ſervanda ea in communi per ſodales collegialiter vi-
ventes, ut adducta per extenſum præſenti Bulla dixit
Tamb. *de Jur. Abb. to. 2. diſp. 24. quæſit. 4. num. 61.* Hæc
enim hujus Inſtituti prima fuerunt incunabula, ex S.
Antonino *hiſt. par. 3. tit. 23. cap. 14. §. 1. & 2.* Roderic.
qu. Regular. tom. 3. quæſt. 72. art. 2. Neque omittam 5
ad hujus Inſtituti decus, quod inter ejuſdem primos
alumnos, divinitus fuit vocata admirabilis Virgo S. Ca-
tharina Senenſis; etenim cum pio arderet deſiderio
Seraphyca illa Virgo, in aliquo ex approbatis Ordini-
bus ſuum nomen dare, in viſione ſpirituali inter alios
Sanctos vidit S. Dominicum in manu geſtantem Tertii
Ordinis habitum de pœnitentia, eam hiſce verbis allo-
quentem: *Forti eſto animo filia dilectiſſima, nec verea-
ris quodcumque impedimentum, quia certiſſimè iſto habi-
tu, ſicut deſideras indueris.* Ut verò S. Dominici di-
cta implerentur, magno languore Catharina infirma-
ta extitit, ideò Matrem miniſtrantem ſæpiſſimè obſe-
crabat, ne mortem ſe brevi oppeturam ſineret, ſed
cum Sororibus de Tertio Ordine S. Dominici ageret,
ut ipſam reciperent, ac habitum Tertiariarum ei tra-
derent; Mater itaque cùm filiam tenerrimè diligeret,
quamvis invito animo inſtetit apud Fratres Prædica-
tores, & Sorore Collegii Senenſis, quæ Catherinæ
tandem habitum conceſſere, atque ſubitò ex infirmi-
tate convaluit, ut refert D. Antoninus *in hiſt. part. 3.
tit. 23. c. 14. §. 1. & 2.*
Hujuſmodi tamen Fratres, & Sorores de Peniten- 6
tia, militantes ſub hac Regula tertia, D. Dominici nun-
cupata, unde etiam Tertiarii appellati fuere, aſſimi-
lantur Tertiariis militantibus ſub tertia Regula D. Fran-
ciſci Aſſiſinatis, de qua dixi aliqua *tom. 3. Conſtit. 2.
Nicolai IV.* quique etiam de Pœnitentia dicuntur, &
licèt in hujuſmodi Tertiariis, qui etiam ſunt in Re-
ligione Auguſtiniana, aliiſque Mendicantibus, itemque
in Religione Servorum B. Mariæ, ac Minimorum, ut
mox dicam, vita in Inſtitutione fuerit, ut degerent in
ſtatu non Collegiali; Tamen nonnulli ſivè Viri, ſivè 7
mulieres collegialiter ſub dicta Regula vivere, imò ali-
qui etiam formalem Religionem ſub ſpeciali quoad
hoc approbatione Sedis Apoſtolicæ, cum tribus votis
eſſentialibus formare cæperunt, ut ſunt illi de Tertio
Ordine S. Franciſci, de quibus dixi *cit. Conſt. 2. Ni-
colai IV.* remanentibus tamen aliis Viris, & mulieribus
vitam degentibus extra Clauſtra, & in propriis do-
mibus, vel collegialiter, ſed ſine forma verè Religio-
nis ſub votis ſolemnibus, cum primævo tamen inſti-
tuto, laicis quoque accomodato voto ſimplici. Si
verò velint vivere Sorores iſtæ Tertiariæ collegialiter,
debent nunc ſervare Clauſuram, & aliàs viventes ſine 8
approbatione Sedis Apoſtolicæ, uti Beguinæ aut Begui-
ni, reprobati fuere, & etiam rejecti in Concilio La-
teranenſi ſub Leone X. Pellizzat. *in Manual. tom. 1.
tract. 1. cap. 3. numer. 35.* Tamburr. *de Jure Abb. tom.
1. diſp. 17. quæſit. 1. numer. 49.* Peyrin. *de privil. Mi-
nim. tom. 1. ad Conſtitut. Sixti IV. §. 7. num. 31.* Sou-
ſa *de profeſſione Tertiarior. pag. 201.* Murga *diſquiſ.
Can. tract. 7. ſect. 2. diſquiſ. 8. §. 8.* Capon. *tom. 5. di-
ſcept. 325. numer. 42. & ſequ.* Hinc quoad iſtam ter-
tiam Regulam D. Dominici adſunt mulieres viven-
tes in communi ſub ea, ſicuti in illa D. Franciſci
ſunt Viri, & mulieres efformantes Ordinem diver-
ſum; Unde ſi aliquæ ſint Tertiariæ in præſenti, quæ 9
velint vivere in communi, & Congregatione, hæ co-
guntur emittere tria vota ſubſtantialia Religionis, ſub
dicta tamen tertia Regula, ut declaravit Sac. Con-
gregat. apud Peyrin. *loco cit.* & Barboſ. *in collect. deciſ.
collect. 700. numer. 4.* Piaſec. *in praxi Epiſcop. par. 2.
cap. 3. numer. 57.* Murga *cit. §. 8.* & ſtatuit S. Pius V.
Conſtit. 8. incipien. Circa, & Sac. Congregat. Concil.
in Neritonen. die ... Auguſti 1585. *lib. 4. Decretor. pag.*
53. ubi quod Bizocarum genus, quæ extra Monaſte-
rium in privatis domibus extra Congregationem vi-
vunt, reprobatum eſt, & à S. Pio V. in Bulla de
Tertiariis, & proindè præcipiendum Regularibus, ut
non admittant puellas ad emiſſionem dd. Votorum,
ſed ſervent Conſtitut. S. Pii V. & in *Stagnen. 19.*
Decem-

Digitized by Google

Decembris 1620. ad 4. ibi: *Tertiariæ, quæ vivunt in*
10 *propriis domibus ſeorſim non poſſe compelli ad Clauſuram ſin autem vivant in Congregatione, ſervandam eſſe Conſtitutionem S. Pii V. incipien. Circa Paſtoralis Officii.* Cùm autem de Tertiariis, qui degunt in forma Religionum, nihil ſpeciale ſit explicandum, cùm vivant uti alii Regulares, ſeù Moniales, juxta tamen Conſtitutiones dictæ Tertiæ Regulæ, quæ non obligant ad peccatum, ut in Conſtitutionibus cujuſcumque Tertii Ordinis alicujus Religionis habetur, cum tribus Votis eſſentialibus; & quoad alios viventes in propriis Domibus cujuſcumque Tertii Ordinis ſunt, plura conſiderari poſſunt juxtà Conſtitutiones Summorum Pontificum, & declarationes Sacræ Congregationis ſervari debentes indeffinitè de Tertiariis, ut notat Tambur. *cit. loco num. 61. & 65.* ideò explicatis in hoc Commentario iis, quæ pertinabant ſpecialiter ad Tertiarios D. Dominici, uti in propria Sede, alia in communi dicam infra in *Conſtit. 15. Martini V.* ubi de Tertiariis Ordinis Servorum B. Mariæ.

CONSTITUTIO I.

GREGORII XII.

Incipiens (*Illis.*)

EPITOME BULLÆ.

GREGORIUS AD FUTURAM REI Memoriam.

ERectionem Eccleſiæ Collegiatæ S. Georgii in Alga Canonicorum Sæcularium hic Pontifex iterum approbat, & confirmat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Gregorius XII. qualiter ad Pontificatum fuerit aſſumptus.*
2 *Quare Pontificatui renunciaverit.*
3 *Congregatio Canonicorum S. Georgii in Alga quando originem habuerit, & quod ejus inſtitutum.*
4 *Profeſſionem ſolemnem in ea emittendam eſſe ſtatuit S. Pius V.*
5 *Innuuntur nonnulla pertinentia ad hanc Congregationem poſteà extinctam à Clemente IX.*

1 CUm adhuc perduraret dirum Schiſma, quo Eccleſia dilaniabatur, Cardinales æquo bonoque conſulentes poſt obitum Innocentii VII. jurejurando in Conclavi firmarunt, quemcumque eligendorum in Summum Pontificem ſeſe Pontificatu abdicare debere, ſi pro tollendo Schiſmate opus eſſet. Unde in Palatio Vaticano coacto Conclavi pridie Kal. Decembris 1406. renunciatus fuit Papa Angelus Corarius, Venetiis ex patritia Familia ortus, qui peritiſſimus Sacræ Theologiæ evaſus, à Bonifacio IX. ex Epiſcopo Caſtellano Patriarcha Conſtantinopolitanus, dict. & poſt plura munera Cardinalis ab Innocentio VII. creatus, & octogenario major Pontificatum aſſumpſit, Ejus porrò tempore Schiſma Benedict. XIII. ne-
2 dum continuavit; ſed pernicioſius efferbuit, dum coacto Piſano Concilio, ac renuente Gregorio Pontificatu ſe abdicare, privatur eo extitit, prout Benedictus XIII. Antipapa, ac electus fuit alter Papa, Alexand. V. dictus, tertius tunc viſus Summus Pontifex, cui ſucceſſit Joan. XIII. nuncupatus, ac tandem in famigerato Conſtantienſi Concilio pax reddita fuit Eccleſiæ, ipſeque Gregorius, qui Pontificatui renunciavit, anno 1415. Cardinalis, ac perpetuus Marchiæ Legatus renunciatus fuit, ac biennio poſt, an. ſcilicet 1417. paulò ante Martini V. creationem Recineti obiit, ac in Cathedrali ſepultus cum inſcriptione marmorea, ſuæ abdicationis memoriam deſignante, ſed de hoc Pontifice recurret ſermo infra, dum hiſtoriam Concilii Conſtantienſis referre ſuo loco conabor.

Congregationi Canonicorum Sæcularium S. Georgii 3
in Alga, ſeù Alega Venetiarum, primi nomen dedere Gabriel Gondelmerius, atque Antonius Corarius, Gregorii XII. alter ex Fratre, alter quidem de Sorore Nepotes, in Cathedra D. Petri ſedente Innocent. IX. an. 1404. Verbo enim Dei in Civitate Venetiarum ſeminante Vener. Viro Bartholomæo Canonico S. Mariæ de Friſionaria, ex nobiliſſima Romana progenie Columnenſium, & Prædicatore fervidiſſimo, tam altè in eorumdem cordibus inſedit hujus mundi contemptus, ut ſtatim Clericali militiæ ſe adſcripſerint; deinde verò, ut mundo vale perfectiùs dicerent, apud S. Auguſt. propè Vicentiam ſeceſſerunt; Cùm verò de die in diem creſceret eorumdem Evangelicæ vitæ rumor, Ludovicus Barbus Nobilis Venetus, & Rector Eccleſiæ S. Georgii in Alega, omnem lapidem movit, ut novi Inſtituti ſectatores in ſua Eccleſia, & Monaſterio ſe recipere non dedignarentur; Itaque ſpirituali animarum profectui attendentes, Gabriel Gondelmerius, & Antonius Corrazius cum nonnullis, qui eorumdem directioni in via ſalutis ſe commiſerant, in Inſulam S. Georgii in Alega duobus milliariis à Venetiis diſtans commigrarunt; mox tamen Ludovicus Balbus novorum Hoſpitum Sanctæ converſationis factus æmulator, Bonifacium IX. ſupplex adiit, ut eoſdem inſtitueret in ſua Eccleſia Canonicos, qui ſanè expoſtulatis benignum præbens aſſenſum, tandem iidem Antonius, & Gabriel, ipſe Ludovicus cum aliis quindecim Sociis ab Epiſcopo Kiſſamen. Pontificiæ mentis executore, in præfata Eccleſia S. Georgii in Alega fuerunt ordinati Canonici Sæculares in communi viventes, certis præſcriptis Regulis, & Conſtitutionibus; quæ quidem Ludovici Balbi petitio, Bonifacii Conſtitutio, atque hujus Congregationis Regulæ per extenſum recenſentur in præſenti Conſtitutione edita quinta Kalendas Julii Anno 1406. in qua quidem Gregorius duodecimus ejuſdem Collegiatæ erectionem iterum Apoſtolica confirmatione communivit.

Profectò autem quamvis in plures Italiæ partes 4
brevi hæc Congregatio ſe diffudiſſet, attamen ad præſcriptum privatarum earumdem Conſtitutionum ejuſdem Canonici vivere ſolebant, nulla ſolemni profeſſione emiſſa, nulliſque votis adſtricti, ad tempora uſque S. Pii V. qui ſolemnia Vota eoſdem profiteri mandavit, ut refert Tambur. *de Jure Abbat. tom. 2. diſp. 24. quæſt. 4. num. 32.* Quippè ante S. Pontificis tempora cuique ex Canonicis, ſi in ſuſcepta vivendi ratione perſeverare noluiſſet, liberum prorſus erat ſæcularis Sacerdotis habitum aſſumere, & è Congregatione abire, ut recenſetur in ſequenti Sac. Congregat. Concilii Decreto: *N. cum ingreſſus fuerit Congregationem Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga, juxta conſuetudinem eorumdem Canonicorum ad omnes Ordines promotus fuit abſque titulo, & Beneficio, & non ſervata forma cap. cum deceat ſeſſ. 21. Cùm vero deinceps ſupervenerit Bulla S. Pii V. extendens dictum Decretum Concilii etiam ad omnes Clericos, & Canonicos Regulares, necnon etiam alia Conſtitutio ejuſdem Sancti Pii V. de Profeſſione emittenda ab iis, qui in Congregatione vivunt; dictus N. debita cum licentia, nulla facta profeſſione de dicta Congregatione exivit, & aſſumpſit habitum Sacerdotis Sæcularis; Ideò quæritur, an promotio ſit valida, & poſſit ſupradictus N. in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Sac. Congregatio reſpondit, Oratorem non prohiben. quominus celebret, & in ſuſceptis Ordinibus ſe exerceat. Venetiar Octobris 1587. lib. 5. pag. 41. à terg.*

Tredecim quidem in Italia iſthæc Congregatio obtine-

Digitized by Google

obtinebat Monaſteria, omnium verò Caput, & Prin-
ceps habebatur , quod in Inſula Sancti Georgii in
Alega ſuſcitatum fuit à primis ejuſdem Inſtitutori-
bus; ſecundum locum verò tenebat Monaſterium in
Urbe Sancti Salvatoris in Lauro: Profectò autem in-
ter alios hujus Congregationis inſignes Alumnos ,
quos recenſet Morigia *de Orig. Religion. lib. 1. cap.43.*
floruerunt prælaudati Antonius Corarius , & Gabriel
Gondelmerius Fundatores , ad Cardinalitiam dignita-
tem à Gregorio XII. evecti; Summum verò Eccleſia-
ſticæ dignitatis apicem tenuit Eugenius IV. Magni
nominis Pontifex, qui in hac Congregatione Eccle-
ſiaſticæ converſationis, & Doctrinæ primodia fecit ;
omnes tamen incomparabiliter præcelluit Sanctus Lau-
rentius Juſtinianus , primus Venetiarum Patriarca ,
in Minoribus hujus Congregationis Canonicus, ſed
melius dicam illuſtrator, & inſtaurator , alterque In-
ſtitutor, ut meritò eum Fundatorem enunciaverit Cle-
meos VIII. in ſuis litteris de Beati Laurentii Miſſa,
& Officio peragendo , ut meminit Cherubin. *fil. ad
hanc Conſtitut. Schol.* 2. Nil mirum itaque ſi tot ,
tantiſque gratiis , & privilegiis à Summis Pontifici-
bus condecorata fuit hæc Congregatio, quæ quidem
enumerare ſuperfluum eſſet , cùm jam extincta fuerit
à Clemente IX. ac ſupreſſa in ejus *Conſtit.* 30. inci-
pien. *Romanus Pontifex tom. 6. Bullarii*, quæque dixi
ſatis ſint pro memoria conſervanda hujus , quæ olim
fuit , Congregationis.

CONSTITUTIO II.

GREGORII XII.

Incipiens (*Excitati.*)

EPITOME BULLÆ.

*GREGORIUS, AD PERPETUAM
Rei Memoriam.*

CAnonicos Regulares Sancti Salvatoris ,
cum habitus præfinitione hic Pontifex
inſtituit, & gratiis Apoſtolicis exornat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Congregatio Canonicorum Sancti Salvatoris quan-
do, & à quibus inſtituta fuerit.*
2 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione quoad
eorum inſtitutum, & habitum.*
3 *Nonnulla viciſſitudines innuuntur, quæ huic Con-
gregationi obvenerunt.*
4 *Eadem nuncupata fuit Scopetinorum, & qua ra-
tione.*
5 *Refelluntur Auctores aliàs de hujus Congregatio-
nis origine ſentientes.*
6 *Hujus Congregationis Canonici , quàm maximè
profecerint in Regulari obſervantia.*
7 *Sunt incapaces Beneficiorum Secularium.*

1 PRæclariſſimæ Congregationis Sancti Salvatoris de
Bononia, ſivè de Sylva lacus; Scopetinorum vul-
gò nuncupatæ , initium , & incunabula noſtro ævo
in ambiguitate admodum latent ; ut verò aperiam ,
quod ex diſſidentibus Doctoribus magis amplexum ,
& conſentaneum probavi , ſalva veritate mihi certè
videtur , ejuſdem Congregationis Inſtitutorem, ſivè
promotorem extitiſſe Gregorium XII. Siquidem cùm
Emeritas Auguſtinianos Sancti Salvatoris de Sylva
lacus in agro Senenſi idem Pontifex ſpeciali , & in-
timo proſequeretur affectu , & in melius eoſdem di-
rigere , tàm in ſpiritualibus , quàm in temporalibus
percuperet, ad ſe accivit Venerabilem Stephanum Se-
nenſem, præ aliis ſanctitatis fama notiſſimum, eique
ſuæ intentionis arcanum expoſuit , videlicet , quod
ad uberiorem progreſſum in via ſalutis Monaſterium
Sancti Salvatoris de Sylva lacus in Prioratum Con-
ventualem Canonicorum Regularium commutare vo-
lebat , ejuſque alumnos ibi ordinare Canonicos in
communi viventes; Cùm verò pius Stephanus Senen-
ſis filium ſe eſſe obedientiæ Summo Pontifici profeſ-
ſus fuiſſet, ipſe hac edita Conſtitutione Lucæ Nonis
Aprilis 1407. motu proprio , non ad alicujus, vel
eorumdem Eremitarum inſtantiam , ſed ex mera li- 2
beralitate laudatum Monaſterium in Prioratum Con-
ventualem Auctoriate ſua erexit , expreſsè injungen-
do , quod Fratres actu in ea domo reſidentes, &
qui pro tempore erunt, Canonici Regulares, & Fra-
tres Sancti Salvatoris nuncupari deberent, certa præ-
ſcripta veſtiendi forma , atque ulterius Antonio E-
piſcopo Bononienſi , Gabrieli Sanctæ Sedis Theſau-
rario, necnon Joanni Raguſino Epiſcopo idem Pon-
tifex injunxit, ut ejuſdem Canonicis Regularibus cer-
tam vivendi formam præſcriberent: Hi quidem Pon-
tificiæ mentis exequutores anno noſtræ reparatæ ſa-
lutis 1408. habitu Canonicorum veſtierunt Stepha-
num Senenſem , necnon quemdam Jacobum , roc-
chetto videlicet lineo cum ſcapulari , & cappa lanea
griſei coloris, ad inſtar Cappæ Converſorum Carthu-
ſianenſium , atque Conſtitutiones in quatuordecim
Capitulis diſtinctas novæ Canonicorum ſoboli ſer-
vandas præſcripſerunt ; Hoc itaque habitu , & vi-
vendi forma inſtituti Stephanus , & Jacobus ad pro-
prium Monaſterium ſe receperunt , ſubinde verò eo-
dem Canonicorum Regularium habitu ſe induerunt
omnes ibi viventes Monachi , unico tantùm Conver-
ſo excepto, qui prioris vivendi regulæ tenax, ultra
quàm decebat, fuit, ut narrat Pennott. *in hiſtor. tri-
par. lib. 2. cap. 52.*

3 Profectò autem ſtatimatque Canonici Regulares
Sancti Salvatoris novum vivendi inſtitutum maximo
fervore amplexati ſunt, perverſorum debacchante pro-
tervia , magnis perſecutionibus impetiti extiterunt ,
uſquequo è Monaſterio Sylvæ lacus abſcedere fue-
runt coacti, atque ad portum Sanctæ Sedis ſe ſe re-
ceperunt; quapropter Gregorius XII. eiſdem perſecu-
tionibus commemoratis facultatem noſtris Canonicis
dedit, ut ubicumque locum congruum invenire ipſi
poſſent, ibi ſui Prioratus reſidentiam erigere , & te-
nere valerent , ut elicitur ex ejuſdem Gregorii *Con-
ſtit.* incipiens *dudum* , ſub datum Auſtriæ Aquilejen.
Diœceſis 1409. Kalendas Septembris apud Tamburin.
de Jur. Abbat. tom. 1. diſp. 24. quæſ. 4. num. 30. Et ſa-
nè primum benevolum receptorem iidem Canonici
invenerunt Guidonem Antonium , tunc Urbini Co-
mitem, qui , ut eremitorium Sancti Ambroſii propè
Eugubium ipſi incolerent , omnem lapidem movit ,
tandem ex ſpeciali Gregorii XII. chyrographo obti-
nuit , ut apud Tamburinum *loc. cit.* Subindè verò
huic Ambroſiano Monaſterio unita fuerunt Monaſte-
ria Sancti Salvatoris Bononienſis , & Sanctæ Mariæ
ad Rhenum , procurante Franciſco Ghiſlerio , qui
unus ex antiqua Congregatione Rhenenſi remanſe-
rat , unioni hujuſmodi auctoritatem præſtante Mar-
tino V. datis litteris Nicolao de Albergatis , tunc
Bononienſi Archiepiſcopo , qui ſanè mira dexterita-
te, & prudentia nonnullas controverſias compoſuit ,
quæ bonum hujuſmodi unionis protrahebant, potiſſi-
mè circa veſtiendi formam injungendo , ut Cano-
nici Sancti Salvatoris, ſivè Ambroſiani ſcapulare, &
tunicam laneam , quam ex præſcripto noſtræ Con-
ſtitutionis griſeam geſtabant , in albam commuta-
rent , & cappam griſeam in nigram , ut Rhena-
nis Canonicis in habitu ſe conformarent , ita ar-
denter Ghiſlerio exoptante , aliiſque conditionibus
concordatis , quæ recenſentur à Pennott. *in hiſto-*

ria Canonicorum Regularium, *libr.* 2. *capit.* 52. *nu-
mer.* 3. ſubindè verò Canonici Sancti Salvatoris Mo-
4 naſterium propè Florentiam obtinuerunt, Sancti Do-
nati de Scopeto nuncupatum, ex quo noſtra Congre-
gatio Scopetinorum fuit nuncupata, adeòut quamplu-
res Hiſtorici exinde autumarint, hoc dictum Monaſte-
rium primum, & principem eſſe ejuſdem Congrega-
tionis, noſtros Canonicos à prima origine Scopeti-
nos eſſe nuncupandos, ſed ipſos longè à vero aberrare
elicitur ex narrati à Sancto Antonino, qui in 2. *parte
hiſtor. tit.* 15. ait: *Initium habuerunt Anno Domini*
1410. *ſub quodam Venerabili Viro Stephano nomine
Senenſi, quorum primus Conventus fuit propè Eugu-
bium, ſecundus Conventus Sancti Donati de Scopeto
propè muros Florentinos, exinde multiplicati ſunt in
Fratribus, & Conventibus in pluribus Civitatibus Tu-
ſcia, & Lombardia, quæ Congregatio dicitur Scopeti-
norum à dicto loco, ſed magis propriè Sancti Salvato-
ris dici debet*, & latè ſuper hujuſmodi Scopetinorum
nomine diſcurrit Morigia *de orig. Religionum libr.* 1,
cap. 40.

5 Hæc quidem Congregationis Sancti Salvatoris pri-
mordia, & progreſſus noſtræ Conſtitutioni, aliiſque
Apoſtolicis documentis magis conformia videntur,
Licèt contrarium aſſerat *Ticinenſis in ſuo dilucid. par.
2. de orig. Chriſtian. Relig.* quem etiam ſequitur Tam-
burin. *loc. cit.* ſcribens, hanc Congregationem inde
proveniſſe, ex quo Stephanus Senenſis, cùm diuturna
altercatione concertaſſet cum Generali ſuo Eremita-
rum Auguſtinianorum, ob id maximè, quòd in Mona-
ſterio quemdam juvenem bonis moribus, & litteratu-
ra educaſſet, ut ſe ab ejuſdem Generalis obedientia
ſubduceret, impetravit à Summo Ponnfice habitus,
& profeſſionis mutationem; ſiquidem hæc directò re-
pugnare noſtræ Conſtinitioni, alii ajunt, ubi legitur,
Summum Pontificem non ad alicujus inſtantiam, &
potiſſimè Eremitarum, ſed motu proprio, & ex mera
ſuæ voluntatis liberalitate ad Congregationis erectio-
nem proceſſiſſe; quomodo autem de turpi mendacio
purgari poſſet Pontificis aſſertio, ſi Jacobus Senenſis,
juxta *Ticinenſis*, dicta ſuam cauſam apud Sanctam Se-
dem promoviſſet; Neque itidem Mozzagrugno *in hiſt.
Canonicorum Regularium* aſſentiri poſſunt, qui autu-
mat, hanc dictam Congregotionem ſuſcitatam à Gre-
gorio fuiſſe, ut repararet Canonicorum Regularium
collabentem inſtitutum, cujus tunc ne vi quidem ve-
ſtigium agnoſcebatur; Quandoquidem quidquid ſit,
an benè intentionis ſuæ fundamentum probaverit Pen-
nott. *in cit. hiſtor, lib.* 2. *cap.* 52. qui vindicandi cau-
ſa decorem Lateranenſis Congregationis, adverſus hu-
juſmodi aſſerti lapſus opprobium, aſſeruit, quamplu-
rima Canonicorum Regularium Monaſteria tunc tem-
poris in priſtino vivendi fervore in Italia, & extra
mirè floruiſſe; Equidem nimis improbabile dicitur,
quod Gregorius, ſi hujuſcemodi reformationem gene-
neralem totius Canonicorum Regularium inſtituti af-
fectaſſet, potiuſquam alicui Canonico Regulari opti-
mè in Conſtitutionibus propriis inſtructo hanc provin-
ciam committere, voluiſſet ad id eligere Stephanum
Senenſem Eremitarum Sancti Auguſtini, extraneum,
& ineruditum, quippè ex revolutione Bullarum com-
perio, reformationes generales, vel Protectoribus,
vel cuipiam ex Ordinis collapſi Alumnis committi ſo-
litum fuiſſe; Ultraquamquod ex noſtra Conſtitutione
patet, Gregorium nedum non intendiſſe ad Canoni-
corum Regularium reformationem, de qua nec ver-
bum facit, ſed neque formalem Congregationis ere-
ctionem in animo habuiſſe, etenim ſtatum dumtaxat
Monaſterii Sylvæ lacus immutavit; tunc quidem Ca-
nonici Regulares Sancti Salvatoris in pluribus Mona-
ſteriis multiplicati ſunt, cùm dira perſecutione à pro-
pria ſede abſcedere coacti fuerunt, juxtà veriſſimum
axioma: inter anguſtias, & tribulationes ſpiritualia
creſcunt.

6 Id tamen certum eſt, hanc dictam Congregatio-
nem Sancti Salvatoris, in regulari obſervantia ita pro-
feciſſe, ut virtutum, & ſancti propoſiti ſuavitate po-
pulos oblectaverit, Principum munificentiam excitave-
rit Summoſque Pontifices in privilegiis liberales me-
ruerit; itaque gratiis, & privilegiis Apoſtolicis deco-
rata, atque multis collegiis, prædiis, & redditibus
ditata, nunc in primævi propoſiti obſervantia religio-
ſiſſimè in Eccleſia militat; ut in ſimilibus encomiis
conveniunt omnes de hac Congregatione loquentes,
qui circa ejuſdem initium in diverſam ſententiam abe-
unt, & ex profeſſo Signius, Mazzagrugnus, & Pen-
nottus *in hiſtor. Canonicorum Regularium*, *Ticinenſis
in dilucidario part.* 2. Morigia *de orig. Relig. libr.* 1.
cap. 40. Diſputatum etiam aliàs fuit an hi Canonici
ſint capaces beneficiorum ſæcularium; ſed hodie hoc
jure vivitur, ut ſint incapaces abſque diſpenſatione
Apoſtolica etiam quoad Parochiales ex decreto Sacræ
Congregationis Epiſcoporum, & Regularium tempo-
re Clementis X. & plura dixi *tom.* 2. *Conſtit.* 12. Ale-
xandr. III. *ſect. unic. num.* 10. *& tom.* 3. *ad Conſtit.* 1.
Alexandr. IV. *numer.* 13. & Sacra Congregatio Con-
cilii in *Florentina* 18. *Julii* 1676. & prius in *Brixien.*
15. *Martii* 1655. & quoad capiam in Urbe pro one-
ribus Canonicorum Sancti Salvatoris, plura ſunt di-
ſcuſſa die 14. *Aprilis* 1674. ſed alibi de his Canoni-
cis occurret Sermo.

CONSTITUTIO III.

GREGORII XII.

Incipiens (*Sacrum.*)

EPITOME BULLÆ.

*GREGORIUS AD PERPETUAM
rei Memoriam.*

Regularem vitam Fratrum Eremitarum
Sancti Hieronymi de Feſulis Apoſto-
lica auctoritate approbat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Congregationis Feſulana Fundator, & origo il-
luſtratur.*
2 *Approbata fuit ſub Regula Divi Hieronymi à
Gregorio XII.*
3 *Sed eam ſub Regula Divi Auguſtini poſuit Euge-
nius IV.*
4 *De aliis ad eam pertinentibus, Remiſſivè.*
5 *Supreſſa fuit à Clemente IX.*

Clavum Eccleſiæ moderante Innocentio VII. Feſu- 1
lana Congregatio, quæ Sancti Hieronymi dici-
tur, auctorem agnovit Carolum Florentiæ oriundum,
& Montis Granelli Comitem, (oppidum jacet ad ra-
dices Appennini, quinto à Ceſena Lapide.) Hinc mun-
di hujus vanitates, diaboli inſidias, & carnis illece-
bras Carolus ſeriò perpendens, tamquam graves obi-
ces æternæ ſaluti; ut in ſui remanente vita, tamquam
extra mundum, ultimum diem expectare poſſet, in
montes Feſulanos ſolus ſeceſſit, ibique ſub eremitico
habitu Angelicum quaſi dicam ſpiritum, divina gratia
ſibi efformare cœpit; mox tamen eodem pœnitentiæ
zelo incenſi, Venerabili eidem Eremitæ ſe junxerunt
quidam Rodom Granellus, & Gualterius Marſi, qui
ſanè ejuſdem tirocinio inſtructi, brevi Magiſtri æternæ
ſalutis evaſerunt, Cùm enim quamplures diſcipuli de
die in diem ad ipſos convenirent, verbis, & exemplis
quiſque eorum chariſmata meliora æmulando, novos
Alumnos inſtruere ſatagebat, ut dubium apud hiſtori-
cos reliquerint, quiſnam hujus Congregationis præ-
cipuus fundator extiterit; Hujus itaque ſodalitii 2
virtutum

Digitized by Google

virtutum fama permotus; in formalem Congregationem ejuſdem Inſtitutum erexit Innocentius VII. ſub Regula Hieronymi, litteris tamen Apoſtolicis non expeditis; quapropter Gregorius XII. ad perpetuam ejuſdem approbationis memoriam hanc Conſtitutionem edidit in Caſtro Montis Floris Ariminen. Diœceſis 8. Idus Julii Anno 1415. in qua ejuſdem Congregationis Fratribus facultatem acquirendi nova loca, & recipiendi quoſcumque ad eos venientes conceſſit; Patet igitur, Congregationem hanc, regulam Sancti Hieronymi primùm obſervaſſe, ſed Eugenius IV. in altera ejuſdem Congregationis approbatione voluit, quod denominatione ſumpta Sancti Hieronymi de Feſulis, ſub regula Sancti Auguſtini ejuſdem Alumni militarent, in *Conſtit.* 21. *incip. ſuper*. Habitum griſeum, & pallium ad collum rugatum hujuſmodi Eremitæ geſtabant; Italiam verò non egrediebatur, in qua quidem ſexaginta duo poſſediſſe Monaſteria perhibetur, quæ latius, & diſtinctè recenſet Ugolin. hujus Congregationis alumnus in *Chron. Conventus Sanctæ Mariæ Gratiarum Brixiæ*, Marull. *in Ocean. Relig. lib.*3. Morigia *de orig. Relig. lib.* 1. *cap.* 41. Azor. *Inſtitut. moral. part.*1. *lib.*13. *quæſt.*8. Virgil. *de invent. rerum lib.*7. *cap.*3. Barboſa *de Jur. Eccleſ. lib.*1. *cap.*41. *n.*149. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.*2. *diſp.*24. *quæſt.* 4. *numer.*72. Tandem verò primævo hujus Congregationis ſpirituali vigore deficiente, itaut nullam, ſeu modicam in Eccleſia militanti utilitatem ultimis temporibus præſtaret, Clemens IX. unà cum Canonicis Regularibus Sancti Georgii in Alga, & Fratribus Jeſuatis, Congregationem hanc Sancti Hieronymi de Feſulis anno 1668. ſuppreſſit, & extinxit *in Conſtit.*30. incip. *Romanus tom.*6. *Bullar. pag.*299.

CONSTITUTIO UNICA

JOANNIS XXIII.

Incipiens (*Ad pacem.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES EPISCOPUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

COnvocat Concilium Oecumenicum Conſtantienſe.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Joannis XXIII. natales, ac ad Pontificatum aſſumptio refertur.*
2 *Concilium Conſtantienſe cur convocatum fuerit.*
3 *Schiſmati his temporibus gliſcenti, cauſam maximo miniſtravit Urbani VI. moroſitas.*
4 *Pſeudo-Pontifex eligitur Clemens VII. ac diſſidia inde exorta.*
5 *Huic qui populi adhæſerint, ac qualiter obierit.*
6 *Ei ſufficitur Petrus de Luna Antipapa, dictus Benedictus XIII.*
7 *Cardinales in electione Gregorii XII. veri Pontificis jurarunt, ut electus renunciaret Papatui, ſi oporteret pro tollendo ſchiſmate.*
8 *Concilii Piſani convocatio refertur, in quo depoſito Papa, & Antipapa, eligitur Alexander V.*
9 *Alexandri V. eximiæ virtutes, ac præclara geſta.*
10 *Ejus obitus, ac electio Joannis XXIII.*
11 *Joannes XXIII. indicit Concilium in Civitate Conſtantiæ, & dicuntur nonnulla de hac Civitate.*
12 *In eo præfuit idem Pontifex, interfuit Sigiſmundus Imperator, aliique viri inſignes.*
13 *Referuntur acta in hoc Concilio pro depoſitione Joannis XXIII.*
14 *Referuntur alia geſta in eodem Concilio quoad depoſitionem Gregorii XII. & Benedicti XIII.*
15 *Electio Martini V. qualiter in eodem Concilio contigerit.*
16 *Quæ Joanni XXIII. evenerint poſt electionem Martini V.*
17 *Benedicti XIII. Pſeudo-Pontificis exitus.*
18 *Ei ſuffectus fuit Clemens VIII. qui mox ſe abdicavit.*
19 *Concilium Conſtantienſe quæ attentaverit pro aſſerenda ſua auctoritate ſupra Papam.*
20 *Afferuntur propoſitiones Cleri Gallicani, hanc ſuperioritatem aſſerentes, & varia de hac re Auctorum judicia.*
21 *Has propoſitiones proſcripſit Alexander VIII.*
22 *Papa nullum habet in Terris ſuperiorem, eſtque Concilio generali major.*
23 *Id comprobatur auctoritate, & ratione.*
24 *Appellatio à Concilio ad Papam licita eſt, non è contra.*
25 *Papa diſpenſat, & immutat diſpoſitionem Concilii Generalis.*
26 *Reprobantur Concilia congregata abſque auctoritate Papæ.*
27 *Concilium Piſanum, & Conſtantienſe qualiter ſe geſſerint aſſumendo auctoritatem ſupra Papam.*
28 *Martinus V. non approbavit geſta in Conſtantienſi quoad hujus auctoritatem ſupra Papam.*
29 *Geſta in Concilio Baſileenſi contra auctoritatem Papæ, irrita ſunt.*
30 *Papa quatenus legibus Concilii Generalis teneatur.*
31 *Ex geſtis in Concilio Conſtantienſi non elicitur poteſtas Concilii ſupra Papam.*
32 *Concilium Piſanum refertur, & an fuerit legitimum.*
33 *Fuit convocatum annuente Gregorio XII.*
34 *Affertur elogium Divi Bernardi de Romano Pontifice.*

INter majora Eccleſiæ diſcrimina, quæ in hoc ope- 1
re recenſentur, id jure exiſtimari debet, quod hiſce temporibus evenit, dum trium eodem tempore Pontificum dilaniabatur Eccleſiæ Catholicæ unitas; Fateri ſanè oportet in re tanti periculi ſummopere Divinam Bonitatem, conſuluiſſe ſuæ Sponſæ Eccleſiæ, ut à tàm diro Schiſmate modo, tàm plauſibili eam liberaret; idque eveniſſe ſatis notum eſt medio Concilio Oecumenico Conſtantienſi, quod convocavit Joannes Papa auctor hujus Conſtitutionis; Iſte enim Pontifex Joannes XXII. dictus tamen XXIII. electus fuit poſt obitum Alexandri V. huic, adhuc viventibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. ſuffectus Bononiæ decimaſexta Kalendas Junii Anno 1410. Balthaſſar Coſſa antea vocatus, qui Neapoli Patre Equite, atque opulento ortus, Bononiæ utrique Juri operam diù navavit, à Bonifacio IX. ejus Concive inter cubicularios primùm adſcitus; inde Archidiaconatu Bononienſi, & Prothonotariatu Apoſtolico decoratus, Cardinalis demùm Diaconus tituli Sancti Euſtachii creatus extitit. Præcipuus Concilii Piſani auctor fuit, ab Alexandro V. Legatus Bononiæ renunciatus, ejuſque geſta plurima, ac obitum in Concilii Conſtantienſis hiſtoria, quam inferiùs referam, latiùs enarrabo.

2 Concilium Conſtantienſe, quod inter Generalia Concilia decimumſextum locum obtinet, convocatum fuit pro extinguendo jam dicto longævo ſchiſmate, quod Eccleſiam Dei ſummoperè dilaniaverat, tribus eodem tempore Pontificibus ſummis exiſtentibus, unoquoque à pluribus nationibus pro legitimo habito; maximam proinde venerationem Synodus iſta obtinet, cùm malo tàm prægrandi, ſcandaloque tot annorum ſpatio viginti finem imponere meruerit; Ut igitur hiſtoriam ejus clarius referam, originem, & progreſſum ſchiſmatis in eo profligari breviter attingamus oportet. Jam dixi ſupra *Conſtitut.* 1. Urbani VI. quod poſt ejus electionem, Romanorum turbis aliquo modo ſollicitatam, fuerit ipſe ab omnibus uti verus Eccleſiæ Univerſalis Paſtor habitus, imò ab omnibus Cardinalibus etiam Gallis per plures menſes, in quibus libet actionibus privatis, ac publicis ſumma veneratione proſecutus; imò eorum Principibus litteras de libera electione teſtimoniales miſerunt, quæ referuntur in *Co-*
3 *dice Victorelli*. Porrò res ita pacificè perduraſſet, ſi ipſe Urbanus manſuetudine quadam ſatis tunc opportuna uſus fuiſſet; ſed indiſcreto zelo, ac ſeveritate in Cardinales, totamque Curiam effervebat; crimina perſonaſque potiùs, quàm malè geſta adverſabatur. Erat enim Vir rigidus, aſper, inexorabilis, iis præſertim, qui de eo benemeriti fuerant; Cardinalibus etiam ingratus, quibus ſæpè honeſta petentibus, cuncta negabat, & graviſſimis objurgationibus ad ſubſequens ſchiſma incitavit, licèt enim ante electionem vir ſpecialibus præditus virtutibus extitiſſe, ut meruerit extra Collegium in Sede Apoſtolica collocari; tamen virtutes illas, Pontifex factus; viſus eſt aut nunquam habuiſſe, aut uno veluti momento amiſiſſe, tunc cum magnopere illis indigeret; Ita enim hominum ſententias Deus aliquando deludit, ut infirmi, ac lutea vaſa ipſi æſtimentur, Dei judicio tantùm reſervando operis perfectionem; manſuetudo itaque eſt prima virtus Summorum Paſtorum; Hinc mirum non eſt, ſi cùm Urbanus nullum intempeſtivis reprehenſionibus modum imponeret, ut notat *Ciaccon. in vita Clementis VII. Pſeudo-Pontificis*, Raynald. *ad Anno* 1378. *num.* 14. Cardinales Ultramontani, adductis in partes aliquibus Romanis, de annullanda electione Urbani cogitaſſent. Hi enim Anagniæ in Campagnia ſe receperunt; obtenta ab Urbano licentia, ſub motivo clementioris aeris inter æſtivos calores Urbis, ibi ſchiſmati viam ſternere cœperunt, quodque rei jacturam dedit, fuit ut nullus Concordiæ modus inveniretur cum Cardinalibus, quam omninò Papa curare debuerat, & componere diſſidia inter ſe, ac Reginam
4 Joannam Neapolis, cujus opera Cardinales Fundi exiſtentes Antipapam elegerunt, juſtificata prius cauſa ex pluribus prætenſis rationibus, electionem Urbani fuiſſe metientloſam; electus enim fuit Robertus ex Comitibus Gebenenſibus, Epiſcopus Cameracenſis Cardinalis, aſſumpto nomine Clementis VII. Evenerunt inde Scriptorum hincindè contentiones, ac militaria bella, pro utroque electo, & inter primos ad favorem Urbani fuit inſignis Juriſconſultus Baldus Peruſinus, & Joannes de Lignano, & pro Clemente Galli præſertim Scriptores pugnarunt; diù quoque armis dimicatum fuit, etenim primùm Romani victi opera Britannorum, aliorumque Clementi faventium, itaut ipſa Roma jacturam paſſa fuerit, ſed deindè victi Clementini, ac Urbani victores remanſerunt, itaut ſchiſmatis finis appruiſſet, ſi fortuna, & prudentia uſus Urbanus VI. fuiſſet. Hinc Clemens Neapolim ſe contulit; ſed pia illa Civitas, quæ ſemper Sedi Apoſtolicæ ſingulariter conſociata, ac obediens fuit, turbas in Reginam, & Clementem excitavit, itaut Avenionem
5 refugere Antipapæ opus fuerit; Adhæſit pariter Schiſmati Carolus V. Rex Galliarum, vel ut nationali Clementi adhæreret, vel ut eum refugam in ſui ditione tutaretur, Univerſitas Pariſienſis, Gallive Populi primùm coacti blandienteſque eorum Regi, deindè priorum exemplo in ea continuarunt obedientia, agnovitque Carolus quamvis ſerò temerè ſe ab Urbano ad Antipapam defeciſſe, ac languore, & tabe mortem oppetiit, Raynald. *Anno* 1380. *num.* 10. etſi Galli dicant, piè objiſſe, ac pro teſtatum Clementi paruiſſe, ita à Cardinalibus, & Doctoribus rationibus ſuaſum, venenoque in tabem ceſſiſſe; ut pœnas ſubiit Gallia, quia tempore Ducis Andegavenſis Regni adminiſtratoris, Clementis avaritia ita efferbuit in eos, ut ſub tributo dicerentur; Urbano tamen adhæſit, ultrà Italiam, Alemania, & Hungaria opera Caroli VI. Imperatoris. imò etiam primùm Hiſpania, quæ poſteà defecit, ſub Clemente ſe conſtituens etiam ob Urbani ſeveritatem, ſicque partitus eſt Orbis Chriſtianus, ut ultrà Italiam, Germaniam, etiam Anglia, Hybernia, Belgæ, Britanni, & Luſitani Urbano parerent; Clementi verò ultra Galliam, Scoti, Aragonenſes, Cathalani primùm, deindè tamen ab eo receſſerunt, Navarræi, ac Hiſpani ultimò Clementi faverunt; imò Regnum Neapolitanum, dum ſub dominio Ludovici Andegavenſis devenit, eidem etiam paruit, & quod eſt mirabilibus plures nedum inſignes viri doctrina præſtantes, ſed etiam pietate in utraque obedientia fuere; Plura evenerunt in Pontificatu Urbani, quorum retulimus aliqua in ejus vita, præſertim diſſidia cum Rege Neapolis, ejus fugam Januam, ac reditus in Urbem, ubi tandem obiit ab omnibus inviſus, eique ſucceſſit Bonifacius IX. Neapolitanus, de quo dixi ſupra in ejus vita *Conſtit.* 1. *ejuſdem*, Clemente etiam Avenione ſedente, nec unquam potuit ſchiſmatis diſſidio finis adinveni aliquo temperamento, à pluribus incaſſum quidem tentato; imò dum Clementi nomen renunciationis Papatui obiiceretur, effervescebat, apoplexiàque demùm correptus, obiit Avenione 16. Kalendas Octobris Anno 1394. Bonifacio IX. ſedente, ibique ſepultus in Eccleſia Cœleſtinorum ab eo fundata, ut ex Epitaphio, quod refertur à *Ciaccon. in ejus vita*, & poſt undecim dierum breve tempus, ut ſchiſ-
matis fini non conſuleretur, ſede tunc Antipapæ va- 6
cante, electus fuit Antipapa Cardinalis prius dictus Petrus de Luna, nobiliſſimo genere in Aragonia ortus, Archidiaconus Cæſarauguſtanus, à Gregorio IX. inter Cardinales adſcitus, quique ſchiſmati Clementino adhæſerat, ac in Hiſpaniam legatus eam Regionem Clementi favere curaverat; In ejus electione Cardinales, & ipſe electus, anteà jurejurando ſe obſtrinxerunt, ut quiſquis eligeretur Summus Pontifex, quotieſcumque à Cardinalibus requireretur, pro ſchiſmate extinguendo Papatui renunciaret, quatenus alterius obedientiæ Pontifex id præſtaret; Benedicti XII. nomen aſſumpſit, dictus tamen XIII. Dum enim pro ſchiſmati finem imponendo, pii Principes enixè poſtularent, ut uterque Pontifex Pontificatui renunciaret, Bonifacius ſe eſſe legitimum autumabat, Benedictumque intruſum: iſte verò non obſtante juramento reſignare recuſabat, Deum offenſurum, ajens, ſi id ageret, itaut iſte Papatum invadens abdicare illum renuebat, etſi à Rege Galliæ ſuaſus; hinc potiùs fugam arripuit, itaut Galli ſe ab eo ſubtraxerint; ſed deinde iterum ſubjecti, tandem de fine imponendo ſchiſmati cogitarunt ſeriò Principes. Interim per obitum Bonifacii IX. creatus fuit Innocentius VII. de quo dixi ſupra in ejus *Conſtit. unic.* qui ob diſſidia cum Ladiſlao Rege Neapolis, ac tumultus Urbis parùm tutus fuit de excogitando ſchiſmatis fine. Succeſſit eidem Gregorius XII. de quo dixi ſupra in ejus *Conſtitut.* 1. in
cujus electione Cardinales jurarunt, quemlibet ele- 7
ctum Papatui renunciare debere, ſi pro tollendo ſchiſmate opus eſſet; ſed etſi Gregorius pius fuiſſet, tamen opera ſuorum, promiſſionis immemor, abdicationem detrectare cœpit. Interim à Benedicto palàm receſſere etiam Galli, itaut Cathaloniam ipſe refugeret, & Gregorius diſſidiis cum Ladiſlao Rege Neapolitano Roma aufugit, ac Cardinales ejus Piſanam adiverunt, cogitantes modum ſchiſmatis terminandi; Gregorius tamen alibi Concilium congregare ſtatuit, ſed incaſſum, quia Cardinales metuentes animum Gregorii ab abdicatione ſatis alienum, Piſis moram traduxerunt, etſi à Gregorio ſententiis mulctati; Tandem

conve-

convenerunt cum Cardinalibus alterius obedientiæ, ac opera Principum, qui tanto Eccleſiæ diſſidio meritò conſulere cupiebant, Concilium Piſanum aperuerunt Anno 1409. die 25. menſis Martii, dicato Sanctiſſimæ Annunciationi Beatæ Virginis, in eoque adfuere ab initio Cardinales vigintiduo, deindè vigintiquatuor, Patriarchæ quatuor, ſcilicet Alexandriæ, Antiochiæ, Hieruſalem, & Gradenſis, Archiepiſcopi quatuordecim, & per Procuratores quatuordecim Epiſcopi octuaginta, & per Procuratores centumduodecim Abbates octuagintaſeptem inter quos Abbas Ciſtercii, Vallis Umbroſæ, Claravallis, & per Procuratores bis centum, & duodecim, inter quos fuerunt plures Ordinis Sancti Antonii Viennenſis, & Præmonſtratenſis; Priores quadraginta uno inter quos ille Magnæ Carthuſiæ, & Frater D. Vincentii Ferrerii intimi Benedicto, ac hujus ſuaſoris, ut unionem Eccleſiæ daret, Generales Patrum Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Auguſtinianorum, Magiſter Militum Sancti Sepulchri, ac Procuratores aliorum Ordinum militarum, ingens ferè numerus Theologorum, ac inſignium Doctorum, Oratores Regnum Galliæ, Angliæ, Luſitaniæ, Bohemiæ, Siciliæ, Poloniæ, Cipri, aliorumque Principum Alemaniæ; & paulò poſt Reges Aragoniæ, Svetiæ, Danimarcæ, ac Norvegiæ, qui Gregorio favebant, Concilio adhæſerunt, itaut maximè dignus Cœtus pro tanta re perficienda viſus fuerit. Verùm ob defectum indictionis, à Gregorio legitimo Pontifice factæ, plures contra hujuſmodi Concilii validitatem inſurrexerunt, ut inferius dicam; hoc certum eſt, quod urgentibus tot Eccleſiæ neceſſitatibus, ſchiſmatis tàm longævi malis obviantes, Cardinales, Eccleſiaſtici, & Principes ferè omnes ei faverunt; in eòque prævii monitionibus, tàm Gregorio, quàm Benedicto factis, Concilium eos privavit Pontificatu, ac irritas declaravit promotiones ultimas Cardinalium ab utroque factas, electuſ-
9 que extitit Alexander V. hinc loco ſperatæ extinctionis Schiſmatis, pernicioſius illud invaluit, addito duobus tertio Pontifice Alexandro, qui prius Petrus Philargii ex Inſula Cretæ, ignobilibus ortus Parentibus, oſtiatim panem mendicans, parentes nec affines agnoſcens, in Ordine Minorum Conventualium adſcitus fuit, & in ſcientiis, ac politiæ ſtudio ita profecit, ut Joannes Galeatius Dux Mediolani eo uti ſoleret in negotiis peragendis, ac dignitate Epiſcopali Novarienſi, deinde Mediolanenſi decoratus fuit; Orator ſubindè ad Imperatorem, & ab Innocentio VII. Cardinalis creatus, tandem ad Pontificatum evectus; in eo tam exigui generis Viro maxima virtus, eximiaque pietas, ac animi generoſitas enituit, ita ut dignum Imperio ars eum reddiderit, naturam vincens; In Concilio elegantem ſermonem habuit Pontifex creatus, aſſumendo verba Evangelii: *Erit unum Ovile, & unus Paſtor*, quod tamen fruſtratum remanſit, cùm ſchiſma perduraverit, & quidem acriùs; quilibet enim ex tribus Pontificibus ſequaces populos, ac Principes habuit; cui Eccleſiæ infortunio adhæſit Imperii quoque Schiſma; nam per obitum Roberti Regis Romanorum, Electores Imperii in varia vota ſe diſtraxerunt, Sigiſmundo nempè Regi Hungariæ, ac Ludovico Moraviæ Domino, & Vvincislao jam depoſito variis adhæſerunt. Alexander igitur Roma potitus fuit adjutus à Ludovico Andegavenſi Rege Neapolis, Gregorius Utinam pro Concilii celebratione ab ipſo indicti acceſſit, ſed ſine effectu, cum fugere compulſus, Cajetam per Mare adiit opera prædicti Ladislai; Benedictus in Cathalonia à Rege Aragonum protectus, Perpiniani Concilium coegit, in quo acta Piſani Concilii diſſoluit. En miſe-
10 randus nunc Status Eccleſiæ Catholicæ, dum Deus mirabilia fecit, nam Alexander in Urbe Bononiæ, Romam nec quidem videns, etſi ad eam pergeret, piè occubuit; Cardinales priùs alloquutus, ortatuſque ad pacem, & concordiam Eccleſiæ confovendam, quinto nonas Maii 1410. & in Eccleſia Fratrum Minorum ſepultus cum inſigni Epitaphio, ejus meritis apprimè digno, quod refert *Ciacconius*, nulla Cardinalium facta promotione, nec Bulla emanata, quæ in hoc Bullario Cherubini inſeratur; In ejuſque locum in eadem Civitate Bononiæ ſuffectus fuit Joannes XXIII. ut ſupra retuli. Interimque electus extitit Rex Romanorum Sigiſmundus, Hungariæ Rex, cujus pietas ſatis conduxit tanto Schiſmati terminando; Cum pluries inter Joannem, ac illum evenerint litteris, Oratoribus, ac Colloquiis communicationes, quibus Concilii Univerſalis celebratio præliminata, ac opera ejuſdem Principis opus tam magnum perfectionem vidit, tanta Catholicæ Eccleſiæ utilitate, tanto hæreticorum damno, tanta demum bonorum ædificatione.

Intimavit itaque ſolitis litteris Apoſtolicis Joanne 11
XXIII. Concilium Generale, in Civitate Conſtantiæ peragendum, quæ litteræ continentur in hac Bulla edita Laudæ, 5. Idus Decembris Anno 1413. in executionem voluntatis Alexandri V. qui juxtà demandatum in Concilio Piſano, ut congregaretur infrà triennium, quod pluribus Cauſis per Alexandrum perfici non potuit, etſi illud intimaverit Romæ. Conſtantiæ etenim nomen tribus Civitatibus commune eſt, alia nempè eſt in Regno Cypri, alia in Normandia, & alia in Germania; quæ fuit pro hoc magno Concilio electa; Eccleſia Epiſcopalis eſt, ſub Metropolitana Moguntina propè Helvetios ſita, apud lacum, & Rheni flumen, pro tali conceſſu deſtinata, Imperatoris Sigiſmundi conniventia, ut facilior eſſet acceſſus pro omnibus Nationibus. Acceſſit ad illud Jo: 12
ipſe XXIII. veneratione maxima ab Epiſcopis receptus, & die prima Novembris præfati anni ſolemniter celebravit, ac initium fecit Concilio Conſtantienſi die quinta Novembris prævia ſolemni ſupplicatione; die verò ſexta plura neceſſaria pro Concilii celebratione, ac Miniſtrorum electione geſtæ fuerunt, in eoque ultra Papam intervenit Sigiſmundus Rex Romanorum, qui noluit in ingreſſu ſolemniter recipi, ſed modeſtiſſimè nocturno tempore Civitatem ingreſſus, die ſequenti uti Diaconus habitu Sacro Evangelium cecinit Papa celebrante; advenit quoque Cardinalis Legatus à Gregorio XII. deſtinatus; Sed cum inſignia ejus Domini ſuper domum extolleret, à militibus direpta fuerunt. Intereſſerunt quoque quatuor Patriarchæ, Cardinales viginti novem Archiepiſcopi quadragintaſeptem Epiſcopi centum ſexaginta Oratores Principum, Doctores inſignes, ac alii. Itidem Joannem XXIII. paratum ſe exhibuit Pontificatui ce- 13
dere, quoties alii competitores pariter cederent ad ſedandum Schiſma, idque Sigiſmundus Imperator ei, ac Gregorio, & Benedicto ſuadere non deſtitit. Verum Gregorius diſſimulabat, Benedictus recuſabat, & Joannes a pio propoſito receſſit, fugam de nocte à Concilio arripiens auxilio Friderici Ducis Auſtriæ; unde commotum fuit Concilium; pluresque Legationes erga ipſum factæ, ut rediret, ſed incaſſum; Hinc ſubſequutum fuit Concilium ſub præſidentia Cardinalis Epiſcopi Hoſtienſis, ſubſequentibus citationibus, quibus Joannes pluries diſſimulans renunciationem iterum promittebat, ſed deindè pacta minimè honeſta cupiens, ut ſcilicet Cardinalis remaneret extra Papæ obedientiam, tandem carceribus mancipatus, honeſtèque retentus propè Conſtantiam, privationem ſubiit Pontificatus per ſententiam Concilii, approbantibus Nationibus, & Concilii totius oraculo, ac eximiorum Doctorum conſilio, facto priùs proceſſu ſuper ejus diceſſu, ac renitentia Pontificatui cedendi, non obſtante juramento, omnibuſque ei conteſtatis, ac nihil reſpondente, de quibus videndi ſunt Labbè *tom.* 12. *Concil. fol.* 10. *& ſeq.* Spondan. *Anno* 1415. Theodorus Niem. *in vita Joann. XXIII.* in hoc Concilio editum fuit Decretum in IV. ſeſſione, quo cautum fuit, ut Concilium prædictum haberet ſupremam facultatem ſuper quoſcumque, quacumque dignitate etiam Papali præditos, ex quo Canone tot evenere Doctores ſcripta quoad ſuperioritatem Concilii Generalis concedendam, vel denegandam

ſupra Papam, de qua infra dicam; Fueruntquè pariter in eodem Concilio condemnatæ hæreſes Jo: Hus, & Vviclef, aliæque, de quibus infrà dicam *Conſtitut.* 1. Martini V.

14 Secuta ſententia depoſitionis Joannis XXIII. eaque ab ipſo acceptata, prævia depoſitione Pontificalium inſignium, ſubſecuta fuit abdicatio Pontificatus facta à Gregorio XII. media ejus renunciatione coram eodem Concilio; ſed Benedictus pertinax pluries à Sigiſmundo monitus, tandem convenit cum ipſo de re acturus in Civitate Perpiniani; ſed incaſſum id evenit, duraque cervice Hiſpanus in Inſulam Peniſcolam iterum refugit in Regno Valentiæ ſub Epiſcopatu Dertuſenſi. Unde in Concilio ejus cauſa, prævia convocatione aliorum aliis obedientiis faventium, fuit judicialiter cognita, ac privatus tandem Pontificatu, prævia citatione intimata per duos Monachos Nigros, quos Corvos Benedictus appellavit, iſtiſque reſpondentibus, corvos eſſe, quia ad res putridas, ac malè olentes, ut ipſe erat, accedebant; imò ipſius fautores Rex Aragonum, aliique Proceres, opera Divi Vincentii Ferrerii, eum deſerere comminati fuerunt; depoſitis itaque Joanne XXIII. & Benedicto, ac reſignante Gregorio, Sedes Pontificia ſuum exoptabat Paſtorem
15 Univerſalem; Hinc in eodem Concilio actum fuit de Papæ electione, ortaque fuit contentio, an ea deberet fieri à Cardinalibus tantùm, ut jam mos erat antiquior, vel à totius Concilii Patribus; concordiaque ſopita fuit, ut fieret per Cardinales, & per ſex perſonas Eccleſiaſticas, & Religioſas, ac in ſacris Ordinibus conſtitutas, deputandas ab unaquaque natione, Italica ſcilicet, Gallica, Germanica, Hiſpanica, & Anglica, itaut electus diceretur, qui à duabus partibus Cardinalium, & duabus partibus aliorum ſuffragium reciperet; Conclave itaque omnes adiverunt in Palatio Epiſcopali, peractum die octava Novembris, Cardinales, ſcilicet 20. creati à Benedicto, Jo: & Gregorio, vel viginti tres juxta alios Scriptores; Patriarcha Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopi quinque, Epiſcopi duodecim, & Abbates ſæculares, & Regulares duodecim electi à Nationibus, & poſt dies tres, nempè die 11. Novembris Anno 1417. electus fuit in Romanum Pontificem Odo Columna Romanus Cardinalis, qui aſſumpſit nomen Martini V. ob Divi Martini memoriam, quam Eccleſia celebrat eo die electionis, de cujus Pontificis geſtis dicam infra in ejus *Con-*
16 *ſtitut.* 1. Sic finem agnovit Concilium Conſtantienſe, non tamen ſtatim ſchiſma; nam etſi Gregorius XII. non amplius Papa, ſed Cardinalis obierit, ut dixi ſupra in ejus *Conſtitut.* 1. ac Joanne XXIII. in cuſtodiam Germaniæ traductus, tandem auſugiens Florentiam venit, in domo Mediceæ familiæ receptus, ibique pedibus provolutus Martini V. eum venerari curavit, verumque agnovit Pontificem, lacrymantibus ferè omnibus, præſertim Cardinalibus ab eo creatis, ob rerum humanarum inſtabilem curſum; unde idem Joannes ſcripſit de varietate fortunæ librum unum, & Cardinalis Tuſculanus Epiſcopus creatus, ac Sacri Collegii Decanus a Martino ſpeciali honore habitus, florentiæ obiit apud Coſmum Medicæum Civem Florentinum ejus amicum, quem aliqui putarunt peculiis relictis ab eodem Joanne ſuas opes auxiſſe, in eadem Civitate ſepulturæ traditus cum inſcriptione: *Joannes quondam Papa XXIII. obiit Florentiæ Anno Domini 1419. 11. Kalendas Januarii*, ut refertur à
17 *Ciacon. in ejus vita*; Non itidem acquievit ſententiæ Concilii Benedictus XIII. qui decedere è vita voluit uti Pontifex, phantaſma Pontificatus, in eadem Inſula Peniſcola, ubi uti Papa ſe gerebat, ac ſuos Cardinales creabat, & Anno 1424. poſt ſeptem annos à fine Concilii ibidem obiit octogenario major, durus uſque ad ultimæ vitæ ſpiritum; habuit Pſeudo-Pontificatum per triginta annos, cùm omnes veri Papæ uſque adhuc annos Petri non viderint; Certè ejus vita maximam fortunæ inconſtantiam prætulit; unde opportunè ſcripſit librum Hiſpanica linqua conſcriptum: *Conſolationes vitæ humanæ contra omnes labores, & adverſitates, quæ homini ſuccedere poſſunt in hac vita miſerabili*. Ejus corpus fuit tranſlatum à Joanne de Luna ejus nepote illueſcam ſuæ ditionis oppidum Aragoniæ. Vir quidem fuit maximi roboris, imò etiam virtutibus præditus, niſi durus ſatis contra communem ſenſum ſibi blanditus in Pontificatu permanſiſſet; fertur ſuum corpus eſſe intactum,
quod tamen credet, qui volet. Poſt ejus obitum ex- 18
tinctum ſtatim ſchiſma nec fuit, cùm à duobus Cardinalibus, quibus injunxit Benedictus novi Pontificis electionem, electus extitit Canonicus Barchinonenſis Giulius Munnos nobilis vir, qui Regis Aragonum ſuaſu, renitens electioni annuit, Clementis VIII. nomine aſſumpto Anno 1423. & in ſolita hujus Pſeudo-Pontificatus Sede Pontificalia aſſumpſit; ſed demum opera Cardinalis Fuxeoſis Legati Apoſtolici, & Joannis Regis Navarræ, Alphonſi Regis Aragoniæ fratris, compoſitis diſſidiis cum Martino V. adjudicatoque illi Regno Neapolitano, Pſeudo-Pontifex renunciavit Anno 1429. ferè poſt quinquaginta annos à Clementis VII electione, renunciationis actu habito coram tribus Pſeudo Cardinalibus, Epiſcopus Majoricenſis à Martino electus, iſtumque pro vero Pontifice recognoſcens; ſicque pax Eccleſiæ tandem reddita fuit mediante præſertim Concilio Conſtanſienſi, quod perduravit annis tribus, & ferè tribus menſibus.

Ex hoc Concilio Conſtantienſi, nedum *ſeſs.* 4. & 5. 19
ſed ex ejuſdem geſtis in depoſitione duorum Pontificum, plurimi inferre non dubitarunt Concilii generalis ſuperioritatem in Summum Pontificem, nam ſtatutum fuiſſe perhibetur his verbis; *ſeſs.* 4. §. 1. *Et primo hæc Sancta Synodus Conſtantienſis, generale Concilium faciens, declarat, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata, legitimè generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem Eccleſiæ generalem in capite, & in membris*, quæ decreta fuerunt quidem promanata tempore, quo Concilium erat acephalum, cùm jam ex eo diceſſiſſet Papa Joanne XXIII. ut dixi, qui illud congregaverat, ac eidem præſidebat, & ſic eadem decreta legitima auctoritate carent. Urgent tamen pro auctoritate Concilii, ejuſdem geſta, quia condemnavit, & depoſuit Benedictum XIII. & etiam Joannem XXIII. qui illum intimaverat, & via juris reſignare coegit Gregorium XII. & ſic tali geſto, & decreto ſonixi plurimi, contra auctoritatem Summi Pontificis attentarunt, eum ſubjicientes Concilio generali, ut tentatum fuit in Concilio Baſileenſi, hancque ſuperioritatem Concilii in Romanum Pontificem aſſerunt aliqui Docto-
res, & comprobata fuit inter propoſitiones à Clero 20
Gallicano anno 1679. promulgatas; *Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicariis veram ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant, atque immota conſiſtant ſancta Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetuò cuſtodita decreta, quæ ſeſs. 4. & 5. continentur, nec probari, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbata robur infringunt, aut ad ſolum Schiſmatis tempus Concilii dicta retorquent*. Contra quam propoſitionem *Emanuel a Schelestrate* Vaticanæ Bibliotecæ Cuſtos contexuit diſſertationem eruditam, impugnantem præfatam propoſitionem, in qua Concilii ſupra Papam aſſeritur auctoritas, quod in cauſa fuit, ut *Ludovicus Maymburgus*, nationi propriæ Gallicanæ blanditus, ac laicæ poteſtati adulatione adhærens potiùs, quàm veritati, tractatum edidit Hiſtoricum *de Romana Eccleſia, ejuſque prærogativis*, Gallico idiomate, quo libello dictam propoſitionem Cleri Gallicani, unà cum aliis tueri conatur, ac præcisè impugnat *Schelestratum*, qui idcircò impulſus fuit tractatum

edere

edere de ſenſu, & auctoritate decretorum Conſtantien-
ſis Concilii *ſeſſ.* 4. *&* 5. circa poteſtatem Eccleſiaſticam
editorum; Interimque prodiit liber, cui titulus eſt,
Regalem Sacerdotium Romano Pontifici aſſertum, cum
propoſitionum quatuor prædictarum explicatione, Au-
ctore Eugenio Lombardo, Sacræ Theologiæ, & J. V.
Doctore; & liber *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*,
auctore M.C. Sacræ Theologiæ Doctore, ſeu quicum-
que ſint veri eorum Auctores; his ſucceſſerunt diſſer-
tationes Theologicæ *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*,
editæ à *Ludovico Ellies du Pin*, Sacræ Theologiæ Pa-
riſienſis facultatis Doctore, qui impugnat *Schelestra-
tem*, alioſque Romano Pontifici faventes, ac editus
fuit liber, cui titulus, *Oecumenica Cathedra Apoſtoli-
ca auctoritas*, occaſione dictarum quatuor propoſitio-
num Cleri Gallicani, typis mandatus Anno 1689. alii-
que Scriptores hincinde laborarunt; ſed Sancta Memo-
ria Alexander VIII. maxima, qua par erat conſtantia,
in fine ejus vitæ accitis tribus Sanctæ Romanæ Eccle-
ſiæ Cardinalibus, ac Prothonotario Apoſtolico ad fu-
turam rei memoriam ſuo Brevi dictas propoſitiones
nullas, ac irritas declaravit, quod Breve eſt impreſſum
in Synodo Beneventana edita ab Eminentiſſimo Cardi-
nali Urſino Archiepiſcopo.

Hinc materia iſta de ſuperioritate Concilii ſupra Ro-
manum Pontificem non aſſerenda, adeò illuſtrata re-
manſit, ac oraculo Pontificio declarata, quod nihil
ſuperaddi poſſe videatur, ipſaque propoſitionis contra-
riæ argumenta refutata ad ſatietatem in prædictis Co-
dicibus agnoſcuntur, nec quidquam claritatis addere
meæ erit tenuitatis, ubi tot viri, ſolis inſtar, tene-
bras fugare non omiſerunt; Sed quia veritas iterum
examinata magis ſplendeſcit, aliqua strictè juxta mo-
rem in iſto Commentario, de hac re agente, addere
22 non omittam. Conſtans igitur eſt ſententia Eccleſiæ,
ac Doctorum veritatem amantium, ut Papa non re-
cognoſcat Superiorem ullum, niſi Deum, cujus ipſe
Vicarius eſt, & in Terris vices gerit, proindeque nec
Concilio, etſi generali ſubeſt, & licèt aliqui ſenten-
tiæ contrariæ adhæſerint, autumando Papam ſubeſſe
Concilio Generali, ut apud Duaren. *lib.*8. *de Sacr. Ec-
cleſ. Miniſtr. cap.*11. poſt Pariſienſes Theologos in Ba-
ſileenſibus Decretis, Marcam *concord. Eccleſ. & Imper.
lib.*3. *cap.*7. Gremond. *in Ludovic. XII. lib.* 1. Rouſſell.
*lib.*3. *Hiſtor. Juriſd. Pontif. cap.* 3. *num.* 10. *&* 16. *&*
23 *cit.* Elliesium, Maymburgum, alioſque, qui ultimò
ſcripſerunt, tamen talis ſententia refellitur, & contra-
rium comprobatur, primò à D. Thom. *in* 4. *diſt.*19.
& D. Bonavent. Paludano, aliiſque apud Cajetan. *in
tractat. de comparatione Papæ, & Concilii, Turrecre-
mata lib.*2. *ſumma Eccleſ. cap.*95. *&* 104. Campegio *de
Roman. Pontific. cap.*22. *& ſeqq.* Navarr. *libr.*1. *conſil.
tit. de Conſtit. conſ.*1. Albert. Phigio *de Hierarchia Ec-
cleſ.* Nicol. Andero *lib.*7. *de viſibili Monarchia pag.*540.
Baronio *anno* 33. *num.* 17. *& anno* 39. *num.*7. *& an-
no* 51. *num.* 12. Franciſco Turiano, de hoc ſcribente,
Martha *de Juriſd.* 3. *part. cap.*17. Valenzuola *in monit.
contra Venetos cap.*6. Salas *de legib. quæſt.* 95. *tract.*14.
*diſp.*8. *ſect.*14. *num.*70. Theophil. Raynaud. *tom.*10. *in
Corona aurea R. Pont. veritat.* 6. *in fine*, Bellarm.
*tom.*1. *contr. lib.*4. *de Romano Pontific. cap.* 1. Cajetan.
de poteſt. Papæ 2. *part. cap.*13. *& ſequent.* Victoria *in
relect. de poteſt. Papæ*, Suarez *de fide diſp.* 5. *ſect.* 8.
Thoma Bzovio *de ſign. Eccleſ. lib.*16. *cap.*8. *& lib.*18.
*cap.*6. Diana *in peculiari tract. in append. prim. par-
tis* 11. *juxtà antiquam impreſſionem*, Solorzan. *de Jure
Ind. lib.*3. *cap.*7. *num.*37. *Canoniſtæ in cap. ſignificaſti
de elect. & cap. ad Apoſtolica de re jud. in* 6. Imò
etiam Doctores Sorbonici aliqui hanc veritatem faſſi
fuerunt, apud Duvallium *in tract. de Pontif.* 2. *part.
quæſt.*1. & apud citatos, qui ultimò ſcripſerunt, præ-
ſertim *Auctor de Oecum. Cathedr. auct. artic.* 2. *de Su-
perioritate Papæ ſupra Concilium, vel è contra*. Con-
ſonant huic ſententiæ plures textus Canonici, & præ-
ſertim *Canon.* 13. 9. *quæſt.* 3. *canon. omnes* 22. *diſtinct.
canon. ita Dominus* 19. *diſt.* cùm Eccleſia Romana ſit
mater omnium Eccleſiarum, & Romanus Pontifex
Chriſti Vicarius, unde dedecet, ut à filiis inſtruatur,
& arguatur, *canon. nemo*, *can. aliorum*, *can. facta* 9.
*quæſt.*3. *Extravag. unam ſanctam de major. & obedien.*
ubi quod prima Sedes à nemine judicatur, & expreſsè
habetur in Epiſtola Paſchalis Papæ primi, vel ut alii
autumant, II. de qua latè dixit Gonzal. *in cap. ſigni-
ficaſti de elect.* quæque epiſtola eſt regiſtrata in corpo-
re Juris, ubi Papa ille ſcribens Archiepiſcopo Panor-
mitano, quòd jurare debeat obedientiam Romano Pon-
tifici in ſuſceptione pallii, ita addit: *Ajunt Reges tui
id in Conciliis ſtatutum inveniri, quaſi Romana Eccle-
ſiæ leges Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Conci-
lia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta ſint,
& robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romana pa-
tenter excipiatur auctoritas:* Imò à Concilio Generali 24
regulare eſt ad Papam appellari, non è contra; ſic le-
gimus, Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum, & Pau-
lum Epiſcopum Conſtantinopolitanum à Concilio de-
poſitos, ad Julium Papam appellaſſe, & in propria
Sede ab iſto reſtitutos, Sozomen. *lib.* 3. *hiſtor. cap.*7.
Sicque Flavianus, Epiſcopus itidem Conſtantinopoli-
tanus appellavit ad Papam Leonem, aliaque exempla
referuntur à citatis Doctoribus. Unde Gelaſius Primus
*Epiſt.*13. *ad Epiſcopos Dardaniæ col.*4. ait: *Sedes Bea-
ti Petri Apoſtoli jus habet reſolvendi, utpotè quòd de
omni Eccleſia fas habet judicandi, neque cuiquam de
ejus liceat judicare judicio, ſiquidem ad illam de quali-
bet mundi parte Canones appellari voluerint, ab ea
autem nemini ſit appellare permiſſum*, & fuit declara-
tum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. *to.*3.
Concil. pag. 696. & dixi *tom.* 2. *Conſtitut.* 2. Innocen-
tii III. *ſect. unic. num.* 22. Quod ulteriùs confirmatur,
quia Chriſtus Dominus dixit Petro: *Paſce oves meas,
& tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ec-
cleſiam meam.* Ipſe enim Petrus eſt lapis fundamenta-
lis, ſine quo fuit fundamentum; en igitur quare Con-
cilia, ut ſint valida, debent à Papa confirmari, ut
ex ejus mandato congregari, ut latè dixi *tom.*2. *Con-
ſtitut.* 9. Alexandri III. *ſect. unic. per tot. & cit. Con-
ſtitut.* Innocentii III. *ſect. unic.* Abſonum enim eſſet, 25
quod Papa formam Concilii tribuens, minor eis ſit,
quibus formam, ac robur dat; Papa enim Concilii
Generalis diſpoſitionem immutat, ac diſpenſat, *cap.
non debet de conſanguin. & affin. cap. Statutum de re-
ſcript. in* 6. quodque ſine ſuperioritate in Concilia fa-
cere non poſſet; Nonne Gallica ipſa natio habet plu-
ra privilegia obtenta à Romanis Pontificibus contra
diſpoſitionem Conciliorum, quæque ipſi cuſtodita vo-
lunt; quia verè Papa derogare iis valet, ſpeciali qui-
dem mentione facta ob præſumptam voluntatem, ut
non facilè derogetur illis, & quoad Decreta Conci-
lii Tridentini non eſſe neceſſariam ob ſpeciale moti-
vum, quod retuli *tom.*2. *Conſtit.* 2. Anaſtaſii IV. *ſect.*3.
num. 10. *pag.* 67. *& Conſtitut.* 9. Innocentii III. *ſect.
unic. pag.* 278. & ſupra *Conſtitut.* 10. Gregorii XI. *nu-
mer.* 24. derogare enim eſt actus ſuperioritatis, ac
auctoritatis. Hinc quotieſcumque Concilia fuerunt 26
congregata abſque oraculo Romani Pontificis, uti
conciliabula fuerunt reputata, ac puniti auctores, ut
quoad Dioſcorum habetur in *can. in tantum* 21. *diſt.*
& quoad Synodum VIII. congregatam à Photio Pa-
triarcha, & exemplum eſt Marcellini in Synodo Sueſ-
ſana, quidquid ſit de veritate eorum, quæ narran-
tur, de quibus Baron. *Anno* 302. *num.* 95. hoc cer-
tum eſt, quod ab initio Concilium noluit judicare
Marcellinum, *can. nunc autem* 21. *diſt.* ſed deindè
cùm ipſe culpabilem ſe oſtenderit, renunciare Pa-
patui voluit, ac voluntariè ſe ſubjicere tali judicio,
Bellarmin. *tom.* 2. *de Concil. cap.* 19. aliaque expli-
cationes dantur à Doctoribus prædictis. Ad Conci-
lia autem Piſanum, & Conſtantienſe, etſi doctrina
de Superioritate Concilii in Papam juxta exigentiam
illius temporis, Schiſmate tam gravi vigente, ampli-
ficata fuerit à DD. tamen ex veris actis Conciliorum
liquet, Univerſitatem Pariſienſem, aliaſque, imò ipſam
Synodum Piſanam nihil cenſuiſſe de auctoritate Concilii
ſupra verum, & indubitatum Pontificem; ſed tantùm

Digitized by Google

de tempore Schiſmatis, & tribus tunc de Papatu contendentibus Pontificibus; tale enim Schiſma, adeò longævum, dubium facti, & juris importare viſum fuit, itaut plures DD. in varias iverint partes; quare in hac facti ſpecie, certum eſt, quòd auctoritas Concilii potuerit ſuper hujuſmodi Pontifices ad Schiſma eliminandum conſulere, quia etſi Concilium verum dicatur illud, quo Eccleſia unà cum ſuo capite, Summo ſcilicet Pontifice in unum coaleſcit Corpus, itaut ſi caput deficiat, deficiat quidem ſubſtantiale Concilii, quod remanet acephalum, tamen quoſcumque caput non adeſt, vel per hæreſim, quod Deus avertat, vel per dubietatem talem, ut communiter pro Papa haberi non debeat, ex facti, & juris circumſtantiis; tunc Concilium haberet ſuperioritatem, quæ non eſſet ſupra caput Eccleſiæ; quod tunc non apparet, ſed potiùs facit, ut verum caput eligatur; hinc Chriſtus Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quomodo
27 igitur id poſſet dici de Papa Schiſmatico, qui dilaniat, & non ædificat Eccleſiam. Hinc quoad adducta Decreta *ſeſſ.* 4. & 5. Concilii Conſtantienſ, plurimi alio modo contextum verborum fuiſſe aſſerunt, nempè: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis Schiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ in capite, & membris facienda declarat, quod ipſa in Spiritu ſancto congregata, & Eccleſiam Catholicam repreſentans, poteſtatem habet immediatè cuilibet, &c.* ut teſtatur doctiſſimus, qui his temporibus vixit Cardinalis Turrecremata, *in ſumma de Eccleſia lib.*2. *cap.*99. & ſic præcisè ad caſum ſchiſmatis illius procedit. Imò quod præfata Decreta non fuerint edita tempore, quo omnes obedientiæ trium Pontificum in Concilio adeſſent, ſed tantùm ea Joannis XXIII. iſto jam à Concilio quoque abſente, ut proſequitur *cit.* Turrecramata, qui rurſus ait, quòd neque ipſa integra Joann. XXIII. obedientia conſenſit, quoniam plures PP. Doctiſſimi illius obedientiæ his Decretis non præſtiterunt conſenſum ſuum, & Martinus V. non confirmavit dictas ſeſſiones, ut *Maymbourgus* erroneè ſupponit, ſed tantùm ea, quæ ad Doctrinam Fidei pertinebant, imò conciliariter facta, nec aliter, aut alio modo, ut ſunt verba *ſeſſ.*45. ſcilicet condemnati errores Vviclef, aliorumque, ut habetur infra in Conſtitutione prima
28 ejuſdem Martini, Imò expreſsè Martinus ibi reprobavit contra auctoritatem Papæ attentata, quia cùm Poloni in certa re appellaſſent ad Concilium, ipſe ait: nulli, inquam, fas eſt à Supremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeù Romano Pontifice, Jeſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis Fidei declinare, ut in ejus *Conſtit. edita* 6. *Id. Martii anno primo ejus Pontificatus*. Hinc *Spondanus*, quamvis Gallus, de Anno 1414. ingenuè ſcripſit: *Ea, quæ ambiguè decreta fuiſſent de auctoritate Concilii ſupra Pontificem, & de Poteſtate reformandi Eccleſiam tam in capite, quàm in membris, abſolutè, ut ſonare videntur ſumpta, nullo modo Martinus agnoſcere, aut approbare voluit, utpote contraria exiſtimata, & praxi antiquioris Eccleſiæ, & collata à Chriſto Domino poteſtati, ipſique demum naturæ rei, quia caput debet membra regere, non regi à membris*; Imò ipſum Conſtantienſe, dum condemnavit errorem Joannis Vviclef, & Joannis Hus, ajentium, Papam non habere auctoritatem in Eccleſia, contra quod negantes, Martinus uti hæreticos inquiri demandavit *in Conſtit.* 1. infra recenſenda, nonnè Superioritatem Papæ recognovit in tota Eccleſia, & ſit in Concilio, & Pius II. *Conſtitut.* 10. benè ait: *Veneramur enim Conſtantienſe Concilium, & cuncta quæ præceſſerunt à noſtris Prædeceſſoribus approbata, inter quæ nullum invenimus unquam fuiſſe ratum, quod ſtante Romano indubitato Præſule, abſque ejus auctoritate convenerit, quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite, & omnis ex capite defluit in membra po-*
29 *teſtas*. Unde certum eſt, quod etiam verba primo loco adducta Concilis Conſtantienſis procedunt ſignatè quoad tale Concilium Conſtantienſe omnium ferè conſenſu coadunatum ad extinguendum Schiſma, & pro tali tempore, & caſu trium Summorum Pontificum, ut ex verbis ipſis patet, & eadem cauſa licuit Papæ illos dubios deponere, ac ad renunciandum cogere, ſtantibus promiſſionibus eorumdem juramento firmatis; Proindè extra has circumſtantias, cùm in Concilio Baſileenſe moliti fuerint aliqui contra auctoritatem Eugenii IV. veri, & legitimi Pontificis, id irritum fuit declaratum in Concilio Lateranenſi ultimo *ſeſſ.* 11. quoad attentata contra Papam; imò Felix Antipapa tunc electus, cognito errore, ſe ſubjiciſſe conſtat verò Pontifici, Bellarmin. *tom.*2. *de Concil. cap. final verſic. ultimo*; Hinc etſi Papa tenea- 30
tur legibus Concilii quoad ea, quæ reſpiciunt fidem, nam cùm fuerint deciſa in vero Concilio, in quo caput exiſtit Summus Pontifex, & ſic Eccleſiam univerſalem repræſentante, ita poſt reſolutionem ſic legitimè factam, tale dogma fidei debet ab omnibus ſervari, & ſic etiam à Papa, uti cuſtode Juris Divini; Si verò agatur de Canone reſpiciente materiam, quæ non ſit de fide, putà quoad diſciplinam Eccleſiaſticam, tunc tenetur directivè, non ex vi legis, ſed ut conformetur cum lege, habetque poteſtatem mutandi, id quod fuerat ſtatutum, etiamſi id agat ſolus abſque Concilio, & licèt Papa unà cum Concilio videatur majora negotia explicaſſe, id fuit ut extrinſecè magis auctoritas Eccleſiæ pateret, non ut eſſentialiter magis ſit, ut videmus in Rege, qui ſi utatur conſilio Procerum pro faciendo actu magis ſolemni, ut lex à Populis recipiatur; non exinde poteſt dici quod Conſiliarii ſint ſupra ipſum, idque præſertim eſt in Papa, qui non habet juriſdictionem à Populo, ſed immediatè à Deo, per verba perſonaliter expreſſa Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Eccleſia igitur fundatur in Petro, ergo in iſto eſt tota poteſtas, cui moles Eccleſiæ nititur, & benè Bonifacius VIII. *in cap. ad Apoſtolica verſ. eritque parata Eccleſia de conſilio Concilii ſatisfacere, de ſentent. & re judicata*. Poſſunt igitur (juxta verba Paſchalis *in cit. cap. ſignificaſti de elect.*) Apoſtolicam Sedem contemnare, poſſunt apud Summos Pontifices calcaneum elevare: datum à Deo privilegium evertere, vel auferre non poſſunt, quod Petro dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, & benè tandem pluribus argumentis auctoritatem Romani Pontificis in Concilium Generale comprobavit Pius II. Romanus Pontifex in ejus Bulla retractationis *incipien. In minoribus*, quæ eſt 10. inter ſuas; ſuo loco recenſenda, & quidquid ipſe antea innuerit, ita animadvertit: *Sequimini, quæ nunc dicimus, & ſeni magis quàm ju-*
veni credite. Hinc difficiliter exemplum elici poteſt 31
ex facto Conſtantienſis Concilii, quia Schiſma illud tàm grave, & diuturnum in varias ſententias adduxit etiam pios viros, ita ut Sancta Catherina Senenſis Urbano VI. adhæſerit, Beatus Petrus de Luxemburgo Clementi VII. D. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum Benedicto XIII. à quo electus fuit Magiſter Sacri Palatii, ſed deindè obſtinato Benedicto, ut non cederet Papatui, eoque privato à Concilio, tunc D. Vincentius, qui priùs prædicaverat pro ejus obedientia, prædicavit contra eum uti ſchiſmaticum, ut refert D. Antoninus *part.*3. *hiſt. tit.* 22. & plures doctos, ac viros probos ſingulis dictis Pontificibus faviſſe, dixerunt Bellarmin. *libr.* 4. *cap.* 14. *de Romano*
Pontifice, & D. Antoninus *lib.* 3. *tit.* 22. Cùm autem 32
de Concilio Piſano mentionem fecerim, dubitari poteſt, an fuerit legitimum; & licèt ſpes concepta in Concilio Conſtantienſi non evenerit in totum, quia Schiſma non terminavit, ut dixi, nam fuit electus Alexander V. tertius Pontifex, ut ſcripſit D. Antoninus *part.*3. *hiſtor. tit.*22. *cap.*5. §. 2. alii tamen dicunt fuiſſe legitimum, ut latè Thodoricus à Niem *in libro de Schiſmate*, qui tamen contrariatur Pontificibus ab Eccleſia univerſali receptis, & adhæret Pſeudo-Papis, ac Gre-

Digitized by Google

ac Gregorium XII. per contemptum Errorium vocat, Laurentius Rodulphus Florentiæ triduo diſputavit, & concluſit, Concilium fuiſſe legitimum; Joann. Gerſon. *in libello, an Papa poſſit exauterari*, ait: *Hi Dei nutu, & Spiritus ſancti ſicut credendum eſt, tacti fuere:* Et cum Alexander V. Bononiæ ægrotaſſet, ac moriturum ſe cognoviſſet, dixit: *Per eam mortem, quàm ſe continuò ſubiturum probabat, ſe exiſtimare, ac credere, quæ in Concilio Piſano acta fuere, rectè, & integrè ſine dolo malo facta fuiſſe;* hinc videmus ab Eccleſia venerari uti veros Pontifices dictum Alexandrum, & Alexandrum VI. dictum ſucceſſorem ejuſdem nominis, & Joannem XXIII. uti verum Papam haberi, ac dd. Conſtitutiones ſupra emanatas in Bullario appoſitas fuiſſe; imò Joannem ſucceſſorem Alexandri V. indixiſſe Concilium Generale Occumenicum Conſtantienſe in hac Bulla, & de dicto Concilio Piſano vide Binium *in notis Concil. tom.* 29. *p.* 224. Azor. *Inſtitut. moral. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 17. *& lib.* 4. *cap.* 7. *quæſt.* 3. *Auctor. actor. Eccleſ. univerſ. ſive nova ſummæ Concilior. in notis ad Concil. Piſan.* Cardin. tamen Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 8. *de Conciliis*, dixit non eſſe approbatum Concilium Piſanum, neque reprobatum; non approbatum, quia fuit convocatum abſque Papæ indictione, aut confirmatum expreſsè, ſed quia Alexander V. Papa fuit receptus ab Eccleſia, ac Joann. XXIII. qui etiam Concilium Conſtantienſe indixit, videtur proindè dictum Concilium Piſanum non fuiſſe reprobatum. Cæterùm convocatio Conci-
33 lii Piſani fuit facta etiam annuente Gregorio XII, qui pluries Concilium velle profeſſus fuit, ſed tantùm de loco dubitavit; & ulteriùs ſemper urget, quod cùm ageretur tempore duorum Pontificum vario Provinciarum, & Regnorum judicio receptorum, poterant Cardinales Spiritu ſancto ducti ſe congregare ad tollendum Schiſma tam pernicioſum, eo magis quia ambo promiſerant cum juramento in Conclavi in eorum electionibus ſe renunciaturos, ſi id exigeret Schiſmatis extinctio, Azorius *cit. lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 3. Hæc laconicè juxtà ſtylum in materia tam ampla ſummæ poteſtatis Romani Pontificis dixi; alioqui autem latius eſt dicere, quod omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſt, & Romanum Pontificem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe, à quo nullam ex ovibus Chriſti exemptam eſſe certè tenendum eſt; unde Romanum Pontificem ita
34 alloqui oportet: *Tu es Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noè, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aharon, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt; Sunt & alii quidem Cœli Janitores, & Gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quanto eo differentius utrumque ex illis nomen hæreditaſti; habent illi aſſignatos ſibi greges ſinguli ſingulis, tibi univerſi crediti uni ſumus, nec modo ovium, ſed Paſtorum tu unus omnium Paſtor;* hæc Bernardus ad Eugenium III. ſcripſit; hæc cuicumque Romano Pontifici juſtè aſſerimus, quia dignitatis eſt auctoritas, non perſonæ.

SECTIO UNICA.

An acta, & privilegia tempore hujus Schiſmatis ab his, qui pro Romano Pontifice ſe gerebant elargita, ſuſtineantur, & valida ſint.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia à Pſeudo-Pontificibus tempore hujus Schiſmatis conceſſa, quatenus ſuſtineantur.*

2 *Aſſeritur non ſuſtineri geſta Clementis VII. Antipapæ.*

3 *Nec quidem ob errorem communem, ex* leg. Barbarius.

4 *Suſtinentur concurrente præſcriptione quadragenaria, & an potuerit adeſſe bona fides.*

5 *Geſta Benedicti XIII. non ſuſtinentur, niſi uti confirmata à Concilio Conſtantienſi.*

6 *Affertur concordatum hac de re in eodem Concilio factum.*

7 *Geſta Gregorii XII. poſt ejus depoſitionem fuerunt confirmata in Concilio Conſtantienſi.*

8 *Bonifacius IX. revocavit conceſſiones bonorum Eccleſiæ factas Laicis, omneſque uniones, & exemptiones perpetuas.*

9 *Eamdem revocationem fecerunt Martinus V. & Concilium Conſtantienſe.*

10 *An contra has revocationes ſuffragetur legitima præſcriptio.*

His itaque de Concilio Conſtantienſi, ut fert operis inſtitutum, compendioſè dictis, utilitatem Forenſium nunc proſequendo, non incongruum eſt quærere, an acta, & conceſſiones quæcumque tempore Schiſmatis, ab his, qui pro Romano Pontifice ſe gerebant, facta, firmitatis robur habeant, & plenarium effectum ſortiri debeant? Etenim, cùm his numquam ſatis deplorandis temporibus, de Pontificatu plerumque ſub Triumviratu infauſtè diceptaretur, quiſque eorum obedientiam, & benevolentiam Chriſtiani Orbis captare ſatagebat, privilegiis, & conceſſionibus ultrò conceſſis, & inordinatè profuſis; Unde ſæpeſæpiùs in Foro Eccleſiaſtico hujuſce temporis conceſſiones ſuſcitantur, & magno ſtrepitu impugnantur. Ad rem itaque tranſeundo, non revocamus in dubium, quin acta Urbani VI. Bonifacii IX. Innocentii VII. Gregorii XII. ſaltem ad electionem uſque Alexandri V. in Concilio Piſano factam, ejuſdem Alexandri V. & Joannis XXIII. ante Conſtantienſe Concilium, qui omnes in albo Romanorum Pontificum reponuntur, pro ratis, & firmis haberi debeant, tamquam explicatis ab Papalem Juriſdictionem habentibus, ut Catholici Scriptores, qui poſt hæc tempora vixerunt, uno ore conſentiunt; paucis potiùs dubitantibus, quàm negantibus. Verum quæſtio exoritur circa geſta Clementis VII. Antipapæ, qui ſedit contra Urbanum, & Bonifacium, necnon Benedicti XIII. nuncupati, qui inſignia Pontificia uſurpavit contra Innocentium; Gregorium, Alexandrum, & Joannem, ac tandem circa geſta Gregorii XII. poſtquam anno 1409. ejuſdem regiminis circiter ſecundo, in Concilio Piſano depoſitus fuit, in ejuſdem locum ſuffecto Alexandro V. 1

Clementis itaque VII. Pſeudopontificis geſta, & privilegia erga ſuæ obedientiæ Populos elargita, omninò dicenda ſunt nulla, & irrita, tamquam facta à legitimam auctoritatem non habente, cùm electio Urbani VI. fuerit canonica ex juribus latiſſimè allegatis in divino conſilio, ut dicunt, Baldi, & Jo: de Lignano illius temporis J. C. eximiis, & ad noſtrum intentum firmat Rota *in deciſ.* 612. *numer.* 5. *coram Seraphin.* ubi ſubdit, quod numquam fuerunt ratificati, & approbati, *& in deciſ.* 352. *num.* 1. *verſ.* Clementis VII. *qui fuit Papa Schiſmaticus, par.* 4. *tom.* 1. *rec. & deciſ.* 145. *num.* 3. *par.* 7. *rec. & deciſ.* 295. *num.* 1. *cor. Coccin.* & ſupra innui in ejus Vita *ad Conſtitut.* 1. *ejuſdem.* Cùm enim plures pro Romano Pontifice ſe gerunt, eorumdem actorum validitas à futuro pendet eventu, ut valida ſint, quæ deteguntur facta à vero Papa, ex allegatis de duobus Imperatoribus ab Oldrad. *conſ.* 22. Alberic. *in l. benè à Zenone col.* 2. *C. de quadr. præſcrips.* refert Rota *in dec.* 289. *num.* 3. *coram Ludoviſ.* & ſequitur Ricciull. *de Jur. perſonal. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 9. Card. Albit. *de Inconſt. in fide cap.* 10. *numer.* 30. §. *ſi verò*, privilegia verò, & geſta à Papa Schiſmatico, irrita ſunt, & nullius roboris, & effectus, *can. factus in fin.* 7. *quæſt.* 1. *can. didicimus* 24. *quæſt.* 1. & firmat Rota *in deciſ.* 295. *num.* 1. *cum ſeqq. coram Coccin. & in dec.* 289. *num.* 2. *coram Ludoviſ. & in cit. deciſ.* 352. *num.* 1. *in fine*, Card. Albit. *cit. cap.* 10. *n.* 30. aliique communiter; Incaſſum verò nonnulli co- 2

nati 3

rati ſunt Clementis VII. geſta defendere, cum notiſſima diſpoſitione *Tex. in l. Barbarius ff. de Offic. Prætoris*, in qua humaniùs interpretantur validè geſta cujuſdam Servi, qui Præturam Romæ uſurpavit, ob utilitatem eorum, qui apud eum tamquam legitimum in officio egerunt; nam error communis habilis eſt ad faciendum jus, juxta Gloſſ. *ibid. & l. prima C. de teſtam. & leg. 3. ff. ad Maced.* hujuſmodi enim communis error in Populis, obedientiam Clementis ſequentibus, ſupponi non poterat, ratione adducta per Rotam *in cit. deciſ.* 612. *num. 7. coram Seraphin.* ibi: *Cùm nullius eſſent roboris geſta per Clementem, neque etiam ratione communis erroris ſalvari poteſt hujuſmodi privilegium, cùm quamplurimi ſequuti fuerint Urbanum, eumque pro legitimo Eccleſiæ Paſtore agnoverint:* quidquid dicant DD. penes Card. Albit. *de Inconſt. in fide cap.* 10. *num.* 32.

4 Verumtamen quamvis ad ſenſum Rotæ ex errore communi convalidari nequeant acta Clementis in ſua obedientia dicti VII. non eſt tamen, quod legitima præſcriptione quadragenaria concurrente firmari nequeant, cùm licèt ejuſdem privilegia per ſe conſiderata nullius ſint roboris, ut diximus; præbere tamen valent titulum ad præſcriptionem neceſſarium, ut ipſamet Rota pluries firmavit, & ſpecialiter in famigerata *Valentina Parochialis de Palma coram Coccino in ordine* 295. *& in Januen. Juriſdictionis coram Ludoviſ. & in deciſ.* 145. *numer. 6. par. 7. & in deciſ.* 352. *num. 3. par. 4. tom. 1. rec.* Card. Albit. *loco cit. num.* 31. poſt Ricciull. *de Jur. Perſonar. lib. 9. cap. 2. num.* 10. *cum ſeqq.* Ad deſtruendum verò aliud præſcriptionis requiſitum, quod circa bonam fidem verſatur, cauſatam ex juſto errore, jam diximus, ſed numquam ſatis explicari poteſt, quantum, & quamdiù fuerit dubitatum de electione Urbani VI. quamobrem qui adhæſerunt Clementi, errarunt quidem, niſi probabiliter, ſaltem dubitantes, itaut excluſa poſitiva mala fide, præſcriptionem inchoare potuerunt, ad theoricam Covarr. *in reg. poſſeſſor. par. 2. §. 7. n. 2.* & alio medio probat Rota in laudatis deciſionibus, in quibus alia minoris notæ argumenta diluuntur.

5 Quod circa geſta, & conceſſiones Clementis VII. hucuſque dixi, idem ſtatuendum eſſet de actis Petri de Luna, aliàs in ſua obedientia Benedicti XIII. qui ac ille Schiſmaticus, & Pſeudopontifex communi ſenſu habetur, niſi Sancta Synodus Conſtantienſis ſeſſ. XXII. ejuſdem conceſſiones, gratias, & privilegia, à quibuſvis Perſonis ſuæ obedientiæ obtenta, uſque in diem primæ requiſitionis factæ, eidem Benedicto per Principes ſibi adhærentes convalidaſſet; Ita porrò conventum fuit cum ipſo, & ejuſdem potenti cliente Rege Aragonum pro bono pacis, & unionis Eccleſiæ, ut legitur inter 12. articulos concordatos per Sigiſmundum Romanorum Regem, & Oratores Sacri Concilii ex una, & Dominos de obedientia ipſius Petri de Luna ex altera partibus, relatos ibidem *ſeſſ.*
6 20. in 5. articulo ſummatim. *V. quod per Concilium approbentur omnes conceſſiones, gratiæ, &c. facta per Benedictum quibuſvis Perſonis ſuæ obedientiæ, & quæcumque infeudationes, inveſtituræ, aliaquè conceſſiones uſque in diem primæ requiſitionis facta eidem Benedicto per Reges, & Principes ſuæ obedientiæ; Hoc tamen declarato, quod ſi aliquibus Prælaturis, & Beneficiis, durante ſchiſmate fuerint diſmembrata aliqua membra, redditus, &c. quod prædicta ipſis Prælaturis, & Beneficiis, ut capiti reſtitui, & redintegrari valeant per Concilium, & cæteris de aliis beneficiis, & dignitatibus provideatur, ut providentiæ Concilii fuerit viſum per dictas approbationes, & confirmationes hic contentas nullum impedimentum præſtetur, & idem fiat è converſo de alia obedientia.* Nil mirum autem quod hujuſmodi concordata punctualiſſimè à Concilio fuerint executioni data, deficiente à ſuis promiſſis Petro de Luna; nam principaliter etiam conventa fuere cum Rege Aragonum, aliiſque Principibus de ejuſdem obedientia, qui religioſiſſimè in jam promiſſis ſteterunt. De qua quidem Concilii approbatione ad effectum ſe fundandi in conceſſionibus, & privilegiis Benedicti XIII. mentionem facit Rota *in deciſ.* 267. *num. 7. coram Bichio, deciſ.* 295. *num. 5. coram Coccin. deciſ.* 335. *nu. 4. coram Roxas, dec. 59. n. 1. par. 10. rec.* Card. de Luca *de feudis diſc. 104. n. 19. & diſc. 5. n. 11. verſ. quod ſcilicet ſuſtineatur.*

Majori autem negotio diſquirendum pariter eſſet 7
de actis Gregorii XII. poſt ſuam privationem, & depoſitionem à Pontificia juriſdictione facta per Cardinales congregatos in Concilio Piſano; omnes enim graviſſimæ auctoritatis DD. ſupra recenſiti inter ſe acriter pugnant pro eodem Concilio Piſano, ut ſuperius in hoc Commentario innui *num.* 32. Sed ad intentum ab hac nos expedit cura actum Concilii Conſtantienſis *ſeſſ.* 14. in gratiam commendabilis ejuſdem Pontificis docilitatis, qui promptiſſimè per Procuratorem legitimè conſtitutum ad ejuſdem requiſitionem Papatui renunciavit, & inſignia depoſuit, emiſſum, ibi: *Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis omnia, & ſingula per illum Dominum, qui dicitur Gregorius XII. in ſua reali obedientia Apoſtolica auctoritate mediatè, vel immediatè, aliàs canonice, vel rationabiliter hucuſque geſta, facta, diſpenſata, ordinata, conceſſa, & indulta, & etiam uſque ad tempus ſuæ notitiæ renunciationis pro eo faciendæ, quod tempus ultra menſem poſt hujuſmodi renunciationem nolumus extendi, taliter facienda, gerenda, &c. ex certa ſcientia ratificat, & ex ſuperabundanti cautela ad certitudinem boni approbat, atque firmat, ſtatuens, & ordinans, quod ex cauſa, vel occaſione ſchiſmatis, vel cujuſcumque maculæ, vel inhabilitatis ex eo provenientium non valeant infringi, vel contra excipi, aut in dubium revocari, non obſtantibus diſpoſitionibus in contrarium facientibus quibuſcumque.* Quam confirmationem præfatorum actorum Gregorii XII. memorat Rota *in dec. 612. n. 4. cor. Seraphin.*

Ex dictis itaque patet, quod geſta Clementis VII. 8
Pſeudo-Pontificis irrita omninò, & nullius effectus ſunt, niſi ſpecialiter legitima præſcriptione firmentur, acta verò Benedicti XIII. & Gregorii XII. roboris firmitatem obtinent, tamquam confirmata per Synodum Conſtantienſem; At ad magis præciſa deſcendendo pro limitatione ſupradictorum, in medium adducimus Conſtitutionem Bonifacii IX. legitimi Pontificis tempore ſchiſmatis ſub datum 11. Kalendas Januarii 1403. Pontificatus ſui 14. ex *Regeſt. Apoſtolico lib.* 153. *Bullar. pag.* 174. in qua laudatus Pontifex rectè ſciens, quanta facilitate præter forſan intentionem; neceſſitati temporum obſequens, indebitas feciſſet conceſſiones, revocavit, & annullavit omnes, & ſingulas conceſſiones factas quibuslibet laicalibus perſonis de quibuſcumque Eccleſiarum bonis, etiamſi eſſent Terræ, Caſtra, & Villæ, omneſque uniones, & exemptiones perpetuas per eum conceſſas; Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, vel etiam Capitulis, ac Univerſitatibus quibuſcumque, Teſtibus mihi de viſu hujus Pontificiæ Bullæ, Card. de Luca *de feudis diſc. 5. num. 7.* & Rota *in celebri Sypontina Cathedralis deciſ. 5. num. 7. & 8. par. 13. rec.* repetita *coram Cerro deciſ.* 587. & generaliter hujuſ-
modi feudorum Eccleſiaſticorum conceſſiones tempore 9
ſchiſmatis factas revocavit Concilium Conſtantienſe poſt confirmationem Conſtitutionum Friderici, & Caroli inter Concilia Generalia poſt *ſeſſ.* 45. *& ultimam hujus Synodi*, ut memorat idem Card. de Luca *cit. diſc. 5. num.* 11. ex Bulla Martini V. tenoris, ut ſequitur: *Non ſine admiratione accepimus, quod licèt in Sacro Generali Conſtantienſi Concilio, & eo approbante omnes, & ſingulæ conceſſiones, & infeudationes, de quibuſcumque Caſtris, Villis, Locis, & Terris Romanæ Eccleſiæ, tempore aboliti ſchiſmatis, & eo durante citrà factæ, revocatæ extiterint, & Caſtra, &c. ad jus, & proprietatem ejuſdem Eccleſiæ redacta fuerint.* Proindè idem Martinus V. Sacro approbante Concilio, ut tot gratiis, & privilegiis tempore ſchiſmatis profuſis poneret modum, reſcidit, Primò omnes exemptiones Eccleſiarum, Monaſteriorum, &c. quo-

modoli-

modolibet conceſſas per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes tempore ſchiſmatis. Secundò Uniones pariter, ac incorporationes ab obitu Gregorii XI. factas, cum certa regula dari non poſſit, ad querelas eorum, quorum intereſt, ſi non rationibus, & veris cauſis eæ factæ fuerint, licèt Apoſtolicæ Sedis auctoritas intervenerit, ut ipſe ait, juſtitia mediante revocabimus. Tertiò omnes tandem diſpenſationes, à quibuſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas quibuſcumque electis, ſeù proviſis ad Eccleſias, ſeu beneficia, quibus certus ordo eſt annexus, ne munus conſecrationis Epiſcopi, ſivè Abbatis benedictionem, aut cæteros debitos ordines ſuſcipiant, præter illas, quæ ſecundùm formam Conſtitutionis Bonifacii VIII. quæ incipit *Cum ex eo de elect. in 6.* factæ ſunt, revocat, & annullat, ut in *ſeſſ. 43. Concil. Conſtan. in tit. de exempt. tit. de union. & tit. de diſpenſat.* de qua revocatione mentionem facit Geminian. *conſ.* 35. Rota *in deciſ. 612. num. 4. coram Seraphin. & in deciſ. 509. coram Ludoviſ. & in deciſ. 452. num. 12. coram Buratt. & deciſ. 5. par. 13. recent. repetita coram Cerro deciſ. 587. & in deciſ. 355. par. 2. recent.* maxima verò animadverſione digna ſunt verba, quibus utitur Martinus in revocatione hujuſmodi privilegiorum conceſſorum *per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes*, ſic enim nullam habendo rationem ad poteſtatem, voluit indiſtinctè revocare exemptiones, ſivè proceſſerint à veris, ſivè non veris Pontificibus, ut magiſtraliter firmat Rota *in deciſ. 355. par. 2. recent. per tot. repetit. coram Ludoviſ. deciſ. 509.* Mos item fuit Martini V. in aliis ab his caſibus particularibus interrogatus circa geſta Pontificum hujus temporis, reſcribere: *Fiat quod obſerventur Privilegia, & alia Conſtitutiones Romanorum Pontificum, qui fuerunt ante ſchiſma, niſi infra tempus ſex menſium pro parte adverſa, fuerit rationabiliter oſtenſum, quod aliter nunc fieri debeat*, ut ex *Regeſt. Vatican. Supplic. Apoſtolic.* Martini V. *lib. 6. pag.* 199. circa Statum Eccleſiarum Sypontis, & Montis Gargani, teſtantur Rota *in ſæpedicta deciſ. 5. num. 10. & 11. par. 5. rec.* Card. de Luca *de praeminen. diſc. 2. num. 20. & de feudis diſcur. 5. num. 6.*

10 Tandem ad diſſertationis complementum congruit quærere, an ſaltem legitima præſcriptione firmari poſſint exemptiones, & uniones, aliique actus tempore hujus ſchiſmatis conceſſi, & à Martino V. & Bonifacio IX. revocati. Et quamvis Card. de Luca *diſc. 2. num. 22. de praemin.* firmet magni faciendum eſſe in caſu de obſervantia, & uſu; nam quemadmodum non uſus eſt aptus tollere vim gratiæ, ſeu privilegiis, ut latè ſcribunt DD, in *leg. 1. ff. de Nundinis*, & alii communiter ab ipſo citati, ita nil prohibet, quod non uſus tollat vim revocationis, ut ita firmum remaneat privilegium; attamen in eadem cauſa, in qua ſcribebat Card. de Luca, Rota diſſertè firmavit, quod neque per immemorabilem, aliamque quamcumque præſcriptionem convalidari prædicti actus valeant, optimis innixa juris principiis, quod ex memoratis revocationibus utique reſultet mala fides in præſcribere volentibus, ut latè juribus adductis firmavit in *deciſ. 5. num. 23. par. 13. rec. repetit. coram Cerro deciſ.* 587. At circa Uniones, cùm Martinus V. ſanciverit, quod ad petitionem eorum, quorum intereſt revocabuntur, juſtitia mediante, niſi rationabilibus ex cauſis fuerint factæ, non idem jus ſtatuendum videtur, dum pro ſe hujuſmodi Uniones, & incorporationes habentes remanſerint abſque ulla partis moleſtia in pacifica poſſeſſione, cùm veroſimiliter potuerint credere, prædicta privilegia ſuis legitimis niti cauſis, ut firmat Rota *in deciſ. 295. nu. 21. verſus finem coram Coccino.*

CONSTITUTIO I.

MARTINI V.

Incipiens (*Inter cunctas.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS EPISCOPUS ARCHIEPISCOPIS, Epiſcopis, ac Inquiſitoribus Hæreticæ pravitatis.

DAmnat errores Joannis Vvicleffi de Anglia, Joannis Hus de Bohæmia, Hieronymi de Praga, Petri Deſdrenſis, Jacomelli Miſnenſis, aliorumque, in confirmationem damnationis factæ in Concilio Conſtantienſi.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Martini V. ad Pontificatum electio refertur.*
2 *Ejus natales, præclaræ virtutes, ac munia ante Pontificatum geſta.*
3 *Ejuſdem eximia geſta in Pontificatu, & obitus.*
4 *In hac Conſtitutione damnat plures hæreticos.*
5 *Joannes Vviclef qualiter in hæreſim inciderit, ejuſque natales, & obitus.*
6 *Ex ea occaſionem habuit hæreſis Joannis Hus, & Hieronymi Pragenſis.*
7 *Itemque hæreſis Petri Deſdrenſis quoad communionem ſub utraque ſpecie.*
8 *Proponuntur tractanda in præſenti Commentario.*

ROmani Pontificis Martini V. in Concilio Oecu- 1
menico Conſtantienſi electio, ſingularis quidem extitit circa formam, ut retuli in ſuperiori Commentario, quia ultra Cardinales ſuffragia dederunt ſex ex quacumque natione in Concilio coadunata, uti Vocales Eccleſiaſtici, Epiſcopi ſcilicet, vel Abbates ſæculares, & Regulares à ſingulis nationibus ad tantum munus electi; hinc meritò talis, tantuſque Pontifex ſpeciali encomio dignus eſt, qui totius Orbis Chriſtiani plauſu fuit comprobatus; & verè ſi natales
reſpiciantur, nobiliſſimi fuere; nam Otho Columna 2
ipſe erat ex nobiliſſima Romana ſtirpe Columna eximia, in Italia, & in Europa cognita, progenitus, natus in Urbe anno 1368. ſi virtutes explicentur, ſatis eum hiſtorici innuunt in jure Pontificio verſatum fuiſſe; primùmque ab Urbano VI. Referendarius deſignatus fuit, deindè Cardinalis Diaconus ab Innocentio VII. creatus; Ita ſemper juſtitiæ adhæſit, ut ideò Romanus Pontifex renunciatus extiterit in Concilio tot Nationibus inter ſe diſſitis compoſito; quia nulli factioni, vel contentire omninò, vel connivere viſus fuit, unde in primo ſermone in Concilio ab eo habito uti Papa, aſſumpſit thema ex verbis Scripturæ: *Diligite juſtitiam, qui judicatis Terram*, ut notat *Ciaccon. in ejus vita*; Benignus fuit,
ac miſericors. Statimac enim electus miſit Legatos, 3
ut reduceretur Benedictus XIII. ſed cùm durus perſiſteret, Cardinales ejus obedientiæ ad Martinum recurrerunt, totaque Chriſtiana Reſpublica ipſi ſe ſubjecit. Conſecratus extitit Epiſcopus, promotus priùs à Cardinali Epiſcopo Hoſtienſi in Presbyterum, ac deinde coronatus, aſſumpto nomine Martini, qui fuit III. ita verè nominandus, cùm duo fuerint ante ipſum Marini, non Martini, ſed dictus V. publicaque lætitia acceptus, Imperatore Sigiſmundo præſente,

ſente, ac tota multitudine ex omni natione confluente; Romam petere voluit, Florentiæ Joannem XXIII. recepit ad obedientiam, ac Cardinalis titulo eum decoravit, atque Epiſcopi Tuſculani. Florentinam Eccleſiam in Metropolim erexit; Oratores recepit Imperatoris Conſtantinopolitani pro unione ab eo petita ejus Eccleſiæ Græcæ cum Latina, Baſilicas plures exornavit, aliaque præclara opera geſſit, ac Jubilæum Ann. 1425. ſolemniter celebravit, & poſt 13. annos Pontificatus menſes 3. die 10. obiit Anno 1431. die 20. Februarii, ac in Lateranenſi Baſilica adeſt uſque adhuc monumentum cum ejus corpore ex Ære ſatis magnificè conſtructum. Inter alia præclara, quæ de tanto Pontifice recenſentur, id eſt, quod continet præſens Conſtitutio ab eo edita Conſtantiæ 8. Kalendas Martii Anno 1418. anno ejus Pontificatus primo; in illa enim Martinus damnavit errores in eodem Conſtantienſi Synodo jam damnatas, publicataque hac Bulla in eodem Concilio, Joannis nempe Vvicleſi de Anglia, Joannis Hus de Bohemia, Petri Deſdrenſis, & Hieronymi de Praga, aliorumque, ac formam præſcripſit examinandi hæreticos ſuſpectoſque de hæreſi. Hinc in Commentario de præfatis hæreſibus condemnatis dicam, nam quoad hæreticos, & ſuſpectos de hæreſi jam aliàs dixi, in præcedenti Tomo.

5 Vvicleſiana hæreſis Anno 1375. in Anglia erupit, auctore Joanne Vvcleſo natione Anglo, moribus ſuperbo, & ambitioſo; qui ex præſcripto Simonis Iſtepi Archiepiſcopi Canthavienſis, à præfectura Collegii Oxonii excluſus; deindè ab Epiſcopatu Vvicorinienſi à Summo Pontifice repulſus, hæreſim ſuam ſuſcitavit, contra Deum, Chriſtum, Sacramenta, Eccleſiam, & Cleri dotationem: Cui Gregorii XI. obitus, & ſchiſma ſubſequutum viam aperuit; & Novatoris quædam vitæ ſeverioris ſpecies, quippè nudis pedibus Vvicleſſiſtæ incedebant, auctoritatem conciliavit. Obiit verò impius Hæreticus in Diœceſi Licolnienſi die 31. Decembris, paraliſi correptus anno 1384. cum Sanctorum Thomæ Canthavienſis, & Silveſtri glorioſa nomina, ſatirica oratione proſcindere, panegirici loco decreviſſet, Joann. Cochleus *lib.* 11. *Hiſt.* Nicolaus Harpsferdius *in hiſt. cap.* 1. Joann. LuKe apud Natal. de Alexand *ſæcul.* 13. *art.* 22. Berninus *hiſtor. hæreſ. tom.* 3. *ad fin. ſæcul.* 14. Ducentos ſexaginta errores ex operibus Vvicleffi colligunt aliqui, alii tres ſupra trecentos, octingentos Thomas Vvaldenſis: Conſtantienſis verò Synodus quadraginta quinque præcipuos recenſet, quos præſenti Bulla promulgata in eodem Concilio *ſeſſ.* 45. Martinus iterùm damnavit, Vvaldenſis *in Doctrinal. tom.* 1. Joannes Jordan. & Bromealdus apud Natal. *loc. cit.*

6 Ex Joannis Vvicleſi libris peſtilentiſſimis Huſſiticæ hæreſis Pragæ orta eſt, auctore altero Joanne Preſbytero ex Villa Hus, ex qua cognomentum accepit. Hic cum peregrinas opiniones amaret, avidè Vvicleſianam doctrinam auxit, noviſque Dogmatibus Romanam Eccleſiam Schiſmatis tempore vexare cœpit; multa enim ex libris Vvicleſi in medium attulit, aſſerens in eis omnem veritatem contineri. Huſſum Clerici plerique ſequebantur, inter quos eminebat Hieronymus Pragenſis, cum quo triginta præcipuos errores propugnavit, ut conſtat ex Concilio Conſtantienſi, & præſenti Conſtitutione, ubi per extenſum referuntur, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis injungitur, ut hæreticos, eorumque fautores, & Defenſores, ex præſcripta judiciorum forma coercerent; eorumque mentem, circa Fidei Catholicæ dogmata damnatis articulis appoſita explorarent, ſecundùm ſubjectam formulam in triginta quinque capita diſtinctam. Alter Huſſi Diſcipulus fuit Petrus
7 Deſdrenſis in Boemia, qui cùm in eum locum Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, incidiſſet, eumque interpretari aliter non poſſet, niſi dicendo, præcipi à Chriſto utramque ſpeciem: re cum Jacomello Miſnenſi, altero Huſſi diſcipulo, Pragæ concionante, communicata, ambo ſibi perſuaſerunt, ſine communione ſub utraque ſpecie, neminem poſſe ſalvari; idque cæperunt docere ſuos Auditores, quibus mirificè placuit, Æneas Sylvius *in Hiſtor. Boem. cap.* 45. Macedo *controv.* 5. *cap.* 1. Vaſquez *diſp.* 216. *cap.* 1. *numer.* 2. quem Deſdrenſis errorem damnavit Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 13. & in formula hujus Bullæ Inquiſitoribus præſcripta *num.* 18. *Item, utrum credat, quod conſuetudo communicandi perſonas Laicales ſub ſpecie panis tantùm ab Eccleſia univerſali obſervata, & per Sacrum Concilium Conſtantiæ approbata, ſit ſervanda, ſic quod non liceat eam reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppoſitum præmiſſorum, tamquam hæretici, vel ſapientes hæreſim, ſint arcendi, & puniendi.*

Omnes hujuſcemodi hæreſes refellere, non aggre- 8
dior, quippè permulta confutatione non indigent, ſed irriſione; aliquæ in præcedentibus commentariis, quatenùs ab antiquioribus hæreticis aſſertæ, ſparſim, & pro data occaſione rejectæ ſunt; aliæ verò in ſubſequentibus commodiùs, & opportuniùs refutabuntur. Hic ſolùm, ut more noſtro, Controverſiſtis etiam ſatisfaciamus, tria in diſtinctas ſectiones dabimus. I. Contra ſeptimam Vvicleffi propoſitionem, neceſſitatem, utilitatemque Confeſſionis Sacramentalis oſtendemus. II. Contra ſeriem Articulorum Joannis Hus, docebimus veram formam conſtitutivam Eccleſiæ. III. Contra Petrum Deſdrenſem, & Jacomellum Miſnenſem, licitam eſſe Communionem ſub una tantùm ſpecie comprobabimus.

SECTIO I.

De Confeſſionis Exterioris, quæ Sacerdoti fit, ad ſalutem neceſſitate.

SUMMARIUM.

1 *Hæretici referuntur, qui neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis excluſerunt.*
2 *Confeſſio Sacramentalis quatenus eliciatur ex figuris Teſtamenti veteris.*
3 *Eam ex Inſtitutione Divina eſſe comprobatur ex verbis Evangelii.*
4 *Itemque ex pluribus SS. Patrum teſtimoniis, ante Innocentii III. tempora.*
5 *Similiter ex diffinitione Summorum Pontificum, & Conciliorum.*
6 *Concilium Florentinum diffinivit, Confeſſionem eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ.*
7 *Affertur factum Nectarii, ex quo hæretici neceſſitatem Confeſſionis excludunt.*
8 *Factum Nectarii comprobare viſus eſt S. Joannes Chriſoſtomus.*
9 *Nectarii factum dilucidatur, & oſtenditur non ſuffragari contrariæ ſententiæ.*
10 *Vindicatur à contrariâ ſententia S. Joannes Chriſoſtomus.*

SAcramentum Pœnitentiæ, quatenùs importat con- 1
tritionem, doloremque de peccatis, eſſe ad ſalutem neceſſarium, in præſenti ſupponimus: De confeſſione, quæ eſt altera pars, controvertitur: Nam Maſſiliani primùm, negarunt illius neceſſitatem, ut teſtatur Damaſcenus, *lib. de hæreſibus*. Deindè Jacobitæ, apud Guidonem *in lib. hæretic.* Poſtmodùm Joannes Vvicleffus, impudentiſſimè docuit, eam eſſe ſuperfluam, inutilem, & ex ſola introductione Papali introductam eſt; ut Thomas Vvaldenſis refert *lib. de Sacrament. cap.* 135. & in præſenti Bulla, inter illius errores, in ſeptimo aſſeritur: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua, & inutilis*. Vvicleffum, Eraſmus, & B. Rhenanus ſequuti ſunt, apud Bellarmin. *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 1. aſſerentes, Confeſſionem ſecretam ſingulorum peccatorum, non quidem non eſſe jure divino inſtitutam,

ſed

Digitized by Google

ſed neque in uſu antiquæ Eccleſiæ fuiſſe. His dederunt manus Lutherani, & Calviniſtæ, inter quos Joannes Dallæus, qui uſum Confeſſionis Sacramentalis, quatuor integris libris impreſſis anno 1661. contendit, novitiam eſſe diſciplinam, & ab Innocentio III. primò inſtitutam. His præceſſit Petrus Oſmenſis, qui in univerſitate Salmaricenſi auſus eſt defendere, Confeſſionem non eſſe de jure Divino, ſed tantùm ex univerſalis Eccleſiæ ſtatuto: quem errorem tenet Gloſſa *in princip. diſt. 5. de pœnit. & in cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſ.* Dubitat etiam ibi Panormitanus de hoc, ſed magis inclinat in eandem ſententiam: Pro eadem affertur S. Bonaventur. *in 4. diſt. 17. par. 2. art. 1. qu. 3.* quem alii tamen excuſant. Martinus verò Lutherus aſſeruit, non neceſſe eſſe omnia peccata mortalia confiteri, ſic in *articulo* 9. inter damnatos à Leone X. *Nullo modo præſumas confiteri omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas.*

2 Contra quos omnes, divina Inſtitutio, neceſſitas, & uſus Confeſſionis Sacramentalis (quam auricularem, alii clanculariam vocant,) ex Scripturis, Patribus, & Conciliis clariſſimè deducenda eſt, ut hoc pacto evidens fiat, non humanæ alicujus inſtitutionis, ſed planè divini juris eſſe præceptum, de confitendis Sacerdoti peccatis. Et quidem Bellarminus multa cognovit argumenta ex figuris, tum veteris, tum novi Teſtamenti: Nimirùm ex confeſſione peccati, quam ab Adamo, & Eva, & Caino Deus deſideravit, *Geneſ.* 3. & 4. Ex manifeſtatione lepræ, apud Sacerdotes leviticos. *Levit.* 13. & 14. Ex moſayca veterum Iſraelitarum confeſſione, vel pœnitentiæ profeſſione, cum ſacrificiis conjuncta, *Numer.* 5. & *Levit.* 5. Ex confeſſione, quam olim apud Joannem baptizandi faciebant, *Matth.* 3. & *Marci* 1. Thomas etiam Vualdenſis *cap.* 139. & 143. dicit, Chriſtum non dediſſe novum præceptum, ſed antiquam conſuetudinem roboraſſe, & refert ex quodam Judæo ſe didiciſſe, conſuetam fuiſſe apud illos Confeſſionem in adulterio, homicidio, & blaſphemia Dei occultis, & peculiarem pœnitentiam pro hoc imponi ſolitam. Cyprianus quoque ex Confeſſione trium puerorum in camino ignis. Lactantius ex præcepto Circumciſionis. Auguſtinus ex Confeſſione Job. Ambroſius ex Confeſſione omnium iniquitatum populi, quæ debebat fieri à Sacerdote ſuper hyrcum emiſſarium, probant Sacramentalem Confeſſionem. Sed hæc omnia facilè explicabunt hæretici, aut de Confeſſione, quæ Deo fit in corde, aut de Confeſſione, quæ fit Judicibus in judicio, vel aliter, ut benè advertit Vega *lib.* 13. *cap.* 28. qui umbras quidem, & figuras nonnullas, ac præludia aliqua noſtræ Confeſſionis præceſſiſſe Paſſionem Domini non ambigit; ſed antè datas hominibus claves ligandi, & ſolvendi, numquam indictum eſſe, neque conſultum, neque receptum fuiſſe ritum auricularis confeſſionis, quem nunc obſervari ſcimus ab univerſa Eccleſia, cum Scoto *in* 4. *diſt.* 17. & cæteris Scolaſticis pro certo habet. Sancti Patres ergo nequaquam in antiquis figuris noſtram confeſſionem fundabant, quaſi crediderint, antè novam Legem Deum illam inſtituiſſe, vel præcepiſſe; ſed utebantur illis, quoniam neceſſe eſt in nova lege implenda eſſe, quæ ſub nube, & figura in veteri lege præceſſerant: Inſerviunt etiam illa teſtimonia, & figuræ, ut amabilem, & caram Deo confeſſionem peccatorum oſtendant, quam tanto ante tempore, tam multis involucris, & delineamentis nobis ille commendavit.

3 Ut ergo Inſtitutionem divinam, & præceptum noſtræ Confeſſionis probemus, ſolùm illis teſtimoniis utimur, quæ apertiſſimè rem evincunt. Et primò quidem illud ex *cap.* 20. *Joannis*, efficaciſſimum eſt, cui nullus refragari poteſt: Dominus enim Jeſus ait: *Sicut miſit me Pater, Ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, Apoſtolos, ejuſque Succeſſores, conſtitutos fuiſſe à Chriſto Judices peccatorum, ut in *cap. Firmiter de Summa Trinitate* definitur. Ex hac autem Inſtitutione, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, eamque omnibus poſt Baptiſmum lapſis, jure divino neceſſariam exiſtere, ut Patres Tridentini loquuntur *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Et meritò quidem: Nam non poſſunt Judices conſtituti à Chriſto, judicare de peccatis, niſi ea cognoſcant: Hoc enim lumine naturali manifeſtum eſt; niſi enim innoteſcant delicta judicanti, ignorare neceſſe eſt, utrum ſolvere debeat, an ligare, remittere, an retinere: Quare ſivè abſolvat, ſivè retineat, utraque ſententia erit imprudens: Cùm igitur Chriſtus non inſtituerit judicium abſurdum, & imprudentia plenum, certè inſtituendo Judices, pariter inſtituit, ut delictorum haberent cognitionem, ne turpiter in judiciis aberrarent. Remittere igitur Sacerdotes peccata non poſſunt, niſi cognoſcant: Cognoſcere autem nequeunt, niſi peccatores confiteantur, aut ab aliis prodita non negent; ergo confeſſio, etiam occultarum culparum, ex divina inſtitutione eſt ad ſalutem neceſſaria. Qui enim inſtituit finem neceſſarium, media etiam inſtituit, quæ eſſent ad eumdem finem neceſſaria, niſi Legiſlatorem velimus in neceſſariis defeciſſe. His ergo Scripturæ verbis evidenter evicimus, divinam Confeſſionis Inſtitutionem: Ex quibus etiam deducitur neceſſitas: Nam conſtituit Chriſtus Apoſtolos Judices, ſuper omnes Chriſtianos peccatores, & non quidem voluntarios, ut Arbitros, ſed neceſſarios: *Quorum remiſeritis*, inquit, *remittuntur eis*: Cum enim ſolus Deus habebat hanc poteſtatem; & ſibi uni hoc reſervaverat, ut dimitteret peccata, ad eum ſolum tenebantur peccatores recurrere; At nunc, cùm Deus tantam prærogativam Sacerdotibus impartiverit, ut non ſolùm remiſſa ſint, quæ ipſi remittunt, ſed retenta etiam, quæ ipſi retinuerint: neceſſe eſt profectò dicere, eadem confeſſione obligatos eſſe peccatores omnes fideles, ad occurrendum jam non ſolùm ad Deum, ſed ad ipſos Sacerdotes. Corruit ergo id, quòd multi etiam ex Catholicis, contra neceſſitatem Confeſſionis de jure Divino, opponebant ex Hugone de S. Victore expreſsè dicente de Chriſto: *Medicis dixit, ut curarent; ſed infirmis non dixit, ut ad Medicos venirent.* Corruit, inquam; nam quilibet peccator à gratia baptiſmali collapſus, facere tenetur, ne ſua à Deo retineantur peccata: Debet enim quiſque pro ſua parte ſatagere, ut in Dei gratiam redeat. Porrò peccata tandiu retinentur à Deo, quamdiu retinentur à Sacerdotibus, ait enim. *Et quorum retinueritis retenta ſunt*: Sacerdotes verò, neque retinere queunt aliter peccata, quàm non remittendo, neque abſolvere quemquam poſſunt ab eis, niſi illa ſibi manifeſtentur. Quoniam, ut Sapiens ait *Prov.* 11. *Qui judicat quod novit, Judex juſtitiæ eſt*. Si igitur, qui poſt baptiſmum peccarunt letaliter, tenentur facere, ne retineantur ſua peccata à Sacerdotibus, tenebuntur utique, & ea illis manifeſtare, cùm ſententia ferri non valeat in incognitum.

Poſt Scripturam Sacram, pleniſſima ſunt SS. Patrum ſcripta, ſuis ſententiis confirmantibus uſum, & neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis, quæ per extenſum legi poſſunt apud Bellarminum *loc. cit.* Natalem de Alexand. *ſec.* 14. *diſſert.* 14. *contra Dallæum*, & *Eſtium lib.* 4. *ſent. diſt.* 17. §. 6. Referam pauca, clariora, & SS. Patrum, qui Concilium Lateranenſe, & Innocentium III. præceſſerunt, ut ex iis facilè intelligatur, & uſum ejus in Eccleſia eſſe antiquiſſimum, utporè ab Apoſtolis acceptum, & neceſſitatem ejus, ad conſequendam peccatorum abſolutionem, ſemper agnitam fuiſſe. Clemens igitur Petri Diſcipulus, in *Epiſt.* 1. *ad Jacobum* de confeſſione ſcribit: *Quod ſi in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum, latentèr irrepſerit; non erubeſcat hæc, confiteri ei, qui præeſt, ut ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur*; & de S. 4

Petro.

Petro loquens: *Docebat*, inquit, *cogitationes malas mox ad Chriſtum allidere, & Sacerdotibus Dei manifeſtare*. Dionyſius etiam, Pauli Diſcipulus in *Ep. ad Demophilum*, hunc redarguit, quod procidentem Sacerdoti peccatorem, contra ordinem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, calce repuliſſet: *Cùm ille*, inquit, *verecundè fateretur, ſe ad peccatorum quærenda remedia veniſſe*. Tertullianus autem *lib. de pœnit.* affirmat: *Exomologeſin, quâ delicta noſtra confitemur, à pœnitentibus in Eccleſia frequentari*, & *cap.* 10. de ejus uſu, rituque differens, redarguit eos, quos ab occultorum peccatorum confeſſione, pudor abſterrebat, quos proindè vocat: *puderis magis memores, quàm ſalutis*. *Origenes* item *hom.* 2. *in Pſalm.* 38. *Vide*, inquit, *quid nos docet Scriptura Divina, quia oportet peccatum non celare interinſecus*, & *homil.* 17. *Si revelaverimus peccata noſtra, non ſolum Deo, ſed & his, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis, delebuntur peccata noſtra*. Et *hom.* 2. *in Levit.* agens de ſeptem modis, quibus ex Divinæ Scripturæ præſcripto, remittuntur peccata: *Eſt*, inquit, *adhuc & ſeptima, licèt dura, & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum; cùm lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & cum non erubeſcit, Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundùm eum, qui ait: Dixi pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*. Similia habet S. Cyprianus *ſerm. de Lapſis*, & *lib.* 3. *ep.* 14. Lectantius *lib.* 4. *Divin. Inſtit. cap.* 17. Baſilius *quæſt.* 110. & *in Pſalm.* 32. & *in Regul. brevioribus cap.* 288. Ambroſius *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 6. Hieronym. *in cap.* 16. *Matth.* & *in cap.* 10. *Eccleſiaſtæ*, Auguſtinus *homilia* 49. *cap.* 3. *tract.* 49. *in Joan. Enchir.* 56. *in Pſalm.* 66. *homil.* 27. & *lib. de vera, & falſa pœnit. cap.* 10. & 20. Quibus gravioribus, & antiquiſſimis Auctoribus, facilè cæteri omnes ſubſcripſerunt. Igitur conſueviſſe in Eccleſia ante Innocentium III. fieri confeſſionem omnium gravium peccatorum, tamquam præceptam, clariſſima, nec pauca antiquitatis monumenta conteſtantur: Mentitur ergo, impudentiſſimè Calvinus *lib.* 3. *inſtit. cap.* 4. §. 7. & cum eo Dallæus, aliique, qui ex noſtris annalibus probare contendunt, *nullam de confeſſione ſtatam fuiſſe legem, & conſtitutionem, ante Innocentii III. tempora*.

5 Meritò igitur Martinus V. in hac Bulla condemnationis Articulorum Vvicleſi ait: *Interrogandum eſſe, qui de iſtorum hæreſi fuerit ſuſpectus, utrum credat, quod Chriſtianus, ultrà contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti de neceſſitate ſalutis, confiteri teneatur*. Idipſum manifeſtè determinatum fuit in Concilio Complutenſi, & in *Extravag. Sixti IV.* contra Petrum Oxonienſem: Nam poſt primam propoſitionem damnatam, hoc eſt: *Peccata mortalia deleri per ſolam cordis contritionem, ſine ordine ad claves*, damnatur ſecunda in hanc formam: *Confeſſio de peccatis in ſpecie, fuit ex aliquo ſtatuto, univerſalis Eccleſiæ, non de jure Divino*. Deindè damnatur tertia in hæc verba: *Pravæ cogitationes confiteri non debent, ſed ſola diſplicentia delentur, ſine ordine ad claves*. Prætereà in Concilio Florentino definitum eſt, materiam hujus Sacramenti præci-
6 puam eſſe Confeſſionem. Meritòque tandem Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. concludit: *Unde cùm à Sanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus, magno unanimique conſenſu, ſecreta confeſſio ſacramentalis, quâ ab initio Eccleſia Sancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à mandato Divino alienam, & inventum humanum eſſe, atque à Patribus, in Concilio Lateranenſi congregatis, initium habuiſſe, docere non verentur: Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confiterentur, quod jure Divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Verùm de confeſſione, ſi verbum nullum, neque nominatim, neque in figura legeretur; neque quicquam à SS. Patribus, & Conciliis diceretur; tamen* (inquit in *aſſertion. ſeptem Sacram. contra Lutherum Henricus Octavus*) *cùm videam totum populum, tot ſæculis peccata ſua patefacere Sacerdotibus; cùm ex ea re, tam aſſiduè videam tantum boni proventum, tam nihil natum mali, aliud neque credere, neque cogitare poſſum, quàm eam rem, non humano conſilio, ſed Divino planè mandato, & conſtitutam eſſe, & conſervatam. Neque enim ulla humana auctoritate, populus unquam potuiſſet adduci, ut occultiſſima ſcelera, quorum tacitam conſcientiam, horrebant, ne prodirent in lucem, tanti referebat ipſorum, in alienas aures* (*qui poſſet, cùm vellet prodere*) *tanto cum pudore, tanto cum periculo, tam incunctanter effunderent. Neque fieri potuiſſe, cum tam numeroſi Presbyteri boni, malique promiſcuè confeſſiones audiant, ut audita continerent, etiam hi, qui aliàs nihil continent, niſi Deus ipſe, qui Sacramentum inſtituit, rem tam ſalubrem ſpeciali gratia defenderet. Mihi ergo, quidquid ait Lutherus, non ex antiqua populi conſuetudine, neque inſtitutione Patrum, ſed ab ipſo Deo videtur inſtituta, & præſervata confeſſio*.

Contra ſuperiorem doctrinam, multa ab Hæreticis 7
argumenta congeruntur, quæ ferè referunt, atque refellunt Bellarminus, *Natalis Alexander*, *Eſtius loc. cit.* & *Francolinus de diſciplin. pœnit. lib.* 2. *cap.* 3. Duo hìc præcipua, ex notorio facto Nectarii, & Chryſoſtomi auctoritate deſumpta, diſſolvenda putavi. Igitur confeſſionem non eſſe juris Divini probant, quia Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Chryſoſtomi Anteceſſor, abrogavit confeſſionem, quæ Sacerdotibus fit, ut Socrates *hiſtoriæ ſuæ lib.* 5. *cap.* 19. Sozomenus *lib.* 9. *cap.* 35. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 28. referunt; Non autem Vir Sanctus abrogaret, ſi Sacramentum confeſſionis eſſet ex Divina inſtitutione. Hinc Chryſoſtomus, qui Nectario proximus ſucceſſit,
factum ejus de ſublato pœnitentiario, & onere con- 8
feſſionis aliquot locis approbare, & commendare videtur, ſignificans eam confeſſionem, quæ ſoli Deo fit, ſufficere: Unde *Homil.* 2. *in Pſalm.* 50. inquit: *Peccata tua quotidie dicito, ut deleas illa; ſed ſi confunderis alicui dicere, dicito ea quotidiè in anima tua. Non dico, ut confitearis ea conſervo tuo, qui tibi exprobret, dicito ea Deo, qui curat ea*. Et *hom.* 31. *in Epiſt. ad Hebr. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Deo viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum Judicem, cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria; & tunc demum ſpera te miſericordiam poſſe conſequi*. Idem in *hom.* 20. *in Geneſ.* refertùrque à Gratiano *de pœnit. diſt.* 1. *can. quis aliquando*. Et à *Magiſtro ſent. in* 4. *diſt.* 17. Igitur confeſſio auricularis non eſt ex inſtitutione Divina.

Sunt qui reſpondent, Nectarii hiſtoriam totam ef- 9
ſe confictam, aut ſaltem eam partem, quâ ea libera permiſſio communicandi facta cuique continetur, ut refert Vaſquez *de pœnit. quæſt.* 91. *art.* 1. *diſt.* 3. Sed fuerit verum, quod dicitur à Nectario factum, nempè ſublata obligatio confitendi ante communionem, infero: Ergo erat antea in Eccleſia Græca uſus, & præceptum confitendi ante communionem; non fuit ergo, ut Calvinus blaterat, inſtituta confeſſio ab Innocentio III. Deindè ſit à Nectario ſublata confeſſio; quid aliud evincit, quàm erraſſe Nectarium, & cum eo per aliquot annos, Eccleſiam Græcam, quod utique potiùs credendum eſt, quàm erraſſe per tot ſæcula Eccleſiam univerſam Latinam, & Græcam, quæ ante, & poſt Nectarium confeſſionem omnium peccatorum, tamquam omninò perſpectam uſurpavit, & uſurpat. Prætereà ipſimet hiſtorici, factum Nectarii improbant, judicantes id fuiſſe contrarium diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quod ita ſimpliciter Presbyterum illum pœnitentiarium ſubſtuliſſet. Cæterùm veriùs videtur, non fuiſſe per Nectarium ſublatam confeſſionem ſecretam, ſed quemdam morem Eccleſiaſticum, condi-

tum

rum occaſione hæreſis Novatianæ, quo pœnitentiarius Sacerdos; ad crimina publica, & graviora excipienda deſignatus, diſcernebat aliqua, pro quibus publica pœnitentia ageretur, ut Eccleſiæ ſatisfieret ante communionem; qua ex re, cùm propter patefactum hac ratione ſtuprum Diaconi cum quadam Matrona, grave ſcandalum in Eccleſia Conſtantinopolitana fuiſſet exortum; Nectarius morem illum prorſus ſubſtulit, & reliquit ſingulos ſuæ conſcientiæ, ut poſt confeſſionem ſecretam poſſent communicare, quamvis Eccleſiæ per publicam pœnitentiam non ſatisfeciſſent, Vaſquez *ubi ſupra dub.* 3. Card. de Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 1. *Eſtius in* 4. *diſt.* 17. §. 7. *ad* 5. Francolinus *lib.* 2. *cap.* 5.

10 Quod autem attinet ad S. Joannem Chryſoſtomum, ſunt qui afferant, Chryſoſtomum erraſſe cum reliquis Orientalibus Epiſcopis, qui Decreto Nectarii adhæſiſſe dicuntur. Sed hoc ſine injuria earum Eccleſiarum dici non poteſt, propterea Bellarmin. *cap.* 4. hanc ſolutionem non approbat. Et re vera, cum ex una parte Chryſoſtomus multis in locis, doceat neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis: Nam *hom.* 1. *in Pſalm.* 50. monet, ut ſtatim currat peccator ad *exemologeſin*, quo nomine certè ſignificatur confeſſio facta homini, ſeù curatio pœnitentis, & expiatio delicti per rei confeſſionem, & ſatisfactionem, ut conſtat ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque. Et *hom.* 3. *ad populum Antioch.* ſumpto exemplo à Medicis, & Ægrotis: *Ita tu quoque fac*, inquit, *Sacerdoti vulnus manifeſta*. Et *hom.* 30. *in Gen.* præceptum confitendi inſinuat: *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maximè, & jejuniis curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura confeſſio peccatorum:* Quibus verbis, ſic abſolutè uſurpatis certè ſignificatur confeſſio, quæ fit homini. Et clarius *homil.* 3. *in Matth. Confeſſio*, inquit, *peccatorum, teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri; qui autem erubeſcit, non timet*. Ruborem enim commovet ſola confeſſio delicti, quæ fit homini; dum ergo dicit, eum qui erubeſcit confiteri peccata, & ex rubore non confitetur, non timere judicium Dei, innuit hanc etiam occultorum confeſſionem eſſe præceptam; ſi enim præcepta non eſſet, eam ex pudore omittere, non eſſet argumentum animi non timentis Deum. Igitur ne dicamus, tantum Eccleſiæ Doctorem pugnantia docuiſſe, omnemque prorſus confeſſionem, quæ Paſtori fiat, repudiaſſe, allatos textus in contrarium, explicare debemus, ut nimirùm ibi tantùm doceat, non eſſe neceſſariam *publicam* confeſſionem *latentium* delictorum. Non enim dixit: Non tibi dico ut Sacerdoti peccatum tuum detegas; ſed dicit: *Non ut te prodas in publicum, neque ut apud alios accuſes*. Cùm verò addit: Satis eſſe confiteri ſoli Deo, non eſſe neceſſarium confiteri lingua, tunc quidem ipſe hortatur populum ad eam confeſſionem, qua quis ſe peccatorem cognoſcit, nec diſſimulat delicta ſua, ſed ea recolit ad ſui humiliationem, quam confeſſionem vult fieri perpetuò. Benè autem monet, ſufficere ut hæc fiat ſoli Deo, cùm non poſſimus ſemper, & aſſiduè nos ipſos accuſare coram hominibus. Propterea notanda ſunt, quæ in *homil. de Publicano ad cap.* 18. *Lucæ* habet: *Admoneo te, ut aſſiduè confitearis, neque enim te ad theatrum duco conſervorum tuorum; & homil.* 2. *ſuper Pſalm. Si confunderis dicere alicui, quia peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua*. Quibus ſanè verbis, non docet neceſſariam numquam eſſe confeſſionem oris, quæ fit homini; alioquin contradiceret ſibi, alibi dicenti neceſſariam eſſe aliquando; ſed ſolùm proponit modum confitendi perpetuum, & internum, quem amplecti facilè poſſint ii, qui confunduntur dicere homini peccata ſua, Bellarmin. *loc. cit.* Francolin. *lib.* 2. *cap.* 3. *Eſtius diſt.* 17. *in* 4. §. 7.

S E C T I O II.

De vera Eccleſiæ forma, contra primum errorem Joannis Hus.

S U M M A R I U M.

1 *Eccleſia unde ita dicta, & quatenus differat à Synagoga.*

2 *Eccleſia quotuplex ſit, & quotupliciter ſumatur Eccleſia militans.*

3 *Qui heretici aſſeruerint, Eccleſiam conſtare ex ſolis juſtis, & prædeſtinatis.*

4 *Intra Eccleſiam ſunt omnes fideles, etſi peccatores.*

5 *Idque comprobatur pluribus exemplis ex Sacra Scriptura.*

6 *Idemque aliis argumentis, & auctoritatibus evincitur.*

7 *Ad Eccleſiam pertinent non ſolùm prædeſtinati, ſed etiam reprobi.*

8 *Eccleſia debet eſſe viſibilis, & fidelibus cognita.*

9 *Poteſt fieri de Eccleſia, qui prius non erat; & poteſt deſinere eſſe de Eccleſia, qui priùs in ea erat.*

10 *Materia, & forma Eccleſiæ traditur, & explicatur.*

11 *Eccleſia quatenus poſſit dici ſancta, dum in ſe continet reprobos.*

12 *Quatenùs item dicatur tota pulchra, & ſine macula.*

13 *Quo ſenſu Eccleſia ſit corpus vivum, ac ejus typus dicatur Arca Noe.*

14 *Peccatores, qui ſunt mortui in vita gratiæ, quatenus ſint pars Eccleſiæ, quæ eſt corpus vivum.*

15 *Cathecumeni ſunt in Eccleſia in voto, non autem perfectè.*

16 *Excommunicati ſeparantur ad tempus à communione fidelium, ſed non ſunt extra Eccleſiam.*

17 *Hæretici an, & quatenus ſint intra Eccleſiam.*

18 *Fides, & Baptiſmus requiritur, ut quis ſit intra Eccleſiam.*

19 *Schiſmatici duplicis ſunt generis, & an ipſi ſint intra Eccleſiam.*

Eccleſia, græcum nomen eſt, latinè Convocatio dicitur, eo quod, quicumque in eam conveniunt, non meritis, & juſtitia ſua, ſed ex Dei gratia, & vocatione conveniant: Unde *Paul. ad Rom.* 1. Eccleſiæ Romanæ ſcribens: *Omnibus*, inquit, *qui ſunt Romæ vocatis ſanctis, & 1. ad Cor. Eccleſia Dei*, ait, *quæ eſt Corinthi, vocatis ſanctis*. Diſcrimen eſt equidem inter Synagogam, & Eccleſiam; illa quippe Congregationem ſignificat, iſta convocationem: Congregari autem, & pecora, & bruta ſolent, unde & greges dicimus, non hominum propriè, ſed pecudum, & beſtiarum; convocari autem, niſi homines non ſolent; in tantum Chriſti Eccleſia Synagogam excellit: Et ideò populus antiquæ legis Synagoga appellatur; populus verò legis gratiæ, Eccleſia, quia tempora legis gratiæ, homines ſub illa vocati, magis ſunt ſpirituales, & rationales, quàm tempore legis ſcriptæ: Auguſtinus *in pſal.* 81. Beda *proverb. cap.* 5. ad illa verba, *In media Eccleſia*. 1

Eccleſia autem, alia eſt Triumphans, alia Militans. 2
Triumphans eſt Congregatio ſivè cætus omnium Beatorum, Deum clarè videntium: Militans verò eſt congregatio omnium fidelium Viatorum in Chriſto credentium. Rursùs Eccleſia poteſt etiam ſumi, vel pro ſolis Prælatis, & Paſtoribus, ut cùm *Matth.* 18. dicitur. *Dic Eccleſiæ*. Vel præſertim pro integra congregatione fidelium. Item poteſt ipſa ſumi particulariter pro Eccleſiis particularibus, ut cum vocantur plures Eccleſiæ, quæ ſub diverſis Epiſcopis, vel in diverſis Provinciis degunt; vel univerſaliter pro Eccleſia univerſali. Igitur in præſenti ſolùm eſt nobis ſermo de Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia militante univerſali, nempè ſumpta pro Congregatione omnium Chriſti fidelium, ubique Terrarum degentium. Et difficultas excitanda eſt: Qui nam ſint Fideles illi, à quibus verè, & propriè Eccleſia conſtatur.

3 Cùm enim ex fidelibus Baptizatis, alii ſint Prædeſtinati, & Reprobi; alii Juſti, & Injuſti; alii denique perfecti, & imperfecti: Primum Joannes Hus exiſtimavit, Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare, itaut reprobi exiſtentes in gratia, & Sacramentis communicantes, non ſint de Eccleſia, etiam ſecundùm præſentem juſtitiam: prædeſtinati verò, etiamſi infideles, graviſſimique peccatores, ſemper de ea reputentur, *Unica*, inquit, articulo, inter damnatos, primo, *eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas, &c.* Ex qua nexu neceſſario, illi cohærent aliæ peſtilentiſſimæ propoſitiones, in hac Bulla damnatæ, nimirum 2. 3. 5. 6. 10. 11. 12. 13. 20. 21. 22. 24. 26. 30. Quæ omnes refutatæ erunt, dum prima, quæ cæterarum eſt mater convellitur. Alii, ut Pelagiani, & Donatiſtæ; ſolos Juſtos eſſe de Eccleſia aſſeruerunt, peccatores autem prorsùs excludi. Id autem Novatiani intelligebant de graviſſimis & manifeſtis peccatoribus lapſis in perſecutione: Donatiſtæ verò, & Pelagiani, de omnibus omninò etiam minimis peccatoribus idipſum ſentiebant, Auguſtinus *lib. de hereſibus cap.* 69. *&* 88. Cyprianus *lib.* 4. *Ep.* 2. Hos ſequuti ſunt Begardi, & Beguinæ, & ex lutherana ſecta Anabaptiſtæ, contendentes perfectos puros, & ab omni labe peccati immunes ſolos eſſe vera Eccleſiæ membra. Verùm non eſt animus, quæ adverſum hos errores Bellarmin. *tom.* 2. *de Eccleſ. Pallaneo quæſt.* 5. *de fide*, Suarex *diſp.* 9. Dominico à S. Trinitate *tom.* 3. *lib.* 3. *ſect.* 3: *cap.* 5. aliiſque Catholicis, diſputata ſunt, ea hìc per extenſum reſumere. Summatim ergo argumenta referemus, quibus ſinguli confutantur. Aſſeruerunt item Pſeudo-minoritæ, duplicem eſſe Eccleſiam, carnalem ſcilicet, & ſpiritualem; in hac ſecunda ſe, ſuoſque ſequaces ponentes, quem errorem damnavit Joannes XXII. & nos diximus hoc tomo ad *Conſt.* 3. *ejuſdem ſect. unic. num.* 4. *& ſeqq. pag.* 30.

4 Enim verò, non ſolos Juſtos, ſed & Peccatores fideles, pertinere ad Eccleſiam, certa fide tenendum eſt: Nam Eccleſia Chriſti in Scripturis comparatur Agro, *Matth.* 3. Arcæ, *Matth.* 3. Sagenæ, *Matth.* 13. Convivio Nuptiali, *Matth.* 22. Decem Virginibus, *Matth.* 25. Magnæ domui, 2. *ad Thimot. cap.* 2. Arcæ Noe, 1. *Petri cap.* 3. In agro autem Domini-
5 cæ inter vireta culta, lappæque, & tribuli, & ſteriles dominantur avenæ. In area paleæ, & frumentum. In Reti piſces, & boni concluduntur, & mali. In nuptiali convivio intravit etiam ille, qui miſſus eſt in tenebras exteriores. In Regno item Cœlorum, cum ſapientibus Virginibus fatuæ ſunt: Simile enim, inquit, eſt Regnum Cœlorum decem Virginibus, quarum quinque erant fatuæ, quinque prudentes. Non ait, quinque ſimile eſſe, ſed decem; & tamen quinque ex illis clauſa eſt janua. In magna autem domo vaſa ſunt aurea, lignea, & fictilia: honorata quoque, & inhonorata. In Chriſti familia ſervus nequam invenitur: non ille ſolùm, qui conſervo negavit miſericordiam, ſed is etiam, qui ſuper familiam conſtitutus, cùm moram Domini cauſaretur, cœpit percutere Servos, & Ancillas, edere bibere, & inebriari. In Arca tandem Noè, non munda ſolùm, ſed & immunda animalia adunabantur. Habet igitur Eccleſia carnales ſuos, quos non eſſe ab ſpiritualibus deſerendos, monet Apoſtolus *ad Galat.* 6. Habet ſuos Eccleſia ægrotos, & infirmos, qui medico indigent, & Sacramenta ſunt medicinæ. Denique, qui Eccleſiam Juſtorum ſolùm numero definiunt, eludere Eccleſiæ judicia volunt; & à malis Eccleſiæ Paſtoribus omnem auferentes poteſtatem, efficiunt, ut nulla poſſit Eccleſia habere dogmata firma. Quot verò ſchiſmata in Eccleſia ſuborirentur, ſi hæc opinio reciperetur? Unus ſiquidem, alteri dicere poſſet, tu non es de Eccleſia, quia malus es: Ego verò ſum, quia bonum me exiſtimo. Maneat igitur ſententia firma, Eccleſiam fideles univerſos, probos improboſque complecti. Hinc Auguſt. *tract.* 6. *in Joan. Nos fatemur*, inquit, *in Eccleſia Catholica, & bonos, & malos eſſe; ſed tanquam grana, & paleas.* Et in Pſal. 47. *Nunc populus Dei cenſentur omnes, qui portant Sacramenta ejus; ſed non omnes pertinent ad miſericordiam ejus. Omnes quippe Sacramentum Baptiſmi Chriſti accipientes, Chriſtiani vocantur, ſed non omnes dignè illo Sacramento vivunt.* Et hanc veritatem agnovit etiam inter tenebras *Calvinus* §. 7. ibi: *In hac autem plurimi ſunt permixti hypocritæ, ambitioſi, avari, invidi, maledici.* Et §. 13. *Allegant Eccleſiam Chriſti Sanctam eſſe: Verum ut ſimul intelligant eſſe ex bonis, & malis permixtam. illam ex ore Chriſti parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo piſcium omne genus colliguntur; neque ſeliguntur donec in littore ſint expoſiti.*

Deindè non ſolos perfectos, & puros, ſed & imperfectos eſſe Eccleſiæ membra, Chriſtus oſtendit: Nam docens Apoſtolos orare, qui utique Eccleſiæ membra erant, monuit ut precarentur Deum, ut dimitteret eis debita, *Matth.* 6. ergo imperfecti erant. Petrus Eccleſiæ Columna erat, & tamen ei in faciem Paulus reſtitit, quia reprehenſibilis erat, *Gal.* 2. Non eſt ergo opus, ut Eccleſiæ membra adeò pura ſint, ut nulla in eis macula, nullus nævus reſideat. *Si dixerimus*, inquit, *Joan.* 1. *cap.* 1. *quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Item *cap.* 3. *In multis offendimus omnes.* Item *Proverb.* 20. *Non eſt homo, qui non peccet, & quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, mundus ſum a peccato? Eccl.* 7. cæteraque ſimilia; ſi igitur Eccleſiam in ſingulis etiam ejus membris, omni prorſus labe, & culpa vacare oporteret, nulla profectò in terris eſſet Eccleſia, quoniam nemo uſquam inter mortales eſt, qui omni ex parte perfectus, & immaculatus ſit, videatur de his Auguſtinus *in lib. de perfect. juſtitiæ lib.* 2. *contra Jovin. in Epiſt. ad Creſip. lib.* 1. *&* 2. *adverſus Pelag.* 6

Tandem contra errorem Joannis Hus; non ſolùm fideles prædeſtinatos, ſed & reprobos etiam pertinere ad Eccleſiam, parabolæ eædem Evangelii evincunt, quibus antea uſi ſumus: è quibus hoc idem Cyprian *lib.* 4. *c.* 3. itemque Hieronymus, & Auguſtinus argumentantur: Etenim Eccleſiam eſſe ex prædeſtinatis præſcitiſque permixtam, illa Chriſti parabola demonſtrat, in qua reti comparatur, qua piſces colliguntur, nec ſeliguntur, donec in littore ſint expoſiti. Illa quoque idem oſtendit, in qua Agro dicitur ſimilis, qui bona fruge conſitus, zizaniis inimici fraude inficitur, quibus non expurgatur, donec in aream advecta fuerit meſſis, cùm colligenda zizania ſunt, & alliganda in faſciculos ad comburendum. Item Eccleſia area illa eſt, in qua ſic collectum eſt triticum, ut ſub palea deliteſcat, donec cribro repurgatum, in horreum tandem reconditur: paleæ autem comburuntur igne inextinguibili. Item ad Regnum cœlorum, familiamque ſuam Chriſtus, eum quoque ſervum pertinere docuit, qui quoniam conſervi ſui non eſt miſertus, tortoribus traditus eſt: non ergo in Chriſti familia, quæ Eccleſia eſt, ſoli ſervi prædeſtinati continentur: legendi ſunt de hac re Cyprian. *in ep. ad Maxim.* Hieronym. *in c.* 5. *epiſt. ad Ephſ.* Chryſoſt. *hom. de Baptiſmo*, & Auguſt. *lib.* 1. *de Civit. Dei: Habet*, inquit, *Eccleſia ſecum connexos communione Sacramentorum; ſecum non manſuros in æterna ſorte Sanctorum.* 7

Profectò Divina præſcientia, & prædeſtinatio, cùm ſint nobis omninò occultæ, & inviſibiles, non poſſunt eſſe forma conſtitutiva Eccleſiæ, quæ utique viſibilis eſſe debet: *Vos eſtis*, inquit, *Lux mundi: non poteſt Civitas abſcondi ſupra Montem poſita, nec Lucernam accendunt, & ponunt eam ſub modio.* Item: *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ:* Eccleſiam igitur manifeſtam, & cognitam fidelibus eſſe neceſſarium eſt, ut latè probant 8

Dominic.

Dominic. à S. Trinitate *lib. 3. ſect. 3. cap. 7.* Bellarmin. *de Eccleſ. Militan.* & Giberius à Jeſu *diſput. 2. controv. 6.* Cùm autem univerſi fideles dubitant, an Summus Pontifex, Epiſcopi, Sacerdotes, ac cœteri Eccleſiæ Miniſtri prædeſtinati ſint, necne, dubitent etiam oporteret, num ſint Eccleſiæ membra: Sicque fieret Eccleſiam à Chriſto inviſibilem, & incognoſcibilem conſtitutam fuiſſe. Quid autem ſtultiùs dici poteſt, quàm Civem Civitatis ſuæ Magiſtratus cognoſcere, qui ſint, omninò non poſſe.

Prætereà Prædeſtinati ſemper fuerunt Prædeſtinati,
9 nec poſſunt tranſire ad non eſſe prædeſtinatos. Multi autem fiunt de Eccleſia, qui non erant, & alii deſinunt eſſe de Eccleſia, qui de Eccleſia erant, ut manifeſtis Scripturarum teſtimoniis evincitur: Sic *prima Petri 2. Qui aliquando non Populus Dei, nunc autem Populus Dei.* Illud item *ad Epheſ. 2. Eratis illo in tempore alienati à converſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum: Jam autem non eſtis hoſpites, & advenæ; ſed eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei.* Item ad *Epheſ. 5. Eratis aliquando tenebræ nunc autem Lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Item *Actor. 9.* de Paulo dicit? *Vas electionis eſt mihi*, quibus deſignatur prædeſtinatio Pauli, qui nondùm erat de Eccleſia, quippè illam perſequebatur: Cui Dominus in perſona Eccleſiæ dixerat: *Quid me perſequeris*, quæ locutio eſt contropoſitiva, diſtinguens perſecutorem à Membris Eccleſiæ. Huc etiam ſpectant verba illa *Actor. 10.* ad Petrum: *Occide & manduca*, quibus Dominus docuit, ut Centurionem, & cœteros Gentiles in Eccleſiam ſuſciperet. Et *Actor. 6.* dicitur: *Creſcente numero Diſcipulorum*: Quibus habemus plures per converſionem de Eccleſia fieri, qui anteà non erant, & quorum plurimi erant prædeſtinati; non ergo prædeſtinatio per ſe ponit intra Eccleſiam. Quod autem aliqui, qui de Eccleſia ſunt, deſinant eſſe de Eccleſia, patet. Tum *Joann. 6. Multi Diſcipulorum ejus abjerunt retro. Et nonne ego Vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt?* Ubi Judas enumeratur inter filios Eccleſiæ, & tamen præſcitus erat. De quo etiam *Actor. 1. Qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus.* De Simone Mago *Act. 8. Tunc Simon, & ipſe credidit: & cùm baptizatus eſſet adhærebat Philippo*, erat ergo de Eccleſia, & tamen prævaricatus eſt, & periit. Item *Matth. 8.* dicitur *Filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriores:* Ubi clariſſimè reprobi, qui eiiciendi ſunt, filii tanti Regni, ſcilicet Eccleſiæ appellantur. Plures ergo præſciti, & reprobi fuerunt, & ſunt de militante Eccleſia. Per baptiſmum igitur, & non per prædeſtinationis gratiam in Chriſti Corpus tranſimus.

Materia igitur hujus myſtici Corporis, ſeù Eccle-
10 ſiæ, ſunt homines, qui fidem Chriſti profitentur; forma verò eſt ipſa vera fides Chriſti. Patet primò ex Concilio Lateranenſi, ubi explicatur forma, & materia Eccleſiæ, ſicut à nobis. Et ex Nicolao Papa de Conſecratione. Eſtque communis omnium Catholicorum intelligentia, & ſenſus. Secundò ex omnibus Sacri Textus locis, in quibus Eccleſia dicitur fundata in fide, ut *ad Epheſ. 2. Super ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, quod quidem fundamentum, fides eſt, ab ipſis Apoſtolis, & Prophetis accepta: *Et Matth. 16. ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, nempè ſuper fidei confeſſionem à S. Petro factam. Hoc enim fundamentum forma eſt, in vim cujus uniuntur omnia Eccleſiæ membra.

Nec his obeſt primò, quod in Symbolo Eccleſia di-
11 citur ſancta: *Credo in Spiritum ſanctum, Sanctam Eccleſiam, &c.* Nam dicitur Sancta non ab omnibus ſuis membris: ſed ab ejus ſanctis inſtitutis, legibus, Sacramentis, & doctrina, quæ omnia ſancta ſunt. Dicitur *Sancta per ſe*, quia per ſe exigit, quod omnia illius membra Sancta ſint, idque ſollicitat, & curat, & conatur, licèt per accidens plura membra ab ejus ſanctitate declinent. Item dicitur Sancta à principalioribus membris ejus, qui ſunt juſti, & Animæ Sanctæ, in quibus principalis Eccleſiæ portio ſita eſt.

Nec item obſtat, quod de Eccleſia *Canticor. cap. 1.*
4. dicitur, Totam pulchram eſſe, neque ullam in ea 12
eſſe maculam: quod & Apoſtolus ad *Epheſ. 5.* confirmata, ponens eam ſine macula, & ſine ruga. Quibus etiam ſubſcribit *Iſaias cap. 52. Non adjiciet, ut tranſeat per eam incircumciſus, & immundus.* Non, inquam, obſtat, quia omnia illa vera ſunt de Eccleſia non militanti, ſed triumphanti, non de illa, quæ in Terris adhuc peregrinatur: ſed de illa, quæ in Cœlis jam coronatur. Aliter enim ſe habet Eccleſia in via, aliter in Patria; unde licèt finis Chriſti ſanctificantis, & mundantis Eccleſiam in via, ſit exhibere ſibi Eccleſiam glorioſam non habentem maculam, neque rugam; id tamen ſolùm implebitur in Patria, nunc autem in via Eccleſia militans non poteſt eſſe ita munda, glorioſa, & immaculata, aliàs Chriſtus in illam non haberet quid mundaret. Deindè, Eccleſia appellatur pulchra abſque ulla macula, & ruga ratione bonorum: per figuram enim dictionem, multa, quæ parti competunt, quandoque in totum transferre ſolemnus. Sicut dicimus Populum robuſtum, gentem bellicoſam, non quia omnes in ea Republica robuſti, aut bellicoſi ſint; ſed quoniam aliqui ex ea, & quidem complures ejuſmodi eſſe ſolent.

Ulteriùs nec obſtat, quod in Arca Noe, quæ ty- 13
pum geſſit Eccleſiæ, non niſi boni ſalvati ſunt. Itemque quod Eccleſia debet eſſe Corpus vivum, juxtà illud Hugonis de S. Victore: *In corpore Chriſti nihil mortuum eſt, ſicut extrà illud nihil vivit*: exiſtentes autem in peccato mortali, mortui ſunt ſpiritualiter; qui cùm non ſint Filii Dei, nec Eccleſiæ Filii, nec membra dici poſſunt. Reſpondetur enim, Arcam Noe typum Eccleſiæ fuiſſe, quantùm ad hoc, quia extrà illam nullus ſalvatur; non tamen omnes, qui intrà illam ſunt, ſalvantur, ſed probi dumtaxat, & qui uſque ad finem tales perſeverant, ſeù poſt improbitatem pœnitentiam agunt. Ad illud verò, quod ſubditur, dicimus duplicem eſſe vitam ſpiritualem, nempè perfectam per gratiam, & charitatem, & imperfectam per fidem ſupernaturalem. Eccleſia debet eſſe corpus vivum utraque vita, non quod omnia ejus membra participent vitam perfectam, ſed principaliora vitam perfectam, & alia imperfectam. Sicut Corpus hominis debet eſſe vivum vita rationali ſenſitiva, & Vegetativa, ſed non ita, quod omnia ejus membra participent vitam rationalem, aut ſenſitivam, ſed aliqua poſſunt eſſe, quæ tantùm participent vitam vegetativam,
& ſint vera membra ipſius Corporis. Peccatores er- 14
gò mortui ſunt, quantùm ad vitam perfectam gratiæ, & charitatis; ſed vivi vita imperfecta fidei; & ideò ſunt vera membra Corporis Chriſti. Sunt etiam Filii Dei in potentia proxima, juxtà illud Joannis 1. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*; & hoc ſufficit, ut ſint Filii Eccleſiæ militantis, quia omnes, qui acceperunt per fidem, poteſtatem Filios Dei fieri, jam ſunt Filii Eccleſiæ, quæ hos ſæpè reconciliat Patri, ut in eos adoptionem recipiat.

An verò Cathecumeni, Excommunicati, Hæreti-
ci, atque Schiſmatici ſint vera membra Eccleſiæ, 15
dubitatur inter Catholicos. Et quantùm ad Cathecumenos, major eſt difficultas; nam ex una parte habent veram Fidem in Chriſto, & ex alia nondum ſunt baptizati. Unde Cathecumenos ad Eccleſiam pertinere docent Suarez *diſp. 7. de Fide num. 18.* Cano *lib. 4. cap. 2.* & alii. Non pertinere ad Eccleſiam tenent Stapleton. *controv. 1. quæſt. 2. art. 2.* Azorius *par. 2. lib. 5. cap. 10.* Sed diſſidium ſolùm eſt in modo loquendi. Dicendum ergo eſt Cathecumenos eſſe membra Chriſti in voto, in merito, & diſpoſitione, & conſequenter imperfectè, & inchoativè, ſed non conſummatè, perfectè, & formalitèr. Ratio eſt, quia Fides non utcumque eſt forma Eccleſiæ, ſed ut authenticè profeſſa coram Eccleſia; nam cùm Eccleſia ſit corpus viſibile, non poteſt conſtitui per formam inviſibilem, utì inviſibilem, qualis eſt Fides purè interna,

ante externam ejus profeſſionem; ſed per Fidem, ut exteriùs authenticè manifeſtatam; hæc autem authentica profeſſio, ſeù manifeſtatio fidei non fit, niſi in Baptiſmo, & per Baptiſmum: ergo ante Baptiſmum Cathecumenus, quamvis credens, eſt non conſummatè, & formaliter membrum Eccleſiæ, ſed ſolùm diſpoſitivè, ſeù inchoativè in voto, & merito. Ita Bellarminus *lib. 3. de Eccleſia cap. 3.* Turrecremata *in ſumma de Eccleſia lib. 1. cap 8. ad 8.* & S. Thomas *3. par. quæſt. 69. artic. 5. ad 1.* ubi ſic ait: *Adulti prius credentes in Chriſtum, ſunt ei incorporati mentaliter, ſed poſtmodùm cùm baptizantur, incorporantur ei quodamodò corporaliter, ſcilicèt per viſibile Sacramentum, ſine cuius propoſito nec mentaliter incorporari potuiſſent.* Nec obſtat quod *in cap. veniens* dicitur, quod non ſolùm per Sacramentum, ſed per fidem efficitur quiſquam membrum Chriſti. Nam hoc ſolùm probat, per Fidem effici mentaliter, ſeù inchoativè membrum Chriſti, non conſumatè, & in facto eſſe.

Quantum verò ad excommunicatos, certiùs eſt eſ-
16 ſe vera membra Eccleſiæ, quandiù retinent veram Fidem. Nam aliud eſt ſeparari ad tempus à communicatione cum cœteris membris, aliud reipſa ſcindi, & ſeparari ab illis poteſt enim permanere unio membrorum, prohibita, vel impedita communicatione. Excommunicatio ergo non ſcindit excommunicatum, nec illum ſeparat à corpore Eccleſiæ, ſed ſolùm prohibet communicationem aliorum membrorum cum eo ad tempus. Hinc optimè S. Auguſt. *contrà Donatiſtas capit. 20.* docet: *Neque enim à Populo Dei ſeparamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus.* Quibus verbis optimè declarat quid ſit excommunicare, ſcilicèt eſt aſſignare locum humiliorem ad pœnitendum: non ſunt ergo extrà Eccleſiam, ſed in loco pœnitentiæ.

Quantùm ad hæreticos. Abſolutè pertinere ad Ec-
17 cleſiam docuerunt Mortonus *lib. de Eccleſia*, Philippus de Mornay Calviniſta, Beza *epiſt. ad Bruſium*, & *Marcus* Antonius de Dominis, aliique quos adduxi *tom. 3. ad Conſtitut.* 1. Joannis XXII. *ſect. 1. numer. 14.* Alii diſtinguunt inter hæreticos externos, qui ſignis manifeſtis à ſenſu aliorum fidelium diſcedunt; ab internis, & occultis, qui in corde ſuo articulis aliquibus diſcredunt, ſed exteriùs coram Eccleſia, ut veri Catholici ſe gerunt; & de externis conveniunt Catholici omnes ad Eccleſiam non pertinere. De occultis autem ſunt etiam ex Catholicis cum Bellarmino, qui ad Eccleſiam pertinere contendunt. Verùmta-
18 men univerſaliter dicendum eſt, hæreticos ſolùm nomine tenùs eſſe membra Eccleſiæ, non autem reipſa. Nam ad verum membrum Chriſti, & Eccleſiæ utrumque requiritur, & Fides, & Baptiſmus; Fides tamquam forma in recto, Baptiſmus pro convocato eſſentialiter requiſito ad viſibilitatem Eccleſiæ, & membrorum ejus. Cùm autem hæretici non habeant Fidem, quamvis habeant Baptiſmum, indè eſt eos ſolùm apparenter, & exteriùs eſſe membra Eccleſiæ: reipſa tamen non ſunt membra Eccleſiæ, quia deficit eis forma, quæ in recto membra Eccleſiæ vera conſtituit. Unde Chryſoſt. *Hom. de hæreticis* ait: *In prima facie Chriſtiani videntur, re vera autem Gentiles ſunt.* Hinc *Fabianus prop. epiſt.* inſtanter admonet Fideles, *ut pro hæreticis orent, quatenus reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus capti tenentur; & aggregentur Filii Matris Eccleſiæ.* Videantur Juſtinus *in Dialogo cum Triphone*, *Athanaſ. ſerm. 2. contr. Ariano*, Lactantius *lib. 4. de vera Religione c. ultim.* Aug. *de unitate Eccleſia cap. 4.* & alii paſſim apud Bellarminum, & Liberium *tom. 1. controv. 7. à numer. 35.* Cœterùm quamtumvis ſchiſmatici ſint extrà Eccleſiam; ratione tamen Baptiſmi, & Fidei in Baptiſmo ſuſceptæ ſub juriſdictione Eccleſiæ ſunt, ac puniri uti deſertos poſſunt, ut dixi ad *cit. Conſt. 1. Joan. XXII. ſect. 1. numer. 15.*

Quantùm denique ad Schiſmaticos diſtinguendum
19 eſt; nam vel ſunt tales, quod ſectam faciant contra Fidem, aut negent verum Caput ſupremum in Eccleſia, aut ritè electum, & acceptatum ab Eccleſia, ut talem, eſſe verum Papam, vel nihil horum faciunt, ſed ſolummodo negant obedientiam Eccleſiæ, aut decertant de vero Papa, antequam conſtet de legitima electione. Si hoc ſecundo modo ſunt Schiſmatici, dico quod ſunt membra Eccleſiæ, quia retinent veram fidem, quæ eſt Eccleſiæ forma, licèt aliquomodo ſcindant Eccleſiam, nempè quoad charitatis unitatem. Si verò primo modo ſe habent, ut eſt regulare in Schiſmaticis, juxtà illud S. Hieronymi *epiſtola ad Titum* ibi: *Nullum Schiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut rectè ab Eccleſia diſceſſiſſe videatur*; tunc deſinunt eſſe membra Eccleſiæ, quia non ſolùm ſeparantur à corpore Eccleſiæ, ſcindendo unitatem charitatis, ſed ſcindendo unitatem fidei, qua diviſa, nulla ipſis remanet unio cum cœteris membris, & ideò ſunt extrà Eccleſiam; & in hoc ſenſu explicari debent Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ pro utraque parte ſolent adduci. Videatur Liberius *controv. 9. num. 68.*

SECTIO TERTIA.

De Communione ſub ſola ſpecie panis licita, contra Dreſdenſem, & Miſnenſem, alioſque Hæreticos.

SUMMARIUM.

1 *Qui Hæretici aſſeruerint, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe neceſſariam.*
2 *Quid in hac re ſentiant Calviniſtæ, & Lutherani.*
3 *Licita eſt Communio ſub unica ſpecie panis.*
4 *Exponitur ad rem locus Evangelii* Jo: 6.
5 *Itemque, & alter locus ex Actis Apoſtolicis.*
6 *In primitiva Eccleſia mos erat communicandi ſub ſola ſpecie panis.*
7 *Communio Præſantificatorum quid fuerit in Eccleſia Græca.*
8 *Ante Concilium Conſtantienſe prohibita laicis non erat in Eccleſia latina Communio ſub utraque ſpecie.*
9 *Affertur ad hoc doctrina Sacr. Concilii Tridentini.*
10 *Eccleſia ex quibus cauſis prohibuerit laicis uſum Calicis.*
11 *Prohibitio uſus Calicis fuit opportuna pro ſubmovendis multis erroribus.*
12 *Itemque pro majori veneratione hujus Sacramenti.*
13 *Similiter pro majori commodo Sacramentum ſumentium.*
14 *Convenit ſolis Sacerdotibus relinqui Communionem ſub utraque ſpecie.*
15 *Papa poteſt ex privilegio concedere laicis uſum Calicis, & afferuntur de hac re quædam exempla.*
16 *Boemis quatenus id fuerit conceſſum:*
17 *Afferuntur hæreticorum argumenta, quibus uſum Calicis prohiberi laicis ab Eccleſia non poſſe contendunt.*
18 *Eadem argumenta diſſolvuntur ex Concilio Tridentino.*
19 *Cumulantur aliæ rationes contra eadem argumenta.*
20 *Reſpondetur argumento Calvini deſumpto ex* Lucæ 22.
21 *Exponuntur auctoritates ex SS. Patribus deſumpta, ex quibus hæretici inferunt neceſſitatem communionis ſub utraque ſpecie.*
22 *Ex Epiſtola Gelaſii Papæ hæc neceſſitas non probatur.*

NOn controvertimus, an laicis umquam uſus calicis licitus fuerit, quippè uſque ad S. Tho- 1
mæ

me tempora, in quibuſdam Eccleſiis, laicis utramque
ſpeciem traditam fuiſſe indubitatum eſt: Sed contro-
vertitur, an uſus calicis illis ita neceſſarius ſit, ut
Eccleſia ipſos eo privare non potuerit: Conquerun-
tur enim de Eccleſia, quod uſu calicis contra præ-
ceptum Domini *Joan.* 6. Laicis interdixerit, Petrus
Desdrenſis, & Jacobellus Miſnenſis, quos deinde ſe-
quuti ſunt, Brenſius, Melancton, Kemnitius, He-
melmannus, Calvinus, & alii ex VVicleffiſtarum,
Huſſitarum, Luteranorum, atque Calviniſtarum ſe-
ctis, quamvis de VVicleffo, & Joanne Hus non le-
gatur ita ſenſiſſe, ut notat Vaſquez *diſp.* 216. *capit.*
1. *numer.* 2. Et Lutherum in hoc puncto variè, imò
2 contrariè locutum fuiſſe, refert Bellarminus *lib.* 4. *de
Sacram. Euchariſt. cap.* 5. Cœterùm Calviniſtæ, cùm
accipiant Euchariſtiam pro cœna, non mirum ſi po-
ſtulent Panem, & Vinum, non enim volunt commu-
nicare, ſed cœnare, & ventri conſulunt, non verò ſpi-
ritui. Lutherani verò juxta ſuam hæreſim, utramque
ſpeciem exigunt, quia putant ſub una ſpecie, totum
Chriſtum non contineri: Contra Calviniſtas nos ſup-
ponimus realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia: Et
contra Lutheranos etiam totum Chriſtum ſub quali-
bet ſpecie contineri; & cum Hæreticis Boemis con-
troverſia eſt: qui ſanè docuerunt eſſe de jure Divino
poſitivo, & à Chriſto Domino præceptam commu-
nionem ſub utraque ſpecie; ita tamen ut communio
ſub unica non ſit inutilis, & ſine effectu; ſed ſolùm
quod per ipſam præcepto Divino communicandi non
ſatisfiat, ut obſervat Suarez *diſputat.* 71. *ſect.* 2. qui
refert quoſdam Catholicos Claudium Srinetes, alioſ-
que, non reprehendentes quidem conſuetudinem com-
municandi ſub una ſpecie; ſed aſſerentes, præceptum
Chriſti de communione ſub utraque, quod poſt ali-
quod tempus, auctoritate à Chriſto accepta, abroga-
tum, vel diſpenſatum fuerit, quæ ſententia ad Secta-
rios accedit, nec tuta eſt, nec Concilio Tridentino
conformis, ut conſtabit ex ſequentibus.

Contra hos errores, communionem ſub ſola ſpecie
3 panis licitam eſſe, tradunt communi conſenſi Docto-
res Catholici, apud Bellarminum, Vaſquez, Suarium
loco citat. Amicum *diſp.* 29. Albertum *tract. de Corpo-
re Chriſti*, Alenſem 4. *par. qu.* 11. S. Thomam *q.* 80.
art. 12. S. Bonaventuram *in* 4. *diſt.* 11. *par.* 2. Sco-
tum *diſt.* 8. *q.* 3. Eſtium *diſp.* 12. §. 7. Ex Canoniſtis
eamdem veritatem tradunt Gloſſa *ordin. in c. Presb. de
conſecrat. diſt.* 2. Item eadem Gloſſa *cap. comperimus
ead. diſtin.* 2. ubi adducit Doctores Hugolinum, Ka-
mentium, & Joannem, Archidiaconus *can. comperi-
mus*, Joannes *in ſum. confeſſionis*, Hoſtienſis *in ſum.*
& Redulfus *in paſtorali novella*, Cabaſſut. *in notitia
Concil. ſæculo XV. in diatriba de Communione ſub una,
vel duabus ſpeciebus.*

Probatur autem, tum ex Scriptura, tum ex anti-
4 qua Eccleſiæ, conſuetudine, & traditione, quæ uſ-
que ad Vvicleffiſtas ſine ulla omninò reprehenſione per-
ſeveravit. Nam *Joan.* 6. Quamvis Chriſtus dixerit:
*Niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis
ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Statim
tamen ſubjunxit: *Et qui manducat me, vivet propter
me.* Et iterùm: *Qui manducat hunc panem vivet in æ-
ternum.* Et priùs dixerat: *Panis, quem ego dabo, ca-
ro mea eſt pro Mundi vita*: Ex quibus meritò Triden-
tinum, *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. deduxit: ſolam ſpeciem panis
ſufficere ad ſalutem, ad proindè licitum eſſe eam ſo-
lam, ſine Calice ſumere: Quippè ſi ſola non ſuffice-
ret, non rectè Chriſtus dixiſſet: *Qui manducat hunc
panem vivet in æternum*: Nam qui panem, ſine Ca-
lice ſumeret, verè illum manducaret, & non viveret
in æternum. Deindè ex *Luca capit.* 24. ubi dicitur,
Chriſtum in Cœna cum Diſcipulis in Caſtello Emmaus
Panem fregiſſe; & dediſſe illis, id efficaciter proba-
tur: Nam hic locus de Euchariſtia intelligendus à S.
Auguſtino *lib.* 3. *de conſ. Evang. cap.* 26. Hieronym.
in Epitaphio Paulæ, *Auctor. oper. imper. hom.* 17. *in
Matth.* Beda *ad illa verba*; *Et ipſi narrabant*, Stra-
bon. *in eumd. locum*, Maldonatus, & Tolet. *in cap.*
6. *Jo. numer.* 27. Bellarminus *lib.* 4. *capit.* 34. Becan.
lib. 1. *de Commun. ſub utraque ſpecie*, Vaſquez *diſput.*
199. *cap.* 3. Et ex Hæreticis Melanctone, & Kemni-
tio. Jam ergo cùm nulla in prædicto Lucæ teſtimo-
nio mentio fiat potus, ſequitur in una tantùm ſpecie
Chriſtum illos Diſcipulos communicaſſe. Immeritò
autem, & Melancton, & Kemnitius exiſtimant,
utramque ſpeciem fuiſſe datam, quatenus per fractio-
nem Panis, totum Sacramentum per figuram Sinedo-
chen intelligatur. Immeritò quidem, cùm Evangeli-
ſta, nullam prorsùs de ſpecie Vini faciat mentionem.
Deindè, ut advertit Bellarminus, refragatur Evangeli-
ca hiſtoria, quæ narrat, poſt fractionem panis Domi-
num diſparuiſſe, ut non potuerit ſupereſſe tempus con-
ſecrationis Calicis, dicitur enim: *Et benedixit, ac
fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eo-
rum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eo-
rum.* Simul ergo atque cognitus eſt Chriſtus, diſpa-
ruit: ſimul autem, atque fregit Panem, & benedixit
cognitus eſt: ergo ſimul atque conſecravit Panem di-
ſparuit, ac proindè Calicem conſecrare non potuit.
Ulterius eadem catholica doctrina probatur exemplo fi-
delium, de quibus *Actor.* 2. dicitur: *Erant autem per-
ſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatio-* 5
ne fractionis Panis. Agi hoc loco de pane Euchariſti-
co, patet ex interpretatione Syriaca, & ex Auguſtino
epiſtol. 86. ubi vocat iſtam fractionem Panis, qualis
ſolet fieri in Euchariſtia, & ita ſentit *Arias* Monta-
nus, & Valentia *lib. de legitimo uſu Euchar. cap.* 8. Bo-
zius *lib.* 13. *de ſignis c.* 3. & ex hæreticis Lutherus
ſerm. de Euchar. Melancton. *de uſu Sac.* Bullengerus,
& Calvinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 17. Cœterùm Kemnitius
hanc interpretationem non negat, ſed reſpondet, in
fractione Panis, Calicem etiam per figuram intelligi,
quia alioquin ſequeretur, Apoſtolos ſub una tantùm
ſpecie celebraſſe. Verùm S. Lucas narrat, non quod
Apoſtoli, ſed quod cœteri fideles erant perſeverantes in
communione fractionis Panis: quos communicare ſub
altera ſpecie tantùm, meritò deducit Bellarminus *loc.
cit.* Quia Chriſtiani ex Judaiſmo converſi, qui tunc
erant in Civitate Hieruſalem, ſervabant legalia; cùmq;
aliqui ex illis eſſent Nazaræi, non bibentes vinum;
non eſt veroſimile, hos ſub ſpecie Vini communicaſ-
ſe; Propterea Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 10. non ſine
cauſa dixit: *Panis quem frangimus.* De Calice autem
non dixit: Calix quem diſtribuimus: Sed *Calix bene-
dictionis, cui benedicimus.* Et infra: *Unus Panis, &
unum Corpus ſumus, qui de uno pane participamus*:
Quia nimirum de Calice, non omnes bibunt: Idem
autem panis omnibus diſtribuitur.

Poſt tempora Apoſtolorum, perſeveraſſe deindè a-
liquem Euchariſticæ ſumptionis uſum, ſub ſola ſpe- 6
cie Panis, colligitur ex multis antiquiſſimis ritibus,
quorum primus ſit, quod in Feria ſexta Paraſceves,
Sacerdos in ſola ſpecie Panis communicat, quæ con-
ſuetudo cùm non conſtet, quando cœperit, cenſetur
ex Apoſtolica traditione provenire, ut benè monet
Valentia *puncto* 5. *paragrapho* 8. *verſic.* 6. Secundus 7
eſt, communio præſanctificatorum, quæ olim fiebat
in Eccleſia Græca omnibus diebus Quadrageſimæ,
exceptis diebus Dominicis, & Sabbatis, ut præcipit
Concil. Laodicen. capit. 49. Eſt autem communio præ-
ſantificatorum communio Euchariſtiæ ſub ſola ſpecie
panis, quæ eo die non conſecratur, & ideò dicitur
præſantificatorum, hoc eſt anteà ſanctificatorum: De
cujus ritu, & antiquo uſu in Eccleſia Græca, con-
ſule Leonem Allatium *in fin. Concord. Occid. & O-
riental. Eccleſ.* Tertius, quia ante Nicænum Conci-
lium, Euchariſtia pro infirmis, & in articulo mor-
tis communicandis, ſub ſola ſpecie Panis, diù ſerva-
batur, Clemens Rom. *lib.* 8. *Conſt. Apoſt. capit.* 13.
Dyoniſ. Alexander *in epiſt. ad Fabium*, Euſebius *lib.*
6. *hiſtor. cap.* 36. *& alii* apud Vaſquez *diſp.* 216. *cap.*
3. Quartus: Quod olim ad communionem acceden-
tibus, Euchariſtia dabatur, Viris in manus nudas, fæ-
minis in eiſdem candido linteolo coopertas, quin
& ob perſecutiones, non permittentes liberum ad

Sacerdotes acceſsum, concedebatur aliquando domum deferenda, ſervanda, & ſumenda in opportunitatibus, ut latiùs dixi *tom.* 3. *ad Conſt.* 1. Urban. IV. *ſect. nu. mum.* 6. quod utrumque in ſpeciebus Vini, difficiliùs fieri potuiſſet. Plures alios ritus, & caſus particulares recitant Vaſquez *loc. cit.* Valentia §. 8. & fuſiùs Bellarminus *lib.* 4. *cap.* 24. ubi primitiva Eccleſia, per aliqua ſubſequentia ſæcula, ex auctoritate Sanctorum Patrum probat, viguiſſe in aliquibus Eccleſiis, & ſignanter in Romana, ſine contradictione uſum communionis laicæ, ſub unica, eaque panis ſpecie. Eumdem uſum; colligit Macedo *contr.* 5 *cap.* 4. *ex Concilio Antiſiodorenſe c.* 36. *& can.* 42. *celebrato anno* 590. *Rothomagenſi cap.* 2. *ex primo Concilio Toletano can.* 4. *Toletano* 11. *& ex Trullana Synodo can.* 201.

Cùm ergo ex Scriptura, & antiqua Eccleſiæ conſue-
8 tudine licitam eſſe communionem ſub ſpecie ſola Panis oſtenderimus; Reliquum eſt, ut oſtendamus, jure optimo Eccleſiam Latinam, uſu Calicis, laicos in univerſum privaſſe, & communionem ſub altera tantùm ſpecie illis reliquiſſe. Porrò ab initio Eccleſiæ, uſque ad Conſtantienſe Concilium, nullam legem in Eccleſia fuiſſe, qua uſus Calicis laicis prohiberetur, rectè advertit Vaſquez *diſp.* 216. *cap.* 4. ac proindè non mirum, ſi S. Thomas *cit. art.* 12. affirmat, ſuo etiam tempore, in aliquibus Eccleſiis Latinorum, adhuc viguiſſe uſum communionis ſub utraque ſpecie. Lex ergo in Concilio Conſtantienſi, primùm emanavit *ſeſs.* 13. & Martinus V. eodem modo prohibuit, & poſteà in Concilio Baſileenſi *ſeſſ.* 30. & tandem in Concilio Tridentino *ſeſs.* 21. *cap.* 1. cujus verba oportet adducere: continent enim doctrinam, ad confirmandos Catholicos, & ad Hæreticos refutandos ſufficientiſſimam: *Itaque San-*
9 *cta ipſa Synodus à Spiritu ſancto, ipſius Eccleſiæ judicium, & conſuetudinem ſequuta, edocta; declarat, ac docet nullo Divino præcepto, laicos, & Clericos non conficientes obligari, ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum, neque ullo pacto ſalva fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat: Nam, etſi Chriſtus Dominus in ultima cœna, venerabile hoc Sacramentum, in Panis, & Vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit, non tamen illa inſtitutio, & traditio, eò tendunt, ut omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini, ad utramque ſpeciem accipiendam adſtringantur: Sed neque ex ſermone illo apud Jo.* 5. *rectè colligitur, utriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe utcumque, juxta varias SS. Patrum, & DD. interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: Niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis; dixit quoque Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam: Panis quem ego dabo caro mea eſt pro Mundi vita. Is denique qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilhominus: Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.* Hoc caput deſervire poteſt pro doctrina: Addo nunc Canonem ejuſdem Concilii *ſeſs.* 21. 2. *Si quis dixerit Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit:* Porrò poteſtatem condendi hujuſmodi legem, penès Eccleſiam eſſa definit idem Tridentinum *ſeſs.* 21. *cap.* 2. ibi: *Præterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Et poſtquam id ex illo Pauli ad *Cor.* 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miſteriorum Dei*, & peculiari ratione circa uſum hujus Sacramenti ex illo 1. *Cor.* 11. *Cætera cùm venero diſponam*, probavit, pergit Concilium dicens: *Quare agnoſcens S. Mater Eccleſia, hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licèt ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet; tamen progreſſu temporis, latiſſime jam mutata illa conſuetudine, graviſſimis, & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet*, & *cap.* 6. declarat totum, & integrum Chriſtum, ac verum Sacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi, & quoad permiſſionem Calicis an, & quibus cauſis, & conditionibus concedi valeat laicis, in *can. ult. ejuſdem ſeſſ.* indefinitam relinquit. Jam verò explicemus juſtas cauſas, ob quas opportunè hæc lex ab Eccleſia lata fuit. Tres autem præcipuè fuerunt. Prima ut ex- 10
tirparentur hæreſes obortæ, contra verum hujus Sacramenti. Secunda, ut magis conſuleretur Sacramenti ejuſdem venerationi. Tertia, ut conſuleretur utilitati ſuſcipientium.

Quod attinet ad primam cauſam, multi fuerunt er-
rores, circa Euchariſtiæ uſum, putà, quod non ſuma- 11
tur ſub qualibet ſpecie totus Chriſtus: quod ſit de neceſſitate præcepti Divini, utriuſque ſpeciei ſumptio: quod ſumptio ſolius ſpeciei Panis ad ſalutem non ſufficiat; Quæ, & id genus alia peſſima dogmata, non poterant melius, præſertim in plebe extirpari, quàm facto, & praxi eis contradicendo, præcipiendo ſcilicèt; & exercendo Euchariſtiæ in laicis uſum ſub unica ſpecie, eaque Panis; ſub ſpecie verò vini prohibendo, prout ex Conſtantienſi Concilio deducunt Macedo *contr.* 5. *cap.* 6. Vaſquez *cit. cap.* 4. & Turianus *lib.* 8. *conſtit. cap.* 13. ubi obſervat, ideò Apoſtolos initio Eccleſiæ uſum Calicis populo conceſſiſſe, ut futuram hæreſim Manichæorum præcaverent, qui verum Sanguinem Chriſti negaturi erant, & ab uſu Calicis abhorrituri.

Deindè meliùs conſulitur venerationi Sacramenti,
quod ſub ſpeciebus Vini, non ſolùm difficile poteſt pro 12
infirmis, aut aliis, diù aſſervari abſque eò, quod ſpeciebus corruptis, deſinat Sacramentalis præſentia; ſed & in quolibet ſolemniore, præſertim verò Paſchali miniſterio, difficilè poteſt diſpenſari, ſine periculo effuſionis, & diſperſionis alicujus guttæ. Periculum autem corruptionis, aut effuſionis ſpecierum, eſt maximè contra venerationem Sacramenti, ut ex Tertulliano, Origine; & aliis oſtendit Bellarminus *capit.* 24. & Joannes Raguſeus, à quo id accuratè monſtratur teſtimoniis Pii Papæ I. Auguſtini, & Conciliorum.

Tandem melius conſulitur utilitati ſuſcipientium,
quia ſub ſola ſpecie Panis, facilè ab omnibus ſumi- 13
tur Sacramentum, non ſic ſub ſpecie Vini, propter abſtemios, qui à Vino abhorrent; Item propter aliquas regiones, in quibus Vinum non habent in tantam copiam, ut toti populo communicando ſufficiat, quæ ratio poſt converſionem Populorum Aquilonarium cœpit magis urgeri: Eſſet autem diſcordia in uſu communionis, aliis ſub una ſpecie, aliis ſub duplici communicantibus, quod incommodum egregiè expendit Bellarminus *cap.* 28. Vaſquez *cap.* 4. & Henriquez *lib.* 8. *cap.* 44.

His adde, quod debet dari aliqua differentia in-
ter Clericos, & Laicos in communicando, præſer- 14
tim quia potatio Sanguinis ex Calice, minùs decet fœminas, & pueros: ac proindè convenit, ut relinquatur communio ſub utraque ſpecie Sacerdotibus, Laicis verò, & Clericis non conficientibus, ſub una tantùm ſpecie tribuatur, ut ponderant Albertus de Padua *ſer.* 4. Raguſeus, & Macedo *cap.* 6. Hæc autem, & alia incommoda referuntur, & confirmantur exemplis, ab Ænea Sylvio *in Dialogo Legatis Baſilea*, & Becano *lib.* 1. *manual. cap.* 4. *concl.* 8. Et hæ quidem rationes, tanti fuerunt, ut vel propter eas, major pars Concilii Tridentini inclinaret ad negandum Boemis privilegium communicandi ſub utraque ſpecie, ut notat Macedo *loc. cit.* Et de hujus privilegii
concedendi poteſtate in Summo Pontifice, conſu- 15
lendi ſunt Vaſquez *cap.* 4. *diſput.* 216. *num.* 45. Macedo

Digitized by Google

cado *cap.* 7. Caſalius *lib.* 3. *de cœna, & Calice*, Henriquez *lib.* 8. *cap.* 44. Bellarminus *de Euchariſtia cap.* 26. Et quidem Græca natio, ex antiqua traditione, & citra errorem adhuc ſervat uſum Calicis in communione, etiam laicali. Clemens V. Regibus Galliæ permiſit, quoties vellent, ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumere teſte Sandero *lib.* 7. & Tappero *artic.* 5. §. 4. Imperator etiam, ex antiquiſſima conſuetudine, ſumit calicem Sanguinis, quando coronatur, ut referunt Ubaldus, & Caſalius. In Miſſa Papæ ſolemni, major Diaconus, qui Summo Pontifici celebranti aſſiſtit, ſub utraque ſpecie etiam communicat; authore Vaſquez, & Henriquez *lib.* 8. *cap.* 44. Et hæc quidem antiqua ſunt, ante hæreſim Boemorum. Poſt
16 illam in Concilio Baſileenſi, Boemi uſum Calicis poſtulaverunt, & primò propter periculum hæreſis fuit denegatum: poſteà permiſſum, ſub ea conditione, ut crederent Chriſtum totum eſſe ſub qualibet ſpecie, & ut Sacerdotes plebem ad id credendum exortarentur, *Cronicon. Polydori, lib.* 21. Severinus Binius *in not. ad Concil. pag.* 405. Poſteà Paulus IV. idem privilegium Boemis confirmavit, teſte Vaſquez *diſp.* 216. *c.* 4. ubi *num.* 45. concludit: *Remoto errore, licèt non videatur ſubeſſe cauſa ad abrogandam legem, aliqua tamen eſſe poterit, ut cum aliqua peculiari perſona, imò & cum Civitate, aut natione diſpenſetur.* Et *numer.* 46. *Hinc enim*, inquit, *tanta virtutis ad obligandum hæc lex Eccleſiaſtica eſſe poteſt, ut ſicut falsò nonnulli arbitrantur, in nullo prorsùs caſu liceat laico Calicem ſumere. Nam cùm ſit humana lex, non poteſt Epycheia, ſeu emendationi non eſſe ſubjecta.*

Argumenta porrò hæreticorum, quibus contendunt,
17 non potuiſſe Eccleſia uſu Calicis laicos privare, ex Scriptura, & SS. Patribus penita ſunt. Primum ex *capit.* 6. *Joan. niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam particula *niſi*, neceſſitatem indicat univerſalem pro omnibus, uti eſt illa altera, *Joan.* 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto:* particula autem, &, conjunctiva utriuſque ſpeciei; utriuſque neceſſitatem denotare videtur. Propterea ſtatim repetitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Secundò opponunt verba *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* Nempe id quod factum fuit à Chriſto, & Apoſtolis in Cœna: Chriſtus autem tunc Euchariſtiam diſpenſavit ſub utraque ſpecie; & Apoſtoli tunc non Sacerdotes tantùm, ſed & laicos repræſentabant, communioneque laica communicarunt; communicarunt autem ſub utraque ſpecie. Quid, quod *Matth.* 26. poſtquam de Communione ſub ſpeciebus panis dixit Chriſtus: *Accipite, & commedite*, de eadem ſub ſpeciebus vini ſubjecit: *Bibite ex eo omnes*, ubi ly *Omnes* videtur ſua univerſalitate complecti etiam eos, qui laicè communicant. Ad idem: *Paulus* 1. *Cor.* 11. copulativè, & imperativè dicens: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*; utriuſque ſpeciei ſumendæ, & præceptum, & obligationem inſinuat. Sic poſt antiquos hæreticos argumentatur Lutherus *lib. de Captivitate Babylonica cap. de Euchariſtia.*

Verùm ad primum ex 6. *Joan.* quo convictus fuit
18 Deſdrenſis, ut prædictum errorem, de neceſſitate utriuſque ſpeciei doceret, omni interpretatione omiſſa, ſatis occurrit Concil. Trident. ex eo quod, *Qui dixit: Niſi manducaveritis, dixit quoque: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: Et qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c. dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: Et denique qui dixit. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominùs: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Infert nimirùm Concilium: dum Chriſtus Domi-
19 nus aliquando utrique ſpeciei panis, & vini, aliquando uni ſpeciei panis, tribuit ſpiritualem vitam, & effectum Sacramenti, ſatiùs inſinuat, ſe non magis utriuſque, quàm unius ſpeciei ſumptionem præcipere, ſed id relinquere liberum, & ab Eccleſia determinandum. Digna quidem Tridentino reſponſio: Sed ſi aliquid aliud dicendum ſit: Omiſſis interpretationibus aliis, videndis præſertim apud Vaſquez *cit. c.* 5. Dicas quod in conjunctiva particula, &, ſubintelligatur præcedens negatio, adeòut ſenſus ſit: *Niſi manducaveritis, & niſi biberitis*, ſeu: *Si neque manducaveritis, neque biberitis*, qua ratione, conjunctio æquivalet disjunctioni, & idem eſt, ac ſi dicatur, *niſi manducaveritis, vel biberitis*, quod non eſt infrequens modus loquendi hebræorum, & Scriptura, ut in his terminis obſervat Bellarmin. *lib.* 4. *cap.* 25. Ut *Actor.* 3. *Argentum, & Aurum non eſt mihi*, prò eò quod eſt: *Argentum, vel aurum non eſt mihi.* Et illud: *Si quis maledixerit Patri, & Matri morte moriatur:* Ubi illa conjunctio, &, disjunctivè debet intelligi; ſatis enim eſt maledicere Patri, vel Matri, ad delictum committendum, niſi fortè velint hæretici dicere, niſi uterque parens maledicatur, non peccari; quod ſanè impium eſt: hic modus explicandi traditur præter alios, à Toleto, & Maldonato *in cit. cap.* 6. *Joannis.* Tandem, eſtò præceptum obliget conjunctivè, non eſt neceſſarium impleri ab omnibus, ſed ab aliquibus: quemadmodùm rectè exponitur illud *Geneſis, Creſcite, & multiplicamini*, in quo Deus videtur præcipere toti hominum generi, ut matrimonium celebrent, cùm tamen ſatis fuerit, ad illud implendum, quod aliqui matrimonio copulentur, & hoc modo interpretatur Sanctus Auguſtinus, & hanc expoſitionem, præ cæteris, probat Vaſquez *cit. capit.* 5. Neque illud de Baptiſmo, *Niſi quis renatus fuerit*, militat in hoc caſu; Tum quia neceſſitas Baptiſmi eſt neceſſitas medii, Euchariſtiæ verò non eſt neceſſitas, niſi præcepti, adeòque ratione materiæ deficit comparatio: Tum etiam quia verba illa: *niſi quis renatus fuerit*, in tertia perſona proferuntur, & pertinent ad omnes, quia nemo eſt incapax baptiſmi, ſivè adultus, ſivè parvulus. illa verò, *niſi manducaveritis*, cùm ſint in ſecunda perſona, magis reſtringuntur in ſenſu. Tum tandem quia Baptiſmus nullam requirit actionem propriam baptizari, ſed tantùm paſſionem, cujus nemo incapax eſt; at verò manducatio Euchariſtiæ, actio eſt, cujus Infantes non ſunt capaces. Ad ſecundum, verba S. Lucæ apud Calvinum, nihil habent difficultatis, quia ille, ea ibi intelligit de ſolis Eccleſiæ Miniſtris, & revera perperam Lutherus, ea verba ad omnes extendit: Patet enim,
Chriſtum cum Apoſtolis tantùm, quos inſtituebat Sa- 20
cerdotes, locutum fuiſſe, & de poteſtate ſacrificandi, prout de communione Sacerdotali intelligendum, quod ſufficienter ſignificaſſet vox illa, *facite*, quæ in proprietate ſermonis latini, ſignificat ſacrificare: Unde paret illud præceptum, ſi tamen erat præceptum, nihil habuiſse commune cum laicis, ſed tantùm cum Apoſtolis, & Sacerdotio initiatis. Alias hujus loci optimas expoſitiones, videas apud Vaſquez *cit.* Cacheranum *tr.* 9. §. 6. Bellarminum *cap.* 25. *ad* 3. Beccan. *in manual. cit.* Illud porrò, *Bibite ex eo omnes*, quod urget Calvinus, dicimus ſimiliter referri ad ſolos Apoſtolos, & Sacerdotes: quippè, cùm unus tantùm Calix eſſet, & multi eſſent, qui ex eo biberent; neceſse fuit Chriſtum dicere, ut biberent omnes; ne unus integro hauſto Calice, reliquis nihil relinqueret. Et certè, quando Chriſtus voluit de omnibus omninò loqui, mentem ſuam expreſſit, ut cùm vigilare præcepit *Marci* 13. *Quod vobis*, inquit, *dico, omnibus dico.* At verò hìc cùm ſe hoc modo non declaraverit, noluit porrò de omnibus intelligi, Vaſquez *cit. cap.* 5. Macedo *contr.* 5. *cap.* 6. Hetinex *diſp.* 6. *queſt.* 3. *numer.* 32. ubi notat in verbis Matthæi, pro ly *Omnes*, Syrum vertere, *vos omnes*, ſicque determinat ad eos ſolos, qui tunc erant cum Chriſto menſam. Ad ultimum, ex 1. *ad Corint.* 11. dic, præceptum cadere ſuprà probationem, non verò ſuprà utramque ſpeciem: Nam cùm præmiſerit disjunctionem: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem*

Domini &c. apertiſſimè inſinuavit, etiam unam ſpeciem, vel alteram ſeorſim poſſe ſumi, & pro qualibet, ſuam probationem requiri, ne indignè ſumatur.

Leviora autem ſunt Argumenta, quæ ex SS. Pa-
11 trum auctoritate deſumunt. Nam aliqui innuunt quidem, Eccleſiæ praxim antiquam de ſanguis, vel utriuſque ſpeciei ſumptione, ut Ignatius *Epiſt. ad Philadelph.* Chriſoſtom. *hom.* 18. *in* 2. *Epiſt. ad Corint. Cyprianus lib.* 1. *Epiſt.* 2. Theophilat. *in c.* 11. 1. *ad Corinth. Remigius;* & alii. Quibus omnibus ſatisfacimus, admittendo libentiſſimè, in primitiva Eccleſia aliquem uſum diſpenſandi etiam Calicem laicis; at negamus talem uſum fuiſſe ex præcepto, aut univerſalem, & ab omnibus diù obſervatum; Nihil enim continent horum Patrum teſtimonia, quod aut indicet præceptum, aut excludat omnem uſum, ſumendi aliquandò, ſolùm Panem. Fateor adeſſe alia Sanctorum Patrum Teſtimonia, quæ præceptum ſumendi Sanguinem, inſinuare videntur, ut Cypriani *lib.* 2. *Epiſtola* 3. *& Ser. de Cœna Domini*, Juſtini *apol.* 2. *pro Chriſtianis*, Paſchaſii *lib. de Corpore Domini c.* 19. S. Leonis *Epiſtola* 4. *de Quadrag.* Sed hæc, ſi reverà præceptum inſinuant, ad ſolos Sacerdotes referenda ſunt, non ad Laicos; & aliud eſt, quod tale præceptum ſit Eccleſiæ impoſitum, aliud quod afficiat omnia Eccleſiæ membra. Quiſquis autem non ſe putat hac noſtra brevitate contentum, conſulat Bellarmin. c. 26. Valentiam *punct.* 5. §. 9. & Eſtium §. 8. qui per extenſum Auctoritates SS. Patrum cum ſuis reſponſionibus, & egregiis etiam obſervationibus illuſtratas proferunt. Sed demum non omittendum in hac reputavimus Teſtimonium Gelaſii Papæ in *Ep. ad Majorem, & Joannem Epiſcopos*, quæ refertur *de Conſecrat. diſt.* 2. *canone Comperimus*, & ferè omnes Compilatores eam tamquam Gelaſii referunt. Ait ergo Gelaſius: *Comperimus, quod quidam ſumpta tantummodo Corporis Sacri portione, à Calice Sacri Cruori abſtineant, qui proculdubio (quoniam neſcio, qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius, & ejuſdem myſterii, ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.*

Sed in primis, teſtatur Vaſquez *loc. cit. c.* 6. quod
12 licèt Compilatores Decretorum hanc Epiſtolam referant tamquam Gelaſii, eam tamen inter Epiſtolas ejus, in primo tomo Epiſtolarum Pontificum non haberi. Deinde Bellarminus, & Vaſquez, ſermonem ajunt hìc eſſe de Sacerdotibus nolentibus celebrare ſub utraque ſpecie, abſtinentiæ cauſa, ne vinum guſtarent, de quibus intellexit Gratianus, ut conſtat ex titulo illius Canonis, & S. Thomas *quæſt.* 80. *artic.* 12. *ad primum*. Qui verò Gelaſium intelligunt etiam de laicis communicantibus, dicunt hìc Pontificem reprehendere Catholicos, qui decepti à Manichæis, more illorum, ſolo pane communicabant, credentes ſanguinem non eſſe bibendum, ex errore Manichæorum; ſicut anteà Leo prohibuerat Manichæis, qui ſe fideles fingebant, Euchariſticum panem communicare, repudiato ſanguine, quem horrebant, utì apparet *ſer.* 4. *de Quadrag.* His ergo Gelaſius præcepit, bibere ſanguinem, ut conſentiant Catholicis, credentibus in Chriſto fuiſſe verum Corpus, & verum Sanguinem. Quo exemplo, ſic concludimus: Sicut hi Pontifices, ad avertendum errorem Manichæorum benè ſtatuerunt, ut fideles ſub utraque ſpecie communicarent, quando erat periculum errandi circa veritatem Sanguinis; ita benè Conſtantienſe Concilium Tridentinum, Martinum V. & alii Pontifices, poſteà prohibuerunt Calicis uſum, quando exortus eſt error, negantium Chriſtum, in ſingulis ſpeciebus totum, & integrum eſſe.

CONSTITUTIO II.

MARTINI V.

incipiens (*Quod antidota*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS, AD PERPETUAM Rei memoriam.

DEcernit, quod Litteræ Apoſtolicæ exequutioni liberè mandentur abſque approbatione, vel aſſenſu cujuſcumque Prælati, non obſtante Indulto Urb. VI. quod irritat, & annullat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Diſpoſitio ceſsat ceſſante cauſa finali diſpoſitionis.*
2 *Urbanus VI. conceſſit nonnullis Epiſcopis, ne abſque eorum licentia litteræ Apoſtolicæ exequutioni mandarentur.*
3 *Has conceſſiones, ſublato ſchiſmate, revocavit Martinus V. in hac Conſtitutione.*
4 *Referuntur plures Conſtitutiones contra prohibentes executionem litterarum Apoſtolicarum.*
5 *Delegatus pro exequutione litterarum Apoſtolicarum, non tenetur eas exhibere Ordinario.*
6 *Delegatus eſt major Epiſcopo in cauſa delegata.*
7 *Ordinarius ſtatuere non poteſt, quod littera Apoſtolica non exequantur, niſi priùs ab ipſo recognita, & num. ſeqq.*
8 *Exponitur Textus in* cap. cum in jure peritus de offic. judic. deleg.
9 *Exequutionem Litterarum Apoſtolicarum impedire non poſſunt Ordinarii ex decreto Concilii Tridentini.*
10 *Ordinarius nec cumulativè cum executore deputato litteras Apoſtolicas exequi poteſt.*
11 *Litteras Apoſtolicas poteſt A. C. exequi, etſi Deputatus ſit exequutor.*
12 *Itemque Auditores Rotæ, privativè ad exequutorem, litteras Beneficii in Rota litigioſi exequi poſſunt.*
13 *Quod procedit etſi in Litteris facta ſit mentio litis pendentiæ.*
14 *Et poſſeſſio ab exequutore aliàs data eſt, attentata.*

CUm in legali Philoſophia compertiſſimum ſit,
cujuſcumque diſpoſitionis cauſam finalem, ne- 1
dum principium eſſe in efficiendo, ſed etiam fulcrùm in conſervando, ut ſepiùs repetitum in noſtro Jure habeamus, quod ceſſante cauſa, ceſſat, & ruit ipſa diſpoſitio, *ex Tex. in capit. cum ceſſante* 60. *de appell. & in leg. adigera paragrapho quamvis ff. de Jurepat. cum concord. relat. a Tiraquell. in tract. ceſſante cauſa*; Profectò cùm in exordiis teterrimi
Schiſmatis plurìes ſupra commemorati, ad removen- 2
da ſcandala, quæ oriebantur propter executionem litterarum Apoſtolicarum, quæ ab iis, qui pro Romanis Pontificibus ſe gerebant, expediebantur; Urbanus VI. conceſſiſſet quibuſdam Prælatis in ſua obedientia, quod ipſis inconſultis, quinimò non approbantibus, Apoſtolica mandata nequidem exequerentur; ſchiſmate ipſo tandem in Concilio
Conſtantienſi extincto, penitus antiquata, atque 3
nullius, & effectus habenda erat jam recenſita

Urba-

Urbani diſpoſitio ; tamquam quæ ex cauſa finali ejuſ-
dem ſchiſmatis ſuſtentari deinceps nequibat; Verumta-
men iidem Prælati in conſuetudinem trahebant, edi-
ctis etiam Provincialibus, & Synodalibus ſtatutis, mo-
rem impediendi litterarum Apoſtolicarum exequutio-
nem, priuſquam per ſuas literas, quas *Vidimus*, ſeù
Placet nuncupabant, aſſenſum præſtitiſſent; Neceſſe i-
3 taque fuit, quod Martinus V. Sacro approbante Con-
ſtantienſe Concilio, hujuſmodi Urbani indultum, quod
Schiſmatis calamitas introduxit, expreſsè caſſaret, &
annullaret, atque in ſuper decerneret, quod literæ A-
poſtolicæ debitæ exequutioni mandarentur, nullo expe-
ctato, vel requiſito aſſenſu cujuſcumque Prælati, hac
edita Conſtitutione Conſtantiæ 2. Kal. Maii 1418. Por-
4 rò autem id veriſſimum eſt, numquam tam citò, & fa-
cillimè, quàm juriſdictio inferioribus confertur, ab ip-
ſis deinde eripi poſſe; ad hujuſmodi eradicandum abu-
ſum ante Martinum V. perhibetur elaboraſſe Bonifacium
IX. poſt editam verò noſtram Conſtitutionem Leo X. i-
terum Urbani VI. indultum irritavit, atque m litterarum
Apoſtolicarum exequutionem injunxit in *Conſtitut.* 30.
incip. in Supremo; iterumque Clemens VII. non diſſi-
milem ſanctionem edidit in *Conſt.* 39. *incip. Romanus
Pontifex;* & quidem longum cathalogum retexerem, ſi
omnes vellem proferre Conſtitutiones, quibus Summi
Pontifices animadverterunt contra retinentes, prohi-
bentes, vel quoquomodo impedientes Apoſtolicarum li-
terarum exequutionem. Sat itaque ſit pro nunc unam
allegare Bullam in Cœna Domini §. 14. in qua quotan-
nis, talia audentes, ſolemniter excommunicantur, &
anathematizantur.

Præcipuè verò in terminis noſtræ Conſtitutionis in-
5 ſiſtendo, jure meritoque Martinus V. in Sac. Concilio
Conſtantienſi edixit, ut Apoſtolicæ literæ ab executori-
bus liberæ executioni mandentur abſque eo quod ne-
que Ordinariis exhibeantur, idque vel quia delegatus à
Sede Apoſtolica vices gerit Papæ, & ideò ſicut ipſe Pa-
pa prorſus independentem juriſdictionem à quocumque
inferiori habere dicitur, *cap. ſanè de offic. deleg. c. cum
Magiſter de offic. Ordinarii, can. fin. diſt. 90. l. etſi
Prætor. ff. de offic. ejus;* adeòut idem Delegatus major
6 ſit in cauſa delegata, & ſuperior Epiſcopo, *ex cit. cap.
ſanè*, ibique Gloſs. *verbo terminandam, & cap. Pa-
ſtoralis §. propterea eodem tit.* vel melius, quia Sum-
mus Pontifex executorem in ſuis literis deputando,
omnem juriſdictionem, quam habere poſſet Ordinarius
adimit, eidemque prohibet quoquomodo in id ſe inge-
rere, *cap. ut noſtrum de appellat. & Gloſs. literalis in
c. ſi capitulo verb. exequatur de conceſſ. præb.* Lotter. *de
re benef. lib. 3. quæſt.* 12. *num. 3. cum ſeqq.* Tondut. *de
penſion. cap. 49. num.* 7. Gigas *de penſion. quæſt. 69. nu-
mer.* 1. Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloſs. 52. numer.* 29.

Quibus quidem ſtantibus, aliiſque rationibus eductis
7 ex violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, quas reaſſu-
mam, cum de impedientibus literarum Apoſtolicarum
exequutionem, diſſerendi opportunitas occurret, quòd
ſanè Ordinarii, ſivè quicumque ſint prætendere neque-
ant, ut literæ Pontificiæ non exequantur abſque eo-
rumdem *vidimus*, ſeu *placet*, vel ſaltem, quod ipſis
exhibeantur etiam ſub prætextu evitandi ſcandala, ut in
caſu noſtræ Bullæ firmant contra *Angel. in conſ.* 23.
incip. nulla perſona, ſcribentem pro validitate ſimi-
lis ſtatuti, Felin. *in cap. Eccleſia S. Mariæ num.* 96.
de Conſtitut. Decius *ibidem num.* 185. Abbas *in con-
ſil.* 83. *per tot. lib.* 1. quos ſequitur Cherubin. *ſil. ad
hanc Conſtitut. Schol.* 1. Del Benc *de Immunit. tom.* 1.
cap. 2. dubit. 10. ſect. 1. & 2. Azor. *Inſtitution. mo-
ral. tom. 1. lib. 5. cap. 13. quæſt.* 9. & optimè in iiſ-
dem terminis reſolvit Sacra Congregatio Concilii in
Turritana 15. *Novembris* 1704. ibi: *II. An exequuto-
res deputati in literis Apoſtolicis procedere valeant abſ-
que illarum exhibitione in Cancellaria Archiepiſcopali,
& quatenus negativè. III. An Archiepiſcopus proce-
dere poſſit in caſu contraventionis. IV. An reſcripta
Apoſtolica emanata contra Archiepiſcopum, ejuſque
Officiales, certis executoribus directa ſint exhibenda in
ejus Cancellaria;* Sacra Congregatio reſpondit. *Ad*
2. *Affirmativè. Ad 3. & 4. Negativè, lib. 54. decret.
pag.* 415.

Et quidem huic concluſioni duo non obſtant, quæ
deduci paſſim ſolent, videlicèt quòd exequutio litera- 8
rum Apoſtolicarum, vel ipſis Ordinariis committi de-
beat, ex diſpoſitione *Sacri Concilii Tridentini ſeſſ. 24.
de reformat. capit.* 20. ubi primæ inſtantiæ cauſarum
etiam Beneficialium Ordinariis adjudicantur, vel ſal-
tem, ſi exequutores Apoſtolici de plenitudine poteſta-
tis deputentur, Ordinariis inſciis procedere nequaquam
poſſint, ex *Text. in cap. cum in Jure peritus de offic.
& auctor. Jud. deleg.* in quo ſancitur, quod delegatus
nequat procedere, niſi exhibitis literis Commiſſionis co-
ram Ordinario; ſiquidem ſi allegatus Textus benè per-
pendatur, ad rem nihil facit, quod exequutor Apoſto-
licus aſſumere nequeat exercitium juriſdictionis, niſi
oſtenſis literis Ordinario: ibi enim diſponitur. *Cum ti-
bi ab aliquo ſub hac forma mandatur: Auctoritate, qua
fungor, injungo, ut talem denuncies excommunicatio-
nis ſententiæ ſubjacere, ac tibi ſuper mandato Apoſto-
lico heſitanti, ab aliquo non ſit facta fides, an manda-
tum hujuſmodi exequi tenearis; ſuper quo hujuſmodi ti-
bi damus reſponſum, quod niſi de mandato Apoſtolico
certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur;* Ex
his, inquam, benè deducitur, quod delegatus cogere
nequeat Ordinarium ad exequenda ſua mandata, niſi
oſtenſis literis delegationis, quod ultrò fatemur cum
omnibus *Repert. ad cit. Textum*; ne quidem verò in-
ferri poteſt, quod Exequutor Apoſtolicus non poſſit
aſſumere exercitium Juriſdictionis, niſi anctorizante
Ordinario, ſivè independenter ab ipſo procedere ad
exequutionem, quæ quidem aſſertio longè diſtat à ſu-
pra firmata regula, ut diſtinguendo optimè notat Mar-
ta *de Juriſdiction. par. 3. cap. 4. num. 28. cum ſeqq.*
Ab altera verò objectione deſumpta ex *Concil. Trident.* 9
cap. 20. ſeſſ. 24. de refor. paucioribus pro nunc me ex-
pediam; Quippè Gregorius XIII. edita Conſtitutione,
declaravit, quod ex literarum Apoſtolicarum exequu-
tione eidem Conciliari Decreto nullimodo contraveni-
tur; quapropter nemo deinceps auderet ſub hujuſmo-
di cavillationis prætextu earumdem liberam exequutio-
nem impedire, ſivè exequutores moleſtare, in ejuſdem
Bulla incipien. Ad Romani in ordine 19. atque ibi
quam conſentanea ſit hujuſmodi Gregorii declaratio,
latè monſtrabo; Interim tamen videri poſſunt Salgad.
de retent. Bullar. par. 2. cap. 10. per tot. & alibi,
Lotter. *de re benef. lib. 3. quæſt. 12. num. 3. cum ſeqq.*
Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 52. num. 36. & 37.*
Barboſa *ad Concil. Trident. cit. cap. 20. ſeſs. 24. &
Epiſcopo par. 3. alleg. 81. num.* 17. Roſa *de exequ. li-
ter. Apoſtolic. cap. 3. num. 1. cum ſeq.*

Ratum itaque firmumque eſt, quòd cùm in literis
Apoſtolicis certi exequutores ſunt deputati, adeò 10
quodcumque Ordinarii Officium ceſſat, ut abſque
nullitatis vitio ex defectu Juriſdictionis Epiſcopus
nec cumulativè ſuum brachium contribuere poſſit, ut
literæ Apoſtolicæ debitæ exequutioni mandentur, Fe-
lin. *in cap. final. numer. 38. de præſumpt.* aliique
adducti à Rota *in deciſ. 508. num. 2. cum ſeqq. co-
ram Pamphil. & deciſ. 209. num. 4. coram Buratt.*
Siquidem hujuſmodi prærogativa ſolius eſt A. C. qui 11
literas quaſcumque Apoſtolicas cumulativè exequi po-
teſt, etiamſi certi deputati ſint exequutores, inter
quos ipſe A. C. non ſit nominatus; ex noviſſimis
facultatibus impreſſis apud Saluſt. Tiber. *in praxi A.
C. pag. 126. paragrapho* 14. Ridolphin. *in praxi
par. 1. cap. 1. num. 48. cum ſeqq.* & ſæpius firmavit
Rota, potiſſimè *in deciſ. 315. numer. 4. cum ſeqq.
coram Roxas, & in deciſ. 169. numer. 4. & 5. co-
ram Coccino:* quidquid dicat Rota *in deciſ.* 909.
n. 1. cum ſeqq. coram Buratto, ex Doctoribus loquen-
tibus in terminis antiquarum facultatum A. C. in
quibus erat ipſi interdictum, ne procederet ad exequu-
tionem literarum Apoſtolicarum, quando certo datus
erat exequutor, ut advertit Adden. *ad cit. deciſ.* 508.
num. 9. cor. Pamphil. & expreſsè Ferentil. *ad cit. de-
ciſ. cor. Buratto n.* 6. ubi teſtatur juxta ſupradictam

Digitized by Google

aſſertionem reſcripſiſſe Signaturam Juſtitiæ in *Barchinonen. Beneficii*.

Neque in propoſito eſt omittendum notabile privi-
12 legium, quod circa exequutionem literarum Apoſtolicarum habent Rotæ Romanæ Auditores; etenim ſi impetrentur literæ alicujus Beneficii in Rota litigioſi, etiamſi datus ſit certus Executor; attamen non ipſe Apoſtolicus exequutor, ſed Auditor, coram quo cauſa fuit diſcuſſa, literas collationis exequi debet, ad *Tex. in Clem. ne Romani de reſcriptis*, Tondut. *reſol. benef. par. 2. cap. 3. paragrapho 14. numer.* 1. Cæſar. de Graſs. *in deciſ.* 14. *de præb. & deciſ.* 833. *coram Seraphin.* atque ideò io his terminis Auditor in locum exequutoris in literis nominati ſubintrat, adeòut Apoſtolicæ Bullæ in Rota præſentari, & juſtificari debent, ut ad illarum exequutionem procedatur, nihil obſtante, quod in eis ſpecialis executor deputatus ſit, ut ſupra fuit dictum, & ſæpius decidit Rota, & præſertim in *dec.* 588. *coram Pamphil. num.* 1. *cum ſeqq. & in deciſ.* 200. *num.* 6. *coram Priolo, & deciſ.* 138. *num.* 7. *cor. Peutinger, & deciſ.* 2088. *num.* 85. *coram Coccino, & deciſ.* 398. *num.* 1. *par.* 3. *rec. & in Legionen. Canonicatus per tot.* apud Marchetan. *de commiſſ. par.* 1. *cap.* 1. *pag.* 366. Neque ſanè aliter
13 dicendum eſt, etiamſi in eiſdem Apoſtolicis literis facta ſit mentio litis, per clauſulam *litis ſtatum*, etenim hujuſmodi expreſſio dumtaxat operari poteſt quoad validitatem gratiæ; non verò quod executor nominatus procedere poſſit, non obſtante litis pendentia, ut quidquid dubitet Rota *in cit. Legionen.* firmavit *in cit. deciſ.* 488. *numer.* 4. *cum ſeqq. coram Pamphil.* Beltramin. *ad deciſ.* 2. Ludovii. *numer.* 16.
14 Indubium itaque eſt, quod licèt literæ Apoſtolicæ, expeditæ ſuper beneficio litigioſo, attentatæ non dicantur, cùm Papa non attentet, Ægid. *dec.* 25. *num.* 4. *de Reſcript. & deciſ.* 641. *num.* 12. *par.* 1. *diverſ. deciſ.* 2. *num.* 1. *cum ſeqq. coram Ludoviſ.* nihilominus ſi exequutor deputatus eaſdem literas exequatur, & in poſſeſſionem Beneficii in Rota litigioſi proviſum immittat, irritè procedit; nam poſſeſſio ipſa cum omnibus inde ſequutis per viam attentatorum revocari poteſt, Lotter. *de re benefic. lib.* 3. *quæſt.* 10. *numer.* 44. *cum ſeqq.* Rota *in cit. deciſ. coram Priolo, & coram Pamphil. & in deciſ.* 10. *per tot. coram Ludoviſ. & in deciſ.* 177. *num.* 2. *cum ſeqq. par.* 8. *recent.* & alibi paſſim; in propoſito verò *Text. in cit. Clemen. ne Romani de reſcript.* plura adducit Tondut. *in cit. cap.* 3. §. 14. *per tot.* quæ tamquam aliena à noſtro themate proſequi omitto.

CONSTITUTIO III.

MARTINI V.

incipiens (*In Apoſtolica*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS. AD PERPETUAM Rei memoriam.

PLura præſcribit quoad Officiales Cancellariæ Apoſtolicæ, præſertim Abbreviatores, & Scriptores, necnon quoad Auditores Sacr. Rotæ, Advocatos Conciſtoriales, Notarios eorumdem, & Procuratores Romanæ Curiæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Quæ ſtatuerint Summi Pontifices pro directione Romanæ Curiæ Forenſis.*
2 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione.*
3 *Dicuntur nonnulla de origine Cancellariæ, & munere Vicecancellarii.*
4 *Abbreviatores cur ita dicti, & quod eorum munus.*
5 *Eorum magnus numerus fuit reductus à Pio II. & numer.* 8.
6 *Abbreviatores de Parco majori, vel minori qui ſint.*
7 *Abbreviatorum nomine veniunt tàm majores, quàm minores.*
8 *Collegium Abbreviatorum fuit plures reformatum, ac plura privilegia conceſſa.*
9 *Corrector litterarum Apoſtolicarum non habet præcedentiam ſupra alios Abbreviatores.*
10 *Scriptorum Apoſtolicorum munus quodnam ſit, & quæ eorum prærogativa.*
11 *Illegitimi excluduntur à munere Auditoris Rotæ.*
12 *Auditores Rotæ eligi debent Doctores famoſi, & qualiter id intelligatur.*
13 *Debent item ſibi conſtituere certum patrimonium, & in qua quantitate.*
14 *Proceſſus circa requiſita admittendi ad Auditoratum Rotæ, quatenus perragatur.*
15 *Innuuntur aliquæ functiones faciendæ à novis Auditoribus:*
16 *Refertur ſtylus ſervari ſolitus in concluſionibus habendis à novis Rotæ Auditoribus.*
17 *Qualiter fuerit immutatus locus, in quo priùs hæ concluſiones habebantur.*
18 *Ultra examen publicum novi Auditores ſubire debent examen privatum.*

INter cœteras Paſtoralis Curæ ſolicitudines, ea eſt
in Romano Pontifice præcipua, ut illius Curia ab 1
omni macula, & ruga immunis conſiſtat, ac quacumque labe exempta, ut exemplo ſit aliis Eccleſiaſticis Fori, quæ ab ea, utpotè à fonte dimanant; ut igitur hoc feliciter eveniret, ſatis alii anteriores Summi Pontifices id agere curaverant, variis editis reformationibus, ut innuit Martinus in hac Conſtitutione §. 1. Sed quia, ſicuti tribuli, & ſpinæ etiam io cultiſſimis arvis progreſſu temporis creſcunt, eorumque fœcunditatem denuò fœdare ſolent, ita ut nova opus ſit boni villici eradicatione, ut fructus illi optimos producant; Ita creſcente malitia hominum, reformationes, vel antiquarum excitatorias, vel novas leges præſcribentes emanari, Sacra exigit Politia, Quare Martinus poſtquam viderat in Concilio Conſtantien- 2
ſi, in quo fuit electus, quot mala Curia tunc patiebatur, initio ſui Pontificatus innovavit, nedum antiquatas Reformationes, ſed alias edidit contentas in hac Conſtitutione edita Gebennis Kalen. Septembris Ann. Domini 1418. in qua plura præſcripta inveniuntur quoad Officia Cancellariæ Apoſtolicæ, Auditores Sac. Rotæ, Advocatos Conciſtoriales, Notarios Rotæ, & Procuratores Romanæ Curiæ; de his enim plura aliàs diximus, & hic indicabimus; alia verò explanabimus in hoc Commentario, & reliqua dicenda proponemus in ſubſequentibus Commentariis, in quibus de iis alia occurret tractatio.

Initium hujus Reformatioois ſumpſit Pontifex ab
Officialibus Cancellariæ Apoſtolicæ, cujus nomen ſa- 3
tis indicat locum, ubi acta Apoſtolica, reſcriptaque juſtitiæ, & gratiæ conſcribuntur, Gonzalez *in cap. Ad hoc num.* 3. *de reſcript.* & de Cancellaria iſta Apoſtolica fit mentio à Lucio III. in *tit. cap. Ad hoc*, ubi quaſdam literas non conformes ſtylo illius, reſpui mandat, ac negat eas prodiiſſe à ſua Cancellaria, & etiam de iſta fit mentio in *cap. porrecta de confirmatione util. vel inutil. cap. unic. ut Eccleſ. benef. cap. 4. de crimine falſi;* Cùm itaque præcipuum munus Sedis Apoſtolicæ ſit, ut Romanus Pontifex in prima Sede juſtitiæ, & gratiæ conſtitutus, ejus literas utrumque continentes, per totius Orbis partes, cui præeſt, diffundat, atque tranſmittat; hinc

opti-

Digitized by Google

optimo jure Romani Antiſtites, ut hujuſmodi litterarum
fraudibus obvietur, quò magis humana fert conditio,
plures inſtituere Officiales in ſua Cancellaria, qui lit-
terarum hujuſmodi expeditionibus incumberent, ac
ſæpè ſæpius novas reformationes pro munere eorum
rectè obeundo emanare curarunt, quique Officiales
ſubſunt Cardinali Vicecancellario, uti eorum capiti,
ac moderatori, prout videmus in inferioribus Can-
cellariis plures ſubalternos adeſſe Officiales ſub uno
Cancellario, Gonzalez *c. dilectus num. 2. ut lite pend.*
& de munere Vice-Cancellarii, & quare Cardinalis
dicatur talis, & non Cancellarius, alibi dicam.

Deveniendo itaque ad Officiales Cancellariæ, cir-
4 ca quos verſatur Reformatio Martini, primò occur-
runt Abbreviatores, aliàs etiam Breviatores nuncupa-
ti; iſtorum enim nominis æthimologia ſatis elucet
ab ipſo verbo, quod ſcilicet abbrevient, ac in com-
pendio ponant aliquid magis amplè conceptum, Pa-
riſ. *conſ.* 112. *num.* 9. *l.* 4. Cherub. Jun. *ad Conſtit.* 4.
Leonis X. *ſchol.* 1. Polid. Virgil. *de rer. Invent. libr.*
8. *capit.* 2. Mandoſ. *in Reg. Cancell. Reg.* 31. *quaſt.* 7.
num. 3. Fermoſin. *cap.* 4. *de offic. Vicarii qu.* 3. *num.*
24. *& ſeq.* Unde Brevis nomen etiam ex hoc deriva-
tum fuit, quia brevioribus concipitur verbis, ut dixi
tom. 1. *in proœmio* §. 2. *numer.* 1. *pag.* 5. Eorum Ab-
breviatorum munus in Cancellaria præfata antiquiſſi-
mum eſſe conſtat, cùm de iis fiat mentio in *Extra-
vag.* Jo: XXII. *Cum ad Sacroſancta de ſentent. excom.
& Extravag. ex debito, extravag. ad Regimen de præ-
bend.* Quod munus verſabatur in conficiendis minu-
tis brevibus ex ſupplicationibus ſignatis pro expedien-
dis litteris Apoſtolicis, ac debito ſtylo correctis, Petr.
Greg. Tholoſan. *in ſyntagm. Jur. lib.* 5. *cap.* 42. *num.*
3. Lotter. *de re benef. lib.* 3. *qu.* 1. *num.* 34. & uſque
ab anno 1480. Rota ſe informabat ab Abbreviatori-
bus de tali ſtylo, ut teſtatur Hieronymus Paulus Bar-
chinonenſis *in ſua praxi*, de qua facit mentionem *bo:
me: Jo: Ciampinus* utriuſque Signaturæ Referendarius,
& Abbreviator unus de Parco majori, vir eruditione
ac morum placiditate refertus, in diſſertatione edita,
*de Abbreviatoribus de parco majori in Operis Propy-
leo litt. C. Romæ typis impreſſa anno* 1691. & præfa-
tum ſtylum ab Abbreviatoribus Rotam ipſam ſe do-
ctam voluiſſe etiam poſterioribus temporibus, habetur
in *dec.* 692. *nu.* 5. *lib.* 3. *par.* 3. *diverſ. dec.* 72. *nu.* 3.
lib. 1. *cor. Verallo:* & alii plenè apud Roſam *de exe-
cut. litter. Apoſtol. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 35. Amyden. *de
ſtylo Datar. cap.* 32. *num.* 58. Verùm tamen eſt, quod
major prærogativa evenit Abbreviatoribus poſt erectio-
nem eorum in Collegium, quam habebant primitus,
& his Martinus V. præſcribit certa emolumenta, alia-
que quoad eos decrevit, ut ex hac Conſtitutione, ali-
iſque elicitur, per extenſum poſita à præfato Ciampi-
no *cap.* 4. Tempore verò Pii II. cum Abbreviatorum
numerus ſatis fuerat excretus, quando Benedictus vi-
ginti quatuor tantùm conſtituerat, ideò ex multiplici-
tate eorum exiſtimatio, imò emolumenta imminuta re-
manſerunt, & idonei, ac viri perſpicui munus hoc
5 non ambiebant; ex quo evenerat, ut antiquus ſtylus
Cancellariæ in expeditionibus omitteretur, maximo ju-
ſtitiæ, partium, ac decoris Romanæ Curiæ detrimen-
to; ideò Pius II. ex ingenti tunc numero exiſtente, eos
reduxit ad 70. ac in Collegium erexit, & ſtatuit ut eo-
rum munus perpetuum eſſet, certis emolumentis at-
tributis, ac privilegiis conceſſis, quodque aliqui eo-
rum dicerentur de Parco majori, alii verò de parco
minori; primi enim conſident in certo loco ſeparato,
6 cancellis ligneis munito, in aula Cancellariæ, aſſi-
ſtuntq; Cancellario, ſubſcribunt, litteraſq; ac præci-
puam habent auctoritatem circa formam earum expe-
ditionis. Illi autem minoris parci mittunt litteras ad
primos, Ciampin. *cit. loco*, ubi ponit Bullam Pii II.
cap. 2. *&* 8. Veſtr. *in praxi lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 3. Roſa
citat. cap. 1. *num.* 33. *& ſeqq.* Amyd. *cit. c.* 26. *nu.* 7.
& cap. 32. *n.* 58. Lotter. *cit. l.* 3. *cap.* 1. *n.* 34. Cor-
rad. *in praxi diſp. l.* 2. *cap.* 8. *n.* 3. *& ſeq.* ubi plura
de Abbreviatorum munere dicuntur; Dum tamen men-
tio ſit indeffinitè de Abbreviatoribus, intelligi debet de 7
utriſque tùm majoris Præſidentiæ, quàm minoris, Ro-
ta *dec.* 234. *lib.* 1. *cor. Puteo*, Mandoſ. *in reg.* 1. *Can-
cell. quaſt. ult.* Lotter. *cit. libr.* 2. *quaſt.* 32. *num.* 34.
& eorum omnium unicum eſt corpus, Amyd. *cit. cap.*
26. *num.* 7. qui etiam *cap.* 6. *num.* 3. *& cap.* 18. §. 2.
num. 69. ponit eorum emolumenta, Paulus II. Sum-
mus Pontifex Abbreviatorum Collegium extinxit. Sed
Sixtus IV. iterum reſtauravit, *Conſtit.* 16. *ejuſdem in-* 8
cip. Divina tomo 1. *Bullarii*, in qua 72. Abbrevia-
tores tantùm conſtituit, ex quibus 12. deberent eſſe
de Parco majori, reliqui de parcu minori, ſeù pri-
mi, viſum, nuncupati, & plura dicto Collegio, ac
præcipuè illis de parco majori conceſſit privilegia,
prout egit Leo X. *Conſtit.* 14. *incip. ſumma*, & Pau-
lus V. *Conſtit.* 2. *incip. Romani*; de his enim Abbre-
viatoribus de parco majori, qui etiam Prælaturam ha-
bent annexam, alibi proinde occurret ſermo in citatis
Conſtitutionibus, & de eis præſertim agit Card. de
Luca *in relat. Rom. Cur. diſc.* 10. *& diſc.* 31. *nu.* 21.
Rota *dec.* 716. *cor. Seraphino*, ubi firmat, nullam de-
beri præcedentiam Correctori Litterarum Apoſtolica-
rum, qui erat Abbreviator, ſuper alios, ſed in loco
ſuæ antianitatis.

Quoad Scriptores Apoſtolicos, pro quibus etiam
hæc Bulla diſponit emolumenta, quodque non poſ- 10
ſunt eſſe illi de Pœnitentiaria in Cancellaria, certum
eſt fuiſſe iſtos antiquos ex eorum munere, ſatis ne-
ceſſario pro expeditione Bullarum: imò Martinus hic
voluit inter ipſos, & Abbreviatores tunc dari ad in-
vicem præcedentiam, ac frui debere iſtos privilegiis
in expeditione Bullarum, quibus fruebantur Scripto-
res; & ſic tunc non erat tam æſtimabile Abbrevia-
torum munus: rurſus beneficia Scriptorum ſunt Pa-
pæ reſervata, ut in *Extravag. ad regimen de Præ-
bendis*. Deveniendo poſtmodum ad Auditores S. Ro- 11
tæ, jam plura de iis dixi ſupra *Conſtitut.* 14. Joan-
nis XXII. in hac autem Conſtitutione ſpecialiter præ-
ſcribitur, quod ſint vitæ; & morum honeſtate præ-
diti; hic illegitimi, qui non ſolent eſſe tales; non ad-
mittuntur, & pluries, ſubmiſſione, qua par erat,
viriliter Romano Pontifici, aliter nominanti, replica-
tum fuit, de quibus vide Lotter. *loc. cit. n.* 135. *& ſeq.*
quoad eos item in hac Conſtitutione præſcribitur,
quod ſint DD. famoſi, & ita ſervatur, quia inter alia 12
requiſita probanda in proceſſu faciendo ante admiſſio-
nem uniuſcujuſque, talis qualitas debet probari, &
Doctoratus utriuſque Juris debet eſſe in famoſa, hoc
eſt publica Univerſitate, nec ſufficit illud privilegii,
aut extrà Univerſitatem publicam, prout requiritur
in Epiſcopis promovendis, nec ſufficit quod ſit licen-
tiatus, ut animadvertit ex ſtylo inconcuſſo R. P. D.
Anſaldus, unus ex inſignibus hujus Tribunalis Con-
feſſoribus, *præfatione, ſeu notabilibus initio ejus deciſ.
impreſſ. num.* 24. Saravia *de juriſd. Adjuntor. quaſt.
ult. de Auditor. Sac. Rotæ* §. 5. Autumo tamen ne-
dum Martinum voluiſſe Doctoratum in Univerſitate
publica; ſed quod fuerit famoſus Doctor, ut littera
exprimit, & in terminis hujus Bullæ Lotter. *in Ap-
paratu de re benef. n.* 825. *& ſeq.* & magis ſequens
requiſitum, ut per triennium legerit, quod excludit
qualitatem ſimplicis Doctoris, ſed famoſum indicat;
hoc tamen requiſitum non eſt in uſu, ſed tantùm ve-
rificatur aliquando in Hiſpanis, qui in eorum Uni-
verſitatibus legere ſolent; deinde ad Auditoratum no-
minati ſunt, aliàs autem ſuppletur ex praxi Curiæ in
aliis; cùm ſæpè eligantur Prælati, vel Advocati Con-
ciſtoriales, qui diù in ea inſudarunt, ut in tanto con-
ſeſſu Judices totius Chriſtianitatis meritò adciſcantur;
unde ſubrogatus fuit ſtylus, quod poſt nominationem
in Auditorem per Papam factam, quaſi per annum
verſetur nominatus apud DD. de Rota, antequam cau-
ſas decidere incipiat, ut dicam, cauſam patrocinan-
do, examen publicum, & ſecretum quoque ſubeundo,
cum ex Doctoratu non benè inferatur ad doctrinam
neceſſariam, ut præcisè in hac re dixit D. Anſaldus
cit. præfat. num. 30. Rurſus debet probari Clericatus, 13

&

& quod bonis moribus ſit inſtructus, habeatque in redditu annuo in beneficiis, vel patrimonialibus floren. 200. auri de Camera, ut ſubſtentari poſſit; tempore enim Martini ſatis frugalis erat Prælati manutentio, & proindè ſufficiens reputavit dictum redditum; nunc verò etiam fit talis probatio in proceſſu, ut teſtatur *cit.* D. Anſald. *numer.* 22. Saravia *citat.* §. 5. quidquid dicant Card. de Luca *in relat. Rom. Curia diſc.* 32. *num.* 30. *&* Lotter. *de re benef. libro* 1. *in apparat. numer.* 140. aſſerentes, quod nunc debeant probari redditus aureorum mille; idque optimè conſtitutum fuit, ut effugiatur in Judice quæcumque ſuſpicio non rectæ Juſtitiæ adminiſtrationis, aliàs forſan ex paupertate præſumenda, ut apud *cit.* Anſald. *numer.* 23. & Lotter. *numer.* 40. *& ſeq.* & generaliter Petra Genitor *ſuper Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ ritu* 34. *numer.* 19. *tomo* 1. In præſenti tamen cùm emolumenta Auditoratus Rotæ fuerint adaucta à tempore Martini ſatis conſulitur per dd. redditus flor. 200. auri, & proprios Auditoratus, qui ſolent eſſe in ſumma ſcut. 1600. annuorum circiter, ſemperque ſolent à beneficentia Romanorum Pontificum obtinere beneficia pinguia, & aliqua munera cum emolumentis, ut in Pœnitentiariæ Regente, aliiſque itaut nulla cadat dubitatio, non poſſe aliquem ex paupertate juſtitiam facere. Iſte enim proceſſus probatorius omnium prædictorum fit coram Sacra Rota; nam ſtatim ac ali-
14 quis obtinuerit à Romano Pontifice collationem Auditoratus, poſt actas gratias eidem, viſitat omnes Auditores, à quibus, niſi fuerit Prælatus, recipit latum dexterum; & utitur, etſi non eſſet Advocatus Conciſtorialis, veſtibus ejuſdem, obtinuitque demum Gratiæ litteras, quæ dicuntur motus proprius Papæ, cum clauſula *ſervatis ſervandis*, quæ clauſula importat conditionem, ut omnes ſolitæ ſolemnitates ſerventur, & Rotæ Decanus aſſiſtit, ut ita concipiatur, nec unquam dictæ ſolemnitates omittuntur, cùm Papa religiosè ſervet ſtylum non derogandi in iis; optima quidem ratione; ut ſcilicet non ſtatim electi in tanto, ac tali conſeſſu conſidere videantur, & majori majeſtate paulatim tanta dignitas adveniat. Tempore autem proceſſus, qui fit intra tres menſes, niſi eſſet Advocatus Conciſtorialis, in quo requiruntur tantùm duo, ſolet Candidatus viſitare S. R. E. Cardinales omnes, & præſertim V. Cancellarium, coram quo præſentatur motus proprius, in quo apponitur dies præſentationis in calce, eoque tempore
15 facit Auditor novus viſitationes certis diebus Audientiæ Rotæ, ut minoris ſit incommodi omnibus Auditoribus, ac pluries à duobus aſſociatus ad Papam habet ingreſſum, itaut hujuſmodi officioſitates ſuperſtitioſæ dicantur ab aliquibus, cùm nihil ponant in eſſe; ſed verè importent, ut Candidati interim colloquentes cum antianis Auditoribus, incipiant adiſcere ab iis ſtylum Tribunalis, & quod manſueti ingrediantur in eorum conſeſſu, quodque curant ſervari inviolabiliter, & ſicuti ipſi ſervarunt, volunt ab aliis fieri irremiſſibiliter, & de his vide Card. de Lu-
16 ca *loco cit.* & pleniſſimè D. Anſal. *cit. præfat.* Maximum tamen horum eſt examen publicum, quod in hac Conſtitutione Martini præſcribitur; ſolet enim, juxta præſentem praxim, Candidatus, ſi non fuerit Prælatus Romanæ Curiæ, vel Advocatus Conciſtorialis, recipere aliquam cauſam patrocinandam, quæ ei per Decretum Rotæ aſſignatur, qui deinde Auditor in cauſa patrocinata nunquam votat, ut teſtatur D. Anſald. *cit. num.* 31. & deindè recipit punctum, hoc eſt locum Textus Canonici ſemper ab Auditore penultimo, coram Cardinali V. Cancellario, per 30. dies ante, & à puncto dato depromit decem Concluſiones contra communem opinionem, quas exhibet in Rota, ac iis reviſis ſeptem ſeliguntur, ac typis demandantur, cum ſcuto impreſſe continente Inſignia Papæ, quæ olim quotieſcumque occurrebat, de novo excudebantur cum aliquo diſpendio: quod cùm ſuperfluum reputetur, hodie idem ſcutum pro his Concluſionibus exornandis adhiberi conſuevit, ſupra quod ſemper hæc inſcriptio apponitur: *D. O. M.* & inferius *Clementi XI. P. M. Benefactori*, deindè ſcutum ſubſequitur cum Inſignibus Papæ, & duabus lateralibus virtutibus; poſt ſcutum ſcribitur: *Divino implorato præſidio, ſub permiſſione Petri Cardinalis Ottboboni S. R. E. Vicecancellarii, & permiſſione R. P. D. N.* & ponitur nomen Conciſtorialis Advocati, & Rectoris tunc temporis Univerſitatis Sapientiæ, & deindè ponuntur Concluſiones diſputandæ contra communem, eaſque Concluſiones Candidatus exhibet Romano Pontifici, ac defert ea S. R. E. Cardinalibus, Auditoribus S. Rotæ, Prælatis Curiæ, Advocatis Conciſtorialibus, & Curialibus, ut plurimum perſonaliter relinquendo eas Domi eorum, exceptis Cardinalibus, & Auditoribus, quibus præſentantur in manibus, ac affiguntur à Bidello in januis Cardinalium, & DD. Auditorum, aliiſque locis etiam publicis, ſubinde die pro ipſa Concluſione ſtatuto interſunt Cardinales, Prælatique, qui ab eodem Candidato invitantur, Auditores Rotæ, Advocati Conciſtoriales, Advocati alii, & Procuratores, aliique voluntarii plures, & in Aula Cancellariæ Candidatus ipſe in ſubſellio brevem, & elegantem Orationem latinam recitat in habitu cum mantellone. Auditores in his functionibus utuntur habitu ſpeciali, Mantellone dicto, cum Caputio, quo utuntur in aliis functionibus eis communibus extra Rotam; & deinde explicat Textum aſſignatum, laconicè caſum Textus, deciſionem, ac alia ad rem explanans; hiſque geſtis argumentantur tres ultimi Auditores Rotæ, quorum objectis Candidatus reſpondet, & verè ſtylo ſatis prolixo faciunt argumenta quatuor ſylogiſmis conſtantia, quæ ille repetere debet memoriter, unà cum citatione textuum in iiſdem argumentis adductis, & narrat peculiariter modum *cit.* D. Anſald. *num.* 35. & hoc publicum examen omnes ſubire debent, ut fecit Felinus inſignis Canoniſta, ut notat ipſe *in cap. Venerabilis num.* 49. *in fine verſ. & ideò de except.* aliique apud *Lotter. citat. num.* 133. *& ſequent.* Anſald. *numer.* 36. Præfatæ Concluſione fieri incœperunt in Cancellaria anno 1609. tempore Pauli 17
V. qui volebat eas fieri in Sala Studii Sapientiæ, ſed DD. Auditores, miſſis ex iis duobus, ſupplicarunt id non fieri, cùm eſſet indecens locus, in quo Scolares novitii proprias agitant diſputationes, & ſic Papa deputavit Aulam Cancellariæ, quæ verè locus publicus dici valet, qui eſt aſſignatus pro Domo fixa Cancellarii; prius enim fiebant Concluſiones in Palatio Apoſtolico in Aula ejuſdem Rotæ, ſed cùm fuerit Rota ad aliam manſionem aſportata, fiebant deindè in Aula antiqua; verum cùm ex fabricæ impedimento nequiſſent fieri in ea Aula, & nova eſſet anguſta, ideò Rota ſupplicavit Summo Pontifici, vel pro deſtinatione alterius loci in eodem Palatio Apoſtolico, vel in Eccleſias S. Euſtachii, prout antiquitus etiam Concluſiones iſtæ defendebantur; ſed Papa noluit id fieri in Eccleſia, & deputavit dictam Aulam Cancellariæ, prout commemorat Coccinus *annotat.* 455. *tit. o* 1. *deciſionum*; deindè fieri debet examen privatum, quod certè maximopere Candidatum probare ſolet; ſed verè iſta Conſtitutio Martini demandavit tantùm fieri diſputationes publicas, de quibus ſupra, ſed examen privatum coram Eminentiſſimo Vicecancellario demandavit Sixtus IV. in ejus *Conſtit.* 2. ut dicam ſuo loco, prout alibi notabo ea, quæ pertinent ad Advocatos Conciſtoriales, & Notarios Rotæ, de quibus etiam hæc Bulla diſſerit, & de Procuratoribus Romanæ Curiæ, de quibus plura etiam innuit, dixi latè ſupra *Conſtit.* 2. Benedicti XII. & ad materiam hujus Bullæ Martini V. plura refert *cit.* Lotter. *in apparatum.* 138.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO IV.

M A R T I N I V.

Incipiens (*Fons parvulus.*)

E P I T O M E B U L L Æ.

MARTINUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

EXimit Fratres Carthuſianos à ſolutione Primitiarum, & Decimarum.

C O M M E N T A R I U M.

S U M M A R I U M.

1 *Summorum Pontificum vigilantia in promovenda Regularis diſciplina obſervantia.*
2 *Exemptiones Regularibus qua ratione, & moderatione conceſſa.*
3 *Refertur exemptio à ſolutione Primitiarum, & decimarum conceſſa Carthuſianis in hac Conſtitutione.*
4 *Proponuntur tractanda in preſenti Comentario.*

SUper Cathedram Paſtoralis præeminentiæ Eccleſiæ
Univerſalis Summi Pontifices præſidentes, pio,
1 ac ſancto deſiderio afflantur, ut Monaſteria, ac loca
religioſa quæcumque, gratia Divina cooperante, ſalubri quoque ſtatutorum directione muniantur, ac in eis regularis diſciplinæ nervus ſervetur, omneſque virtutes in iis vigeant. & ut faciliùs hæc obtineantur, à curis mundanis alienos Regulares voluerunt Romani Pontifices, proindeque conſuevere eis exemptiones concedere ab oneribus, quibus eorum bona obnoxia jure communi detinebantur; Quid enim juſtius fieri poterat, quàm quæ pro ſubſtentatione Eccleſiæ Miniſtrorum inductæ fuerunt, & pauperum ſubventionem, in alimoniam Monachorum humanis ſubſidiis indigentium converterentur, ut benè conſiderat Thomaſſin. *de venefic. part.* 3. *libr.* 1. *capit.* 9. *num.* 2. & 5. Verùm in hac re moderatio adhibenda eſt,
2 quæ exprimitur à Gratiano 25. *qu.* 1. *can.* 2. *Privilegia ergo, quæ Religioſis domibus conferuntur, vel in eo caſu accipienda ſunt, in quo ita eis conſulitur, quod nulli alii derogetur, &c. ita privilegiorum authoritas videatur eſſe ſervanda, ut eorum ſubveniatur inopia, non ut ſuorum divitiarum augmento, & poſſeſſionis non modica extenſione porrecta Baptiſmales, ſeu Paro-*
3 *criales Eccleſiæ penitus deſtruantur.* Paupertati igitur
tunc vigenti in eorum exordio, ut magis ſpirituali vitæ incumberent, conſulere opus fuit ſubſidiis temporalibus; hinc meritò Martinus V. Monachos Carthuſianos exemit à ſolutione primitiarum, & decimarum ex bonis eorum tam ante, quàm poſt Concilium Generale, ſcilicet Lateranenſe, relatum in *cap. nuper de decimis*, habitis, vel acquiſitis, quæ tamen bona ipſi eorum manibus excolerent, ac expenſis, vel laboribus, ac in futurum id agerent, necnon ex fœtibus animalium, itaut præfatas primitias, ac decimas cuicumque ſolvere, & à quocumque cogi non valerent, derogando præfato Concilio, ut ex Conſtitutione præſenti edita Romæ apud SS. Apoſtolos 8. Kalendas Octobris Anno 1420.
Cùm igitur de exemptione Regularium à decimis
4 plura diximus ad *Conſtitut.* 6. Honorii III. *& in hoc tomo ad Conſtitution.* 3. Gregorii XI. *Conſtitution.* 10. *ejuſdem, &* dicam infra ad *Conſt.* 8. Martini V. ac de ipſarum decimarum exemptione alibi redibit ſermo, ideò in præſenti aliqua tantùm explicare ſtatui quoad exemptionem à primitiarun ſolutione, de quibus nulla in hoc opere fuit facta mentio:

S E C T I O U N I C A.

De Primitiis, ac exemptione ab earum ſolutione.

S U M M A R I U M.

1 *Primitia unde dicta, & quatenus Deo debeantur.*
2 *Hebrai ex quibus rebus, & quo tempore primitias ſolverint.*
3 *Quota primitiarum qualis in lege Hebræorum fuerit.*
4 *Preceptum de ſolvendis primitiis an adſit in lege Evangelica.*
5 *Oblatio primitiarum non eſt de jure Divino, prout nec earum quota.*
6 *Primitia ſolvenda non ſunt, niſi adſit conſuetudo & num. ſeqq.*
7 *In Jure Canonico nullum eſt preceptum de ſolutione primitiarum.*
8 *Neque hoc preceptum inducitur ex Decreto Concilii Tridentini.*
9 *Fideles affluenter olim primitias, ultra decimas offerebant.*
10 *Primitia offeruntur immediatè Deo, & quatenus differant a decimis.*
11 *Aſſiſtentia Juris non competit Parochis pro ſolutione primitiarum, & n. ſeqq.*
12 *Conſuetudo decennalis ſufficit Parocho pro exactione primitiarum.*
13 *Aſſiſtentia Juris in quibuſdam cauſis competit Parocho pro exactione primitiarum.*
14 *Eademque Juris aſſiſtentia competit Epiſcopo, ſi in Diœceſi non ſint Parochia diſtincta.*
15 *In Hiſpania Parochi frequentius non obtinent juris aſſiſtentiam quoad decimas, & primitias & quare.*
16 *An, & ex quibus fructibus primitia ſint ſolvenda & nu.* 24.
17 *Primitia exhibenda ſunt Parocho, ubi ſita ſunt bona.*
18 *Quod limitatur ſi adſit contraria conſuetudo quadragenaria.*
19 *Itemque ſi ſolvantur ratione adminiſtrationis Sacramentorum.*
20 *Quatenus in ſolutione primitiarum ſervanda ſit concordia inita à Communitate cum Parocho.*
21 *Primitia quo titulo poſſunt pertinere ad alterum, quàm Parochum.*
22 *Regulares quatenus ab earum ſolutione ſint exempti.*
23 *Quadragenaria cum titulo requiritur ad preſcribendum jus exigendi primitias contra Parochum.*
24 *Parochus habere poteſt jus exigendi primitias ex quibuſcumque fructibus etiam non comeſtibulibus.*

PRimitiarum nomen, earum ethimologiam in ſe
explicare valet, cùm ex ſe ſignificet primum fru- 1
ctum, quem terra aliqua producit; hinc Nicol. *ad conſult. Bulgar. cap.* 89. ait: Fruges *novas, & rerum offerre primitias, etiam veteribus moris erat.* Unde in lege veteri eas præſtare Deo pro tributo fuit injunctum, utpotè res, per quas initia, ſeu primitiva frugum in recognitionem Divini Beneficii, quo jucundiſſimos terræ fructus ſuſcipimus, Deo tamquam omnium conditori, & datori rependuntur, & damus Domino, quod ab ipſo accepimus. Unde *Exodi capit.* 20. habetur; *Decimas, & primitias non retardabis reddere, & capit.* 23. *Primitias frugum terra deferes in domum Domini Dei tui, & cap.* 26. *Primitias ab omni homine, &c. Tolle de cunctis frugibus tuis primitias*, ac alibi id injunctum fuiſſe legitur; Sed verè etiam naturalis

lis antidoralis gratitudinis monumentum id cenſetur,
quod agnoverunt gentiles ipſi; nam Romani vina non
guſtabant, aut novas fruges, priuſquam Sacerdotes
primitias libaſſent, Alexand. ab Alex. *dier. gen. libro* 5.
capit 18. Plin. *libr.* 18. *cap.* 3. *&* *lib.* 12. *cap.* 14. *&*
19. & Ovid. *lib.* 3. *faſt.* ait.

Te memorant Gange, totoque Oriente ſubactos
Primitias magno ſuppoſuiſſe Jovi.

Cauſa, ratioq; iſtarum primitiarum oblationis Divino
motori benè aſſignatur à *Simplicio in capit.* 38. *Epi-
cteti: Extremarum rerum, quas Deus dederit, primi-
tias offero, nam jus, faſque poſtulat iis offerri primi-
tias, qui dederunt, non quod his egeat Deus, neque
enim probitate noſtra eget, neque rectis de ſe opinioni-
bus, ſed nos per hæc pro ea menſura, quæ nobis con-
venit, illuſtrationis divinæ facti capaces Deum ſuſci-
pimus.*

Hebræi itaque optima ratione primitias Deo offe-
2 rebant, triplici quidem tempore, triplicique genere
primitiarum, juxta varia Sacræ Scripturæ loca, ac
ritus in ea deſcriptos; Primitias etenim ſpicarum of-
ferebant tempore Paſchatis; primitias panum in Pen-
tecoſte; & menſe Septembris in feſto Tabernaculorum
primitias fructuum; imò *Sanct. Iſidor. cap.* 15. *Numer.*
ait: *dicunt vero hebræi ſe teneri ad ſeptem ſpecies pri-
mitiarum, nempè tritici, hordei, Uvarum, ficorum,
olivarum, malogranatorum, & dactilorum palmarum,*
& ab initio mundi Abel, & Cain in lege naturæ etiam
præſtarunt primitias, Baron. *in appar. numer.* 9. *&
anno* 1. *num.* 16. *anno* 34. *num.* 52. *anno* 44. *nu.* 38.
Beyerlinch. *verb. Primitiæ num.* 6. Joan. Dartis *de be-
nef. ſect.* 1. *cap.* 1. *& ſect.* 2. *cap.* 2. Gonzal. *cap. de-
cimam numer.* 4. *de decimis*, Barb. *de Jur. Parochi cap.*
27. *num.* 1. *& ſeq. & de Jur. Eccleſ. libr.* 3. *cap.* 25.
num. 1. *& ſequent.* Rota *deciſ.* 25. *num.* 1. *& ſeq. co-
ram Ubago, & dec.* 520. *num.* 3. *& ſequ. part.* 19. *to.*
2. *recent.* Quota autem non videtur fuiſſe definita in
3 dicta lege, ſed ex conſuetudine, & uſu majorum fuit
non minor ſexageſima; liberaliores verò ſolvebant qua-
drageſimam, ut ex D. Hieronym. eſt textus in *cap. de-
cimam* 1. *de Decimis*, ubi Repetentes.

Sed an poſt legem Evangelicam ſolutio primitiarum
4 dicatur eſſe etiam ex neceſſitate, à Jure ſcilicèt indi-
cta vel potius ab eo voluntariè facienda inducta; Et
videtur lege Evangelica nullum jus quoad primitiarum
ſolutionem adeſſe, cum leges veteris teſtamenti per no-
vum remanſiſſent abrogatæ, uti ceremoniales, vel ju-
diciales, Guttierez *Canon. qu. lib.* 2. *cap.* 21. *nu.* 12.
Trullench. *ad praecept. decalog. lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 12.
Caſtropal. *oper. moral. to.* 2. *tract.* 12. *diſp.* 12. *punct.*
16. *num.* 2. Antonell. *de regim. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 15.
num. 2. Suarez. *de relig. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 15. Lay-
man. *theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 6. *n.* 1. Berous
conſ. 19. *nu.* 8. *& ſeq.* Rota *dec.* 25. *nu.* 17. *cor. Uba-
go, & in cit. dec.* 520. *nu.* 3. *& ſeq. par.* 19. *tomo* 2.
recent. Verùm quamvis ceſſaſſent antiquæ legis ordina-
tiones, itaut non poſſit debitum primitiarum oriri à le-
ge Divina juxta quotas, & formas præſcriptas in lege
veteri, jam abrogata quoad ceremonialia, & Judicia-
5 lia, cùm alii inter prima præcepta, alii inter ſecunda
ſolutionem primitiarum poſuerint, Guttierez. *cit. nu.*
22. & ſic in præſenti nulla ſit obligatio ex jure Divino
procedens quoad tales primitias ſolvendas; tamen vi-
get obligatio in genere, uti orta ex jure quodam natu-
rali, quod inducit obligationem recognoſcendi divi-
num opificem pro beneficiis aliquo modo; ſed quod
id fiat per primitias, vel alias præſtationes jure novo
inductum neceſſariò non fuit, nec quod loco Dei of-
feratur certis perſonis, ut benè ponderat D. Thom. 2.
2. *qu.* 86. *artic.* 4. Unde communiter apud Doctores
6 habetur, primitias debere ſolvi, ſi conſuetudo loci id
ferat, quia, quamvis ab initio certa quantitas ſoluta
fuerit ex actu voluntario, remanet deinde præſtatio ne-
ceſſaria, quia Eccleſia demandat talem quotam ſemper
præſtari, nec poſſe ab offerentibus, neque recipienti-
bus alterari, quia in ea præſtatione verificatur ſolutio
debitæ recognitionis erga Deum pro ſuo dominio;
hinc cùm in pluribus locis, non ſolvantur, ita conti-
nuari debet in libertate non ſolvendi, tuncque cenſe-
tur ratio ea naturalis adimpleta alio modo, ac alia-
rum rerum præſtatione, ut conſiderant Caſtropal. *cit.
num. in fine*, Leſſius *lib.* 2. *c.* 39. *dub.* 6. *nu.* 31. Azor.
Inſtit. moral. lib. 7. *cap.* 38. *qu.* 3. ubi in pleriſque,
ac ferè omnibus regionibus id Jus primitiarum non adeſ-
ſe, Barboſ. *de poteſt. Parochi cap.* 27. *num.* 5. & licèt
num. 7. §. *poſt aliqua*, adducat *deciſionem* Rotæ 307.
coram Achille de Graſſis, alias 2. *de decimis*, qua
firmatur, primitias deberi etiamſi non adſit conſue-
tudo, quia dicitur debitum jure naturæ, tamen con-
trarium deindè decidit eadem Rota *in cit. deciſ.* 25.
num. 2. *coram Ubago*. Et verè in lege Canonica nul-
lum præceptum eſt quoad ſolutionem primitiarum,
nam *can. revertimini, & gloſſ. in c. Eccleſia ver. pri- 7
mitiæ* 13. *qu.* 1. quæ adduci valent, non important
textum Conciliarem, aut decretalem Summi Pontifi-
cis, & in Concilio Tridentino, etſi *ſeſſ.* 25. *cap.* 12.
de reformat. imponatur tam ſtrictè ſolutio decimarum
tamen nil dicitur de primitiis, ut ad rem obſervavit
Rota *cit. deciſ.* 25. *num.* 5. §. *nihil relevat, coram U-
bago*; & proſequitur in *deciſ.* 520. *par.* 19. *tomo* 2. *re-
cent.* Verum tamen eſt, quod Concilium prædictum 8
in fine dicti capituli omnes Chriſtianos hortatur pro
Chriſtiana charitate, debitoque erga Paſtores ſuos mu-
nere, ut de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis, &
Parochis, qui tenuioribus Eccleſiis præſunt, largè ſub-
venire ad Dei laudem, atque ad Paſtorum ſuorum,
qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non
graventur. Sed id non importat modum ſolvendi pri-
mitias; quare concors eſt Theologorum, & Canoni-
ſtarum ſententia, tunc deberi primitias, quotieſcum-
que adſit conſuetudo in eo loco, pro illis bonis, &
pro ea quota reſpectivè, quæ ſolvitur; tunc enim de-
bitum illud naturale recognoſcendi Divinum Facto-
rem obſequio, videtur ſignatè in uſu receptum, ut
fiat ſolutione primitiarum, & pro illis bonis, ac quo-
ta, adeòque tali modo præſtetur illud; & ſic debet
continuari, quaſi contractu, ut dicam, intercedente;
unde cùm certum ſit per decennium induci obligatio-
nem ſolvendi Eccleſiæ aliquid, etſi ab initio fuiſſet
præſtatio voluntaria, Rota *dec.* 740. *& num.* 3. 4. *&
dec.* 1069. *per tot. cor. Emerix Jun.* quid dubitandum
hoc idem eſſe dicendum reſpectu præſtationis primitia-
rum, quæ Deo offeruntur in executionem debiti obſe-
quii, ut benè ratiocinatur Rota *in cit. deciſ.* 520. *pag.*
19. *tom.* 2. *recent.* ubi *num.* 6. docet, poſt legem Evan-
gelicam ex conſuetudine pendere totaliter primitiarum
obligationem, & *nu.* 20. plures deciſiones, & Docto-
res concordantes adducit, poſt D. Thom. *loc. cit.*

Certè tamen elicitur ex vetuſtioribus Annalibus afflu-
entem primitiarum quantitatem fuiſſe à fidelibus præ- 9
ſtitam, unà quoque cum decimis, ut in Anglia, &
Italia, ac aliis Regionibus recenſet Thomaſſin. *de be-
nefic. tomo* 3. *libr.* 1. *cap.* 1. *& ſequentibus*, & D. Gre-
gorius Nazianzenus *orat.* 15. dixit. *Alius uſuris ter-
ram contaminat; alius area, & torcularis primitiis
Deum, qui omnia donaverat, fraudavit, & epiſt.* 80.
ſubdit: *Quemadmodum areæ, & torcularis primitias,
& filiorum eos, qui verè filios amant, Deo conſecrare
juſtum, ac pium eſt, quoniam ab ipſo, & nos ipſi, &
noſtra omnia ſunt, ita novæ quoque hæreditatis, ut pars
promptè, & liberaliter oblata majori parti ſecuritatem
conciliet.* En quomodo SS. PP. ad primitias reddendas
hortabantur.

Quæ autem differentia ſit inter primitias, & de-
cimas, aliqua dixi *tomo* 2. *conſtit.* 6. Honorii III. 10
numer. 5. Primitiæ enim offeruntur immediatè Deo;
licèt deinde in utilitatem ejus miniſtrorum convertan-
tur. Decimæ dantur immediatè Miniſtris, ſed propter
Deum, D. Thom. *loc. cit.* Gonzalez *cit. num.* 4. Mo-
neta *de decimis cap.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 9. *& ſequ.* Rota
deciſ. 230. *num.* 6. *&* 7. *part.* 17. *recent. & cit. deciſ.*
25. *numer.* 1. *& ſequ. coram Ubago*, ubi *num.* 7. latè
agit quatenus dici debeant primitiæ, & non decimæ;
Unde & ſi nequeant exigi duæ decimæ, poſſunt ta-
men

Digitized by Google

men ex eodem prædio exigi primitiæ, & decimæ,
ut proſequuntur *cit.* deciſiones.

Ex prædictis etiam oritur dubium, an Parochus
11 habeat aſſiſtentiam Juris exigendi primitias; itaut
etiam non probata poſſeſſione poſſit eas exigere, ac
judicialiter manuteneri, ut dicitur habere quoad de-
cimas; Et certè non videtur habere talem Juris aſſi-
ſtentiam, quia, ut dixi, nulla lex cogit Parochianos
ad eas ſolvendas, eoque fortiùs, quia non magis poſ-
ſent cogi ad præſtandam unam, vel aliam quotam,
& ſic ſemper Parochus tenetur probare, talem quo-
tam primitiarum Parochianos ſolviſſe, ut valeant co-
gi ad eamdem continuandam ſolutionem, ut expli-
cat Rot. *cit. deciſ.* 520. *num.* 19. & 20. Et idem in-
nuerunt Caſtropal. *cit. num.* 2. Bonacc. *tom.* 2. *de præ-
cept. Eccleſ. diſp. ultim. quæſt.* 5. *punct. ult. num.* 1. &
2. Suarez. *de Relig. tom.* 1. §. 2. *de Divin. cult. cap.* 5
num. 2. & 16. & *capit.* 8. *per tot.* Sot. *de Juſt. lib.* 9.
quæſt. 3. *art.* 1. & *quæſt.* 4. *art.* 1. Rota *cit. deciſ.* 22.
num. 3. 4. & 5. *cor. Ubago*, quod eo magis procedit,
ut Parochus, non probans conſuetudinem, repelli de-
beat, ſi habeat aliunde redditus, ut rectè conſidera-
vit Rota *cit. dec.* 25. *nu.* 12. *cor. Ubago*, itaut ſi con-
ſueverint decimæ præſtari, tunc ſolùm debeant conti-
nuari, & actus affirmativus, præſtationis primitiarum
ſit neceſſarius Barboſ. *de Jure Eccleſ. cap.* 25. *num.* 6.
& plenè *cit. Doctores*, & *in cit. deciſ.* 25. *cor. Ubago*,
& *deciſ.* 520. *par.* 19. *tomo* 2. *recent.* & *in Spoleta-
na Primitiarum* 18. *Aprilis* 1698. *n.* 16. & 17. *cor. D.
Anſaldo dec.* 39. inter ejus impreſſas.

Crederem tamen, ſufficere tempus decenii ſolutio-
12 nis Primitiarum, ut debeant continuari, tum ex regu-
la ſupra adducta quòd ad favorem piæ cauſæ decen-
nalis ſufficiat, Rota *deciſ.* 1069. *per tot.* & priùs *dec.*
740. *num.* 3. & 4. *coram Emerix. Jun.* tum quia hæc
ſolutio explicat modum ſolum ejus, quod quis eſſentia-
liter tenetur ſervare, recognoſcendi ſcilicet divinum fa-
ctorem.

Habet nihilominus aſſiſtentiam Juris in exactione
13 primitiarum, in concurſu ſolùm cum tertio præten-
dente earum exactionem ad ſui favorem ex privile-
gio, vel contra eum, qui ſe exemptum exiſtimat à
ſolutione, & ſi in certo loco ab aliis ſolvantur, vel
alio titulo ſpeciali quis ſe tueri velit; nam cum pri-
mitiæ, ut dixi, ſolvantur Deo, & habentes Curam
animarum offerunt ei populorum Vota, dicunturque
mediatores eorum cum ipſa Divina bonitate; meritò
iiſdem Curam habentibus aſſignantur primitiæ, & pro-
indè ad eos iſtæ ſpectant jure ordinario, & niſi juſto
titulo ab aliis acquirantur, iis ſolvi debent, & in
iſto caſu Parochi habent aſſiſtentiam Juris, quam non
habent contra Parochianos, ut retuli, ſicque docent
Rota *deciſ.* 480. *par.* 1. *deciſ.* 261. *num.* 1. & *ſeq. par.*
6. *dec.* 382. *num.* 1. & *ſeqq. par.* 16. *dec.* 208. *num.* 3.
in fin. par. 17. *recent. deciſ.* 559. *num.* 4. & *ſeq.* poſt
Poſth. *de manut.* ac alii plenè adducti in *cit. dec.* 520.
num. 37. & 38. ubi diſtinguit doctrinas procedere in
iſto caſu, non autem ſi agatur contra Parochianos, &
Rota *in Nullius*, *ſeu Urgellen. Primitiarum die* 23.
Junii 1702. *coram Muto*.

Si verò Parochiæ non ſint diſtinctæ, prout con-
14 tingit ferè in Hiſpaniis, Epiſcopus habet juris aſſi-
ſtentiam, Rota *dec.* 272. *nu.* 1. & *ſequ. coram Pam-
philio*, & *in Placentina decimarum* 16. *Maii* 1710.
cor. D. Anſaldo, & tunc Epiſcopus, probata poſſeſſio-
ne in uno loco, ei ſuffragatur in quocumque loco ſuæ
diœceſis, ut eas exigat in concurſu alterius exigere
volentis, quia cùm habeat cauſam univerſalem, Epi-
ſcopus ratione curæ, quam gerit, in omni loco eſt
idem, Rota *deciſ.* 480. *num.* 2. *part.* 1. *recent.* ſed ut
talis aſſiſtentia Juris proſit ad manutentionem, requi-
ritur poſſeſſio actualis exactionis, tum quia id proce-
dere ſolet etiam in decimis, Poſth. *de manut. obſerv.*
45. *num.* 47. tum quia in primitiis debetur id, quod
probatur exigiſſe, prout dixi. Regulariter autem in
Hiſpaniis hæc juris aſſiſtentia non datur quoad Pa-
15 rochos, nam in ea regione, utplurimùm primitiæ,
prout decimæ fuerunt à Summis Pontificibus conceſ-
ſæ Regibus ob recuperationem Regnorum à Tyranni-
de Maurorum, ut dixi ſupra ad *Conſtitut.* 3. Grogor.
XI. *numer.* 8. & deinde ab illis Regibus fuerunt, vel
conceſſæ aliis Laicis, qui eas poſſident, vel Ec-
cleſiis Cathedralibus in dotationem Eccleſiarum, ea-
rumque Dignitatum, & Miniſtrorum, & ut plu-
rimum in Regnis Hiſpaniæ fundatæ reperiuntur Ec-
cleſiaſtica beneficia ex primitiis, ac decimis, & ex
hac cauſa Parochi ibi non dicuntur habere juris aſſiſten-
tiam in decimis, & primitiis, Barb. *de Jur. Eccle. lib.*
3. *cap.* 26. *num.* 15. Rota *deciſ.* 47. *numer.* 15. & 16.
coram Zarata, & *in Gerunden. Primitiarum* 28. *Ja-
nuarii* 1704. §. *præmiſſo coram Eminentiſſimo D. Ca-
prara*, ac in aliis plenè ibi citatis. At iſta Hiſpaniæ
praxis ceſſat, ſi Parochus haberet poſſeſſionem exi-
gendi dictas primitias, quia tunc cenſentur eas fuiſſe
reſtitutas, ac renaſcitur fortior præſumptio in Paro-
cho ex nativo ſuo jure, ut declaratur in *citat. Ge-
runden.*

Ulterius ad rem poteſt quæri, an ſolutio Primitia-
rum fieri debeat ex omnibus fructibus, ſi conſtet ſo- 16
lutio facta ex certis tantùm fructibus. Et verè ex ea
ratione ſupra pluries adducta, quod nulla à Jure re-
periatur determinata ſolutio primitiarum, quamvis
aſſeratur deberi in genere præſtari aliquid, iſtud po-
teſt ſignatè eſſe inductum in ſolutione primitiarum
pro certis fructibus, & ſic nequit hoc ſolitum ad a-
lios fructus extendi, ut neceſſariò ſolvantur ex iis pri-
mitiæ, ſufficitque ordinaria conſuetudo 30. aut 40.
annorum, ut ex certis tantùm fructibus primitiæ ſol-
vantur, quia nedum nullum jus reſiſtit, quòd om-
nium fructuum primitias demandet, ſed potiùs favet,
ut exigantur juxta conſuetudinem, quia conſuetudo
tantum habet de potentia, quantum de actu facti,
Caſtropal. *cit. quæſt.* 16. *num.* 2. Suarez *de Relig. tom.*
1. *lib.* 1. *cap.* 8. *per tot.* & *num.* 16. *dec.* 25. *num.* 3.
& *ſeq. coram Ubago*, & proſequitur *in cit. dec.* 520. *n.*
8. & *ſeq.* & *numer.* 21. *par.* 19. *tom.* 2. *rec.* & ex ea-
dem theorica, ac ratione debet attendi, quòd ſi ſol-
vantur primitiæ à certis perſonis, nequeunt cogi alii,
qui non ſolvebant; Itemque ſi exigebantur ab haben-
tibus domum, vel bona in Parochia, non debent non
habentes id præſtare, ut in *cit. dec.* 520. *n.* 10. & *ſeq.*
& *num.* 22. & *ſeqq.* Tamen in concurſu Parochi, in 17
cujus Parochia ſunt perſonæ, & Parochi, in cujus Paro-
chia adſunt bona, quæri valet, quibus debeantur Pri-
mitiæ ex aſſiſtentia juris. Et dici poſſet deberi Parocho
domicilii, quia primitiæ ſunt Jura perſonalia, & non
debentur ex bonis, in quibus nullus habitat, Borrell. *in
ſumma deciſ. tom.* 1. *tit.* 19. *de Primitiis num.* 18. Fa-
ber *in C. lib.* 1. *tit.* 2. *de fin.* 45. *num.* 26. Rota *deciſ.*
25. *nu.* 6. *coram Ubago*; attamen videtur verius debe-
ri in loco, ubi adſunt bona, niſi conſuetudo ſit con-
traria, quia eſt onus prædiale, nam offeruntur pri-
mitiæ Deo pro recognitione dominii, quod habet in
omnes fructus, ut adducta hac ratione, ita docent Barb.
de jur. Eccl. lib. 3. *cap.* 25. *n.* 8. Puteus *dec.* 169. *lib.*
3. Achilles de Graſſ. *dec.* 1. *par. per tot. dec.* 559. *n.* 1.
& 2. apud Poſt. *de manut. dec.* 272. *num.* 4. *cor. Pam-
phil. dec.* 343. *par.* 11. *rec. dec.* 382. *n.* 1. & *ſeq. par.*
16. *dec.* 208. *nu.* 1. & *ſeq. par.* 17. & *in cit. Spoleta-
na Primitiarum nu.* 18. *cor. D. Anſaldo*, & *cit. dec.*
520. *par.* 19. *to.* 2. *rec.* & *deciſ.* 25. *coram Ubaldo*,
procedunt, quòd in illis caſibus conſuetudo aderat, ut 18
ſolverentur Parocho, ubi habebantur domus, quia di-
cta aſſiſtentia eſt pro Parocho prædiali ſtante conſuetu-
dine contraria, Barboſ. *cit. n.* 8. & *de Parochis c.* 27.
nu. 8. Rota *dec.* 382. *nu.* 1. & *ſequ. par.* 16. & *in cit.
Spoletana nu.* 19. ubi ſufficere quadragenariam conſue-
tudinem, vel quatenus conſtaret primitias fuiſſe intro- 19
ductas, ut ſolverentur ratione adminiſtrationis Sacra-
mentorum, ut benè Rot. *cit. dec.* 520. *nu.* 23. & hoc
nequit verificari, niſi in habentibus domos in tali Pa-
rochia; ſed ſemper probationes debent curari, ut con-
formentur Eccleſiæ prædiali, cui jus magis aſſiſtit,
præſertim ſi ad favorem ejus adſint actus aliqui poſ-
ſeſſo-

Digitized by Google

ſeſſorii, ut plenè in *cit. dec.* 382. *par.* 16. *& dec.* 288. *par.* 17. *recent.* prout ſemper quoque ad favorem Eccleſiæ Matricis, cùm ſupponi poſſit fuiſſe reſervatas in conſtructione novæ Parochiæ, Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 53. Barb. *de poteſt. Parochi cap.* 28. §. 2. *num.* 19. *verſ. & non eſt neceſſe*, Rota *dec.* 376. *num.* 3. *par.* 1. *dec.* 497. *numer.* 2. & 4. *part.* 4. *rec. & in citat. Spoletana deciſion.* 39. *num.* 20. *coram D. Anſaldo.*

Nedum igitur debet attendi in ſolutione primitia-
20 rum conſuetudo loci, ſed quoque concordia, prout de iſta facta cum Communitate ſolvendi ſcuta 40. annua pro primitiis Civium Capitulo Collegiatæ habenti curam animarum, ut in *cit. Spoletana dec.* 39. *coram D. Anſaldo*, in qua etſi fuiſſet abſoluta Communitas, id fuit, quia nequiverat ſe obligare ſine præcedenti licentia S. Congr. Boni Regiminis juxtà Conſtitutionem notoriam Clementis VIII. apud Cohel. *in Commen. ad eamdem Bullam*, imò deficiebat cauſa legitima, obligationis Communitatis, quæ non potuerat ſe obligare ad ſolutionem ſcut. 40. pro onere Civium; tamen in dicta deciſione fuerunt condemnati Cives ipſi adſolutionem dd. ſcutorum 40. annorum pro primitiis, cùm ageretur de ſolito onere præſtandi eas, & donec talis tranſactio non reduceretur ad iniquitatem ob minorem quantitatem, deberet obſervari, quia taxa eſt referibilis ad majorem quantitatem primitiarum exigibilium.

Primitiæ rurſus, prout decimæ, quarum naturam
21 in pluribus adæquant, poſſunt ſpectare, ut dixi, alteri, quàm Parocho, concurrente juſto titulo privilegii, vel conſuetudinis legitimæ, aut alterius legitimi pacti, Rota *in Gerunden. Parochialis, ſeù Rectoria de Vilobi die 6. Junii* 1698. *nu.* 12. *cor. D. Anſaldo, dec.* 47. *inter ejus impreſſas*, attamen quoad laicos requiruntur eadem met, quæ dixi requiri in deci-
22 marum perceptione, ſupra ad *Conſt.* 3. Gregorii XI. Et tandem ab earum ſolutione ſolet concedi exemptio Regularibus, prout actum etiam fuit quoad Carthuſienſes in hac Conſtitutione, cùm Regulares omnes, præciſis privilegiis Apoſtolicis, ad primitias teneantur, ſi conſuetudo loci id ferat, prout tenentur laici, ſed non ſunt prohibiti, ut recipiant triticum, uvas, & ſimilia, antequam Parochus reciperet ſuas primitias, Barboſ. *de poteſt. Parochi part.* 3. *cap.* 27. *nu.* 11. & S. Congr. Concilii apud eum *die* 2. *Julii* 1620. Ut igitur ad favorem alterius Eccleſiaſtici,
23 & ſic de jure capacis, jus iſtud exigendi primitias canonizetur, requiritur ſaltem quadragenaria cum titulo putativo, Poſth. *de manuten. obſer.* 55. *nu.* 43. Rota *dec.* 261. *num. fin. par.* 6. *rec.* Seraph. *dec.* 899. *num.* 5. ubi quoad Monachos prætendentes eas exigere, *& dec.* 559. poſt Poſth. *de manut.* ac in *cit. deciſionibus*, & aliquoties videntur dictæ primitiæ ſpectare fabricæ Eccleſiæ, Rota *dec.* 62. *nu.* 30. *part.* 15. *rec. & in Gerunden. Primitiarum* 18. *Jan.* 1704. §. *finali cor. Eminent. D. Caprara*; Nec obſtant deciſiones iſtæ in *Gerunden. primitiarum* 7. *Maii* 1703. & 18. *Januarii* 1704. *coram eodem*, quod ſufficeret quadragenaria ſine titulo contra Parochum; Quia in dictis caſibus non concurrebat aſſiſtentia Juris, & rurſus cùm in Hiſpaniis, ut dixi, decimæ, & primitiæ, ut plurimum fuerint conceſſæ Regibus, & ab iſtis in Eccleſias, vel alios tranſlatæ, iſta præſumptio poteſt deſervire pro titulo colorato contra Parochum, prout benè declaratur in *cit. Gerunden. dec. ultima*, imò ultra quadragenariam plura concurrebant adminicula.

Tandem animadvertendum primitias poſſe exigi, ſi
24 concurrat jus exigendi, ab omnibus fructibus, & nedum à comeſtibilibus, ſed etiam ex aliis, putà faſcinis, arundinetibus, ſylvis cæduis, ut plenè Rota *dec.* 25. *n.* 19. *cor. Ubago*, quia urget eadem ratio.

CONSTITUTIO V.

MARTINI V.

Incipiens (*Romani.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS PAPA QUINTUS. &c.

PLura decernit obſervanda ab Auditoribus Rotæ Romanæ, Advocatis, Procuratoribus, & Notariis Curiæ, explicando, ac revocando plura in antecedenti ejus Conſtitutione ſtatuta.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Enunciatur Summorum Pontificum vigilantia in directione Romanæ Curiæ.*
2 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
3 *Præventio in cauſis inter Auditores Rotæ quatenus inducatur.*
4 *Non inducitur per commiſſionem, niſi ſit incapſata.*
5 *Commiſſio in petitorio, & poſſeſſorio non impedit cognoſci quis ſit poſſeſſor.*
6 *Commiſſione impetrata contra omnes intereſſe habentes, admitti poteſt ad cauſam quiſquis intereſſe habens.*
7 *Rota inhibet, dum cognoſcitur, an intret clauſula arbitrio Rotæ.*
8 *Cauſa commiſſa Auditori, ut procedat cum voto Rotæ, remanet prior Notarius.*
9 *Judex, cui committitur cauſa, itaut procedat de voto, ſeù cum voto Rotæ quatenus teneatur illud ſequi.*
10 *Commiſſio Rotalis quatenus poſſit impetrari à victore, præveniendo victum appellantem.*
11 *Refertur in hac re praxis Signaturæ Juſtitiæ; cum reſolutione ſequuta in* Romana, ſeù Parmen.
12 *Rota Martiniana quæ ſit. Remiſſivè.*
13 *Advocatus non poteſt in Rota ſcribere in cauſa pro ea parte, contra quam prius ſcripſerat.*
14 *Notarii in Rota quam Taxam ſervare debeant. Remiſſivè.*

EA inter cæteras Romani Pontificis providentias præcipua eſt, ut Regimini univerſalis Eccleſiæ 1
præſidens, etſi curis aſſiduis obvolutus, tamen undique per univerſum Orbem, ac finitimos quoque terræ limites ejus curæ Paſtoralis officium impartitur; hoc porrò majori ſollicitudine explet in Urbe, in qua, & ſpiritualis, & temporalis Juriſdictionis imperium habet; unde videmus in hac Conſtitutionum Collectione plures in eadem re reperiri non ſolum diverſorum, ſed & ejuſdem Pontificis Conſtitutiones, quia ſemper intenti ſubditorum quieti conſulere, id quod conſonum eſt ſtatuere, & in melius immutare non omiſere. Et ut antiquiora omittamus, id maximè liquet ex Conſtitutionibus à nobis in hoc tomo illuſtratis, nempè ex *Conſt.* 14. Joannis XXII. & *Conſt.* 3. Martini V. qui ſequentem alterius edidit Conſtitutionem; Quin imò eumdem Pontificem aliam circa hoc edidiſſe Conſtitutionem, medio tempore inter tertiam, & hanc in ordine quintam, conſtat ex §. 1. præſentis Bullæ, in qua
meminit Papa ejus Conſtitutionis emanatæ pridie Nonas Februarii, ejus Pontificatus Anno ſexto, cum alia 2
ſupra commentata, fuerit ſcripta Kalendis Septembris

Anno

Anno primo, ſcilicet Anno 1418. In hac igitur, ter-
2 tia quidem in hac re Conſtitutione Martini, ſed ſe-
cunda, quia illa intermedia in collectione Cherubi-
ni, quam ſequor, non adeſt, innovavit Papa alias
Conſtitutiones Romanorum Pontificum circa Rotam,
alioſque in Epitome contentos; & præſertim quod
Rotæ Auditores laudabiliter vivant, quod verè ſatis
ſervant in quampluribus actibus, etiam collegialibus
præſertim cùm Miſſam in Rota ſemper audiant col-
legialiter ante cauſarum diſcuſſionem, & qualibet fe-
ria 6. menſis Martii viſitent poſt Rotam, Baſilicam
Vaticanam, ac Capellis Papalibus aſſiſtant, Coccin.
notab. 53. *tom.* 1. *deciſionum*.

Ulterius hęc Martiniana Conſtitutio præſcripſit, quod
3 Auditor, cui prius Commiſſio cauſæ præſentata fuit,
procedat in cauſa, ac in dubio Auditor antiquior pro-
cedere debeat; de iſta enim præventione inter Audi-
tores dixi ſupra *cit. Conſtit.* 14. Jo: XXII. *ſect.* 1. *nu-
mer.* 20. adducta iſta Conſtitutione Martini, quibus
addo plura quoad Commiſſionem. Hinc, ut detur
4 præventio, requiritur incapſatio, nec ſufficit, quod
fuerit tantùm ſignata Commiſſio, quia incapſata
commiſſio præſumi debet anterior, Coccin. *notab.* 17
tom. 1. *dec.* ex ea nempe ratione, quia non incapſa-
ta poteſt à petente lacerari. Commiſſio rursùs im-
5 petrata cum clauſula, quod poſſeſſorum; & petito-
rium unica ſententia, appellatione remota, termine-
tur, non operatur, quominùs Rota cognoſcere poſ-
ſit, quis ſit poſſeſſor, aut quis pro tali ſit haben-
dus; nam quamvis in vim præfatæ clauſulæ cogno-
ſcendum ſit negotium principale, poteſt tamen Rota
guſtare, quis habendus ſit pro poſſeſſore, ut apud
Coccin. *notab.* 19. Et ſi impetretur ab aliquo con-
6 tra omnes intereſſe habentes, poterit quicumque ha-
beat intereſſe contra impetrantem, in dicta cauſa in
vim dictæ Commiſſionis admitti ad cauſam, ut ſit
æqualitas in Judicio, prout requiritur, Coccin. *no-
tab.* 66. ubi ita deciſum fuiſſe à Rota, & ſi fiat
Commiſſio cum Clauſula, prævia avocatione om-
nium, & quarumcumque cauſarum inter certas nomi-
natas partes, cenſentur omnes cauſæ avocatæ, de
quibus fit mentio in Commiſſionibus præinſertis,
etiam contra alios Creditores, Coccin. *notab.* 67. Si
7 expediatur rursùs Commiſſio cum Clauſula, Parito
arbitrio Rotæ, donec diſputetur dubium, an intret
arbitrium, inhibetur, Coccin. *notab.* 80. prout ſi
Commiſſio contineat in cauſa reſtitutionem in inte-
grum prout de jure, idem Coccin. *notab.* 174. Cau-
8 ſa commiſſa Auditori extra Rotam, firmo remanen-
te Notario, ſi reſcribatur eidem Auditori, ut proce-
dat cum voto Rotæ, remanet idem Notarius, Coc-
cin. *notab.* 168. nec attenduntur aliæ Commiſſiones
alteri Auditori directæ ob denegatam Juſtitiam in ali-
qua cauſa, niſi fuerint ſignatæ, plenæ Signaturæ voto
Coccin. *notab.* 184. & quatenùs Commiſſio contineat
ut aliquis Judex procederet de Voto Rotæ, debet om-
ninò ſequi illud; ſecus ſi commiſſio fuerit cum Clau-
9 ſula, cum Voto Rotæ, Coccin. *notab.* 185. Sacris au-
tem Congregationibus ſolet reſcribi in Commiſſioni-
bus, cum voto Rotæ; aliis verò Judicibus, de voto
Rotæ; hinc aliquando Sac. Congregationes votum ſe-
quutæ non fuere, vel denuò cauſam eidem Rotæ re-
videndam remiſerunt.

In materia Commiſſionum Rotalium diſputari con-
10 tingit, an poſſit victus prævenire appellantem in ea
impetranda, contra diſpoſitionem *Textus in c. oblata
de appellat.* Et verè diſpoſitio citati textus non ha-
bet in hoc locum in Curia, quia appellatus, & ſic
victor, poteſt impetrare Commiſſionem appellationis,
& prævenire victum, & appellantem, Coccin. *notab.*
181. itaut electio Auditoris tali caſu ab appellato vi-
deatur facta, ſed id procedit quatenus appellatus ſatis
non præcucurrit, quia ſi vix expedita cauſa non in-
termediis aliquibus ſaltem diebus, arbitrio Signaturæ
ſolet reſcribi, reportetur Commiſſio, quia ſtylus Cu-
riæ fundatur, ut cauſæ celeriorem expeditionem ha-
beant, non ut ſupplantetur appellans, qui ſenten-
tiam contrariam paſſus, aliquo opus habet tempore,
ut vires pro cauſa proſequenda reſumat; hinc in cauſa
Romana, ſeu Porthuen. inter Principiſſam Urſinam de 11
la Tremoville cum Collegio Germanico, cum expe-
dita fuerit cauſa à Sac. Rota, ac commiſſa cauſa à
Signatura Juſtitiæ, eadem die impetrata fuit à dicta
D. Principiſſa commiſſio alteri Auditori, prævenien-
do Collegium victum, & appellans, Signatura Juſti-
tiæ, Ponente D. Sinibaldo *die* 20. *Novembris* 1698.
mandavit commiſſionem reportari. Motivum enim
principale hujuſmodi reportationis in his caſibus ſo-
ler eſſe, quia appellatus eligit, impetrando commiſ-
ſionem, Auditorem Ponentem, & ſic conſequenter
prævidere poteſt Correſponſales, qui in gradu appel-
lationis votare debeant, proindeque eligit Judices ſi-
bi proficuos; hinc Signatura Juſtitiæ, quæ eſt Tribu-
nal Supremum, & regulator omnium Judicum, ut
cauſæ recto tramite definiantur in caſu, quo per præ-
ventionem factam ab appellato, fuerat ortum da-
mnum appellanti, ſolet conſulere, ut judicare debeant
ii Auditores, qui jam in priori inſtantia judicarunt
contra ipſum, demandando D. Regenti Cancellariæ
oretenùs, ut deputet alium Auditorem, ut novi (quan-
tum fieri poteſt) Judicantes in cauſa appellationis ſuf-
fragia præſtent, ut etiam dixi *Conſt.* 14. Jo: XXII. *lo-
co citato*, & ita fuit practicatum in adducta *Romana
ſeu Portuen.* quia ultra reſcriptum, *Reportetur Com-
miſſio*, fuit oretenus à Signatura injunctum D. Re-
genti, ut deputaret vel D. Anſaldum, vel D. Lancet-
tam, qui uti Advocati olim in cauſa, votare non de-
bebant, & ſic locus daretur, ut majora vota eſſent pro
cauſæ deciſione; eo magis, quia ſeptem tantùm in
cauſa gravi ob articulum, & rem, Auditores rema-
nebant Votantes, aliis abſentibus, vel ſe abſtinere de-
bentibus, & è contra ſi pro Ponente permitteretur E-
minentiſs. D. Caprara electus ab appellato, nunc di-
gniſſimus Cardinalis, remanſiſſent ſex tantùm Vo-
tantes. Verùm Collegium Germanicum, quod aliun-
de fretum dicto reſcripto, *reportetur Commiſſio*, præ-
tendebat poſſe commiſſionem impetrare directam al-
teri, quam DD. Anſaldo, & Lancetta, ideò inſtitit
denuò in Signatura, ut id permitteretur, aſſerendo
non convenire, ut præfacti DD. Anſaldus, & Lan-
cetta eſſet Ponentes, quia ſcripſerant in cauſa, &
ſemper habere præſumuntur affectionem; & licèt Po-
nens non votet, tamen ſemper in extenſione deci-
ſionum poteſt parti favere; ſed cùm munus Ponen-
tis reſtringatur ad ordinaria Judicii, & quoad deci-
ſoria, nihil agere poteſt; ſed debet ſequi vota cor-
reſponſalium, ideò obſervantia evenit, ut paſſim Po-
nens eligatur Auditor, qui fuerit Advocatus. Unde
Signatura in dicta cauſa ſub die 18. Decembris 1698.
ad inſtantiam factam per Collegium reſcripſit; *Nihil*,
Ponente eodem D. Sinibaldo.

Quoad Rotam tandem Martinianam demandatam 12
in hac Bulla Martini §. 31. jam dixi *cit. Conſtit.* Jo:
XXII. *ſect.* 1. *nu.* 28. nec de Auditoribus aliquid ſpe-
ciale hìc dicitur.

Plura tamen hæc Conſtitutio Martini præſcripſit
quoad Advocatos, & Procuratores Romanæ Cu- 13
riæ, ſed de his dixi ſupra ad *Conſtit.* 2. Benedicti
XII. quibus addo eſſe prohibitum in hac Conſtitu-
tione, poſſe Advocatum, vel Procuratorem ſcribere
pro Adverſario, contra quem ſcripſerat in eadem Cau-
ſa, & Rotam noluiſſe id concedere, ut teſtatur Coc-
cin. *notab.* 167. Et quod licèt in *Conſtit. cit.* Joan-
nis XXII. prohibeantur Sacerdotes Curiales eſſe, &
in *Conſtit.* 3. Martini V. §. 33. tamen in hoc vi-
dentur poſſe id ab iis exerceri, ſed ſolùm arceri con-
ſtitutos in majoribus dignitatibus Eccleſiarum; per-
mittuntur tamen id agere, ſi habitum ferant hone-
ſtum, ut in §. 16. & 17. hujus Conſtitutionis habe-
tur, & latè agit Lotter. *de re benef. in apparatu
num.* 138.

Procedit etiam hæc Conſtitutio ad plura præſcriben-
da quoad Notarios Rotæ, quod ſervent Taxam, quam 14
ſi tranſgrediantur, debet cognoſci à Rota, Coccin.
notab.

notab. 167. & ſtandum libro receptorum Notariorum, *notabil.* 172. ſed quoad hoc ſolet intrare Congregatio Tribunalium ; Verùm quoad iſtos Notarios alibi occurret Sermo.

CONSTITUTIO VI.

MARTINI V.

incipiens . (*Cum inter* .)

EPITOME BULLÆ

MARTINUS CONSULIBUS Artis Mercantiæ Pannorum Urbis .

COnſulibus artis pannorum juriſdictionem cognoſcendi quaſcumque cauſas ex dicta arte provenientes contra Laicos dumtaxat attribuit ; aliaque privilegia concedit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Mercatura pannorum, quam ſit utilis, & neceſſaria.*
2 *Mercatoribus pannorum proprios Judices artis Conſules conceſſit Martinus V.*
3 *Omneſque olim artes mecanicæ in Urbe habebant ſuos Conſules.*
4 *Idque conforme eſt Juri Civili.*
5 *Collegia licita quatenus poſſint propria ſtatuta condere abſque approbatione Principis.*
6 *Statuta Collegiorum Artificum pro intereſſe œconomico quatenus ſuſtineantur.*
7 *Mercatorum Collegia nequeunt conferre juriſdictionem ſuis Conſulibus.*
8 *Conſules legitimè deputati cognoſcere poſſunt ſolas cauſas mercaturæ.*
9 *Eaſque ſivè ſint Criminales , ſivè Civiles.*
10 *Quid ſi quis mercator eſſe deſierit , quoad cauſas reſpectu temporis mercaturæ.*
11 *Non autem cognoſcere poſſunt cauſas Clericorum.*
12 *Privilegia Clericalia non amittit Clericus mercaturam exercendo.*
13 *Clericus admiſſus ad officia laicalia non ſubjicitur Judici laico.*
14 *Conſules juriſdictionem tantùm cumulativam obtinent cum Judice ordinario.*
15 *Conſulibus Artium omnem juriſdictionem ademit ſa. me. Innocentius XII.*
16 *Itemque aliàs eis adempta fuit juriſdictio in Hiſpania.*
17 *Innuitur differentia inter pannos , & pannicularia.*

INter alias miſerandas humanitatis ſollicitudines ,
1 quas peccatum Adæ Nobis intulit , antiquior recenſeri poteſt ineluctabilis neceſſitas circumveſtiendi noſtram nuditatem ; ſtatimatque enim noſtri Parentes de fructu vetito comederunt , aperti ſunt oculi amborum , cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos , fecerunt ſibi perizomata , 1. *Geneſ.* 3. 8. Conveniens itaque fuit quod Martinus V. favoribus , & gratiis proſequeretur pannorum mercantiam , quæ inter neceſſarias humano generi negotiationes principem locum obtinet , ut indè commodius noſtris conſulere poſſimus indigentiis , hac edita Conſtitutione Romæ anno 1421. quam ampliavit , & declaravit Pius IV. in *Conſtitution.* 46. *incipiens. Volentes* , Primum igitur inter privilegia mercantiæ pannorum negotiatoribus conceſſa eſt , quod debitores laicos in his , quæ
ad artem ſpectant convenire poſſint in proprio Tribu- 2
nali , & coram propriis Judicibus Conſulibus artis nuncupatis , qui juxta ſeriem ſtatutorum , & ordinationes ejuſdem artis Jus mercatoribus reddere poſſit , calumniantium objectionibus ac reorum dilationibus quibuſcumque ſublatis , ut in noſtra Conſtitutione . Et quidem nil magis proficuum hujuſce mercantiæ negotiatoribus excogitari poterat , quàm ut ipſis Judiciales anfractus explanentur ; etenim nil magis tempus terit , humanam mentem ab aliis incumbentiis abſtrahit , ſubſtantiaſque conſumit , quàm litium alea , ut benè dixerit Hugo *in capitul. 6. Epiſtol.* 1. *ad Corinth.* omnibus licet ſub Judice repetere ſua , ſed non omnibus expedit ; faciliùs autem lites expediri coram particulari Judice agitatas , quæ ſub Judicibus ordinariis mole negotiorum gravatis immortales fiunt , dixit Gregorius Tholoſan. *ſyntagm. Jur. libr.* 47. *capitul.* 37. quapropter cum ubique terrarum commercia hominum tamquam Reipublicæ admodum proficua foveantur , apud omnes gentes proprium Tribunal , & particulares Judices , vulgò Conſules nuncupatos , Mercatores ſivè Artes ſortiri , idem Tholoſan. animadvertit ; In Urbe quidem Roma olim
omnes artes , mecanicæ profeſſiones , & induſtriæ 3
ad noſtra uſque tempora habebant ſuas Univerſitates , ſuoſque Conſules cum facultate procedendi in cauſis brevioribus ad illam artem pertinentibus , adeò quod infinitus penè videbatur numerus hujuſmodi Judicum , & parvorum Tribunalium , ut verbis utar Card. de Luca *in relat. Rom. Curiæ diſc.* 39. *num.* 11. *& diſc.* 44. *nu.* 13.

Neque ſanè à Jure improbatur , quòd particularis
quælibet negotiatio , ſivè ars proprios Jodices ob- 4
tineat , quinimo tacitè hujuſmodi mos comprobatur in *leg. per iniquum Cod. de Juriſd. omnium Jud.* dum Anaſtaſius Imperator temerarium ducit , quod profeſſiones aliquas , vel negotiationes exercentes , Judicum , ad quos earumdem profeſſionum , ſeù negotiationum cura pertinet , juriſdictionem declinare conentur , ubi Gloſſ. *verb. Negotiationes* , in terminis noſtræ Conſtitutionis explicat , *ut pannorum* , quamvis verò Doctores cum Gloſſ. *verbo pertinet ex eodem Text.* ferè communiter deſumant , quodlibet Mercatorum collegium poſſe , & ſolere Conſules , ſeu Judices eligere , qui ordinaria Juriſdictione inter eos jus dicant , & quidem propria auctoritate , & nulla expectata Principis confirmatione , cùm electione perfecta , Juriſdictionem à lege obtineant , quos ſequitur Straccha *de Mercatura in capit. de Judicibus , ſeu Conſulibus Mercatorum* , aliiſque paſſim. Veruntamen huic concluſioni quamvis communiter receptæ , indiſtinctè non acquieſco , cum in adducto *Tex.* nullum jus corporibus mercatorum conferatur , ut ſibi poſſint eligere Judices , qui Juriſdictione ordinaria potiantur , ſed dumtaxat ſancitur , quòd Judicium eorum , *ad quos eorumdem profeſſionum , ſeu negotiationum cura pertinet* , effugere nequeant ; legitima itaque deputatio hujuſmodi Conſulum ibidem præſupponitur , non confertur ; & quidem nec ſupradicta aſſertio firmari poteſt , ut idem DD. autumant , quia Collegia quæcumqoe legitimè erecta poſſunt propria ſtatuta condere , ſine conſenſu , & approbatione Principis , ex Auth. *de fidejuſſ.* §. *fin.* Baldus *in tract. de Conſtit. num.* 9. etenim id probabile eſt in his , quæ reſpiciunt ipſius Collegii adminiſtrationem , circa res ſuas pro intereſſe privato , utpotè de modo congregandi , pœna ſolvenda , collecta imponenda , & arte exercenda cum aliis hujuſmodi ; nequaquam vero in his quæ ad cauſarum deciſionem ſpectant , niſi collegium expreſsè obtinuerit hujuſmodi facultatem à Principe , vel ex conſuetudine , juxta theoricam Bartol. *in leg. omnes populi ff. de Juſt. & Jure* , communiter amplexam , Marta *de Juriſdict. part.* 2. *cent.* 1. *caſ.* 87. *num.* 10. Leſſius *de Jur. Univerſ. part.* 1. *capit.* 2. *num.* 66. *&* 67. Conciol. *in annot. ad ſtatut.* Eugub. *rub.* 20.

de

Digitized by Google

de ſtatut. Artiſ. num. 1. Cyriac. *controverſ.* 304. *num.* 36. *cum ſeqq.* Gratian. *diſcept.* 721. *num.* 22. *cum ſeq.* quamvis contrarium docuerunt, quòd ſcilicet ſtatuta hu-
6 juſmodi collegiorum Artificium, etiam pro intereſſe Oeconomico non ſubſiſtant, niſi à Principe confirmentur, Amyden. *de ſtylo Datariæ lib.* 1. *cap.* 15. §. 3. *num.* 15. Romaguer. ad Conciol. *loco cit. nu.* 10. Capon. *in diſcept.* 262. *concl.* 2. *num.* 2. *& concl.* 3. *numer.* 18. ubi latiſſimè diſſerit, an hujuſmodi corpora artificium permitti debeant, an ſtatuta condere poſſint, & ounquid aliis extra corpus prohibere valeant, ne artem exerceant, de quo tamen articulo alibi dicam. Profectò autem, ad rem noſtram redeundo, non video
7 quomodo hujuſmodi Mercatorum Collegia juriſdictionem ordinariam ſuis conſulibus conferre poſſint, quam ipſa à Jure non habent, niſi expreſſo Principis indulto ad id muniantur, nec minima enim Juriſdictio dari poteſt, niſi à jure, vel à Principe proveniat, ex *Text. in leg. quiſquis Cod. ad leg. Jul. majeſt.* quapropter in his terminis examinato privilegio Conſulum Aurifabrorum Civitatis Neapolis, cùm ſanè nullam juriſdictionem importaret, per Regiam Cameram fuiſſe decretum, iiſdem Conſulibus nullam competere Juriſdictionem neque in Civilibus, neque in Criminalibus, ac propterea eis non licere deputare aliquem Actuarium, nec Procuratorem, ſeù Advocatum Fiſcalem, ſed tantùm eis competere correctionem, & directionem exercentium artem prædictam, verùm quando eis videbitur eſſe neceſſariam perſonalem correctionem, ipſos debere adire Præſidentem Commiſſarium Regiæ Siclæ, deſumitur ex Decretis generalibus poſt de Marinis *ad deciſ. Reverter. Decret.* 372. *per tot.* & quidem ſi ſtatimarque Collegia hujuſmodi ſunt erecta, jus haberent ſibi ipſis deputandi Judices, fruſtranea prorsùs fuiſſet privilegii diſcuſſio, ut exinde reſolutio hypoteſis ſumeretur, fruſtrà enim allegatur Principis privilegium pro impetrando, id quod jam lege permiſſum eſt, *leg. nemo C. de Theſaur. lib.* 10.

8 Cùm verò legitima auctoritate Conſules cum juriſdictione deputantur, indubium eſt, quod cauſas dumtaxat cognoſcere poſſunt, quæ circa negotia mercantiæ, vel artificii verſantur, nequidem verò aliàs quaſcumque, ad *Text. in leg. aut prætor §. & ita loquitur ff. nautæ; Caupon. & ſtabul. & leg. age, Cod. de tranſact.* communiter firmant Saoſelic. *in praxi ſect.* 16. *numer.* 6. *cum ſeq. & ſect.* 18. *numer.* 11. *cum ſeqq.* Genua *de ſcript. privat. libr.* 4. *tit. de libr. mercator. numer.* 42. aliique, quos refert Sabell. *in ſumma verbo Judex numer.* 14. & Rubeus *in addit. ad deciſ.* 345. *numer.* 139. *parte* 19. *recent.* regulare autem eſt, quod Judex deputatus ad certam cauſarum ſpeciem, non poteſt de aliis cognoſcere etiam ex tacito, ſivè expreſſo partium conſenſu; juriſdictionem enim, quam non habent prorogare non poſſunt, Vant. *de nullit. ex defectu Juriſdictionis num.* 51. *&* 52. quem ſequitur Sabell. *loc. cit.* Cauſas verò ad artem,
9 ſivè mercantiam pertinentes Conſules cognoſcere poſſunt ſivè ſint civiles, ſivè criminales, ut de cauſis criminalibus firmat Stracha *de mercatura loc. cit. nu.* 15. & indiſtinctè etiam de criminibus non ſpectantibus ad negotiationem, ſtante expreſſa privilegii litera, loquitur de Marin. *lib.* 2. *reſol.* 232. *per tot.* Quini-
10 mò etiamſi Mercator eſſe deſierit, Conſulum juriſdictionem effugere nequiret in cauſis provenientibus ex delicto, vel contractu exarato tempore, quo in matricula erat deſcriptus, ut optimè facit *Text. in leg.* 2. *Cod. ubi de ratioc. agi oport.* & firmant *R. P. D. Anſaldus de commerc. & mercatur. in diſcur. generali numer.* 126. Stracha *loco cit. num.* 16. Gratian. *diſcept.* 226. *numer.* 15. Sabell. *in ſumma verbo Mercator numer.* 11. *& verbo Judex numer.* 14. Sanfelic. *deciſ.* 21. *num. fin.* Franch. *deciſ.* 417. *num.* 9. & ibi Adden. etenim ad fundandam juriſdictionem attenditur ſtatus, quo quiſque erat tempore commiſſi delicti, Gloſſ. *in leg. nemo poteſt ff. de legat.* 1. *leg. qui ergo ff. de his qui not. infam.* Eò enim ipſo, quod delictum committitur, jus illi quæritur, cujus juriſdictioni delinquens ſubeſt, Auth. *qua in provinc. C. ubi de crim. agi oport.* adeòut etiam mutato ſtatu amplius ſe ſubduci non poſſit, *leg.* 1. *C. ubi de ratioc. agi oport.* firmant mox citati DD. & latiùs quæſtionem reaſſumunt Marta *de juriſd. par.* 2. *cap.* 32. *num.* 4. *&* 6. Farinac. *in praxi crim. quæſt.* 8. *numer.* 105. Staiban. *reſol.* 109. *per tot.* Merlin. *controv.* 49. *numer.* 7.
cent. 1. Perperam verò aliqui Doctores hujuſmodi Con- 11
ſulum juriſdictionis fimbrias extendunt, etiam in cauſis Clericorum, adeòquod ſi Clericus prohibitum aliquod commercium exerceat, & in ipſo delinquat, à Conſulibus ejuſdem exercitii, etiam laicis puniri poſſit, inter quos Stracha *loco citato* Salzed. ad Diaz *in pract. capit.* 55. *in fine*; Etenim ſecluſis ſpecialibus Apoſtolicis privilegiis, trahendi etiam Clericos ad forum Conſulatus, quorum nonnulla vidiſſe aſſerit Capucc. *in praxi par.* 1. *capit.* 2. *artic.* 2. *numer.* 12. in generalibus terminis inſiſtendo, contrarium omninò eſt veriùs, cùm Clericus mercaturam prohibitam exer-
cendo, privilegia Clericalia non amittat, ex *cap. fin.* 12
de vita, & honeſt. Cleric. pro quidem ſtante Laici nullo caſu contra Eccleſiaſticos judicialiter procedere poſſunt, ut in his terminis Conſulum artis notat Barboſa *in leg. periniquum num.* 5. *&* 6. *Cod. de Juriſd. omnium Jud.* ex adductis in *lib.* 1. *de jur. Eccleſ. cap.* 32. §. 2. *numer.* 127. & quòd Clericus in Univerſi-
tate exiſtens non ſubſit foro ejuſdem Judicis, ſivè 13
Conſervatoris laicalis, latè firmat Abbas *in quæſt.* 6. *num.* 7. generaliter verò, quòd Clerici ad officia ſæcularia admiſſi, etiam ſi in officio deliquerint, nequeant puniri à Judice laico, ſed à proprio Eccleſiaſtico Ordinario, probant Barboſa *de jur. Eccleſ. cit.* §. 2. *numer.* 127. Graſſ. *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 850. Decian. *in tract. crimin. parte* 1. *lib.* 4. *capit.* 6. *num.* 143. Marta *de Juriſd. parte* 4. *caſ.* 127. Squillant. *de privil. Cleric. cap.* 7. *numer.* 88. Franch. *deciſ.* 479. *numer.* 3. ibique Adden. aliique. Neque tandem in
propoſito eſt prætereundum, quod Conſulum Juriſdi- 14
ctio quoad Mercatores oon dicitur privativa, ſed tantùm cumulativa, itaut Ordinariorum juriſdictio adempta non cenſeatur, ob idque Mercatores coram loci Præſide etiam reſpondere teneantur, cùm in manu, ac poteſtate actoris ſit an velit coram Conſulibus agere, vel coram Judice Ordinario, qui & in Mercatores, & io Conſules juriſdictionem habet, ad *Tex. in leg.* 1. *Cod. de offic. præf. Urb.* firmant Stracha *de mercator. loco cit. numer.* 6. Capon. *diſcept.* 262. *numer.* 21. *cum ſeqq.* Sanfelic. *in praxi poſt deciſ. ſect.* 16. *numer.* 6. *cum ſeqq.* Etenim in deputatione hujuſmodi Judicum officiorum juriſdictio nunquam intelligitur conceſſa privativè, ſed tantùm cumulativè cum Ordinario, ut eſt optimus *Tex. in l. fin. C. ubi cauſ. fiſcal. & ibi gloſſ.* in quo ſancitur, quòd licèt Comiti domorum ſit data juriſdictio ſpecialis in Colonos Regis, tamen circa Colonos non intelligitur adempta Juriſdictio Præſidis, quem allegat, latè ſuper hac quæſtione diſſerendo, Sanfelic. *in praxi judic. poſt deciſ. ſect.* 18. *à nu.* 2. *ad* 11. Menoch. *lib.* 2. *præſumpt.* 18. Roman. *in conſ.* 393. *per tot.* alioſque adducit Capon. *diſcept.* 262. *num.* 21.

Hæc verò, quæ hactenus delibavimus, generaliter 15
dicta ſint quoad juriſdictionem Conſulum; ſiquidem in propoſito noſtræ Conſtitutionis certum eſt, quòd Conſules artis mercantiæ pannorum Urbis nullam juriſdictionem in præſenti habent, cùm eiſdem ſublata fuerit in notiſſima ſuppreſſione parvorum Tribunalium, & reductione ad jus commune peracta ſub fel. rec. Innocentio XII. inſerta in ejus Bullario parvo *pag.* 233. ibi: *Quoad Conſulatus Artium, & Univerſitatum, etiam Mercatorum, ſublatis omnibus Aſſeſſoribus, & abrogata in judicialibus quacumque Conſulum juriſdictione, ſuccedant competentes Judices Ordinarii, inter quos ſit locus præventioni, adhibitis (quatenus opus videatur) eiſdem Conſulibus ſolummodo tamquam peritis in rebus, & negotiis eorum artem concernentibus*, itaque noſtris temporibus Mercatores negotiationis Pannorum convenire, & conveniri poſſunt coram Auditore Cameræ quorum

Judex eſt in Romana Curia, ut animadvertit Gratian. *in diſcept. 569. num.* 19. quam verò rationabiliter hujuſmodi Conſulibus juriſdictio adempta ſit, libeat depromere ex adductis à Cardin. de Luca *de judic. in annot. ad diſcur.* 3. *numer.* 6. *& diſc.* 45. *num.* 2. & latiùs in
16 *diſc.* 47. *num.* 1. Id tantùm addam, quod inconvenientia ex hujuſmodi Conſulum Tribunalibus reſultantia, nedum ſatis perſpecta fuerunt in Urbe, quæ mens Orbis dici poteſt, ſed quidem in Hiſpaniis, in quibus itidem omnia privilegia jus reddendi hujuſmodi Corporibus Artium, ſivè Collegiis elargita, ſublata fuerunt, ad tradita ab Azeved. *ad tit.* 13. *lib.* 3. *nova recop. a n.* 1. *pag.* 369. quem refert Barboſa *in leg. periniquum n.* 4. *C. de juriſd. omnium Jud.*

17 Dum tamen noſtra Conſtitutio de Mercatoribus pannorum loquitur, non eſt prætereundum, quod diverſimodè in legibus panniculariorum, & pannorum nomina ſumuntur; etenim panniculària dicuntur ea, quibus homines induuntur ex *Textu in leg. Divus ff. de bonis damnat.* ibi: *Pannicularia ſunt ea, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia, quibus indutus eſt quis, cùm ad ſupplicium deducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit*, at pannorum nomine non veniunt veſtes, ſed quæ adhuc in rudi materia, ſivè tela ſunt; quapropter panno legato, non venire veſtes, firmant Menoch. *de præſ. lib.* 4. *præſ.* 191. *n.* 21. Barboſ. *de appell. verb. appellat.* 183. *n.* 2.

CONSTITUTIO VII.

MARTINI V.

Incipiens (*Sollicitudinis.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

IN unum corpus, & ſub una vivendi forma redigit quamplures Canonicorum Regularium Congregationes, atque certas Conſtitutiones ſervandas præſcribit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione.*
2 *Innuuntur bona ex unione orientia.*
3 *Martinus V. duodecim Monaſteria Canonicorum Regularium univit.*
4 *An benè dixerit* Penottus *Martinum potiùs confirmaſſe hanc unionem.*
5 *Frigdionaria Congregatio initium non ſumpſit ex præſenti Conſtitutione.*
6 *De Canonicis Friſionariis, & an Canonici Regulares ſint capaces beneficiorum ſæcularium. Remiſſivè.*

1 NIl equidem magis conducibile excogitare poterat conſultiſſima Martini V. ſolertia ad quorumdam Canonicorum Regularium ſpiritualem progreſſum, atque ad Religioſæ obſervantiæ ſtabile fundamentum, quàm in unum corpus unamque Congregationem, & ſub una eademque lege plura Monaſteria redigere, hac edita Conſtitutione Tibure Kal. Julii 1421. Perfectorum enim unio, ſumma eſt perfectio: Unio
2 eſt tyrocinium charitatis, æquè ac humilitatis: Unio corroborat, & munit regularem obſervantiam, qua nec Religioſus vigor facilè collabitur, juxtà commune axioma, *Faſciculus duplex difficilius rumpitur*, & ſi aliquando temporum progreſſu declinare contigerit citò, & expeditè zelantium exemplo, & opere ad priſtinum revocari poterit ſplendorem; ubi enim eſt unio, ibi Spiritus ſancti comminatio non percutit: *Veh ſoli, quia ſi cadit non habet ſublevantem ſe.*

Ut verò aliqua in propoſito noſtræ Conſtitutionis 3
proferamus; equidem in numero eorum, qui ſenſum ejuſdem Bullæ malè percipiendo, autumant, Martinum V. reliquias omnes Canonicorum Regularium in unum collegiſſe, & compegiſſe, recenſeri poteſt Cherubinus, qui in Summario hanc Conſtitutionem importare dixit unionem omnium Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini, ubique profeſſorum in unam Congregationem; quod ſanè quàm longe à vero aberret, ex ipſius Bullæ litera patet; ibi enim legitur, Martinum duodecim tantum expreſsè nominata ordinis Monaſteria invicem connexiſſe, quæ pro majori unionis firmitate Friſionaria nuncupari voluit, ſed neque verbum fit de generali unione totius ampliſſimi Canonicorum Regularium Ordinis; quamplura verò ſuperfuiſſe Monaſteria, etiam Italica, ultra nominatim in præſenti Conſtitutione unita, animadvertit Pennott. *in hiſtor. tripart. Canon. regular. lib.* 3. *cap.* 17. quinimo ſi eidem credere velimus, nec Martinus prædicta Monaſteria de novo in unam Congregationem collegit, ſed aliàs unita, pro majori firmitate Apoſtolica confirmatione roboravit, ſiquidem omnia in præſenti Conſtitutione diſpoſita pro forma Regiminis, & pro conſervatione Canonicæ Diſciplinæ paucis immutatis priùs decreverunt Canonici Regulares eodem anno 1421. Ravennæ Capitulo in generali coacti; Veruntamen
hujuſmodi Pennotti aſſertio ex contextu hujus Conſti- 4
tutionis ſuffulciri nequit; cùm Martinus nullam prorſus faciat mentionem de Capitulo hujuſmodi generali, ſed in præſenti Conſtitutione diſpoſita ex Apoſtolica providentia ſtatuit; niſi id forſan deduci poſſit, ex quo Priores, Præpoſitos, Rectores, & Conventus unitos de Friſionaria nuncupatos fuiſſe idem Martinus aſſerit, itaque ſaltem commune nomen ante hanc Conſtitutionem hujuſmodi Monaſteria habuiſſe, elici poteſt; Etenim non diffiteor quòd idem Pennottus con-
tra nonnullos proſequitur, videlicet Martinum V. no- 5
men Friſionariorum, ſeù ut alii malunt Frigdionariorum, quo intitulanda deinceps eſſent Monaſteria hujuſmodi unita, primum non inveniſſe, de quo nomine aliqua dixi ad *Conſtitut.* 2. Paſchalis II. *incip. quanto numer.* 31. *tom.* 1. Siquidem Friſionaria, ſeu Frigdionaria Congregatio ne dum antequam edita fuiſſet iſthæc Conſtitutio, ſed ante Martini aſſumptionem, initium, & nomen ſumpſit in Monaſterio Sanctæ Mariæ in Sylva Frigionaria in Diœceſi Lucenſi, anno ſcilicet reparatæ ſalutis 1401. vel 1406. ut memorant Azor. *Inſtitut. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *capit.* 22. *quæſit.* 3. *verſ. Anno item*, Morigia *de orig. Relig. lib.* 2. *cap.* 8. Pennot. *in hiſtor. Canon. regular. lib.* 3. *cap.* 6. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 24. *quæſt.* 4. *numer.* 27. Quinimo neque Friſionariorum Congregationum ab Apoſtolica benignitate primo in hac Conſtitutione complexa fuit, cùm ibi ſemel, & iterum exprimantur alia hujuſmodi Congregationis indulta, & privilegia, potiſſimè in §. 5. *præterea*, & *in* §. 7. *officium*; propptereàque conſultè dixit idem Penott. omninò falſum eſſe, quòd nonnulli dicunt, ex præſenti Conſtitutione prima indulta Friſionarios Canonicos habuiſſe; ſed quia quoad Canonicos iſtos Regu-
lares plura dixi *cit. Conſtitut.* 2. Paſchalis II. & aliæ 6
occurrunt in Bullario Cherubini Conſtitutiones, ac novæ Regulæ, & ſtatuta pro recto gubernio ſingularum Congregationum, in quas dividuntur, ut ibi recenſui, & quoad privilegia hìc conceſſa, uti communia Regularibus aliàs dixi in ſuperioribus commentariis, vel aliàs erit differendum, prout de capacitate, vel incapacitate hujuſmodi Canonicorum Regularium quoad beneficia ſæcularia tam ſimplicia, quàm curata ſatis etiam dixi *in.* 2. *ad Conſt.*

Digitized by Google

Conſt. 5. Alex. III. *ſect. unic. num.* 10. *& tom.* 3. *ad Conſt.* 1. Alex. IV. *num.* 13. ideò in hoc Commentario alia addere non putavi.

CONSTITUTIO VIII.

MARTINI V.

Incipiens (*Militanti.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS &c. & aliis Eccleſiarum Prælatis, &c.

MOnachis Ciſtercienſibus concedit exemptionem à præſtatione decimarum tam de poſſeſſionibus habitis ante, & poſt Concilium Generale, quàm de cetero habendis, & tam de Novalibus ſivè ante, ſivè poſt idem Concilium acquiſitis, & acquirendis, quæ propriis ſumptibus, vel aliàs quomodocumque excolunt, & etiam de illis poſſeſſionibus, de quibus aliquis hactenus decimas percepit; necnon de hortis, virgultis, & piſcationibus ſuis, & de ſuorum animalium nutrimentis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Ciſtercienſes quam exemptionem à Decimis olim obtinuerint.*
2 *Refertur cauſa editionis* cap. nuper de dec.
3 *Novalia, Virgulta, & Animalium nutrimenta non comprehenduntur ſub diſpoſitione* cap. Nuper.
4 *Sub conceſſione, aut venditione decimarum non veniunt novalia.*
5 *Ciſtercienſes eximuntur in hac Conſtitutione à decimis poſt Concilium Generale acquiſitis, & in futurum acquirendis.*
6 *Eamdemque exemptionem Ciſtercienſibus utriuſque ſexus conceſſit Sixtus IV.*
7 *Exemptiones à decimis cur Regularibus fuerint conceſſa.*
8 *Sunt odioſa, & ſtrictiſſimè intelligenda.*
9 *Regulares exempti ſunt à decimis quoad bona acquiſita ante Concilium Generale.*
10 *Quatenus bona cenſeantur ante ipſum Concilium acquiſita.*
11 *Conſuetudo immemorabilis importat tempus infinitum.*
12 *Regulares non ſolvunt decimas ex bonis poſt Concilium quæſitis, ex quibus decimæ priùs non ſolvebantur.*
13 *Nec item decimas ſolvunt, ſi poſt Concilium novam obtineant exemptionem.*
14 *In exemptionibus poſt Concilium requiritur derogatio* cap. nuper, *& qualis hæc eſſe debeat.*
15 *Exemptio obtenta poſt Concilium quatenus comprehendat bona in futurum acquirenda.*
16 *Decimæ prædiales debentur Parochis obligatione reali.*
Regulares ſolvunt decimas ex prædiis, quæ ante eorum acquiſitionem erant obnoxia ſolutioni decimarum. Ibidem.
17 *Afferuntur ad rem reſolutiones Sac. Congregationis Concilii, & n. ſeq.*
18 *Dominicani eximuntur à decimis quoad bona tantùm acquiſita ante Concilium Generale.*

1 JAm pridem, & longè ante Innocentii III. tempora, prometitas, eaſque amplas à decimarum ſolutione exemptiones obtinuerant Monachi Ciſtercienſes, quoad prædia tum acquiſita, tùm acquirenda. At cùm ipſi, hoc privilegium ad turpe lucrum traducentes, præter ſuorum Monaſteriorum exigentiam prædia multa emerent, exindeque Epiſcopi, ac Parochi ſolitis decimis fraudabantur; per diverſos Epiſcopos, præcipuè per Quinqueccleſienſem ad Innocentium III. ſuper hac re querelæ delatæ fuerunt, quibus idem Pontifex conſulere intendens, Ciſtercienſibus in generali Capitulo congregatis litteras dedit, quæ referuntur inter ejus Epiſtolas *lib.* 16. *epiſt.* 85. in quibus præſertim habetur: *Cùm igitur ex hoc Ordini veſtro plurimum detrahatur; Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ab iis de cætero taliter deſiſtatis, quod materia ſcandali auferatur, & ſuper hoc de vobis clamor ulteriùs ad nos non aſcendat, ſcientes vobis eſſe meritò formidandum, ne propter clamores hujuſmodi Sac. Concilium auctore Domino in proximo celebrandum, privilegia veſtra coarctanda provideat, vel etiam revocanda, cùm privilegium mereatur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*: Rem hanc uti geſta fuerit, refert Manrique *in* 2
Annal. Ciſtercien. tom. 4. *ad Ann.* 1213. *capit.* 12. ubi ſubdit, quòd Ciſtercienſes lectis Innocentii III. litteris ſtatuerunt, modum eſſe ponendum libertati, ſicut & avaritiæ; præſcripſeruntque decimas eſſe ſolvendas ex cunctis prædiis, quæ deinceps acquirerent, ſivè pretio empta eſſent, ſivè fidelium largitione donata; & omnia ea, aut reſpuenda eſſe, aut decimas ipſos ſoluturos. Hanc Conſtitutionem Capitularem ratam habuit, ac ad omnes Regulares ſimilibus privilegiis gaudentes extendit Innocentius III. in Concilio generali, relato in celebri *cap. nuper de decim.* Eo prætertim fine, ut Eccleſiarum Prælati promptiores, & efficaciores exiſterent ad exhibendum Ciſtercienſibus de ſuis malefactoribus juſtitiæ complementum, eorumque privilegia perfectius, & diligentius obſervarent, ut refertur in præfato Decreto Conciliari. At præter hujus Pontificis ſpem evenit, ut 3
nonnulli Prælati, aliique Clerici, occaſione hujus Decreti, Ciſtercienſium privilegia temerè contemnerent, & ipſorum intellectum malitioſè pervertere contenderent, eoſque multipliciter inquietarent, ut refertur in *Conſtitut.* 6. Honorii III. §. 1. nam cùm Concilium clarè diſpoſuiſſet, exemptionem non ſuffragari tantùm quoad prædia poſt ipſum acquiſita; illud etiam novalia, hortos, virgulta, piſcationes, & animalium nutrimenta comprehendere voluiſſe aliqui contendebant; cujus tamen contrarium declaravit Honorius III. ut dixi in *cit. Conſtitut.* 6. *ejuſdem numer.* 19. *tom.* 2. *pag.* 461. Etenim ante Concilium Generale Ciſtercienſes obtinebant exemptionem à decimis, & novalibus, reſtrictio autem exemptionis loquitur tantùm de decimis, adeòque non comprehendit no- 4
valia, quæ de jure non veniunt ſub venditione, aut conceſſione decimarum, ad textum in *cap. tua nobis, & cap. cum contingat de decim.* Rota *deciſ.* 407. *num.* 5. *coram Emerix Jun.*

5 Tandem Martinus V. nonnullorum Regum, plurimorumque Principum precibus inclinatus, reſtrictionem Concilii Generalis quoad Ciſtercienſes utriuſque ſexus relaxavit, eoſque in primæva privilegia reſtituit, hac Conſtitutione edita Romæ 9. Kalendas Octobris Anno 1424. in qua exemit eorumdem Monaſteria præſentia, & futura, ubicumque pro tempore exiſtentia, à præſtatione decimarum tàm de poſſeſſionibus habitis ante, & poſt Concilium memoratum, quàm de cætero habendis, & tàm de novalibus ſivè ante, ſivè poſt Concilium hujuſmodi acquiſitis, & acquirendis, quæ propriis ſum-

ptibus excolunt, ſeù excolent, quam aliàs quomodocumque, vel qualitercumque excolantur, & etiam de illis poſſeſſionibus, de quibus aliquis hactenus decimas percepit, necnon de hortis, virgultis, & piſcationibus, & de ſuorum animalium nutrimentis. De ſimili privilegio Sixti IV. conceſſo Monachis, & Monialibus Ordinis Ciſtercienſis, quoad prædia tàm an-
6 te, quàm poſt Concilium Generale, acquiſita, cum expreſſa derogatione *cap. nuper de decimi.* meminit Barboſ. *in cap. ex parte numer.* 3. *de decim.* Rota *deciſ.* 937. *num.* 1. *coram Coccin, dec.* 215. *num.* 3. *deciſ.* 261. *nu,* 2. *deciſ.* 284. *num.* 1. *coram Durano deciſ.* 728. *numer.* 1. *par.* 3. *deciſ,* 111. *num.* 3. *part.* 14. *recent.* ac præſertim in terminis hujus Bullæ tradunt Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quaſit,* 18. *numer.* 12. Renat. Chopin. *de Sacr. Polit. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 8. Paſſerin. *ad lib.* 3. *Decret. in* 6. *tit, de decim. quæſt. un. art.* 15. *num.* 347. atque hujus Bullæ meminit Rota *deciſ.* 205. *n.* 6. *cor. Bichio*, *deciſ.* 370. *coram Celſo*.

7 Poſita igitur diſpoſitione *cap. nuper de decim.* duo præſertim tempora attendenda ſunt pro perpendendis privilegiis Regularium quoad exemptionem à decimis, ex qua temporum diverſitate varium in hujuſmodi exemptionibus judicium eſt efformandum. Temporibus enim Concilium Generale præcedentibus, quando Regularium numerus non adeò notabiliter, prout nunc, excreverat, hæ exemptiones faciliùs concedebantur, ac æquabiliùs ab Epiſcopis, & Parochis tolerabantur, qui commiſerantes Monachorum paupertatem, tamquam per modum eleemoſynæ eis decimas relinquebant; eodemque motivo Sedes Apoſtolica eis nonnulla privilegia conceſſit, ut refertur in *cap. ſuggeſtum eodem tit.* Subinde autem cùm Regulares poſſeſſiones quamplurimas acquiſiviſſent, novaque erexiſſent Monaſteria, ac in novos Ordines, ſeù Religiones ſe propagaſſent; detrimentum non leve inferebant juribus Parochorum quoad exactionem decimarum, ut præſertim loquendo de Monachis Ciſtercienſibus inquit Pontifex in *cit. cap. ſuggeſtum*, ibi: *Quando Romana Eccleſia Ordini veſtro privilegia dederat de decimis, ita erant rara Abbatiæ veſtri Ordinis, quod exinde nulli poterat de Jure ſcandalum ſuboriri: ſed nunc per gratiam Dei in tantum augmentata ſunt, ac poſſeſſionibus ditata, quod multi viri Eccleſiaſtici de vobis apud nos querelam ſepè proponunt*: Hinc porrò factum eſt, ut hujuſmodi exemptiones nonniſi cum magna difficultate concedantur, nec ſub generali privilegiorum communicatione veniant, ut plenè dixi ſupra ad *Conſtit.* 10. Gregorii XI. *num.* 4. *& ſeqq.* hinc etiam eſt, quòd
8 eædem exemptiones ſtrictiſſimè intelligendæ ſint, ut quantum minus fieri valet, præjudicium legitimo decimatori irrogent, Rota *deciſ.* 205. *num.* 8. *coram Bichio*, *deciſ.* 183. *num.* 11. *&* 12. *parte* 12. *recent.* Unde rationabiliter in Rota, ac Romana Curia hæc privilegia rigoroſè expendi ſolent, ac utpotè odioſa intra debitos cancellos reſtringi, ut advertit Cardin. de Luca *de decimis diſc.* 1. *numer.* 48. Rota *deciſ.* 344. *parte* 11. *recent.* Pignatell. *tom* 8. *conſult.* 8. *numer.* 13. Suarez *de Relig. lib.* 1. *tit. de Divin. cult. neceſſ. capit.* 20. Rodriquez *de quæſtione Regular. quæſtio* 44.

9 Porrò in hac re celebris eſt diſtinctio inter bona ante Concilium Lateranenſe IV. acquiſita, à bonis poſteà quæſitis. Etenim quoad prima abſoluta eſt exemptio Templariorum, Hoſpitalariorum, Ciſtercienſium, aliorumque hac exemptione fruentium, ut in *cap. ex parte il* 1. *eodem tit.* itaut præfata bona tunc acquiſita non minus hodie ſint exempta, ac olim erant; Cadente ſolùm in hac re aliqua dubieta-
10 te ſuper probatione acquiſitionis factæ ante Concilium, & cui in facti contingentia incumbat onus hujuſmodi probationis, an ſcilicèt Regularibus acquiſitionem factam ante Concilium aſſerentibus, an verò Parochis, ut apud Cardin. de Luca *cit. diſcurſ.* 1. *num.* 16. *& ſeqq.* Fagnan. *cit. cap. nuper numer.* 17. Rota *deciſ.* 31. *numer.* 2. *& ſeqq. coram Ninot*, *deciſ.* 370. *numer, coram Cardin. Celſo*, ubi quod immemorabilis
ſufficiat pro juſtificanda intentione Monaſterii, quod 11
bona fuerint quæſita ante Concilium, cùm immemorabilis contineat tempus infinitum, & ſic includat tempus ſupra Concilium, Oldrad. *conſil.* 254. *numer.* 18. *& ſeqq.* Molin. *de primogen. Hiſpan. lib.* 2, *cap.* 6. *numer.* 46. *&* 47. Fontanell. *de pactis Nuptial. clauſ.* 4. *Gloſſ.* 19. *part.* 1. *numer.* 65. Rota *deciſ.* 141. *numer.* 3. *coram Pœnia*, *deciſ.* 110. *numer.* 9. *coram Cardin. Celſo*, *deciſ.* 1367. *numer.* 4. *coram Seraphin. deciſ.* 651. *numer.* 3. *part.* 4. *recent.* Præfatæ autem exemptiones ante Concilium Lateranenſe obtentæ, non ſuffragantur quoad bona poſt ipſum Concilium acquiſita, ut ſtatutum fuit in *cit. cap. nuper.* quod adhuc duplicem
patitur limitationem, quarum prima eſt, ſi ante ac- 12
quiſitionem bonorum per Regulares factam, ex iis decimæ ſolvi non conſueverant; adeòut Regularium privilegia non aliàs fuerint revocata à Concilio, niſi duabus ſimul concurrentibus circumſtantiis, nempè quòd bona acquiſita ſint poſt Concilium; & quod ante acquiſitionem decimæ ex illorum fructibus ſolvi conſueverint, ut elicitur *ex cit. cap. nuper*, ubi Fagnan. *numer.* 18. *&* 19. Cardinal. de Luca *cit. diſc.* 1.
numer. 15. Alter limitatio eſt, niſi poſt Concilium 13
obtinuerint Regulares novam exemptionem pro bonis decimalibus poſteà acquiſitis, cum derogatione *cit. cap. nuper*, prout obtinent Ciſtercienſes ex præſenti Conſtitutione; Ex qua id obiter adnotandum occurrit, quod quamvis privilegium exemptivum à ſolutione decimarum poſt præfatum Concilium regulariter non ſuſtineatur, niſi Papa expreſsè, & ſpecificè derogaverit *cit. cap. nuper*, ut latè dixi *ad Conſtitut.* 3. Gregor. XI. *numer.* 23. Attamen cùm hæc
derogatio ex voluntate Papæ pendeat, adeòque con- 14
troverſia ſit voluntatis, non poteſtatis; extra dubium eſt, quòd ſi aliàs, quàm ex ſpecifica derogatione, de voluntate Papæ derogare volenti conſtet, derogatum ſufficienter cenſeatur, ut pariter dixi *ad cit. Conſtitut.* 3. Gregor. XI. *num.* 26. Hinc cùm in hac Conſtitutione Papa mentionem fecerit Decreti Concilii Generalis contenti *in cit. cap. nuper*, ac contra illud diſpoſuerit, concedendo Ciſtercienſibus exemptionem à decimis quoad bona tum poſt ipſum Concilium acquiſita, tum etiam in futurum acquirenda, ſufficienter ei derogaſſe cenſetur, quamvis ſpecifica derogatione uſus non fuerit, cùm inde apertè conſtet de ejus voluntate derogandi.

Ceſſantibus igitur ſpecialibus privilegiis, legitimè 15
poſt ipſum Concilium obtentis, quæ quidem utpotè odioſa, & Parocho præjudicium irrogantia, ſtrictè interpretanda ſunt, ut ſupra dixi, quæque privilegia debent eſſe clara, expreſsè comprehendentia bona poſteà quæſita, aut in futurum acquirenda, quòdque exemptio ſuffragetur etiamſi bona ante acquiſitionem per Regulares factam, ſolutioni decimarum fuerint obnoxia, prout conceptum eſt privilegium in hac Conſtitutione Ciſtercienſibus conceſſum; his inquam non concurrentibus, Regulares ex bonis poſteà quæſitis decimas ſolvere tenentur, adeòut etiam ex his decimæ ſolvendæ ſint, tametſi generalis exemptio à decimis fuerit obtenta, quæ non comprehendit bona in futurum acquirenda, aliàs decimarum ſolutioni obnoxia; ad Textum in *cap. per exemptionem de privileg. in* 6. & plenè probat Oldrad. *conſ.* 268. *per tot.* Moneta *de decim. capit.* 9. *numer.* 131. Rota *deciſ.* 593. *numer.* 1. *coram Cerro*, *deciſ.* 302. *numer.* 3. poſt Tamburin. *de Jure Abbat. deciſ.* 205. *numer.* 6. *coram Bichio*, *deciſ.* 156. *numer.* 6. *part.* 1. *deciſ.* 288.
num. 4. *part.* 16. *recent.* Decimæ enim prædiales de- 16
bentur Parocho à Regularibus, & exemptis, non quidem obligatione perſonali, ſed reali, adeòque bona aliàs decimabilia eidem oneri remanent obnoxia, etiamſi ad Regulares exemptos tranſeant, Rota *deciſ.* 185. *coram Otthob. deciſ.* 44. *numer.* 4. *&* 5. *coram Carillo*, *deciſ.* 223. *numer.* 7. *ad* 21. *part.* 12. *deciſ.* 232. *num.* 4. *part.* 17. *recent.* & pluries reſpondit Sac. Congregatio Concilii apud Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 355.

& tom.

Digitized by Google

& tom. 8. *conſult.* 8. *numer.* 9. *& ſeqq.* Barboſ. *de offic. Parochi parte* 3. *cap.* 28. §. 3. *numer.* 43. *& in Firma-*
17 *na decimarum die* 14. *Decembris* 1630. ibi: *Fratres Ordinis Sancti Auguſtini teneri ad ſolutionem decimarum pro prædiis acquiſitis, quæ dum à Laicis poſſidebantur, ſolutioni erant obnoxia.* Et in eadem cauſa propoſito dubio: *An pro bonis acquiſitis à dictis Regularibus poſt primam eorum Conventuum erectionem, debeantur decimæ tàm præterita, quàm futura, & pro quo tempore.* Sac. Congregatio ſub die 15. Junii 1697. reſpondit, *Affirmativè quatenus decimæ ſint prædiales.* Similiter in *Nucerina Paganorum decimarum die* 24. *Junii* 1677. ubi ad dubium: *An Eccleſiæ Sæculares, Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ, & Sancti Dominici, & Conventus, ſeù Monaſteria Regularium, nempè Carmelitarum, Minimorum, Scholarum Piarum, Montis Virginis, Minorum Conventualium, Sancti Baſilii, Montis Virginis, Sancti Benedicti, & Sancti Auguſtini teneantur ſolvere decimas prædiales ex bonis, ex quibus decimæ ſolvebantur à laicis antequam in prædictos tranſirent.* Reſponſum fuit: *Affirmativè quoad omnes, & ſi habent privilegium deducant in Sac. Congregatione.* Et quidem quoad Pa-
18 tres Prædicatores Rota *in Carpentoraten. decimarum* conſideratis omnibus eorum privilegiis cenſuit, eos non eſſe exemptos à decimis, niſi pro bonis quæſitis ante Concilium Generale, nec ſuffragari privilegia poſteà obtenta, utpotè quæ non comprehendunt decimas ſpirituales, vel non continent neceſſariam derogationem *cit. cap. nuper de decim.* ut latè firmatur *in decis.* 271. *part.* 18. *& deciſ.* 201. *part.* 19. *tom.* 1. *recent.* & conſonat reſolutio ejuſdem Sac. Congregationis in *Feretrana decimarum die* 15. *Januarii* 1695. ubi reſolutum fuit, Parocho Oppidi Petræ Acutæ deberi decimas prædiales bonorum, quæ poſſidet Conventus Patrum Prædicatorum intra Parochiæ limites. Prout quoad Patres Conventuales in alia *Feretrana decimarum die* 16. *Januarii* 1694. eadem Sacra Congregatio cenſuit, eos non obſtante exemptionis privilegio teneri Parochis ſolvere decimas prædiales ex bonis titulo ſivè oneroſo, ſivè lucrativo quæſitis.

CONSTITUTIO IX.

M A R T I N I V.

Incipiens (*Et ſi in cunctarum.*)

E P I T O M E B U L L Æ.

MARTINUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

MAgiſtrorum Viarum Officium in Urbe innovat, eiſque ſolitas Juriſdictiones, & poteſtates, honores, & privilegia elargitur.

C O M M E N T A R I U M.

S U M M A R I U M.

1 *Innuuntur ærumnæ Urbis Romæ tempore abſentiæ Pontificum in Gallia.*
2 *Baſilicas Urbis maximè reſtauravit Martinus V.*
3 *Idem Pontifex Magiſtratum Ædilium in Urbe inſtauravit.*
4 *Ædilium origo, & juriſdictio illuſtratur.*
5 *Magiſtri Viarum quam juriſdictionem in Urbe obtineant, & n. ſeqq.*
6 *Procedere poſſunt ſummariè, ex officio, & manu regia.*
7 *Cognoſcunt cauſas novi operis nunciationis, & retractus, aliaſque.*
8 *Antiqui Ædiles vias publicas etiam extra Urbem curabant.*
9 *Magiſtri Viarum quatenus cognoſcere valeant cauſas Clericorum.*
10 *Quæ requirantur, ut Eccleſiaſtici concurrere teneantur ad reſtaurationem viarum, & ſimilium.*
11 *Magiſtrorum Viarum juriſdictio quatenus extendatur ad vias extra Urbem.*
12 *Congregatio Viarum quando, & ad quid erecta.*
13 *Præſes Viarum, & Camera quam juriſdictionem habent quoad vias.*
14 *Quæ ſtatuerit Innocentius XII. quoad juriſdictionem præfatorum Magiſtratuum Viarum.*

ROmanorum Pontificum Sedem per ſeptuaginta 1
annos apud Gallos defixam, innumeris perpeſſis ærumnis, miſerè defflerunt Itali, deflevit potiſſimùm Roma, quæ jure apud Clementem VI. aliquando conquæſta eſt, amiſiſſe ſe primò Imperium, poſtremò Pontificatum, clariſſima Orbis Urbiſque lumina. Urbs quippè ipſa, Gentium Domina, nullam Urbis faciem, nullum urbanitatis veſtigium habere videbatur: collabentes vidiſſes domos, collapſa templa, deſertos vicos, cœnoſam, & oblitam Urbem, laborantemque rerum omnium charitate, & inopia: Cives omnes aut inquilinos eſſe, aut extremam hominum fecem eò commigraſſe dixiſſes. Dicere ſanè valuit Gregorius XI. Romam primùm è Galliis rediens: *Viſitavimus eam, & non erat aſpectus.* His calamitatibus permoti Summi Pontifices, cùm primùm in Italiam rediere, ad Urbem reficiendam, exornandamque animum admoverunt. At propterea Gregorii XI. mors, dirumque Schiſma poſt Urbani VI. electionem excitatum, hæc conſilia abſumpſerunt. Reſtituta autem Eccleſiæ pace, aſſumptoque ad Pontificatum Martino V. hic nil magis in votis habere viſus eſt, quàm Civitatis reſtaurationem, morumque Civium compoſitionem; quod equidem effecit, ut cùm adhuc Conſtantiæ commoraretur, rogantibus Principibus Germanis, & Gallicis, ut in Germaniam aliquandiù remaneret, vel in Galliam proficiſceretur, non aliàs ſe excuſaverit, niſi quod id ſibi integrum non eſſe diceret, dum Eccleſiæ patrimonium abſente Pontifice à Tyrannis quibuſdam in Italia diſcerperbatur, ac Roma Religionis Chriſtianæ caput, cùm Rectore ſuo careret, penè ad interitum redacta eſſet, peſte, fame, ferro, igne, ſeditionibus, ut refert Ciaccon. *in Vit. Pontific. tom.* 2. *ad Ann.* 1417. *pag.* 815.
Romam igitur hic Pontifex rediens, Baſilicarum re- 2
ſtaurationi primò animum adjecit, quas vel humi proſtratas, herbiſque obſitas lacrymans conſpexit, ejuſque ſtudia Cardinales ſequuti, ſuorum titulorum Eccleſias certatim reſtituerunt; ex quo factum eſt, ut Romani antiquum Urbis nitorem brevi rediturum ominarentur, ac Martinum V. Patriæ parentem meritò dicerent.

Maximè autem ad Urbis reſtaurationem, & orna- 3
tum reſpexiſſe viſus eſt idem Pontifex, dum comperiens in Urbe abolitum Magiſtratum Ædilium, ſeù Curatorum viarum, illud cum antiqua ejus juriſdictione, & facultatibus reſtituit, hac Conſtitutione edita Romæ die 30. Martii Anno 1425. Hic etenim Magiſtratus ſemper in Republica perutile fuit, & neceſſarium, adeò ut illud demandaverit Plato *lib.* 6.
de legibus. Certè autem apud Romanos, exactis Re- 4
gibus, duo ex plebe conſtituti fuerunt, qui ædibus præeſſent, *leg.* 2. §. *iiſdem ff. de orig. Juris*. Hi cùm in eorum origine Ædiles dicerentur, appellati ſubinde fuerunt Ædiles Curules, utpotè qui ſellis curulibus inſedentes, jus dicerent, Livius *decad.* 1. *hiſtor. Rom. lib.* 7. *in princip.* prout etiam quia curam gerebant annonæ, copiæque cibariorum, Ædi-

les Cereales appellabantur, Alex. ab Alexand. *lib.* 4. *dierum genialium cap.* 4. horum præcipuum munus erat curare, ut ædificia publica privataque fierent, utque templa, theatra, ſtadia, fora, porticus, curiæ, Baſilicæ, atque mœnia magnificis operibus reficerentur, exornarenturque, Feneſtell. *de Magiſtrat. Rom. cap.* 14. Sueton. *in Cæſar. cap.* 30. Plin. *lib.* 36. *cap.* 3. & latiùs de eorum munere agitur in *leg. ædiles ff. de via publica*. Cùm autem in Urbe hic Magiſtratus in deſuetudinem abiiſſet, illum primò reſtituit Martinus V. in hac Conſtitutione, ut tradit Bardus *in opuſc. de Magiſtr. Viar. cap.* 1. *circa med.* Card. de Luca *relat. Curiæ diſc.* 38. *num.* 3. ita optimi Principis partes implens, cui hujus Magiſtratus erectio curæ eſſe debet, ut apud Bobadil. *lib.* 3. *polit. cap.* 6. *num.* 1. *cum ſeqq.* Avil. *de leg. Prætor. Hiſpan. cap.* 19. *num.* 38. Maſtrill. *de Magiſtrat. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 276. Elegit
5 idcircò ad id muneris Pontifex duos nobiles, & Cives Romanos ad beneplacitum duraturos, quibus antiquos, & ſolitos honores, privilegia, libertates, & juriſdictionem contulit, cum facultate ſibi conſtituendi Submagiſtros, necnon ipſis deputavie Procuratorem, & duos Notarios, quamvis ultra hos habeant etiam Aſſeſſorem, ſeù Auditorem, Depoſitarios, Computiſtam, Delatores, Mandatarios, ac Exequutores, de quorum munere agit Bardus *loc. cit. cap.* 3. *& ſeqq.* Card. de Luca *cit. diſc.* 38. *num.* 5. Qualis autem antiqua eorum juriſdictio fuerit elicitur ut eadem Bulla, ibi: *Cùm itaque Urbs, ejuſque diſtrictus, ex defectu Officii Magiſtrorum, quod antiquitus pro viarum, ſtratarum, platearum, & locorum aliorum, tam publicorum, quàm privatorum; necnon ædificiorum lapideorum, & lignearum parietum, cignorum, banchorum, cellorum, tabulatorum, mignanorum, apothecarum, & pontium, portarum, paſſorum, aquarum decurſuum, canalium, & meatuum, necnon Urbanorum, & ruſticorum prædiorum, pratorum, hortorum, atque vinearum, finium, reſtaurationum, ſervitutum, & libertatum adminiſtratione, inſtitutum, & ordinatum extitit, in præmiſſis, & eorum ſingulis grandem deformitatem, ſeu ruinam potiùs abbominabilem patiantur, & jacturam. Et nonnulli ex Civibus, habitatoribus, & incolis Urbis, & diſtrictus prædicti, Macellarii videlicet, Piſcarii, Sutores, Pelamantellarii, diverſique artifices, loca, ac etiam ergaſteria Urbis inhabitantes, ſuaſque inibi artes exercentes, viſcera, inteſtina, capita, pedes, oſſa, cruores, necnon pelles, carnes, & piſces corruptos, reſque aliàs fœtidas atque corruptas, in viis, ſtratis, plateis, & locis publicis, atque privatis hujuſmodi proiicere, atque occultare. Nonnulli etiam, vias, ſtratas, plateas, loca publica, privata; & Eccleſiaſtica, auſu temerario, atque ſacrilego occupare, diripere, alienare, & in uſus proprios deducere non veren-
6 tur.* Pro reparandis idcirco his deformitatibus, & exceſſibus, innovavit Pontifex antiquum Ædilium Magiſtratum, eiſque facultatem conceſſit in Urbe, ejuſque diſtrictu procedendi ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſola veritate inſpecta, ac manu regia, etiam ex officio, quem procedendi modum confirmavit Gregorius XIII. *Conſtitut.* 22. *incip. quæ publicè* §. 22. nam quamvis Jure communi inſpecto Ædiles in eorum origine Magiſtratibus non accenſerentur, ſucceſſivè tamen Juriſdictionem obtinuerunt cum mero Imperio, *leg.* 2. *ff. de decur.* Petra Genitor *ad Ric. M. C. Ritu* 278. *numer.* 10.

7 Hæc porrò Magiſtrorum viarum juriſdictio ſucceſſivè à pluribus Pontificibus aucta fuit, prout ad Urbis ornatum, & reſtaurationem plura ſtatuerunt, adeòut cognoſcant cauſas novi operis nunciationis, ſervitutum, damni infecti, aquæ pluviæ arcendæ, & ſimilium, itemque cauſas utriuſque retractus prælativi, & coactivi, ut tradit Bardus *loc. cit. cap.* 2. *in princip.* & colligitur ex *Conſtitut.* 20. Sixti IV. *incip. Etſi*, *Conſtit.* 19. Leonis X. *incip. Inter*, *Conſtitut.* 102. Pii IV. *incip. Inter*, quas Conſtitutiones quamvis ad terminos juris communis poſteà reduxerit S. Pius V. *Conſtit.* 126. *incip. Ad hoc*; attendenda nihilominus hac in re eſt *cit. Conſtitut.* 22. Gregor. XIII. quæ plura in dictis Conſtitutionibus contenta innovavit, aliaque de novo addidit, ut ſuo loco dicam. Cùm
autem, Romana Republica vigente, Ædilium cura 8
non intra ſolius Urbis limites ſe contineret, ſed ad vias, & pontes publicos in univerſo Imperio exiſtentes ſe extenderet, ut apparet ex veſtigiis viæ Appiæ, Flaminiæ, Emiliæ, & ſimilium, quarum cura etiam apud Cenſores erat, ut ex Livio *loc. cit. lib.* 14. *in fine*, tradit Borell. *de præſtant. Regis Cathol. cap.* 7. *num.* 8. Card. de Luca *de regal. diſc.* 136. *num.* 16. & quandoque alios vias urbanas, alios vias extra Urbem curaſſe, commemorat Giballin. *de rer. negotiat. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 3. *num.* 11. ubi quòd Romani viarum publicarum adeò ſolliciti fuerint, ut illis etiam deos præeſſe vellent, quos Semitales, & Viales nominabant.

Ad horum inſtar Romani Pontifices reſpicientes reſtaurationem, & ornatum Viarum, & Pontium, nedum Urbis, ejuſque diſtrictus, ſed etiam totius Status Eccleſiaſtici, plures conſtituerunt Magiſtratus,
qui id præſtarent. Pro Urbe enim, ejuſque diſtrictu 9
conſtituti fuerunt Magiſtri viarum, qui ex ſequentibus Conſtitutionibus, præſertim ex *cit. Conſtitut.* 22. Gregor. XIII. faciunt tribunal mixtum cum eo Cardinalis Camerarii, ejuſvè Auditoris, Card. de Luca *de judic. diſc.* 47. *numer.* 36. Unde erroneum eſſe deprehenditur, quod aſſerit Capucc. *in praxi tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *art.* 2. *num.* 10. ſcilicèt Magiſtros viarum, qui Judices laici ſunt, cognoſcere circa fabricas, & vias inter qualcumque perſonas etiam Eccleſiaſticas. Etenim licèt hujuſmodi Ædilium Tribunal, ſpectata ejus origine, quæ ex præſenti Conſtitutione deſumitur, ex ſui natura ſit ſæculare; admixtam nihilominus habet qualitatem Eccleſiaſticam, quæ penès Cardinalem Camerarium reſidet, ac ab eo juriſdictio exercetur quoad perſonas, & bona Eccleſiaſtica, ut notat Card. de Luca *in relat. Rom. Curiæ diſc.* 38. *numer.* 7. Quinimò Gregorius XIII. in *cit. Conſtitut.* 22. diſertè cavit §. 22. ut quoad contenta in ipſa Conſtitutione, Camerarius in Eccleſiaſticas, & Magiſtri viarum in laicas perſonas juriſdictionem exercerent, quod etiam advertitur apud Cohell. *in Bulla boni Regim.* §. 11. *gloſſ.* 2. *cap.* 28. *numer.* 82. Alioqui autem abſolutum eſt, Tribunal Magiſtrorum Viarum, utì laicum, juriſdictionem obtinere non poſſe in Clericos, ac proinde abſonum eſt id, quod aſſerit Ferrer. *parte* 3. *obſervant. cap.* 233. *&* 234. relatus à Fontanell. *deciſ.* 310. *numer.* 4. Ædilibus competere cognitionem cauſæ recognitionis ponderum, & menſurarum in domo Clerici, ac etiam cauſam nunciationis novi operis contra Eccleſiaſticum. Ex hac
porrò mixtura poteſtatis Eccleſiaſticæ in hoc Tribu- 10
nali, ceſſare videtur in Urbe, & toto Statu Eccleſiaſtico neceſſarius concurſus ſex requiſitorum, quæ de jure adeſſe debent ad hoc ut Eccleſiaſtici taxari poſſint pro contributionibus in reparatione pontium, & viarum, prout etiam pro quacumque cauſa publica Eccleſiaſticos tangente; Quamvis enim in his, & ſimilibus caſibus Eccleſiaſtici contribuere non teneantur, niſi ultra juſtam cauſam publicæ neceſſitatis, quæ laicis, & Eccleſiaſticis ſit communis, concurrat aſſenſus Papæ, Epiſcopi, & Cleri, ac contributio fiat auctoritate Superioris Eccleſiaſtici abſque mixtura poteſtatis ſæcularis; quodque id fiat in ſubſidium, non ſufficientibus ſcilicèt contributionibus laicorum, ut poſt Abbat. *conſult.* 3. *parte* 1. docent Fagnan. *in cap. non minus numer.* 22. *& ſequentibus de Immunit. Eccleſ.* Cohell. *in cit. cap.* 28. *numer.* 114. *& ſeqq.* Graſſ. *de effect. Cleric. effect.* 3. *num.* 200. *& ſeqq.* Card. de Luca *in Miſcell. Eccleſ. diſc.* 3. *num.* 3. In Statu tamen Eccleſiaſtico, cùm hujuſmodi taxæ imponantur à Tribunalibus Eccleſiaſticis, vel Eccleſiaſticam mixturam habentibus, utì eſt iſtud Ædilium, neceſſarius non eſt concurſus omnium prædictorum requiſitorum, ut conſiderat Cardin. de Luca *cit. diſc.* 38. *num.* 7. *in relat. Rom. Curiæ.*

Digitized by Google

11 *via*. Etſi autem Magiſtrorum viarum cura, non ſolùm ad vias Urbis, ſed etiam ejus diſtrictus, quod quadraginta milliaria circa Urbem comprehendit, extendatur; extra tamen Urbem non omnium viarum intra diſtrictum exiſtentium curam habent, ſed tantùm publicarum, ſeù conſularium, quorum uſus principaliter ad publicum commercium eſt deſtinatus; aliarum autem cura ad Communitates, ſeù Barones pertinet, Cardin. de Luca *diſcurſu 97. numer. 3. de regal.* quod etiam in antiqua Romana Republica ſervabatur, adeòut municipia peculiares Ædiles haberent, Alex. ab Alex. *loc. cit. cap.* 41. ubi Tiraquell.

12 Cum igitur Camerarii, & Ædilium facultates Urbis diſtrictum non excedant, ſan. mem. Sixtus V. ad conſulendum reliquis ditionis Pontificiæ partibus, Congregationem viarum erexit in ejus *Conſt. 74. in cap. Immenſa*, cui facultatem conceſſit, vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi; factaſque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres jam occupatas iterum in publicum uſum vindicandi, & redigendi; Pontes item tuendi, & ubi opus eſt novos extruendi, veteresque ruinoſos inſtaurandi, & jam collapſos, ſi ita neceſſitas tulerit, reficiendi, qua facultate in Urbe, ac in univerſa ditione Eccleſiaſtica temporali uti poſ-
13 ſent. Obtinent in eadem re juriſdictionem Præſes viarum, qui eſt unus ex Clericis Cameræ, ac ipſum Tribunal Cameræ, nedum in gradu appellationis, adeòut à ſententiis, ſeu proviſionibus Cardinalis Camerarii, & Magiſtrorum viarum detur appellatio ad Præſidem Viarum, & ab hoc ad Cameram plenam, Card. de Luca *de judic. diſc.* 47. *num.* 40. Bardus *loc. cit. cap.* 2. Capucc. *in praxi tom. 1. par. 1. cap. 2. art. 6. num.* 147. Sed etiam ipſe Præſes directè curam habet viarum, & pontium per totam ditionem Eccleſiaſticam extra diſtrictum ſitorum, in quibus tamen reparandis utì ſolet opera Magiſtrorum viarum, utì magis peritorum, Card. de Luca *de regal. diſc.* 141. *num. 9. & in relat. Curiæ diſc.* 38. *num.* 8. Verùm ſan.
14 mem. Innocentius XII. totam juriſdictionem quoad materiam retractus, & juris congrui præſervavit Cardinali Camerario, ejuſque Locumtenenti privativè quoad Aſſeſſorem Magiſtrorum viarum, cùm olim eſſet cumulativè, & ſtatuit quòd appellationes cognoſcantur à Præſide Viarum, & deinde ad Cameram; in aliis verò cauſis concernentibus negotia viarum juxta præfatas Conſtitutiones Martini V. aliarumque, quas recenſet idem Innocentius, procedere deberet ſolus Præſes viarum, ſuppreſſo officio Aſſeſſoris Magiſtrorum viarum, ac præſervata ſolùm iſtis coerctione momentanea in viſitatione viarum Urbis, & diſtrictus uſque ad carcerationem, & excarcerationem contumacium, in forma tamen extrajudiciali, prout ad pignorum captionem, & reſtitutionem contra eos, qui conſtitutiones, & bannimenta violarent, reſervato tamen recurſu ad eumdem Præſidem viarum, ac relicta in iiſdem Magiſtris adminiſtratione œconomica, ac juriſdictione, ac alia latè diſpoſuit quodque non amplius eligeretur Præſes viarum in Camera per ſortem, utì priùs ſolebat, ſed per Romanum Pontificem ejus arbitrio, qui ſolet eſſe Clericus Cameræ, & ab ipſo appellatur ad Cameram, & etiam eliguntur à Papa. Magiſtri Viarum, ſemper tamen uno ex iis remanente, utpotè informato, ut latè in Conſtitutione præfati Innocentii XII. omninò videnda ad materiam, edita apud S. Mariam Majorem Anno Domini 1692. 4. Kalen. Decembris, quæ eſt *Conſtit. 14. in Bullario parvo ejuſdem Pontificis*.

CONSTITUTIO X.

MARTINI V.

Incipiens (*Ad reprimendas.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

PRohibet iſte Papa, ne quicumque laici, vel perſonæ Eccleſiaſticæ trahant ad forum laicale perſonas Eccleſiaſticas, ſub pœna excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ, ac reſpectivè interdicti, ac ad inſtantiam Fiſci contra culpabiles procedi mandat, & ſub pœna quoad Eccleſiaſticos trahentes, amiſſionis cauſæ ipſo jure, privationis beneficiorum, ac etiam procedi mandat contra complices, & fautores.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Immunitas Eccleſiaſtica eſt de Jure Divino, & leges Pontificiæ tantum eam explicarunt.*
2 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione contra trahentes cauſas Eccleſiaſticas ad forum laicale.*
3 *Eccleſiaſticus trahi non poteſt ad forum laicum actione, ſivè perſonali, ſivè reali, ſivè mixta.*
4 *Nec Judex laicus ſub eiſdem pœnis Clericos ad ſuum forum trahere poteſt.*
5 *Confeſſio delicti facta à Clerico coram Judice laico, nec eſt attendenda apud judicium Epiſcopale.*
6 *Eadem immunitas aſſeritur ſervata etiam in primis Eccleſiæ ſæculis.*
7 *Eccleſiaſtici trahentes pariter Eccleſiaſticos ad forum laicum, quas pœnas incurrant.*
8 *Hæc immunitas competit etiam Clericis in minoribus, & prima ſolum tonſura initiatis.*
9 *Prima tonſura an ſit ordo?*
10 *Clericus non incedens in habitu, & tonſura, nec Eccleſiæ inſerviens, quatenus amittat privilegium fori, & n. ſeqq.*
11 *Ante Concilium non amittebat ipſo jure, ſed poterat eo privari.*
12 *Quid dicendum in Clerico conjugato.*
13 *Nec laici poterant procedere contra talem Clericum, etiam ſi Epiſcopus requiſitus renuiſſet eum privare privilegiis.*
14 *Refertur diſpoſitio Concilii Tridentini quoad Clericos non incedentes in habitu, & tonſura.*
15 *Clerici poſt Concilium non incedentes in habitu, & tonſura, nec Eccleſiæ inſervientes, privantur ipſo jure privilegio fori.*
16 *Papa quatenus poſſit tollere privilegium immunitatis.*
17 *Clerici beneficiati quamvis non habeant præfata requiſita, non privantur privilegio fori.*
18 *Monitio non requiritur ad hoc ut Clerici, requiſita Concilii non habentes, privilegio fori non fruantur.*
19 *Defectus tamen requiſitorum probandus priùs eſt coram Epiſcopo.*
20 *Et quid in Clerico Beneficiato, attenta Bulla Sixti V. Remiſſivè.*
21 *Clericus repertus ſine habitu clericali, non privatur privilegio fori, ſi fuerit ſolitus habitum deferre.*

22 *Clericus Eccleſiæ inſerviens, vel ſtudio incumbens fruitur privilegio fori, quamvis hæc non ſervet de mandato Epiſcopi.*

23 *Non habens requiſita Concilii allegare non poteſt privilegium fori, quamvis adſit contraria conſuetudo.*

24 *Ægidiana an afficiat Clericum non habentem requiſita Concilii, & n. ſeqq.*

25 *Ægidiana non comprehendit Clericos quoad contractus, aut appellationes.*

26 *Statutum laicale confirmatum à Papa non afficit Clericos, niſi exprimantur.*

27 *Statutis laicalibus non ſubjiciuntur, & privilegium Canonis non amittunt Clerici non ſervantes requiſita Concilii.*

28 *Nec amittunt alia privilegia præter illud fori.*

29 *Clerici habitum reaſſumentes, recuperant privilegium fori.*

30 *Clericus non ſervans requiſita Concilii, quamvis privetur privilegio fori, remanet tamen ſubjectus Epiſcopo quoad forum.*

31 *Clericus filiusfamilias non ſervans requiſita Concilii, non habet factionem Teſtamenti.*

32 *Rota reverenter ſuſcipit declarationes Sac. Congregationis Concilii.*

33 *Idem eſſe forum ſertiri, & ſtatutis ligari, quo ſenſu ſit admittendum quoad Clericos.*

34 *Clericus remanet talis, quamvis non ſervet requiſita Concilii.*

35 *Nec ſubjicitur Ægidianæ quoad ſolemnitates contractuum.*

36 *Cauſa Clericorum non ſervantium dicta requiſita, decidenda ſunt à Judice laico juxta Jus Pontificium.*

37 *Afferuntur ad rem plures reſolutiones Sac. Congregationis Concilii.*

38 *Quoad contractus geſtos à Clerico non ſervante requiſita, debet attendi ejus ſtatus tempore contractus, ut intret necne Ægidiana.*

39 *Clericus an poſſit uti Ægidiana per viam privilegii.*

40 *Clericus non ſervans requiſita Concilii an ſubjiciatur Ægidianæ quoad appellationem prohibitam in poſſeſſoriis, & n. ſeqq.*

41 *Sententia Negativa adducitur, & pluribus rationibus comprobatur.*

42 *Ægidiana non intrat in iis cauſis, in quibus laicus poteſt eſſe Judex Clerici in Civilibus.*

43 *Clericus quatenus ligetur legibus laicis quoad jus congrui, & retractus.*

44 *Clericus an ſubdatur Ægidianæ quoad appellationem, ſi tempore ſententiæ ſit in ſtatu laicali.*

45 *Privilegio* cap. Odoardus *fruitur Clericus, quamvis non habeat requiſita Concilii.*

46 *Quid ſi ſit Clericus conjugatus.*

47 *Afferuntur ad rem plures Sac. Congregationis Concilii declarationes.*

48 *Exponuntur deciſiones Rotæ contrarium firmantes.*

49 *Ordinati ab Epiſcopo alieno ſine Dimiſſoriis, quas pœnas incurrant, & an priventur privilegiis Clericalibus.*

50 *Clerici irregulares non privantur privilegiis Clericalibus.*

51 *Ordinati cum falſis dimiſſoriis, vel cum dimiſſoriis Vicarii Capitularis intra annum, privantur privilegiis Clericalibus.*

52 *Clerici conjugati quatenus fruantur privilegio fori, & an ſubdantur Ægidianæ quoad appellationem.*

1 NOn equidem initium exemptionis perſonarum Eccleſiaſticarum à foro laicali ex aliqua Conſtitutione hominis deſumendum eſt, ſed ab ipſo Divino Legislatore, itaut à Summis Pontificibus primùm, ac ab Imperatoribus, iis famulando declarata tantùm fuerit, non autem de novo conceſſa, Gloſſa *in can. ſi Imperator diſt.* 96. ubi DD. Suarez *defenſ. fid. contra Regem Angliæ cap.* 10. *num.* 11. *& cap.* 13. & apud Lotter. *de re benef. lib.* 3. *qu.* 36. *num.* 14. *&* 15. Ludoviſ. *in voto impreſſo* apud Mangil. *de ſubhaſt. deciſ.* 87. *numer.* 1. *& ſeq.* Rota *in celebri Alben. deciſ.* 900. *coram Merlino*, & latè recenſui *tom.* 2. *Conſtit.* 1. Honorii III. *ſect.* 1. *num.* 3. *cum ſeqq. & tom.* 3. *Conſtit.* 5. Urbani IV. *num.* 6. *& ſeqq.* itaut Conſtitutiones Summorum Pontificum, ut ibi dixi, fuerint emanatæ ad coercendam proterviam hujuſmodi Immunitatem lædentium, & Juriſdictionem in Eccleſiaſticas perſonas ſibi arrogantium, juxta varietatem temporum, ſumma providentia promulgatæ; Ut eve-
rat tempore Martini, hujus Bullæ conditoris; Cùm 2
etenim occaſione tam longævi, & pernicioſi ſchiſmatis, de quo in ſuperioribus pluries verba fecimus, plures laici jus ſuper Eccleſiaſticos ſibi tribuerent, eos ad forum laicum trahentes, imò ipſi Eccleſiaſtici, nedum abſque debita, ut par erat, conſtantia hujuſmodi uſurpationibus non ſe opponebant, ſed timore correpti, vel ſpe allecti gratiam laicorum obtinendi, ad Tribunalia laicalia cauſas Eccleſiaſticas trahere non erubeſcebant; ideò Martinus his malis obviare intendens, hanc edidit Conſtitutionem in Urbe apud SS. Apoſtolos Kal. Februarii Anno 1428. in qua plures pœnas decernit tàm contra laicos trahentes, quàm Eccleſiaſticos in cauſis Eccleſiaſticorum tàm quoad actionem realem, quàm perſonalem, & mixtam, civilem, & criminalem, tàm ſi de jure, quàm ſi ex conſuetudine ad forum Eccleſiæ pertineant. Pœnæ autem ibi fulminatæ fuerunt excommunicationis reſpectu quorumcumque contravenientium, & interdicti reſpectu Communitatum, & quoad Eccleſiaſticos rursùs pœna amiſſionis cauſæ ipſo jure, ſubmovendo quoque pro hujuſmodi pœnarum incurſu privilegium non ſubjiciendi cenſuris.

Juxta igitur diſtinctionem in contextu noſtræ Bul- 3
læ, triplex conſiderari poteſt actio, qua quis poteſt conveniri, nempè perſonalis, realis, & mixta, & quoad omnes iſtas non licet neque laico, neque Eccleſiaſtico trahere Eccleſiaſticum coram foro laicali, & id prohiberi liquet uſque ab anno 283. per Cajum Romanum Pontificem, ut refertur in *can.* 1. 11. *qu.* 1. ibi: *Ut nullus Epiſcopum, aut Clericum apud ſæcularem Judicem accuſare præſumat*; & Marcellinus Papa, qui regnavit An. 296. hoc idem innuit, ut refertur in *can. Clericum cit. qu.* idemque ſtatutum extitit pluribus aliis Canonibus antiquis, & benè in *can. Relatum.* 14. *cit. quæſt.* & Cœleſtinus III. Papa in *cap. Quod Clericis de foro compet.* ait: *Nullus Epiſcoporum, vel Clericorum ad judicia ſæcularia eſt trahendus, habent enim illi Judices ſuos, nec quidquam eſt eis commune cum legibus; Bonifacius verò Papa, & Gelaſius, & alii plures Anteceſſorum noſtrorum antiquioribus Conciliis conſonantes, ſicut benè patet Viris utriuſque Juriſperitis, id ipſum in Sacris*
Conſtitutionibus ediderunt; Quodque procedit etiam 4
contra Judices laicos, qui hujuſmodi Eccleſiaſticas perſonas ad forum laicale trahere præſumunt, cùm iis id non liceat, ut ipſe Conſtantinus Imperator in Concilio Niceno faſſus fuit, dum ait: *Sacerdotes veluti Deos nobis datos eſſe, & ob id non eſſe à ſæcularibus hominibus judicandos*, ut refert Ruffin. *in lib.* 10. *hiſt. cap.* 2. *&* 11. *qu.* 1. *can. continuo, &* 12. *qu.* 1. *can. futurum*, & aliis paſſim Sacrorum Conciliorum, & Pontificum regulis reperitur comprobatum; hinc in *cap. decernimus de judiciis* Eugenius III. dixit: *Decernimus autem, ut laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant, ſed Epiſcopi, &c. de negotiis Eccleſiaſticis, maximè de illis, quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, laicorum judicio non diſponant, nec propter eorum prohibitionem Eccleſiaſticam dimittant juſtitiam exercere*; Quis enim negare valebit, Eccleſiaſticas perſonas eſſe Deo conſecratas, etſi ſpirituales ſimpliciter dici non valeant, tamen dicuntur eſſe deſtinatæ circa ſpiritualia, & ſic de his

niſi

Digitized by Google

niſi Judex Eccleſiaſticus diſponere, & judicare non poteſt, & Lucius III. ſcribens Strigonienſi Archiepiſcopo dixit: *Clerici vero maximè in Criminalibus in nullo caſu poſſunt ab alio, quam Eccleſiaſtico Judice condemnari, etſi conſuetudo regia habeatur, ut fures a Judicibus ſæcularibus judicentur, cùm Imperator dicat, quod etiam leges non dedignantur Sacros Canones imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico Judice conveniri, nec debet in hac parte Canonibus ex aliqua Conſuetudine præjudicium generari*, ut refertur in *cap. Clerici 8. de judiciis*, itaut neque aliquis Eccleſiaſticus
5 confeſſus delictum coram Judice laico, nedum non poteſt ob hoc puniri, ſed neque à proprio Epiſcopo, quia eſſet confeſſio facta coram Judice incapaci, *cap. at ſi, de judiciis*.

6 Me tamen non latet, plura circa hujuſmodi judicia contra Eccleſiaſticos fuiſſe attentata, & à Scribentibus hinc inde aſſerta, præſertim quoad conſuetudinem cognoſcendi per laicos hujuſmodi cauſas præcipuè Criminales, exemplo adducto antiqui Eccleſiæ moris, quod prætenditur ſervatum apud Imperatores. At veritatis amore fateri oportet, quod uſque ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſi quid ab Imperatoribus factum in hoc fuiſſe comperitur, vel agitur de Imperatoribus ethnicis, & certè nefas eſt ab hujuſmodi monſtris exemplum deducere, dum Eccleſia ſub tyrannide gemebat: vel fuerunt Imperatores Chriſtiani, & certè quod potiùs in majorem vindictam criminum Eccleſiaſticorum, Judicio Eccleſiæ in illos animadvertebant; niſi loquamur de iis Principibus, qui tantùm nomine tenus Chriſtiani erant, revera non ſecus ab ethnici Eccleſiæ, & Chriſti perſecutores, à quibus Eccleſiam magis, quàm ab ethnicis mala paſſam fuiſſe hiſtoriæ teſtantur; Cœterùm negari nequit, piiſſimos Imperatores hæc judicia Epiſcopis, & Eccleſiæ religioſè præſervaſſe, ut dixi de Conſtantino Magno, & liquet ex *lege 12. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Cler.* & ſi quid egerunt, id fuit ad retundendam contumacium proterviam, ut Theodoſius, & Arcadius *in leg. ultim. Codic. Theodoſ. de Epiſcop. Jud. Fridericus in auth. ſtatuimus C. de Epiſcop. & Cleric.* & ſupra retuli leges Friderici, & Caroli IV. Imperatorum inſertas in Bullis Honorii III. *Conſtit.* 1. quam commentavi *tom. 2. pag.* 367. & ſupra hoc tomo *Conſtit.* 4. Bonifacii IX. & latè adducit Scortia *ad hanc Conſtitut.* Gonzal. *cap. Clerici numer. 5. & per tot. de Judiciis*, & conſonant huic Conſtitutioni Leo X. *Conſtit.* 7. incip. *ſuperna*, *Conſtit.* 10. incip. *Regimini*, *Conſtit.* 63. incip. *Paſtoralis*, & in Bulla Cœnæ Domini.

7 Quoad id autem, ut Eccleſiaſtici non valeant trahere alios Eccleſiaſticos ad forum laicale, habetur diſpoſitum ultra hanc Bullam in citatis Juribus quoad cenſuras, Fagnan. *cap. ſi quis num. 15. de foro competenti*, quoad amiſſionem cauſæ verò dixit Cherubin. *ad hanc Bullam*, & innuitur in Concilio Cartaginen. III. celebrato *anno 397. cap. 9.* relato *in can. placuit 11. quæſt. 1.* ibi: *Item placuit, ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cùm in Eccleſia ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico Judicio, publicis Judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit probata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione, in civili vero perdat, quod evicit*.

8 Immunitas rurſus hæc à foro ſæculari, favet nedum Sacerdotibus aliiſque in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſed etiam in minoribus, ac prima tonſura initiatis, ut eſt textus in *cap. nullus de foro compet.* ibi: *Nullus Judicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum, aut Juniores Eccleſiæ ſine ſcientia Pontificalis per ſe diſtringat, aut condemnare præſumat*, ut bene explicat Fagnan. *cap. Clerici num. 4. & cap. ſi quis num. 16. de foro compet.* imò alii Eccleſiæ Juniores, ſeù, ut alii legunt, Eccleſiæ minores, eſſe autumant Doctores, inſervientes Eccleſiæ in minori miniſterio, ut ſunt Diaconi ſylvatici, famuli Clericorum, familia Epiſcopi, & alii, ut apud Fagnan. *cit. num. 17. & ſequentibus*. Nam etſi quoad prima Tonſura initiatos 9
Theologi *in 4. ſentent. diſt.* 24. diſſentiant à Canoniſtis, qui juxta litteram textus in *cap. cum contingat num. 11. de ætat. & qualitate* primam tonſuram ordinem appellant, atque ex ea characterem imprimi dicunt; in hac re tamen non diſconveniunt, ut à foro ſæculari etiam tonſurati, uti perſonæ Eccleſiaſticæ eximantur, Bellarmin. *controv. 5. de Cler. lib. 11. cap. 11. in fine*; nam Theologi conſiderant ordinem, quatenus dicit poteſtatem, qua ſe habet ad conficiendum Corpus Chriſti Domini; Canoniſtæ verò illum conſiderant veluti gradum hyerarchiæ Eccleſiaſticæ, & ſic quoquo modo recipiatur, Clericus prima Tonſura verè dicitur, & eſt Eccleſiaſtica perſona, cùm ſuum locum obtineat in hyerarchia militantis Eccleſiæ, & ſic fulcitur omnibus privilegiis, quæ Eccleſiaſticis conveniunt, Caſtropal. *tom. 4. oper. moral. tract. 17. diſp. unic. punct. 1. num. 5.* Suarez *defenſ. fid. contra Reg. Angl. cap. 10. num. 14.*

Sed nunquid Clericus non incedens in Habitu, & 10
Tonſura, & Eccleſiæ non inſerviens, fruatur exemptione iſta à Judicio laicali; In hoc ſanè quæſito diſtinguenda ſunt tempora; Aut enim loquimur de tempore ante Concilium Tridentinum, & ſic conſequenter tempore hujus Bullæ, & in mero Clerico etiam 11
non beneficiato dicendum eſt, quod fruebatur privilegio iſto, nec hoc amittebat ipſo jure, etſi dicta requiſita non tenuiſſet, ſed tantùm poterat contra ipſum prævia monitione procedi à proprio Ordinario ad privationem Clericalium privilegiorum, & conſequenter etiam hujus exemptionis à foro Laicali, & ante hujuſmodi declarationem fas non erat Judici laico in eum animadvertere, Contrarium tamen procedebat in Cle- 12
rico conjugato, quia ut privilegio fori frueretur, tenebatur incedere in habitu, & Tonſura, juxta diſpoſitionem *cap. unic. de Cleric. Conjug. in 6.* Nam quod Clerici cœlibes fruebantur privilegio Clericali etiam fori elicitur, quia licèt antiquo pariter Jure Clerici in habitu, & Tonſura ſtatui eorum convenienti in ſignum ſortis Dominicæ, in qua ſunt adſcripti deferre deberent, *can. præſcribente, can. non licet diſt. 23. cap. Clerici 15. de Vit. & honeſt. Cler.* tamen ſine habitu, & Tonſura Clerici ex ſolo ordine, & charactere frui debent omnibus privilegiis, & ſic etiam fori, donec per trinam monitionem proprii Epiſcopi, iſtis privabatur auctoritate ejuſdem, remanente quidem ordine, ſed 13
ſuſpenſo effectu privilegiorum ob contumaciam eorum, *cap. finali de vit. & honeſt. Cleric. cap. 1. eodem tit. in 6. cap. in audientia 25. cap. contingit 45. de ſentent. excommunicat.* Fagnan. *cit. cap. ſi quis num. 47. de foro compet.* Decian. *tract. criminal. cap. 9. num. 104.* Cortiad. *deciſ. 186. per tot. tom. 3.* aliique Doctores communiter. Sed cùm ob difficultatem hujuſmodi monitionum, & Epiſcoporum renitentiam id faciendi, conniventiamque in Clericos, iſti abuterentur fori privilegio, nec laici eſſe vellent in culparum mulctis, ac Eccleſiaſtici in habitu ſervando, vitam laicorum peragerent, conquerebantur inde Principes, laicique magiſtratus, adeout, etſi erroneè, aliqui Doctores dixerint, potuiſſe Judicem laicum tunc, requiſito Epiſcopo, & non providente, Clericos coercere, ut dixerunt Doctores apud Decian. *cit. num.* 108. Sanchez *conſ. moral. lib. 2. cap. 4. dub. 55. num.* 82. Grivel. *deciſ. 30. num.* 12. ducti ex Gloſs. *in cap. 2. verb. poteſtatem de maled. & cap. ſi quis verb. Regis de Cleric. excommunicat.* Larrea *alleg.* 27. Salzed. *de Reg. polit. lib. 1. cap. 13. num.* 82. ſed verius deberet recurri ad Papam, ut docent prædicti, & alii apud Del Bene *de Immunit. cap. 9. dub. 2. num.* 29. & primum hæreticum probat Pignatell. *conſult. 49. num. 21. tom. 1.* Ad occurrendum itaque hujuſmodi difficultatibus, ac publicis præjudiciis, & ut retunderentur laicorum ora, ut animadvertit Fagnan. *cit. num.* 73. Sacrum 14
Concilium Tridentinum ita ſtatuit *cap. 6. ſeſſ. 23. de reformat. Nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus ante decimum quar-*

tum

Digitized by Google

*tum annum beneficium poſſit obtinere; is etiam fori
privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum
habeat, aut Clericalem habitum, & Tonſuram defe-
rens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat,
vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola,
vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad
majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. In Clericis ve-
rò conjugatis ſervetur Conſtitutio Bonifacii VIII quæ
incipit Clerici, quæ cum Unicis; modò hi Clerici ali-
cujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo de-
putati, eidem Eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, &
Clericali habitu, & Tonſura utantur; nemini, quoad
hoc, privilegio, vel conſuetudine etiam immemorabili
ſuffragante.*

15 Secundum igitur tempus attendendum eſt poſt di-
ctum Concilium, juxta quod Clericus non beneficia-
tus, niſi incedat in habitu, & tonſura, ac Eccleſiæ
ab Epiſcopo deputatæ inſerviat, non gaudet fori pri-
vilegio, idque ipſo jure, itaut in omnibus ſubjiciatur
foro Laicali, tàm in Civilibus, quàm Criminalibus;
quodque juſta cauſa, & ratione ſupra conſiderata fuit
injunctum; nam Papa licèt non poſſit in totum tollere
privilegium immunitatis, poteſt tamen id facere in
certo caſu, & cum certis perſonis, Fagnan. *cap. nul-
lus num. 9. de foro compet.* nam indiſtinctè concedere
16 laico Juriſdictionem in Eccleſiaſticos, eſſet lædere Jus
divinum, Vaſquez *de ſucceſſ. ultim. voluntat. libr. 3. §.
32. limit. 17. num. 60.* Clarus *in praxi §. fin. quæſt. 41.
num. 8.* Decian. *cit. libr. 4. cap. 9. num. 66.* Gloſſa *in
can. Romana §. debet*, ubi Geminian. *de appell. in
6. & in cap. 11. §. Et cum Cleric. Conjug. in 6.* Fe-
lin. *in cap. Eccleſia Sancta Mariæ de Conſtit. nu. 6.
verſ. & pro limitatione*, Barboſ. *ibid. latè num. 11.
& 21.* Maſcard. *de Interpret. ſtat. concl. 1. num. 230.*
Fagnan. *cap. cum contingat num. 9. de foro compet.*

17 Hinc Concilium id addidit Juri communi quoad
Clericos Cœlibes, quia quoad conjugatos jam fuerat
diſpoſitum in *cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.* quod
præſervat idem Concilium, quod ſcilicet non fruan-
tur privilegio fori, niſi ſint Beneficiati, vel incedant
cum habitu, & Tonſura, ac inſerviant Eccleſiæ, cui
ſunt adſcripti, Maſcard. *cit. concl. 1. num. 105. & ſeq.*
Garzias *de Benefic. part. 2. cap. 2. num. 1. & ſequent.*
Gonzal. *ad reg. Cancell. Gloſſ. 5. §. 5. num. 8. & ſeq.*
Ricc. *in praxi Eccleſ. par. 1. reſol. 540.* Ciarlin. *Con-
trov. 20. num. 2. & ſeq.* Ricciul. *de Jur. perſonarum
lib. 8. cap. 6. num. 13. & 14.* Farinacc. *praxi Crimin.
quæſt. 8. num. 60. & ſeq.* Squillant. *de privileg. Cleric.
cap. 7. numer. 25. & cap. 8. num. 8.* Fagnan. *cap. cum
contingat. num. 6. & ſeq. num. 25. de Sent. excommun.*
Gratian. *diſcept. 190. nu. 1. & 2.* Pignatell. *conſult. 45.
num. 17. tom. 1.* Grivell. *deciſ. Dolana 30. num. 1. & 2.*
Sperell. *deciſ. 26. numer. 1. & ſeq.* Cardin. Bellarm. *in
notis ad Concil. Trident. cit. ſeſſ. 23. cap. 6. de refor.
§. hæc verba, & in addit. num. 9. verb. Clericali ha-
bitu*, & declararunt Clemens VII. & Paulus III. ut
refert Urſill. *ad Afflict. deciſ. 24. num. 7.* hinc poſt
18 Concilium non aufertur Clerico, habitu, & tonſuram
non deferenti, in pœnam privilegium fori tamquam
per privationem, ut olim fiebat, ſed ob defectum
qualitatum ab Eccleſia præſcriptarum impeditur pri-
vilegii exercitium, & ſic non requiritur in præſenti
monitio requiſita ante Concilium pro privatione in-
ducenda, Fagnan. *cit. cap. ſi quis num. 47.* exceptis
Clericis conjugatis, ut dixi, quia etiam Jure antiquo
non requirebatur monitio, ſed ſufficit factum, defe-
ctus ſcilicet qualitatum requiſitarum, Paſſerin. *in cap.
Clerici num. 34. de Cleric. conjugat. in 6.* Fagnan.
cit. cap. ſi quis num. 22. ubi refert declarationem Sa-
cræ Congregat. Concilii, *& nu. 48. de foro compet.*
Sanchez *de matrim. libr. 7. diſp. 46. nu. 14.* Capycio
Latr. *deciſ. 73. num. 18.* Pignatell. *cit. conſult. 46. nu-
mer. 17. §. In quo*, ubi refert declarationem Sacræ
Congregationis Concilii in *Lycien. 7. Septemb. 1624.*
Clerici non habentes qualitates à Concilio requiſitas,
19 fori privilegium amittunt, nullam monitionem requiri;
ſolùm autem intrat declaratoria facti, ſcilicet quod
verè non habeat requiſita Conciliaria, quod utique
fieri debet ab Epiſcopo, Sacra Congregatio Concilii
apud Fagnan. *cit. cap. ſi quis num. 21.* Sperell. *deciſ.
132. num. 25.* & donec id fiat, debet ſuperſedere Ju-
dex Laicus, & remittere Clericum, quæque declara-
toria fieri debet, quotieſcumque notorium non ſit,
Clericum non debere frui privilegio, ad rem latè Pi-
gnatell. *cit. conſult. 45. num. 19. & ſeqq.* & benè ma-
teriam tractat ad intelligentiam *textus in cap. ſi Ju-
dex Laicus de ſent. excomm. in 6.* Sperell. *deciſ. 132.
& 133. tom. 2.* & declaravit Sacra Congregat. Con-
cilii 30. *Maii 1676. ad 4. & 5. in Nicien. 4. An Ju-
dex Eccleſiaſticus viſis litteris primæ tonſuræ, juſtè
inhibeat Judici laico, ne illi moleſtiam inferat, donec
auditis officialibus Curiæ ſæcularis cognoverit, num di-
ctus Clericus fori privilegio gaudere poſſit. Quintò an
Judex laicus non deſiſtens procedere, ſit excommuni-
candus. Ad quartum Affirmative. Ad quintum in
caſu propoſito affirmative*, quia verè viſum fuit, Cle-
ricum gaudere; aliàs ſi notoriè conſtaret non gaude-
re, quia conſtat non habere requiſita, Judex laicus
poteſt procedere donec inhibeatur ab Eccleſiaſtico;
ſi autem ſit beneficiatus, etiamſi non incedat in ha-
bitu, & tonſura, nil refert, quin fruatur privilegio 20
fori juxta Concilium; ſed an juxta Bullam Sixti V. in
qua impoſita fuit privatio ipſo Jure beneficii, & ſic
conſequenter fori privilegio, requiratur declaratoria fa-
cti ſuper delicto non delationis habitus, ut intret pri-
vatio beneficii, vide Fagnan. *cap. ſi quis cit. num. 26.*
Capycius Latro *deciſ. 73. num. 4. & ſeq.* & alibi di-
cam in *cit. Conſtit.* Sixti V.

Quoad verò dicta requiſita Conciliaria plura diſpu- 21
tata fuere, an ſcilicet quamvis quis ſoleat deferre ha-
bitum, & tonſuram, ſi dum fuit carceratus à Curia
Laicali; non fuit in habitu repertus, an ſcilicet poſſit
allegare privilegium fori; Et affirmat Fagnan. *cit. cap.
ſi quis num. 26.* ex ſenſu Sacræ Congregationis Conci-
lii, *& num. 46.* de Marinis *reſol. quotid. cap. 50. nu. 5.*
Regens Tapia *in Conſtit. Regni de perſonis num. 24.*
& de Clerico Albanenſi Laganar. ad Rovitum *ſuper
pragm. 1. de Cleric. & Diaconis Sylvaticis*, De Luca ad
Gratian. *diſcept. 440. num. 4.* quia verè Concilium vo-
luit ſuſpendere effectum privilegii contumaci Clerico,
non verò ei, qui caſu habitum non defert; prout ſer-
vitium Eccleſiæ, vel ſtudium in ſchola, etſi requira- 22
tur à Concilio, ut fiat de mandato Epiſcopi, tamen
Sacra Congregatio Concilii id non eſſe ſubſtantiale
declaravit, quia ſufficit ſervitium Eccleſiæ, vel incum-
bere Scholæ ſine ejuſdem Epiſcopi mandato, quia finis
Concilii præſervatur, ne Clericus vagus uti laicus con-
verſetur, & ſic ſatis eſt, ut concurrant, quæ potiora
ſunt, nempè ut Eccleſiæ inſerviat, prout declaravit
Sacr. Congregat. Concilii apud Fagnan. *cit. cap. ſi quis
num. 20.* Itidem declaratum fuit, acerrimè rationibus 23
perpenſis, non ſuffragari conſuetudinem, ut quis alle-
gare poſſit privilegium fori, etſi non ſervaverit requi-
ſita Conciliaria, ſub motivo etiam non uſus Concilia-
ris diſpoſitionis, ut in *Mediolanen.* cenſuit Sacra Con-
gratio Concilii apud cit. Fagnan. *num. 59. & ſeq.* &
num. 71. quia conſuetudo vel erat ante Concilium, &
cùm fuerit conformis Juri communi, juxta quod re-
quirebatur privatio Clericatus, & privilegiorum, ut
dixi, videtur Concilium, dum contra Juris commu-
nis diſpoſitionem ſtatuit; etiam hujuſmodi conſuetudi-
ni derogaſſe; ſi verò de tempore agatur poſt Conci-
lium, ſatis eſt clarum non potuiſſe induci, reſiſtente
decreto irritanti, ac aliis clauſulis Bullæ ejus confir-
matoriæ, neque non uſus poteſt allegari contra Con-
cilium generale jam acceptatum in ſtatu Mediolani,
ut egregiè proſequitur cit. Fagnan.

Sed nunquid Clericus non habens requiſita Conci- 24
lii, ſubdatur Conſtitutioni Ægidianæ, quæ viget in
toto Statu Eccleſiæ. In hac quæſtione, etſi peculiari
pro Statu Eccleſiæ, in qua talis Conſtitutio habet lo-
cum, ut latè dixi ſupra *Conſtit. 1.* Innocent. IV. *num. 7.
& ſeqq.* tamen plura coincidunt, quæ generaliter in-
ſpici debent ad hanc materiam, an Clerici non haben-
tes

tes dicta requiſita, prout amittunt privilegium fori,
amittant quoque alia privilegia Clericalia. Ad quæ-
ſtionem igitur principalem præmittendum eſt ex plenè
adductis ad *cit. Conſtit.* 1. Innocent. IV. *num.* 9. *& ſeq.*
25 quod Ægidiana Bulla non comprehendit Clericos per-
ſonaſque Eccleſiaſticas, tàm quoad contractus, quàm
quoad appellationem prohibitam in judiciis poſſeſſoriis,
ut quoad primum plenè dixit Poſthius *reſol.* 128. *nu-
mer.* 14. *& ſequentibus*, Panimol. *deciſ.* 53. *annotat.* 3.
num. 2. Rota *deciſ.* 528. *num.* 9. *part.* 18. *recent. & in
Bononien. ſeù Imolen. Bonorum ſuper portione Sor. Ma-
riæ Cæleſtis* 28. *Aprilis* 1698. §. *approbantes cor. D.
Ulmo, & Romana donationis* 26. *Junii* 1699. §. *altera
coram eodem, & in Viterbien. manutentionis* poſt D.
Conſtantinum *ad Stat. Urbis deciſ.* 90. *num.* 9. *& ſeq.
Aſſiſien. dotis* 23. *Junii* 1704. §. *rurſus, &* 22. *Junii*
1705. §. *ſubſiſtentia coram D. Muto, & in confirma-
toria* 15. *Martii* 1706. §. *Non majoris coram D. Scot-
to*, Et quoad ſecundum Honded. *conſ.* 20. *num.* 2. *&
ſequent. vol.* 2. Adden. ad Ludoviſ. *deciſ.* 581. *num.* 8.
Ciroch. *diſcept.* 46. *num.* 62. *& diſcept.* 52. *num.* 56. *&
ſequent.* Thomat. *deciſ.* 28. *&* 89. & latè *deciſ.* 128.
per tot. Rota apud Poſth. *de manutenen. deciſ.* 170. *nu-
mer.* 8. *deciſ.* 297. *num.* 1. *& ſeq. & in recent. dec.* 43.
num. 9. *par.* 4. *tom.* 2. *par.* 9. *deciſ.* 236. *num.* 4. *par.* 10.
deciſ. 20. *num.* 23. *& par.* 11. *deciſ.* 196. *num.* 1. *&* 2.
deciſ. 155. *num.* 9. *coram ſanct. memor. Alexandr. VIII.*
& etiam dixi latè *cit. Conſtit.* 1. Cùm enim Cardina-
lis Ægidius, etſi Legatus à Latere, & ſic habens Ju-
riſdictionem in Spiritualibus, ac Vicarius in tempora-
libus pro Statu Eccleſiæ, hoc jure tantùm uſus fuit,
imò nec Clericos expreſſit, defecit voluntas eos com-
prehendendi, ac ſubjiciendi, quæ unà cum poteſtate
requiritur, & prout ipſe Cardinalis comprehendit, ita
acceſſit Papæ confirmatio, ut dixi citato loco, & ge-
neraliter Rota *deciſ.* 901. *num.* 2. *& ſeq. coram Merli-
no, deciſ.* 773. *num.* 4. *ſeqq. coram Cardin. Cerro, de-
ciſ.* 282. *num.* 8. *&* 9. *par.* 17. *recent.* Idcircò cùm hu-
juſmodi Ægidiana Conſtitutio laicalis dici debeat,
nullo modo Clericos Eccleſiaſticaſque perſonas afficere,
& obligare valet, ad *Text. in cap. Eccleſia Sanctæ
Mariæ de Conſtit. cap. non minus de Immunitat. in* 6.
leg. 1. *& toto tit. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* quod
procedit etiam in Clericis primæ Tonſuræ, ut ſupra
dixi, quoad forum, & quoad Statuta, & Conſtitutio-
nes Laicales, Bellett. *diſquiſit. Cleric. tit. de exempt.
ab oneribus* §. 1. *num.* 41. Molpheſius *ad Conſuet. Nea-
polit. par.* 2. *tit. de perſonis quæſt.* 7. *num.* 17. Decian.
tract. Criminal. libr. 4. *cap.* 9. *num.* 21. *&* 59. Rota
26 *deciſ.* 543. *per tot. part.* 14. *recent.* & quoad Ægidia-
nam latè in adductis deciſionibus; Ut igitur Clerici
priventur hujuſmodi privilegio, ac comprehendantur
ſub Conſtitutione, ſeù Statuto Laicali, opus eſt, ut
expreſsè per Romanum Pontificem Statutum, ſeù
Conſtitutio confirmetur, in quo mentio fiat de Cleri-
cis, ut dixi, nec ex eo quod Concilium Tridentinum
tit. cap. 6. *ſeſſ.* 23. diſpoſuerit, non gaudere fori pri-
vilegio Clericos, niſi habentes Beneficium, aut Cleri-
calem habitum, & Tonſuram deferentes, & Eccleſiæ
inſervientes, vel Scholæ incumbentes de licentia Epiſ-
copi, poteſt inferri, quod hujuſmodi requiſita non
habentes, ſicuti privati remanſerunt privilegio fori,
ità etiam ſubditur Statutis laicalibus; quia contrarium
eſt omninò tenendum, cùm tales Clerici, licèt quoad
Cauſas ſubjiciantur Judicibus laicis, tamen id non eſt
quia exuuntur qualitate Clericali, ut eſſet in caſu, quo
ab Epiſcopo ſervatis ſervandis privarentur privilegiis
Clericalibus, vel quatenus delererent habitum, ut
omninò pro laicis haberentur; ſed in caſu, quo firma
remanente qualitate Clericali, Concilium voluit Cle-
ricos incitare ad delationem habitus Clericalis, & cu-
rare aliquo modo, ne ex Epiſcoporum conniventia
delicta Clericorum remanerent impunita, & in pœ-
nam certarum perſonarum dictas qualitates ſtatui Cle-
ricali convenientes derelinquentium, eis ſubjecit pro
dicto determinato tempore talium qualitatum non ſer-
vatarum Judici Sæculari, & ſic noluit plus quàm hoc
æquo medio Clericos laicali poteſtati ſubjicere, ſed
pro illo ſolo caſu, & ad tempus, ut benè ponderat
Fagnan. *cit. cap. ſi quis num.* 49 proindèque præter id 27
quod valeant à Judice laico eorum cauſæ decidi etiam
Criminales, permiſſio Concilii ultra non egreditur; &
ſic retinent cœtera privilegia Clericalia, tam Canonis,
quàm non ſubjectionis ſtatutis, & legibus laicalibus,
quia verè Clerici ſunt, ut plenè apud Fagnan. *cit. cap.
ſi quis num.* 72. *& ſeqq.* & licèt privilegium Canonis
ſit magis amovibile, quàm illud fori, cum iſtud pro-
cedat à Jure Divino, tamen hoc non facit, quod ſi ex
juſta cauſa Romanus Pontifex, & Concilium cenſuerit
in aliquo caſu poſſe Clericum judicari à Judice laico,
quod non vulnerat exemptionem totius ſtatus Clerica-
lis, eſſet privilegium fori, vel ex permiſſione Ponti-
ficis, vel potiùs ex modificatione per declarationem
requiſitorum neceſſariorum, ut illo quis fruatur, non
exinde reliqua privilegia etiam minora dicuntur ſubla-
ta, vel modificata ſub certis requiſitis volitis pro frui-
tione privilegii fori; & rursùs, etſi agatur de pœna,
non poteſt trahi ab uno privilegio ſubmoto, etſi ma-
jori, ad minus non ſublatum, quia tantum dicitur
correctum, quantum dictum, præſertim in præjudi-
cium Eccleſiæ, & totius Ordinis Clericalis, *leg. præ-
cipimus in fine Cod. de appellat. & cap. cum expediat
de election. in* 6. unde reliqua privilegia remanere, ut 28
priùs, docuerunt inconcuſsè Doctores, Bellett. *cit.* §. 8.
num. 22. Gonzal. *ad regul. Cancell. Gloſſ.* 5. *num.* 4. *&
ſeq. & Gloſſ.* 54. *num.* 55. Barboſ. *de Jur. Eccleſ. lib.* 1.
cap. 50. §. 5. *num.* 15. *&* 16. *& in leg. Presbyteros nu-
mer.* 2. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Novar. *de elect. fori
tom.* 1. *ſect.* 2. *quæſt.* 52. *num.* 6. *& ſequ.* Comitol. *reſp.
moral. libr.* 6. *quæſt.* 20. Sanchez. *in Præcept. Decalog.
lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 33. *& Controv. moral. libr.* 2. *cap.* 4.
dub. 49. *num.* 1. Surd. *conſ.* 412. *num.* 6. Parlador. *quoti-
dian. rer. diff. foren.* 103. §. 2. *num.* 7. Squillant. *de pri-
vileg. Clerical. cap.* 12. *numer.* 7. *ſequent.* Ridolph. *in
praxi par.* 1. *cap.* 7. *num.* 82. Borgnin. Cavalcan. *dec.* 10.
num. 21. *& ſequentibus part.* 4. Vulp. *in praxi foro Ec-
cleſ. cap.* 41. *num.* 11. Diana *part.* 1. *tract.* 2. *reſolut.* 36.
Del Bene *de Immunit. tom.* 1. *cap.* 4. *dubit.* 11. *num.* 7.
& 8. Pignatell. *conſult.* 174. *num.* 4. *tom.* 1. Rota *deciſ.*
533. *part.* 14. *num.* 92. & pluries declaravit Sacra Con-
gregatio Concilii, ut in terminis Canonis refert Fa-
gnan. *cit. cap. ſi quis in fine*, & in aliis apud Garziam
de benef. part. 2. *num.* 19. Nicol. *in floſcul. verb. Cleri-
cus num.* 27. & pluries etiam declaravit Sacra Congre-
gatio Immunitatis, ſcilicet: Clerici gaudent exemptio-
ne ab oneribus perſonalibus, & realibus, etiamſi non
habeant requiſita Sacri Concilii, cùm Concilium Tri-
dentinum non habentibus dictas qualitates non adi-
mat, niſi privilegium fori, ut in *Aprutina* 6. *Martii*
1635. & in aliis anterioribus, quas recenſet noviſſi-
mè D. Petrus Andreas Riccius *in Synopſi Decreto-
rum Sacræ Congregationis Immunitatis, verb. Clericus
quoad exemptionem num.* 7. Porrò hoc corroboratur
ex variis rationibus, quia ad hoc, ut Clerici dicta
requiſita non ſervantes priventur ſemper fori privile-
gio, & conſecutivè aliis quibuſcumque Clericalibus,
Epiſcopus debet procedere ad privationem ſervatis ſer-
vandis factis admonitionibus, ut reſolvit Sacra Con-
gregatio Immunitatis in *Aquilana* 5. *Maii* 1641.
apud *cit.* Riccium *numer.* 24. *& in Neapolitana* 13.
Novembris 1668. *verb. Clericus quoad forum num.* 16.
Hinc Clerici reaſſumentes habitum, & adimplentes 29
requiſita Concilii, ſtatim non ſubduntur amplius lai-
co, ut latè apud Chriſtophorum de Caſtigliono *conſil.*
Merend. *conſil.* 41. Cartar. *dec.* 17. *num.* 15. *&* 16. Vivium
deciſ. 512. Ricc. *deciſ.* 167. *par.* 2. Nicol. *in praxi Ca-
nonic lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 108. Pignatell. *conſult.* 45. *nu-
mer.* 3. *& ſeqq. & conſult.* 456. *&* 457. *tom.* 1. quam-
vis Epiſcopus mandaſſet, ut ſine ipſius licentia habi-
tum non reaſſumeret, Ricc. *cit. deciſ.* 161. Squillant.
cit. cap. 6. *num.* 16. Pignatell. *conſult.* 426. *tom.* 1. Ro-
ta *deciſ.* 216. *num.* 5. *coram Celſo, & deciſ.* 543. *nu-
mer.* 40. *&* 41. *part.* 14. *recent.* ad differentiam Pen-
ſionum, & beneficiorum, quæ quidem amittuntur
per

Digitized by Google

per actum incompatibilem, imò poterit Epiſcopus Clericum etiam non ſervantem dicta requiſita recogno-
30 ſcere in Cauſis, quia Concilium non ſubmovit qualitatem Clericatus, ſed tantùm ſubſtulit Clerico non incedenti in habitu, & Tonſura facultatem excipiendi de privilegio fori, quia id egit in odium ipſius Clerici, & proindè non fuit ſublatum jus Epiſcopo in illum tamquam verè Clericum animadvertere, vel præveniendo Judicem laicum, vel repetendo illum, cùm non potuerit Clericus Epiſcopo præjudicare, ut benè exprimit Gloſſa *in canon. denique verb. reſtituatur 6. quæſt.* 3. Barboſa *ad Concil. Trident. cit. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *num.* 26. Ricc. *in Collect. deciſion. part.* 2. *deciſ.* 352. *& in praxi fori Eccleſ. reſol.* 541. *num.* 2. Ancharan. *in cap. ſi Judex num.* 5. *verſic. quod ſi Clericus de ſent. excommunic.* Treviſan. *deciſ.* 48. *part.* 2. Squillant. *cit. cap.* 7. *num.* 24. Urſcl. *concluſ.* 124. *num.* 132. Pignatell. *conſult.* 45. *num.* 9. *& per totum tom.* 1. ubi refert reſolutiones Sacræ Congregationis Concilii, & pluries reſolvit Sacra Congregatio Immunitatis apud *cit.* Riccium *verb. Clericus quoad forum num.* 4. & dixi ſupra *tom.* 2. *pag.* 377. *num.* 52. ita ut Epiſcopus dicto caſu poſſit inhibere Judici laico, ne procedat, vel continuet procedere nec quoad bona, nec quoad perſonam, donec Epiſcopus ipſe cognoſcat, an debeat gaudere foro, quia ceſſante fraude frui debet in omnibus, ſemper tamen quoad perſonam, Sacra Congregat. Concilii in *Aquinaten. privilegii fori* 31. *Auguſti* 1671. *& in Nicien. privilegii fori* 30. *Maii* 1676. & eadem Sacra Congregat. in *Leodien.* benè expreſſit *die* 12. *Novembris* 1630. apud Paſcuccium *in comp.* Pignatell. *pag.* 45. *tom.* 1. facta relatione Sanctiſſimo, qui approbavit ut Clerici etiam non habentes requiſita *cap.* 6. *ſeſſ.* 23. *de reform.* licèt ipſi tamquam contravenientes non poſſint per ſe ipſos allegare privilegium fori; nihilominus ſubſunt Juriſdictioni Epiſcoporum, & Ordinariorum cognitioni, nedum in cauſis, in quibus iidem Epiſcopi ſeù Ordinarii prævenerunt, & illos è manibus Judicis laici repetunt, quando iidem Clerici adhuc tales permanent, videlicet ſi à Jure vel ab homine, per declarationem ſervatis ſervandis factam privilegiis Clericalibus denudati, ſeù privati non ſint.

31 Unde firmum remanet, Clericos etiam non habentes requiſita Concilii, non ſubdi ſtatutis, & Conſtitutionibus laicalibus, & quoad factionem Teſtamenti in filiofamilias, Rota *in Romana Teſtamenti deciſ.* 290. *num.* 15. *coram Priolo*, licèt Rota quoad Teſtamentum deciderit, quòd Clericus debet ſervare requiſita Concilii, ſi velit validitatem Teſtamenti facti ab eo uti filiofamilias, Sanchez *in precept. Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. & declaravit Sacra Congregatio Concilii apud Paſcuccium *in comp.* Pignatell. *pag.* 426. *in Tudertina* 10. *Februarii* 1616. à qua, & ſi Rota receſſerit in *deciſ.* 533. *part.* 14. *recent.* tamen rediit ad primævum ſenſum in *deciſ.* 304. *&* 392. *par.* 17. *recent. & deciſ.* 10. *part.* 18. ex rationibus inſubſiſtentibus, quod non fuerit teſtator ordinatus à proprio Epiſcopo, & quod non ſervaverit requiſita, non gaudeat privilegiis Clericalibus. Verùm cùm id ſit contra ſenſum communem Doctorum ut dixi, & reſolutiones Sacræ Congregationis Concilii, ideò contrariam firmavi *cit. tom.* 2. *pag.* 376. *num.* 47. *& ſequent.* imò ipſa Rota *in deciſ.* 279. *part.* 18. *recent.* expreſsè id revocavit, licèt ex aliis motivis deciſiones confirmaverit, cujus ultimæ deciſionis verba hìc ad rem tranſcribam: *Non tamen ſententiam Domini confirmarunt ex alia ratione in deciſionibus deducta, à quibus in hac parte receſſerunt, quod nempe Clericatus ab alieno Epiſcopo, Adriano, (qui Teſtator erat, & Clericus) non tribuerit illi privilegia Clericalia; quia Sacra Congregatio Concilii dixit, Clericum ordinatum ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi remanere quidem ſuſpenſum ab exercitio, & executione ordinis, ſed non à privilegiis Clericalibus, ordinem ipſum validè collatum conſequentibus, ut in Sancti Marci ſuſceptionis Ordinum prima Decembris* 1668. *& in Hydruntina Clericatus* 16. *Decembris* 1673. *Neque ex alia ratione, quod Clericus non habens requiſita Concilii ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *ex diſpoſitione ejuſdem Concilii non gaudeat hoc privilegio teſtandi, quia Sacra Congregatio Concilii dixit, Concilium Tridentinum ibi ademiſſe Clericis non habentibus ea requiſita, ſolum privilegium fori, reliquis prout prius remanentibus in corpore Juris, ut in Pennen.* 2. *Novembris* 1604. *& in terminis filiifamilias teſtantis juxta Textum in leg. Sacroſancta Cod. de Epiſcop. & Cleric. in quadam Tudertina relata per modernum* Pignatell. *conſult. can.* 7. *num.* 85. *tom.* 3. Motivum tamen Rotæ fuit confirmandi, quod Teſtamentum dolo legatariorum factum fuerit, quæ declaratio, & revocatio reſpectivè ad Concluſionem fuit facta ex eo, quod animadverſus fuit Ponens, tunc Rondaninus per Eminentiſſimum Brancacium, eo tempore Secretarium Sacræ Congregationis Concilii, Epiſcopum Viterbienſem meum Concivem, qui ob ſui animi qualitates eximias meruit à Sancta Memoria Innocentii XI. ad Purpuram evehi, de qua animadverſione mihi teſtatus fuit R. P. D. Maſſerius, tunc habens Secretum Rotæ apud præfatum Rondaninum, & forſan benè ſciet Sanctiſſimus Dominus Noſter, qui tunc in minoribus eidem ſtudio incumbebat, maximum initium præbens propriæ virtutis. Id enim ſervari deberet, quotieſcumque aliquod videatur in deciſio- 32
nibus Rotalibus inadvertenter expreſſum in eo, quod reſpicit interpretationem Sacri Concilii Tridentini, tum quia idem Tribunal profitetur Decreta Sacræ Congregationis reverenter ſuſcipere, ut in *dec.* 46. *num.* 6. poſt Vivian. *de Jurepatron. & in deciſ.* 5. *num.* 12. *cor. Cardin. Celſo, & in eadem deciſ. Romana Teſtamenti* 279. *num.* 2. *part.* 18. *recent.* tum fortius quia Sacræ Congregationis Concilii proprium eſt, privativè quoad alia Tribunalia, interpretari decreta Conciliaria, & plures ſunt caſus, in quibus Sacra Congregatio Rotæ demandavit, ut ſe conformaret hujuſmodi interpretationi, ut quoad præſentiam Parochi phyſicam, & materialem non ſufficientem Uriaya *Inſtit. Criminal. lib.* 1. *tit.* 10. §. 2. *num.* 187.

Idque etiam eſt dicendum, quod non ſubjaceant 33
Clerici non habentes requiſita aliis Statutis, & Conſtitutionibus laicalibus, ut ultra adducta *tom.* 2. *loc. cit.* docuerunt præcitati Doctores, & Rotæ deciſiones. Nec obſtat, quod idem ſit forum ſortiri, & ſtatutis ligari, quia id procedit quoad ordinatoria Judicii, non autem quoad deciſoria, quia iſta Clericos non obligant, quamvis laicorum forum ſortiantur, ut communiter docent Doctores in *cap. quod Clerici* 9. *de for. compet.* & præſertim Abbas *num.* 6. 10. *&* 21. Felin. *in cap. Eccleſia Sancta Maria num.* 57. *de Conſtit.* Corneus *conſil.* 187. *num.* 18. *vol.* 4. Cuman. *conſil.* 140. *num.* 2. *& per tot.* Contard. *in leg. unic. Cod. ſi de moment. poſſ. fuerit appellatum, limit.* 4. *& per tot.* Brunus *de Statut. verb. Clericus in princip.* Graſſ. *de effect. Clerical. effect.* 2. *num.* 132. *& ſequent.* Aſinius *in prax. in initio cap.* 8. *num.* 7. *& ſeq.* §. 19. *limit.* 13. Ridolph. *in praxi part.* 1. *cap.* 7. *num.* 87. *&* 88. Carena *reſol.* 115. *per tot.* Sperell. *deciſ.* 10. *num.* 22. *& ſeq. & deciſ.* 100. *num.* 17. *& deciſ.* 135. *num.* 106. *& ſequ.* Thomat. *deciſ.* 6. *à num.* 22. *& deciſ.* 96. *numer.* 3. de Marinis *reſol.* 47. *num.* 11. *libr.* 2. Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 2. *per tot.* & Rota *in Aſſiſien. Dotis infra adducenda*. Prout non relevat, quod perſona Clerici eo- 34
dem tempore dicatur talis, quia gaudet aliis privilegiis, & non Clericus, quia ſubeſt foro laicali; Etenim cum perſona Clerici hujuſmodi remaneat talis quouſque ab homine per privationem, depoſitionem, vel degradationem, ſivè à lege per bigamiam, aut ſimilem modum privilegiis Clericalibus denudetur, *cap. contingat* 36. ubi Gloſs. & Doctores *de ſentent. excommunicat.* benè Bald. *in leg.* 2. *in addit. num.* 3. *ff. de his, qui not. infam.* Pignatell. *conſult.* 46. *numer.* 4. *tom.* 1. ideò firmat remanente qualitate Clericali, deſtitutus remanet aliquo privilegio, prout illud fori, & non aliis quoad exemptionem onerum, ſubjectionem ſtatutis laicalibus, & ſic ad certos effectus tantùm ex

per-

permiſſione Eccleſiæ pro laico haberetur, *cap. 1. de bigam. in 6.* Abbas *cap. 4. numer. 6. de vit. & honeſt. Cleric.* Sanchez *in præcept. Decalog. lib. 7. cap. 13. numer. 36.* Rota *deciſ. 13. num. 52. & ſequ.* poſt D. Conſtantinum *ad Stat. Urbis, & benè deciſ. 12. & 50. numer. 12. par. 15. & in cit. Aſſiſien. Dotis 15. Martii* 1706. §. *Et tamen coram D. Scotto.*

35 Ex his enim principiis reſultat, quod Ægidiana quoad ſolemnitates contractuum, cùm reſpiciat deciſoria, & merita Cauſæ ex eo, quod annullat contractus geſtos ſine præſcriptis ſolemnitatibus, juxta doctrinam Baldi *leg. 1. num. 11. Cod. ne filius pro Patre*, Carena *cit. reſol. nu. 5. & ſeq.* Sperell. *deciſ. 100. num. 18. & ſeq.* ideò non ligat dicta Conſtitutio Clericos, etſi non habentes dicta requiſita, quamvis non fruantur privilegio fori, ut plenè fuit firmatum in *cit. Aſſiſien. Dotis 23. Junii* 1704. recedendo à deciſis *coram D. Muto, & in eadem 22. Junii* 1705. §. *& ex his cor. eodem, & 15. Martii* 1706. §. *prout, & ſequenti coram D. Scotto*, & reſolvit *Sacr. Congregat. Concilii 2. Octobris* 1604. *An diſpoſitio Conſtitutionis Ægidianæ locum habeat in Clerico non habente requiſita Concilii Tridentini ſeſſ. 23. de refor.*
36 *cap. 6. Sacr. Congregat. cenſuit non habere:* Concilium enim cognitionem cauſarum Clericorum, non habentium dicta requiſita laicis indulſit, ut ſub juriſdictione eorum, quoad forum remanerent in cauſis decidendis ab ipſis, quod utique poteſt habere locum, ut ab ipſis decidantur juxta leges Pontificias, & privilegia Clericorum, quæ adhuc præſervata remanent, Navar. *conſ. 24. num. 3. de privil.* Fagnan. *cit. cap. ſi quis num. 73. de foro competenti*, ac docent citati Doctores; idque comprobatur ex eo, quod dum Papa voluit, ut laicus conveniri poſſit coram Judice Eccleſiaſtico à Clerico, expreſsè demandavit, ut cauſæ deciderentur juxta ſtatuta Eccleſiaſtica, ut in *cap. quod Clericis 9. de foro compet.* unde ſi diſpenſativè id factum fuit, ut notat ibi Gonzal. *num. 3. verſ. hac igitur ſolutione omiſſa.* Si talis diſpenſatio non adeſſet; laicus etſi conveniretur coram Eccleſiaſtico, juxta primam partem Decretalis, deberent cauſæ terminari juxta deciſoria, & ſtatuta laicalia; ita è contra, quia Concilium mandat Clericos præfatos poſſe cognoſci à laico, nec ultrò ſe extendit, non cenſetur ademptum aliud privilegium, ut decidantur cauſæ juxta eorum privilegia; imò paſſim videmus Clericos ob reconventionem, & in concurſibus, coram Judice laico conveniri, Fagnan. *cap. cit. nullus num. 3. de foro competent.* & tamen non exinde alia privilegia amittit in judiciis, benè *cit.* Fagnan. *cap. ſi quis numer. 74. §. conſiderandum eodem tit.*

37 Animadverti tamen ad rem, quod in Sacra Congregatione Concilii in *Recinaten. privilegiorum Clericalium*, cum quidam Clericus fuiſſet conventus pro obligatione facta tempore, quo non ſervabat requiſita Concilii, abſque ſolemnitatibus Ægidianæ, & factus Presbyter condemnatus ab A. C. proponi curavit infraſcripta dubia in Sacr. Congregat. ſub die 2. Junii 1674. per ſimplex memoriale, videlicet. *I. An Clericus non habens requiſita Concilii, amittat ſolummodo privilegium fori, cœtera verò privilegia Clericalia, & præſertim illud cap. Sancta Maria 10. de Conſtit. intacta remaneant, itaut non ſubjaceat Ægidianæ, aliiſque ſtatutis laicalibus. II. An per aſcenſum ad Sacerdotium privilegia Clericalia recuperentur, & retrotrahantur ad diem Clericatus, itaut contractus medio tempore celebrati non ſubjaceant ſtatutis laicalibus. III. An Conſtitutio Ægidiana Marchiæ, quæ annullat contractus Minorum, & juramenta ſit arctativa, & prohibitiva, dici poſſit Conſtitutio favorabilis*, & fuit dilata reſolutio, injunctumque tranſmitti per manus EE. PP. Votum D. Secretarii, & die 10. Novembris ejuſdem anni, diſtulit reſolutionem, & tandem propoſitis dubiis, cum alia cauſa *Interamnen. Ægidianæ*, in qua Vicarius Generalis petebat declarari: *An Ægidiana, quæ eſt Conſtitutio laicalis, habeat locum quoad Clericos prima tonſura initiatos, non habentes tamen requiſita Concilii, cap. 6. ſeſs. 23. quia non incedunt in habitu, & tonſura, nec beneficia obtinent.* Sacr. Congregat. *die 16. Februarii* 1675. ad utramque cauſam diſtulit deciſionem; nec ulla in his cauſis reperta fuit reſolutio. Verùm quoad primum dubium in *cit. Recinaten.* quoad primam partem nulla cadit dubitatio ex dictis, quia verè Clerici non habentes requiſita Concilii non amittunt alia privilegia, niſi fori, & ultra deducta ſuperius latè probat Paſcuccius ad Pignatell. *in compend. tom. 1. de Immunitate Eccleſiaſtica pag. 416.* ubi adducit plures rationes, & reſolutiones Sacri Concilii, & præſertim in *Pennen.* ibi: *Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini. In dubium revocatur, an diſpoſita in Concil. Trident. ſeſs. 23. de refor. cap. 6. circa qualitates Clericorum prima tonſura initiatorum, ſivè in minoribus ordinibus conſtitutorum quoad privilegium fori, procedant etiam quoad privilegia Canonis, & Immunitatis, itaut non deferentes Clericalem habitum, & tonſuram, nec inſervientes Eccleſiæ, cui ex mandato Epiſcopi ſunt adſcripti, gaudere non poſſunt privilegio Canonis, ſive etiam non ſunt immunes à collectis laicorum, & aliis privilegiis, ex juris communis diſpoſitione ante Concilium Tridentinum competentibus, priventur; Die 2. Novembris 1604. cùm in Congregatione Concilii hoc dubium actum eſſet; Congregatio unanimiter cenſuit, cœtera privilegia non eſſe decreto dicto cap. 6. Clericis ablata. Et in Tudertina, petente Oratore declarari, an uti Clericus etiam habens qualitates Concilii potuerit teſtari, etſi filiusfamilias. Sacra Congregat. die 10. Februarii 1616. cenſuit, decretum ejuſdem Concilii cap. 6. ſeſſ. 23. non ademiſſe Clericis non habentibus qualitates, quæ ibidem exprimuntur, niſi privilegium fori; cætera verò remanere in diſpoſitione juris communis:* Unde non videtur, quæ difficultas fuerit in prima parte dubii; prout neque in ſecunda, quia certum eſt, quod firmo remanente privilegio exemptionis, reſultabat exemptio à ſtatutis laicalibus, & proinde ab Ægidiana ex dictis ſupra, ac firmatis per Rotam *in cit. Aſſi-*
ſien. dotis. Quoad ſecundum dubium eſt etiam cer- 38
tum, quod debet attendi ſtatus perſonæ tempore contractus, ut plenè Rota *in cit. deciſ. Aſſiſien. 22. Junii* 1705. §. *Et in omnem caſum coram Muto*; unde vel tempore contractus, uti Clericus, non erat ſubjectus, & contractus ſemper valuit, vel ſubiiciebatur, & licèt deinde fuerit Sacerdos, non retrotrahitur privilegium, acquiſitum tempore Sacerdotii, & quoad
tertium tunc Clericus poſſet per viam privilegii uti 39
ſtatuto laicali, etſi Ægidianam, uti ſibi favorabili, ut certis ſolemnitatibus tantùm obligetur, ſi ab initio ſe declaraverit velle Statuto, ſeu Ægidiana uti, non autem poſt actum geſtum, idque præſertim ſi eliciatur voluntas diſcretiva nolendi uti ſtatutariis ſolemnitatibus, prout uſus fuit alter coobligatus, ut diſcuſſo articulo in terminis Ægidianæ dictum fuit in citatis deciſionibus *Aſſiſien. coram Muto §. non obſtat, & coram D. Scotto §. ejuſdem*, & firmavit in *deciſ. 52. num. 22. par. 12. recent. deciſ. 369. num. 15. par. 16. Romana dotis, & fructuum 15. Martii 1694. coram Benincaſa, & deciſ. 139. nu. 15. & ſeq.* poſt D. Conſtant. *ad Stat. Urbis*, & ſic videtur Rotam non negaſſe, ut Conſtitutione Ægidiana, poſſit Clericus uti per viam privilegii in ejus contractibus.

Deveniendo nunc ad partem ejuſdem Ægidianæ 40
quoad appellabilitatem in judiciis poſſeſſoriis, major urget difficultas, quia id importat ordinatoria judicii, unde ſicuti Clericus non ſervans requiſita, poteſt coram laico conveniri, ita à ſententia prolata ab eodem Judice laico, non datur appellatio, eo magis quia appellari debet ad laicum Judicem. Rurſus attenditur in Ægidiana tempus latæ ſententiæ, & non ſtatus antecedens colligitantis, unde cum tali tempore Clericus ſubſit judicio laicali, videtur habere locum Ægidiana, Coccin. *deciſ. 1991. num. 12. & ſequenti.*

Digitized by Google

41 Tamen contrarium videtur dicendum, quia Ægidiana ut intret, non eſt neceſſarium ſolùm, ut ſententiam ferens ſit Judex laicus, ſed etiam intrat quando Judex ſit Eccleſiaſticus, etſi fuerit lata inter laicos, *deciſ. 62. num. 3. coram Cerro*, & apud D. Conſtantinum *annot. 52. art. 1. ſeſt. 3. num.* 131. ut ſupra notavi ad *cit. Conſtitut.* 1. Innocentii VI. *num.* 53. vel ſententia lata fuerit inter Eccleſiaſticos, vel cum unica parte Eccleſiaſtica, vel etſi ex permiſſione Concilii Judex laicus valeat procedere contra Clericum non habentem requiſita, tamen Clericus remanet verè Clericus cum omnibus privilegiis Clericalibus, excepto eo, quod poſſit declinare cognitionem, & judicium fori laici, & quamdiù Clericus eſt, donec per privationem hominis, vel Juris, ut dixi, denudatus extet privilegiis Clericalibus, ſemper poteſt uti quocumque alio privilegio, ut eſt illud non comprehenſionis ſub Ægidiana, uti Conſtitutione laicali; & verè tempore ſententiæ, etiam Clericus eſt, & ſic utitur Jure Canonico appellandi, nec tali jure privatur ex Ægidiana, Clericos non comprehendente; eò magis quia verba Conſtitutionis in §. *in quibus caſibus appellare non valet*, directæ ſunt in ipſos appellantes principaliter, licèt conſequenter deinde voluerit, quod Judex ad quem non admittat appellationem, & Judex à quo ei non deferat, nec ex hoc elicitur inconveniens, quod potiùs eliceretur, ſi contrarium in uſu poneretur, quia poſita facultate ſupra comprobata, tàm in Epiſcopo valente cognoſcere Clericum, etſi non habentem requiſita, imò etiam repetere eum, quàm in Clerico valente reaſſumere habitum, & ſic ſervare alia requiſita, quatenus Ægidiana haberet locum tempore, quo ſententia eſt lata à primo Judice laico, Judex Eccleſiaſticus, ad quem appellaretur, deberet deſerre eidem Ægidianæ, & appellationem non admittere, quod nefas eſt aſſerere, ut ad rem dixit Cancer. *var. reſol. cap. 3. num. 22. & cap. 15. num.* 34. Scialoja *de for. comp. cap. 54. num.* 25. Antonell. *de loco leg. lib. 3. cap. 8. num.* 10. & Rota *in Firmana Salviani 2. Julii* 1708. §. *per contrarium, & ſequ. coram D. Molines*. Ulteriùs Concilium tantùm facultatem Judici laico procedendi conceſſit, ad ſubmovendas querelas Principum laicorum contra Clericos, qui more laicorum viventes delicta committebant, ut plurimum impunita ex conniventia Epiſcoporum, non autem ad aliud ſe protendit circa appellabilitatem, quæ de jure Canonico datur Eccleſiaſticis in judicibus civilibus, quorum duratio nihil refert ad finem Concilii ſupradictum, eoque magis, quia cauſa redditur appellabilis, etiam quoad laicum litigantem, & ſic ceſſante motivo Concilii, & verbis ipſius circa hunc caſum, ceſſat quoque

42 diſpoſitio; Imò videmus in pluribus aliis caſibus, Judicem laicum procedere poſſe contra Clericum in civilibus, ut in cauſa reconventionis, concurſus Creditorum, feudali, & tamen quis dixerit in his caſibus, ex eo quod Clerici fiunt de foro Judicis laici, intrare Ægidianam, & quod eſt magis, ſi cauſa ſit inter laicos coram Judice laico de re emphiteutica Eccleſiæ, & ſi laicus procedat tamquam de ſui foro contra laicos, non tamen ſententia ſit inappellabilis, Poſt. *de manut. obſer. 8. num.* 66. & dixi ſupra *cit. Conſtit.* 1. Innocentii VI. *num.* 18. quia præter ea acta ordinatoria, quæ concomitantur judicium, vel naturam ipſius cauſæ, ut in feudo habente proprias Conſtitutiones, Clericus poteſt uti ſuo jure ſpeciali, præſertim poſt latam ſententiam, prout eſt actus appellationis, quæ interponitur poſt ſententiam, & poſtquam Judex functus eſt officio ſuo, & tunc ſolùm Clerici tenentur ſtare ordinatoriis, quatenus concernant cauſam, non autem tangant perſonam eorum, ut eſſet in hoc caſu prohibente illis appellare, Graſſ. *cit. effect. 2. num.* 133. & 134. Sperell. *deciſ. 10. num. 24. &* 25. & quotieſcumque Clerici habent aliquod determinatum in corpore juris, quod contrariatur legibus fori ſæcularis, in quo litigant, prout eſt appellatio in poſſeſſoriis, juxta *cap. cum ad Sedem de reſtit. ſpoliat. & Clementina prima de ſequeſtr. poſſeſ. fruct.* tunc non debent ſervare leges civiles auferentes ipſis privilegium, & non amplius ſolum Ordinem judicii, Suarez *cit. cap. 16. in fine*, Marta *de juriſd. part. 4. cap. 131. num. 12. & ſequent.* Fermoſin. *cap. quod Clericis quæſt. 3. num. 18. & ſequent.* Del Bene *de Immunit. cap. 2. dub. 1. numer.* 33. Sperell. *cit. deciſ.* 10. *num.* 26. 28. & 29. & Concilium permittens tantùm forum laicum, intelligi debet juxta hanc modificationem cum præſervatione legum de Clericis diſponentium, & facit Rota *dec. 288. num. 12. & ſeq. coram Bichio*.

43 Neque obſtat, Clericum non habentem requiſita ligari legibus, & Statutis Principum, & Magiſtratuum quoad jus congrui, & retractus, quod etiam reſolvit Sacra Congregatio Concilii 2. *Decembris* 1623. quia tales leges non contrariantur juri Canonico, *cap. conſtitutus de in integrum reſtitutione*, & licet non ligent Clericos ex defectu poteſtatis, ut plenè R. P. D. Corradinus *in ſuo elaborato Tractatu de jure prælationis quæſt. 12. num.* 15. tamen cùm non ſit expreſsè contrarium à jure Canonico quoad Clericos determinatum, benè Judex in Clerico de ſui foro facto in cauſæ deciſione poteſt eo uti, quod tamen etiam patitur difficultatem ex ſuperiùs plenè probatis quoad ſtatuta deciſoria, & præſertim dixit Rota *in cit. Aſſiſien. dotis 15. Martii 1696. §. Et tamen coram D. Scotto* Attamen hoc certum eſt, non poſſe applicari in caſu præſenti, in quo appellatio expreſsè eſt permiſſa à jure Canonico, quamquam eam ſubmoveat Ægidiana tantùm laicis, & demum in dubio Curia Romana debet ſequi opinionem magis latam pro tuenda Immunitate, in qua debet eſſe magiſtra, & exemplar toti Orbi Chriſtiano, ut Principes laici magis eam confoveant, ut in terminis Ægidianæ dixit Rota *in cit. Firmana Salviani §. liberato coram D. Molines*.

44 Nec item obſtat citata *deciſ. 1691. coram Coccino*, repetita *par. 5. recent. deciſ. 51. num. 12. &* 13. quam ſequitur Poſt. *de manutent. obſerv. 8. num.* 61. quia deciſio ſe fundat in eo, quod nempe tempore ſententiæ Clericus Cameræ Apoſtolicæ litigans deſeruit Statum Clericalem, tranſeundo ad laicalem, & debuiſſet attendi ſtatus, in quo erat tempore ſententiæ, quia agebatur de eo, qui ſtatum incompatibilem aſſumpſerat, & uti laicus omninò, & publicè habebatur, & ſic tunc monitiones debent ſupponi, ac derelictus omninò ſtatus Clericalis, ut benè Fagnan. *cap. Odoardus num. 24. de ſolut.* & potuerat eſſe quod ſervatis ſervandis fuiſſet ſpoliatus privilegiis omnibus Clericalibus, nec Rota ibi ponderavit caſum ſimplicis Clerici non habentis requiſita Conciliaria, & proinde non debet attendi, ut dixit Rota *deciſ. 10. §. tertio moventur*, apud Fenzon. *ad Stat. Urbis*, Bichio *deciſ.* 480. & alii; imò noviſſimè Rota *in Peruſina Fideicommiſſi de floribus 10. Martii 1690. coram Urſino*, quamvis reſolutum fuerit, eſſe locum Ægidianæ, quia agebatur de Clerico non habente requiſita Concilii, tamen *die 5. Maii ejuſdem Anni* conſtito de Clericatu, non obſtante replicatione quod non probarentur requiſita, citata deciſione Coccini, aliiſque, obtenta fuit nova Audientia, *& ſub die 9. Junii 1690. coram eodem num.* 1. fuit receſſum, ac reſolutum non intrare Ægidianam, quia fuit doctum de Clericatu per litteras teſtimoniales Epiſcopi, & licèt fuerit additum, docuiſſe de inceſſu in habitu, & Tonſura, tamen nihil doctum fuit de ſervitio in Divinis, quod copulativè requiritur, ut ſupra probavi, & ſic verè Rota requiſitis Conciliaribus non exiſtentibus, reſolvit Ægidianam non intrare, quæ deciſiones ſunt impreſſæ in opere Cardinalis de Luca *deciſion. 82. & 83. libr. 10. & Signatura Juſtitiæ in Peruſina tertia Februarii 1695. Ponente Dom. Paſſerino*.

45 Ad rem etiam facit, ex iiſdem principiis deducta Concluſio, quod Clerici non habentes dicta requiſita, fruantur privilegio *cap. Odoardus de ſolutionibus*, quia verè retinent omnia alia privilegia Clericalia, & ſolùm permiſſivè ſit, ut Judex laicus eorum cauſas cognoſcat, de Marinis *reſol. lib. 2. cap. 47. num. 9. &* 10. plenè Fagnan. *cit. cap. Odoardus num. 21. & ſeq.*

Digitized by Google

ſeq. Carolus Antonius de Luca ad de Marinis *loco cit. num.* 14. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.*2. *alleg.*12. *num.*32. Antonell. *de Juribus Clericor. cap.*25. *num.*13. Pignarell. *conſult.*7. *tom.*3. *num.*85. *&* *conſult.*2. *num.*8. *tom.*4. *&* *conſult.*46. *num.*89. *tom.*5. quidquid ſit quoad
46 Clericum conjugatum, qui tantùm ex Jure habet privilegium Canonis, & fori, ſi modò ſervet requiſita *cap. unic. de Cleric. conjugat. in* 6. & ſic non fruitur privilegio *cap. Odoardus*, ut plenè Rota *deciſ.* 207. *par.* 15. *recent.* & ſentiit Signatura Juſtitiæ in *Tolentina cap. Odoardus* 24. *Septembris* 1699. *Ponente D. P. Aloyſio Caraffa*, nunc digniſſimo Clerico Cameræ Apoſtolicæ, quia reſcripſit cum Clauſula, ſine præjudicio in ſententiis, tale beneficium Clerico conjugato denegans, licèt contrarium ſentiat Ricc. *deciſ.*170. *nu.*4. Scannarola *de Viſit. Carcerat. lib.*3. *cap.*3. *num.*24. Sed quoad Clericos Cœlibes firma eſt concluſio, ut fruantur dicto privilegio, & ſi non ſervent requiſita Conciliaria, & licèt Rota in citatis primis deciſionibus *Romana Teſtamenti* hoc idem denegaverit, tamen animadverſa per Sacram Congregationem contrarium decidit in *cit. deciſ.*279. *par.*18. *recent.* ubi profitetur Rota non confirmare ſententiam ex rationibus adductis in prioribus deciſionibus, ſed ex aliis, & præcisè refutat exemplum deductum ex *cap. Odoardus de ſolut.* in quo plures Doctores ajunt, requiſita Concilia extendi debere, quod eſt pariter contra reſolutionem Sacr. Congr. Concilii *in quadam Tudertina relata* per Pignatell. *conſult.*7. *num.*83. *&* 84. *tom.*3. & verè ſenſus Sacræ Congregationis Concilii fuit; ut Clerici non habentes dicta requiſita fruantur dicto privilegio, tàm ex dictis rationibus generalibus, quàm præcisè ex enunciatis reſolutionibus Sacræ Congregationis Concilii, ut ultra
47 dictam reſolutionem in *Tudertina* 16. *Maii* 1616. apud *cit.* Pignatell. & Paſcuccium *in ejus Compendio pag.*426. & apud *cit.* Fagnan. *num.* 21. *ſeq.* adeſt alia antiquior *die* 18. *Septembris* 1595. *Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Clericum non deferentem habitum, & Tonſuram, nec alicujus Eccleſiæ ſervitio de mandato Epiſcopi deſervientem, licèt privilegio fori non gaudeat, gaudere tamen beneficio cap. Odoardus, & in Romana, ſeu Sabinen. cap. Odoardus* 7. *Julii* 1703. Monac. *tom.*2. *tit.*15. *num.*15. *per tot.*
48 Unde neſcio quo fundamento Rota poſt dictam retractationem in *cit. Romana Teſtamenti* juxta interpretationem Sacræ Congregationis Concilii, contrarium deciderit in *Camerinen. ſeu Sancti Severini cap. Odoardus* 10. *Junii* 1701. §. *Quia Clericus coram Pio, & in Romana, ſeu Lycien. cap. Odoardus* 12. *Maii* 1702. *coram D. Anſaldo*, cùm nedum contraria ratio urgeat ex dictis principiis, ſed contrarietur reſolutio principiis firmatis à Sacra Congregat. Concilii, & præcisè quoad fruitionem privilegii hujus, unde doctus Extenſor in *citat. Romana ſeu Lycien.* ſe præcisè fundat reſolutioni in qualitate publici negotiatoris, & doloſi debitoris, publicè pro laico habiti; in quibus terminis certum eſt, Clericos non gaudere dicto privilegio, ut plenè probant Doctores relati in *cit. deciſ.* §. *dixerunt, & ſequent.* & benè Fagnan. *loc. cit. num.*24. *& ſequent. & num.*35. *& ſequent.* & gaudere reſcripſit Signatura Juſtitiæ, in *Romana Clericatus* 29. *Junii* 1706. *Ponente D. Stampa*, ubi agebatur de Clerico Uxorato Orientali, ſeù Græco non habente requiſita Sacri Concilii, non attenta tunc adducta
49 deciſione *Romana ſeù Lycien.* niſi adſit dolus, quia tunc Signatura denegat tale beneficium, ut in *Romana cap. Odoardus* 16. *Decembris* 1709. *Ponente Dom. Cincio*, nunc meritò Signaturæ Juſtitiæ votante, ac ſpecialibus qualitatibus prædito, & 17. *Martii* 1707. *coram eodem*, approbando quoad hoc tantùm citatam deciſionem in *Romana, ſeu Lycien.* Cœterùm etiam Rota *in cit. Romana, ſeù Lycien.* non benè motivat, Clericum ordinatum à non proprio Epiſcopo ſine litteris dimiſſorialibus, non frui privilegiis Clericalibus, ut in §. *nihilominus, & ſequent.* pluribus ibi citatis Doctoribus; quia eadem Rota hanc Concluſionem expreſsè revocavit in *cit. Romana Teſtamenti* 279. *part.* 18. *recent.* in obſequium interpretationis Sacr. Congregat. ut par eſt omninò præſtandum, uti privativæ interpretis Concilii, quia verè ita ordinati, ſunt validè ordinati, & uti tales recipiunt characterem, ſed tantum illicitè, itaut remaneant ſuſpenſi ab executione Ordinum, quod non importat privationem privilegiorum, ut expreſsè reſolvit Sac. Congregat. in *cit. Hydruntina Clericatus*, in qua pro parte Communitatis fuit dictum, Græcos in Clericos ordinatos fuiſſe abſque litteris dimiſſorialibus proprii Ordinarii, & abſque ullo titulo legitimo, imò eſſe improbæ vitæ, & Sacr. Congregat. *die* 16. *Decembris* Propoſitis dubiis. *I. An ſint validè, & licitè promoti dicti Italogræci. II. An gaudere debeant privilegio Fori, & exemptione ab oneribus Clericalibus, & Communitativis.* Sacr. Congregat. cenſuit *Ad I. eſſe quidem validè ordinatos, non tamen licitè, ideòque à ſuſceptorum ordinum exercitio eſſe ſuſpenſos. Ad II. Affirmativè, tom.* 28. *Decret. pag.*212. & refert Pignatell. apud Paſcuccium *de Immunit. Eccleſ.*
*pag.*427. Hinc Irregularis Clericus, etſi dicatur inhi- 50
bitus ab exercitio ordinum, tamen fruitur privilegiis Clericalibus, *Sac. Congregat. Immunitatis* apud Riccium *verb. Clericus quoad forum*, Bellet. *diſqu. Cler. part.* 1. *de foro Cleric. Can. num.* 44. & quòd ordinati illicitè, ab alieno ſcilicet Epiſcopo, non amittant fori privilegium, docuerunt Squillant. *de privileg. Cleric. cap.*7. *dub.* 2. *num.* 29. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 8. *numer.* 18. *in fine, & numer.* 19. Novar. *in ſumma Bullar. comm.* 98. *numer.* 16. quidquid dicant aliqui apud Pariſ. *de reſign. lib.*4. *quæſt.* 2. *numer.* 85. Gabriel Pereira *de manu reg. part.* 2I.
cap. 26. *num.* 18. Si tamen agatur de ordinatis cum 51
falſis dimiſſoriis, tunc ex *Conſtitut.* 33. Urbani VIII. relata apud Barboſa *cit. num.* 6. privantur privilegiis Clericalibus, prout ſi ſint ordinati cum litteris Dimiſſorialibus Vicarii Capitularis infra annum, quia Concilium Tridentinum ita ordinatos privat privilegiis, ſed in utroque caſu requiritur declaratio Judicis Eccleſiaſtici, incurriſſe dictam pœnam, Barboſ. *ad Concil. ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *num.* 10. *de reform.* Caponus *diſcept.* 168. *num.* 53. *tom.* 2. & ſit mentio in eadem Bulla Urbani VIII. Ad rem autem, cùm Religio Hieroſolymitana ſupplicaſſet Sanctæ Memoriæ Innocentii XI. ut idem declararetur quoad Clericos dictæ Inſulæ, qui ſe ordinare faciebant ab alienis Ordinariis, vel cum falſis dimiſſoriis, propoſito dubio in Sacra Congregatione Concilii. *Ad declarandum ſit, Melitenſes ordinatos, ſeù ordinandos cum falſis, ſeu abſque dimiſſoriis proprii Epiſcopi, non gaudere privilegiis Clericalibus.* Sac. Congregat. die 8. Maii 1677. reſpondit *negativè, ſed poſſe per Sanctiſſimum extendi Bullam Urbani VIII. ad Inſulam Melitæ*, ſcilicet quoad formam dimiſſorialium recognoſcendarum, ut in ea demandatur quoad Ultramontanos ordinandos in Italia.

Demum ad materiam principalem Ægidianæ, 52
an habeat locum, poſſet inſpici, an afficiat cauſas Clericorum Conjugatorum. Et certè quod ſi non ſervent requiſita *cap. unic. de Cleric. conjugat. in* 6. innovato à Sacro Concilio Tridentino *cit. cap.* 6. *ſeſs.* 23. non gaudent privilegio fori, & uti meri laici haberi debent, ut ſunt plures reſolutiones Sac. Congregat. Concilii, & Immunitatis apud *P. Riccium verb. Clerici conjugati*, & ſic de iſtis nullum dubium, ut Ægidiana intret; ſi verò agatur de Clericis conjugatis habentibus requiſita dicti Textus, & ulterius inſerviant in Divinis, ac habitum convenientem Clericalem deferant, tunc poſſet dici neque eximi ab Ægidiana quoad appellationem ab ea denegatam, quia gaudent tantùm fori, & Canonis privilegio; ſed contrarium verius eſt, nam cùm fruantur foro Eccleſiaſtico, tàm in Civilibus, quàm in Criminalibus, juxta ſententiam Sacra Congregatio Immunitatis ex reſtrictionibus adductis à *citat.* Riccio *verb. Clerici conjugati*, conſequenter cùm Judicis Eccleſiaſtici Tribunal Ægidianam non ſervet, & ſen-

tentia

Digitized by Google

tentia ab eo prolata etiam inter laicos eam excludat, meritò ideſt dicendum inter Clericos conjugatos, eoque magis, quia cum fruantur privilegio fori, intrat aliqua correſpectivitas in appellationibus ſententiarum, quæ effectus fori dicuntur, & licèt Clerici non habentes requiſita Concilii, non poſſint allegare privilegium fori, tamen non intrare Ægidianam dixi, & adeſt ratio diverſitatis, quia in hoc ſecundo caſu pœna debet ſtrictè ſumi, remanentibus aliis privilegiis in ſui robore, & agitur de conſovenda qualitate privilegiata Clerici, in primo autem caſu concurrit etiam favor Clericalis, & favoris extenſio.

CONSTITUTIO XI.

MARTINI V.

Incipiens (*Pia poſtulatio.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

Congregationem Pauperum Jeſuatorum nuncupatam approbat, & ſub protectione Sanctæ Sedis recipit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *S. Joannes Columbinus Congregationis Jeſuatorum fundator.*
2 *Ejuſdem Congregationis initium, & Pontificia approbatio.*
3 *Jeſuati cur ita dicti, & qualis eorum habitus forma.*
4 *Eorumdem Vota, & Regula innuuntur.*
5 *Jeſuatorum inſtitutum, & vivendi forma quænam fuerit.*
6 *Hanc Congregationem ſuppreſſit Clemens IX.*
7 *De aliis ad hanc Congregationem pertinentibus. Remiſſivè.*

1 IN Urbe Senenſi, quæ fæcunda mater heroum nuncupari meritò poteſt, natales habuit hujuſce Congregationis Pauperum Jeſuatorum fundator, Sanctus Joannes Columbinus; Hunc enim, florente ætate in hujus mundi voluptatibus maſceſcentem, ex lectione Vitæ Sanctæ Mariæ Ægiptiacæ pœnitentis, mirabiliter Deus ad meliorem frugem reduxit, & adeò propere ejuſdem converſio fuit perfecta, ut non multos poſt dies in propriis laribus excipere meruerit Jeſum Chriſtum in forma pauperis; redolente itaque bonorum
2 operum fragrantia, & maxima ſui ipſius abnegatione Sanctis Joannis vita, ſtatim quamplurimi ex ſæculi naufragio apud ipſum ſeſe receperunt, quos quidem longo experimento probatos, Urbanus V. ex Galliis revertens, quaſi novam Chriſti ſobolem benigniſſimè complexus eſt, atque eorumdem vivendi inſtitutum probavit, certa veſtiendi forma præſcripta, anno noſtræ reparatæ ſalutis milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto; neque abſimiliter Martinus V. eamdem Congregationem iterum approbavit, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recepit, ulterius iiſdem Fratribus indulgendo, ne ab Inquiſitoribus moleſtari poſſent ſine præſentia, & voluntate Ordinariorum, vel ex ſpeciali Apoſtolica commiſſione, ut in præſenti Conſtitutione edita Romæ apud SS. Apoſtolos 11. Kalendas Novembris 1428.

Hæc quidem primordia fuerunt Jeſuaticæ Congre- 3
gationis, quæ Sancti Hieronymi dicitur, cùm ejuſdem primi Alumni unanimi voluntate Sanctum Doctorem ſibi Patronum, & Protectorem delegiſſent, adeòut eorumdem Domus, & Eccleſiæ plerumque Sancto Hieronymo fuerint dicatæ; Jeſuati verò ita demum dicebantur, vel quia continuò dulciſſimum Jeſu nomen in ore habebant, vel quia propheticè à nonnullis pueris, ut primum in Civitatibus apparuerunt, revelatum fuit, ad tradita per Corſett. *in ſuis 30. quæſt. in laudem Jeſuatorum*; Hi ſanè tunicam albam, & cappam cinericei coloris abſque caputio geſtabant, cujus loco in capite extra propria Monaſteria utebantur, genere quodam albi tegumenti manicæ ſimile, quod deſcribit Miræus *de orig. Monaſtic. lib.* 1. *cap.* 21. donec ab Urbano VIII. ejuſdem Caputii forma in aliam melius aptam fuit immutata in *Conſtitut.* 31. incipiens *onerosa*.

Profectò autem quamvis Jeſuati in primordiis nulla 4
vota emitterent, & arbitrio ſuo poterant ab inſtituto deflectere, ut meritò pro Religioſis non haberentur, quod ex Ater. *in cap. 2. de foro compet.* notat Cherubin. *ſchol. 1. ad hanc Conſt.* Verumtamen ſucceſſu temporis tria regularia vota emittere cœperunt ſub inſtitutione Sancti Auguſtini, peculiarem verò regulam eiſdem ſcripſit Beatus Joannes de Tuſſignano Epiſcopus Ferrarienſis, Vitæ Sanctitate celeberrimus in minoribus ſanè Jeſuatus, neque omittam tamquam rem obſoletam, principales hujus Congregationis obſervantias 5
recenſere, quas deſcribit Anonymus quidam apud Miræum *loc. cit.* Jeſuati igitur ex eorum Inſtituto litterarum ſtudiis non incumbebant, nec ſacris initiabantur; quapropter Capellanos, & Confeſſarios ex presbyteris ſæcularibus aſſumebant; qui verò ſodalitatem hanc ingreſſus ex Indulto Apoſtolicum ad Sacerdotium promoveri curabat, ægrè ad Ordinis officia promovebatur; pergebant circa mediam noctem ad chorum, in quo tamen numquam divinas laudes canebant, ſed pro horis Canonicis alias præcationes, & ſpirituales meditationes, quiſque præ ſe habebat; at Paulus V. tandem Jeſuatis indulſit, ut ad Sacros Ordines promoveri poſſent, & idoneos ad officii recitationem teneri voluit in *Conſtitut.* 16. incipiens *Religioſ.* Exercebant inter alia miſericordiæ opera Infirmorum viſitationem, & ad otium interdiù vitandum manualia operabantur, utputa aquarum diſtillationem ex herbis medicinalibus, vitrearum feneſtrarum reparationem, & hortorum culturam, quos habebant amplos, & benè diſpoſitos, ut idem Anonymus recenſet, & alia hujuſmodi, quibus ſanè manuum operibus cùm forſan Jeſuati ultimis temporibus ſe abſtraherent à ſpiritualibus exercitiis; Hinc Clemens IX. præmiſſa narratione, quod de- 6
ficiente primævo religioſitatis rigore, atque ſpiritu, nullam, ſeù valdè modicam in Eccleſia Dei utilitatem hæc Congregatio præſtabat, Apoſtolica auctoritate eamdem ſuppreſſit, & extinxit, unà cum Canonicis Sancti Georgii in Alga, & Fratribus Sancti Hieronymi de Feſulis in *Conſtitut.* 30. incipiens *Romanus*;
Neque tamen controvertendum eſt, quod hujuſmodi 7
Congregatio antequam ſeneſceret, homines virtute, ſanctitate, & Eccleſiaſticis dignitatibus ornatos, & inſignes emiſit, quos memorat Morigia *loc. cit.* privilegiis quoque, & gratiis Apoſtolicis eadem Congregatio fuit decorata, & potiſſimè à S. Pio V. in *Conſtit.* 50. incipiens *Romanus*, & Gregorio XV. *in Conſtit.* 65. incipiens *Ex injuncto*.

CON-

CONSTITUTIO XII.

MARTINI V.

Incipiens (*Ineffabile.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS AD FUTURAM REI Memoriam.

FEſtivitatem Sanctiſſimi Corporis Chriſti cum octava auctis indulgentiis comprobat, & ſolemniter celebrari poſſe indulget etiam in Terris, & locis Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Feſtivitas SS. Corporis Chriſti cum octava celebrari poteſt tempore interdicti.*
2 *Innuuntur aliæ feſtivitates, quæ interdicti tempore celebrari poſſunt.*
3 *Similiter in Hiſpania celebrari poteſt feſtum SS. Conceptionis.*
4 *Privilegia Regularium celebrandi tempore interdicti feſtivitates ſui Ordinis, non ſuffragantur poſt Concilium.*
5 *Interdictum Civitatis an ſuſpendatur in primo adventu Regis.*
6 *Feſtum, quod celebrari poteſt tempore interdicti, an incipiat à ſecundis Veſperis, vel à die Vigiliæ.*
7 *Et an terminetur expleto Completorio.*
8 *Feſtum Paſchæ, Pentecoſtes, & Nativitatis an comprehendant feſtivitates ſequentes quoad celebritatem tempore interdicti.*
9 *Feſta privilegiata tempore interdicti quomodo celebrari poſſint.*
10 *Quæ ſolemnitates fieri poſſint in eiſdem feſtivitatibus.*
11 *An poſſint publicè ſepeliri corpora defunctorum, & nu. ſeq.*
12 *Indicantur effectus Interdicti Eccleſiaſtici.*
13 *In Eccleſiis ſpecialiter interdictis neque celebrari poſſunt feſtivitates privilegiatæ.*

EXcelſæ feſtivitatis auguſtiſſimi Corporis Chriſti
1 inſtitutorem notavimus Urbanum IV. ſupra in ejuſdem *Conſtitut.* 1. *tomo* 3. *pag.* 296. qui ſanè ob ſolam hujuſce monumenti gloriam, etſi aliunde, præclariſſimus quidem Pontifex non eniteret, memoria perenni in faſtis Eccleſiæ viveret; Aliquid verò eidem Urbano intercidit ad tantæ ſolemnitatis decorem, quod Martinus V. libenti ſtudio eſt exequutus, præſenti ſcilicet Conſtitutione edita apud Sanctos Apoſtolos Romæ 7. Kalen. Junii anno 1429. in qua auctis Indulgentiis, aliiſque devotionis exercitiis, ulterius indulſit, quod Sacroſancti Corporis Chriſti feſtivitas cum octava, ſolemniter celebrari poſſit etiam in Terris, & locis Eccleſiaſtico interdicto quavis auctoritate ſuppoſitis, pulſatis etiam Campanis, januis apertis, & alta voce, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis, ut citius reconciliari ſtudeant, admiſſis, dummodò qui cauſam interdicto dederint, Altari nullatenus ſe appropinquent, ut latiùs in §. 3. hujus Conſtitutionis; Ita quippe
2 Martinus V. feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti eodem condecoraverit privilegio, quo potiuntur majores Eccleſiæ ſolemnitates, Natalis ſcilicet Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Sanctiſſimæ Virginis, quæ tempore interdicti ſolemniter celebrari poſſunt ex diſpoſitione Bonifacii VIII. in *capit. Alma mater* §. *In feſtivitatibus de ſentent. excommun. in* 6. Mirabile verò id in propoſito eſt, quod noſtræ Conſtitutionis diſpoſitionem tamquam ſibi revelatam prædixit Jo: Andreas, Gloſſarum in Clementinas auctor, qui centum ferè annis ante ejuſdem promulgationem obiit, in Gloſſ. enim *ad Clem. unic. de reliq. & vener. Sanctor. verbo revelatum* de hujuſmodi ſolemnitate inquit; *Mihi autem revelatur, quod hoc feſtum adjungetur ad alia feſta, de quibus in decretali ultim. de ſentent. excommu. in* 6. *& tunc eadem Conſtitutione, notabilia ipſius Conſtitutionis dubia, ſupplico declarari.*

Ut verò ad ornatum noſtræ Conſtitutionis aliqua ſubdam, prætereundum non eſt, quod ultra feſtum 3
SS. Corporis Chriſti, & alias ſolemnitates recenſitas in *citat. capitul. Alma mater* §. *in feſtivitatibus*, ſuſpendi quoque interdictum in tota Hiſpania, tradunt Doctores, in feſtivitate Sanctiſſimæ Conceptionis, ejuſque octava, ex conceſſione Leonis X. & quamvis nonnulli aſſeverent, privilegium hujuſmodi fuiſſe reſtrictum in iis Eccleſiis, in quibus recitatur Officium puriſſimæ Virginis conceptæ, ordinatum à Prothonotario quodam de Nogarolis, cujus Miſſa incipit *Egredimini*; Verumtamen conſuetudine ſaltem firmatum eſſe, quòd in omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis, idem Leonis privilegium vigeat, etiamſi Officium prædictum ab uſu receſſerit, teſtantur Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 1. *num.* 41. Gibalin. *de cenſur. diſp.* 7. *quæſt.* 14. *nu.* 19. Caſtropalaus *to.* 6. *de cenſuris diſp.* 5. *punct.* 4. §. 2. *n.* 17. Henriquez *lib.* 13. *c.* 47. *nu.* 4.

Nonnulli quoque Regulares privilegia habent, ut divina ſolemniter celebrare poſſint, potiſſimè in feſti- 4
vitatibus ſui Ordinis etiam tempore interdicti; Verùm hujuſmodi privilegia, ſi ante Concilium conceſſa fuerint, tamquam prorſus ſublata nullius eſſe roboris; ſecus verò ea, quæ poſt Concilium impetrata fuerint, latè probavi ad *Conſtitut.* 2. Anaſtaſii IV. *ſect.* 3. *num.* 7. *ad* 13. *tomo* 2. *pag.* 66. Nequidem etiam exaudiendi ſunt Doctores, qui aſſerunt, ſuſpendi quoque interdictum poſſe in feſtivitate omnium Sanctorum, & mane diei commemorationis omnium defunctorum; ſiquidem nullibi in jure, nec in Extravagantibus Apoſtolicis id cavetur; Paludanus verò, qui pro hujuſmodi aſſertione allegari ſolet, inquit duntaxat, ſe hanc interdicti ceſſationem vehementer exoptare ad tantæ celebritatis decorem, ut animadvertit etiam Barboſa *in cit. ca. Alma mater num.* 18. *de ſent. excomm. in* 6. Jure quoque non probatur alter caſus ſuſpenſionis interdicti, qui à Doctoribus ferè commu- 5
niter aſſertur, cum ſcilicet primùm Rex advenit in aliquam Urbem, ne communis lætitia funeſta hac cenſura perturbetur, Ugolin. *de cenſur. tab.* 5. *c.* 8. §. 6. *num.* 2. Alterius *de cenſur. diſp.* 5. *de interdicto cap.* 3. Sayr. *de cenſur. libr.* 5. *c.* 13. *num.* 19. fateor tamen valdè commendabile fore, ſi Eccleſiaſticus Superior, qui tale interdictum poſuit, communi lætitiæ plaudendo, deferat Regiæ dignitati, congrua ejuſdem interdicti ſuſpenſione, quod placuit etiam Gibalin. *de cenſur. cit. diſquiſ.* 7. *quæſt.* 14. *nu.* 19. §. *denique*, Poſtremò quamvis in *cap. ut privilegia, de privileg.* expreſsè caveatur, quod in fauſto, felicique adventu Militum Templariorum, & Hoſpitalariorum liceret interdictum ſemel in anno relaxari; attamen hujuſmodi indultum in præſenti nullius eſt efficaciæ, tamquam per ſubſequentes Conſtitutiones revocatum, & potiſſimè ex *cit. cap. Alma mater*, ut literaliter notat Gloſſ. *ibid. verbo conceſſis*, & latiùs dixi ad *cit. Conſt.* 2. Anaſtaſii IV. *ſect.* 3. *n.* 6.

His itaque adnotatis, dubium eſt apud Doctores in feſtivitatibus Apoſtolico privilegio decoratis, ut 6
tempore etiam interdicti ſolemniter celebrari poſſint, quando Divina Officia publicè celebranda incipi poſſint, & quando claudi debent; Nonnulli enim opinionem ſequentes, quam refert Sayrus *in Clavi*

Regia libr. 5. *capit.* 13. *numer.* 7. aſſeverant, quod à Miſſa vigiliæ præcedentis hujuſmodi Feſtivitates ſolemniter coli poſſunt; Miſſam namque vigiliæ, ajunt, eſſe propriam diei ſubſequentis, ut evidenter apparet à partium enumeratione, cùm Paſcha à Miſſa Sabbati Sancti incipiat; in vigilia Pentecoſtes legitur Præfatio de Spiritu ſancto, & Communicantes; Miſſa vigiliæ Natalitiæ recitatur ritu duplici, & ſic de ſingulis; Verumtamen probabilior, & communiter accepta opinio eſt, quod interdictum in his ſolemnitatibus privilegiatis ſuſpendi poſſit à primis veſperis; non verò à Miſſa vigiliæ; In celebrandis enim feſtivitatibus ab Eccleſia indictis dies Eccleſiaſticus incipit à veſperis vigiliæ, qui ob id dicuntur primi, & finit ipſo die ſolemnitatis, recitatis veſperis, unde inolevit axioma, quòd à veſperis ad veſperas in Divinis Officiis celebratur feſtivitas, & expreſsè probatur ex *Textu in c.* 2. *de fer.* & *in clement.* 1. *ad finem de reliq.* & *vener. Sanctor.* & in propoſito notant Barboſ. *in citat. capit. Alma mater numer.* 18. & 35. Covarr. *ibid.* §. 5. *num.* 5. Gibalin. *de cenſur. citat. quæſt.* 14. *numer.* 19. §. *incipiunt*, Zerbi *in gemma Epiſcopali titul.* 21. *de interdicto quæſ.* 11. *num.* 4. Caſtropal. *de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 2. *numer.* 20. ubi ad repellendam primò adductam opinionem optimè notat, quod Miſſa vigiliæ non eſt initium, ſed præparatio, & diſpoſitio ad ſolemnitatem ſubſequentem, quapropter non comprehendatur ſub nomine feſtivitatis, ut in noſtro caſu ritu ſolemni etiam tempore interdicti celebrari poſſit; His conſequutivè, quia diximus, quod dies feſtivus computatur à veſperis ad veſperas, concludendum eſſet, quod neque completorium feſtivitatum, de quibus loquimur, ſolemniter recitari poſſit, ſed celebratis ſecundis veſperis, iterum recenſitæ feſtivitates ſub interdicto reincidant; niſi auctoritatem præſtaret Gloſſa, quod Completorium comprehendatur, & includatur in veſpertino officio, in *can. ſi quis Presbyter verb. matutinis diſt.* 92. ibi: *Matutina dicuntur officia, quæ celebrantur à mane uſque ad nonam; veſpertina à nona uſque ad noctem*, 11. *quæſt.* 3. *Si quis Epiſcopus in Concilio*, Quapropter meritò concludunt præcitati Doctores, & in
7 uſu eſt receptum, quod io feſtis privilegiatis tempore interdicti ſolemniter celebrari poteſt etiam Completorium, tamquam pars veſpertini officii; notabiliter verò ſubdit Caſtropal. *in citat.* §. 2. *nu.* 19. *verbo finiuntur*, quod etiamſi in Eccleſia Cathedrali dictum ſit completorium, & pulſatum ad interdictum, poterit completorium in Monaſteriis aliiſque Eccleſiis hora conſueta cum ſolemnitate recitari, dummodò in fraudem interdicti non fiat; In dubium autem eſt, quod peracto Completorio, Eccleſiæ iterum ſub interdicto claudi debent, cùm ejuſdem ſuſpenſio non reguletur cum ceſſatione ab operibus ſervilibus, pro integro videlicet die ſolemnitatis uſque ad mediam noctem; Ita communiter Doctores, nullo, quem viderim, contradicente.

Neque minor eſt difficultas, an ſolemnitatis Pa-
8 ſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini privilegiatæ in *citat. capit. Alma mater*, computari debeant cum duobus, ſivè tribus diebus ſequentibus quoad ſuſpenſionem interdicti. Et quidem communis ſententia docet, in hujuſmodi privilegiis dumtaxat intelligi comprehenſos primos dies hujuſmodi feſtivitatum, in quibus fit officium Paſchatis Pentecoſtes, & Nativitatis, aliæ autem feſtivitates ſequentes potiùs dicuntur dies octavæ, quos certum eſt in hujuſmodi privilegiis non comprehendi, eo fortiùs, quia hujuſmodi privilegia exuberant à jure communi, proindeque ſunt ſtrictè interpretanda, ut in propoſito notat Silveſt. *verbo interdictum num.* 2. & latiùs probant Barboſa *in citat. capit. Alma mater num.* 18. Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 1. *nu.* 38. Sayr. *lib.* 5. *c.* 13. *nu.* 4. Avila *de cenſur. par.* 7. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *dub.* 9. Contra verò hanc communem opinionem inolevit uſus ſolemniter celebrandi recenſitas ſolemnitates, etiam diebus feſtis ſubſequentibus, teſte Caſtropalao *in citat. punct.* 14. *num.* 19. quem rationibus comprobare enixè eſt conatus, Gibalin. *de cenſur. cit. q.* 14. *n.* 19. §. *Nomine*; ex communi etenim uſu, inquit, & modo loquendi, qui maximè ſpectandus eſt, omnes tres dies feſtivi proculdubio Paſchatis, vel Pentecoſtes ſolemnitates dicuntur, nec alia ex cauſa ſervantur, niſi in honorem Dominicæ Reſurrectionis, vel miſſionis Spiritus ſancti, atque ideò merito comprehenduntur io diſpoſitione *cit. Tex. in cap. Alma mater*, qui ſuſpenſionem interdicti indulget: *In feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes*; ſed potiorem dubitandi rationem idem *Gibalinus* agnoſcit in tribus diebus feſtivis ſubſequentibus Natalem Chriſti, qui in honorem Sanctorum præcisè coluntur, atque difficultatem eludere intendit, quia Nativitas eſt etiam cauſa inadæquata illarum celebritatum, cùm etiam ſi Natalitia Sanctorum non incurrerent illis diebus, nihilominus feſtivi haberentur in honorem Nativitatis D. N. J. C. Ut verò, quid ſentiam, apeiam, me ſanè non perſuadet Gibalinus quoad feſtivitates poſt Natalem Chriſti; etenim nimis leve eſt aſſerere, quid egiſſet Eccleſia, ſi natalitia Sanctorum illis diebus non incidiſſent; attendere autem io propoſito debemus, quod prædicti dies ad honorem Sanctorum noſtris temporibus ſolemnes fiunt, quorum mentio in ſæpedicto Textu non habetur, adeòque extra ejuſdem diſpoſitionem dici debent; Neqnaquam verò id dicendum eſt in feſtis ſubſequentibus Paſchæ, & Pentecoſtes, ſiquidem non ex alia cauſa celebrantur, quàm io honorem ſolemnitatum præcedentium, proindèque optimè concludit Gibalinus, quòd Paſchæ, & Pentecoſtes feſtivitates dici poſſint, ut comprehendantur in privilegio ejuſdem *Tex. in cit. c. Alma mater*.

Quomodo verò ſolemnizari poſſint hujuſmodi fe-
ſtivitates privilegiatæ, breviter me expediam attenta 9
litera *Textus in cit. capit. Alma mater*, videlicèt, quòd pulſatis Campanis, januis apertis, & alta voce Divina Officia celebrari poſſunt, excommunicatis tamen prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum iiſdem diebus participatio permittitur divinorum, ita tamen, quod illi, propter quorum exceſſum præfatum interdictum eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent. Et ſanè Divinorum officiorum nomine in eodem Textu comprehendi incruentum Miſſæ Sacrificium compertiſſimum eſt, itaut publicè in prædictis ſolemnitatibus celebrari poſſe, notat noviſſimè Cyrill. *in praxi Eccleſiaſt. interdi. numer.* 37. quamvis expreſsè io noſtra Conſtitutione ſic cautum in §. 3. ibi:
Miſſæ, & Officia præmiſſa licitè celebrari poſſint. 10
Poſſe iiſdem his diebus benedici Abbates, virgines, aquam, veſtes, aliaque Eccleſiaſtica ornamenta, atque aliis omiſſis, benedictiones nuptiales impertiri, dummodò aliunde non fuerint prohibitæ, cùm omnes relatæ functiones ad Divina Officia pertineant, ut antiquioribus relatis firmat Covarruv. *in cit. cap. Alma mater part.* 2. §. 5. *num.* 6. *verſ.* 9. *cum ſeqq.* & tandem in his diebus alia quæcumque Officia Divina tàm ordinaria, quàm extraordinaria celebrari poſſunt, quapropter non tantùm ſolemnia ipſius feſtivitatis, ſed etiam Miſſæ votivæ, & peculiares recitari valent, ut docent Barboſa *in cit. capit. Alma mater numer.* 24. *de ſent. excommun.* Covarr. *loco citat. numer.* 5. §. *ſeptimo*. Nunquid autem his die-
bus privilegiatis liceat corpora defunctorum non pri- 11
vilegiatorum publicè, & ſolemniter ſepelire, non levis eſt Doctorum contentio, adeòut ſivè affirmaveris, ſivè negaveris, poteris jure, & rationibus alterutram ex opinionibus defendere. Profectò autem veriùs mihi videtur, quod defunctorum corpora in his ſolemnitatibus, non poſſint publicè, & ſolemniter Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi, cum Gloſſ. *in clem.* 1. *de ſepultur. ver. à jure*, ibi: *In quatuor vero feſtivitatibus, in quibus eo tempore celebrari poteſt alta voce, de quibus in cap. ultim. §. penult. de ſent. excom. lib.6. non puto poſſe mortuos ſepeliri, licèt multoties fuerit contra-*

tvarium obſervatum; quam Gloſſ. ſequuntur Jo. Andreas Cardin. Abbas, Boniſ. *ibid.* aliique antiquiores, quos refert Covaruv. *in cit. cap. Alma Mater par.* 2. §. 5. *num.* 6. Majolus *lib.* 3. *de irreg. cap.* 23. *num.* 8. Hurtad. *de interd. diffic.* 8. Suarez *cit. diſp.* 35. *ſect.* 1. *num.* 13. & optimè Caſtropal. *de cenſur. citat. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 3. Et quidem concludens hujus aſſertionis
12 ratio mihi videtur; quòd communiter tres interdicti Eccleſiaſtici diſtincti effectus recenſentur, videlicet privatio Sacramentorum, prohibitio Divinorum officiorum, & demum Sacræ ſepulturæ, ut diſtinguuntur in *capit. Epiſcoporum de privileg. in* 6. ibi: *Ad Divina Officia, ſeù Eccleſiaſtica Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam*; Ex relaxatione autem alterius ex dictis effectibus, reliqua in ſe firma remanere, expreſsè probatur ex *Tex. in cap. cum & plantare §. quod ſi Templaris de privileg.* ubi deciditur, quod propter hujuſmodi Militum jucundum acceſſum, poſſint ſemel in anno tempore interdicti, unica Eccleſia aperta, publicè Divina Officia celebrari; Verùm ex hujuſmodi relaxatione corpora Defunctorum ſepeliri ibi non poſſunt; Itaque cùm in his privilegiatis ſolemnitatibus, ut Divina Officia publicè celebrari poſſint, dumtaxat indulget Bonifacius VIII. firma remanere debet privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quæ eſt ſpecialis, & diſtinctus effectus Interdicti, ut ſupra dixi, & latius proſequuntur præcitati Doctores.

Pro coronide tandem animadvertere operæ pretium
13 eſt, quod noſtræ Conſtitutionis diſpoſitio, ſicut ſanctio *Tex. in citat. capit. Alma mater §. penult.* de conceſſione Divinorum Officiorum publicè, & ſolemniter peragendorum in certis anni ſolemnitatibus, ſibi vindicat locum dumtaxat in interdicto generali, ſivè locali, ſivè perſonali, nequaquam verò in interdicto ſpeciali, certarum ſcilicet perſonarum, vel determinatæ Eccleſiæ; quapropter optimè concludunt Doctores, quod ſolemnia publica celebrari poſſunt in Eccleſiis, quæ ſunt intra locum interdictum, non verò in Eccleſiis ſpecialiter interdictis, ut antiquioribus relatis tenent Gibalin. *de cenſur. cit. quaſt.* 14. *num.* 20. & 21. & Covaru. *loco citat.* §. 4. *num.* 1. & §. 5. *num.* 2. *verſ. tertio*, quorum opinio communiter eſt amplexa, ea potiſſimum ratione, quòd tàm noſtra conſtitutio, quàm Textus de interdicto generali loquantur; quare in Eccleſiis ſpecialiter interdictis, neque in majoribus Eccleſiæ feſtivitatibus licebit divina celebrare, neque Perſonæ ſpecialiter interdictæ his diebus Officiis Divinis adeſſe poterunt.

CONSTITUTIO XIII.

M A R T I N I V.

incipiens. (*Cum generale.*)

E P I T O M E B U L L Æ

MARTINUS. JOANNI, TITULI Sancti Petri Ad Vincula, Presbytero Cardinali.

DEputat Cardinalem prædictum, cum facultatibus Legati à Latere, qui præſideret in Capitulo Generali Fratrum Minorum pro reformatione eorumdem Ordinis; quæque reformationes à dicto Cardinali demandatæ, in calce ejuſdem Conſtitutionis poſitæ fuerunt.

COMMENTARIUM.

S U M M A R I U M.

1 *Ordo Minorum quatenus in plures Ordines diviſus fuerit.*
2 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
3 *Innuuntur nonnulla quoad Regulam Fratrum Minorum.*
4 *Capellæ ſitæ in Eccleſiis Minorum Obſervantium, an ſint capaces hereditatum, vel ſtabilium pro manutentione earundem Capellarum à Syndicis adminiſtrandarum.*
5 *Syndicus Conventus eorundem Fratrum quare inſtitutus.*
6 *Quid ſi eadem Capellæ inſtituantur heredes, eo expreſſo, ut nihil acquiratur Fatribus.*
7 *Affertur ad hoc reſolutio Sacr. Congregationis Concilii.*
8 *Iidem Fratres ſunt incapaces oneris perpetui Miſſarum.*
9 *Onus perpetuum Miſſarum, ſi eis relinquatur, quomodo poſſit, & debeat adimpleri.*
10 *Affertur reſolutio ejuſdem Sacr. Congregationis quoad legata Miſſarum ejiſdem relicta.*
11 *Quo pacto eis permittantur onera perpetua Miſſarum.*

USque ad hæc tempora Seraphicus Ordo Minorum abſque ulla diviſione ſub uno tantùm cor- 1
pore permanſit, imò Innocentius IV. eos ſub Conventibus revocavit, ex quo Conventuales dicti fuerunt, ut innui *tomo* 3. *ad Conſtitut.* 7. Innocent. IV. *numer.* 2. & *ſeqq. pag.* 60. Verùm cùm deindè plures evenerint relaxationes, vel obtenta fuerunt privilegia Apoſtolica pro mitigatione Regulæ, hinc in Concilio Conſtantienſi ſtatutum fuit pro tanti Ordinis debita reſtauratione, dividere eos, qui ſub antiqua obſervantia, ſeu reformatione vivere volebant; præſertim deſignando Superiorum electiones faciendas, ut habetur in *ſeſſ.* 19. *ejuſdem Concilii*; hinc Martinus V. in hac Conſtitutione edita, poſt Concilium 2
prædictum Conſtantienſe, in Urbe 8. Idus Junii Anno 1430. deputavit Cardinalem Joannem tituli S. Petri ad Vincula, ut Capitulo dicti Ordinis Aſſiſii congregando præſideret, cum plenaria poteſtate Legati a Latere eumdem Ordinem reformandi, & ad priſtinam obſervantiam reducendi, non obſtantibus privilegiis, & indultis obtentis etiam in Concilio Conſtantienſi; proinde Cardinalis ille Aſſiſium petiit, ibique Capitulo celebrato die 15. Junii Anno prædicto, reformationis modum præfinivit, ac textus Regulæ præmiſſos per duodecim capita modis in calce cujuslibet expreſſis, ita obſervari inviolabiliter demandavit, ut commemorant hanc Bullam pro Minoribus Obſervantibus DD. & Cardin. de Laurea *in epit. Canon. ver. Fratres Minores Divi Franciſci de Obſervantia.* Sed nonnulla ex his declaravit idem Martinus *Conſtitut.* 16. de qua infra, quæ Bulla dicitur Martiniana, qua utuntur iſti Fratres, ut commemorat Cherubinus *ad hanc Bullam.* Unde qui obſervantiam hujuſmodi regulæ profeſſi fuerunt, Obſervantes dicti fuere, ſeù Reformati, alii verò privilegiis utentes, Conventuales nuncupari continuarunt, ut relatis Conſtitutionibus dixit Card. de Laurea *in Epitome Canonum ver. Fratres Minores*, Card. de Luca *de Regul. diſc.* 5. & dixi *tomo* 3. *cit. Conſtit.* 7. Innocentii IV. *num.* 2. & *ſeq.* & *Conſtit.* 5. Honorii III. *tom.* 2. & alibi; hinc Minores Conventuales eorum regulam privilegiatam, declaratam rurſus habuerunt à Pio IV. *Conſt.* 103. nec debent irriſoriè nuncupari Conventuales, privilegiati filii S. Franciſci ab Obſervantibus, ut dixit Leo X. *Conſt.* 23.

In hac igitur reformatione, præſenti Conſtitutione contenta, quoad primum Caput plura præſcribuntur, 3
nempè quod Fratres Minores teneantur ſub præce-

pro obſervare ea, quæ in Evangelio Chriſti Domini præſcripta ſunt, & declarantur plura juxta verba ejuſdem Regulæ relativè ad ea, quæ dicta fuerunt in *cap. exiit de verb, ſignif. in 6.* & ego latè dixi *tomo 2. Conſtit.* 5. Honor. III. *ſect.* & adſunt Bullæ ſa. me. Urbani VIII. Innocentii XI. & Innocentii XII. circa obſervantiam hujuſmet Regulæ, quas vide noviſſimè apud Matthęuccium *in offic. cap. 27. de Officiali quoad declarationem Regulæ S. Franciſci*, ubi plura ad rem referuntur. Continuatur tamen ſub eodem capite, debere ſervari paupertatem, & quod conſtituatur Syndicus, ſeù Procurator cujuſcumque Monaſterii, ut etiam in *capitul.* 4. regulæ ibi explicatæ, ſed de incapacitate dd. Fratrum latè dixi *cit. tomo 2. Conſtit,* 1. Honorii III. *ſect.* 4. & ſupra *hoc tomo Conſtit,* 5, Joannis XXII. *in princip.* Verùm poſt ibi ſcripta, dubitatum fuit in Sac. Congr. Concilii, an ſaltem Capellæ exiſtentes in Eccleſiis Minorum Obſervantium, ſeù Reformatorum, & hujuſmodi; ad quos reſtricta eſt incapacitas ſtabilium, ſint capaces hæreditatum, vel donationum bonorum ſtabilium, ſi fructus deſtinentur pro manutentione eorumdem Capellarum, exigendi à Syndico Conventus, vel pro aliis indigentiis Fratrum; Ad quod dubium in omnibus negativè mihi viſum fuit reſpondendum; Etenim ſicuti ſunt Fratres incapaces obtinendi hæreditates, ita etiam ſunt eorum Eccleſiæ, & Capellæ, quia illæ important Jus activum, & paſſivum, quorum ipſi incapaces ſunt, Fagnan. *capitul. nimis prava num. 44. & ſeq. de exceſſ. Prælat. & in capitul. nos qui de Teſtam.* & noviſſimè Matthęuccius *in Officiali capit. 30. numer.* 30. & dixi citatis locis præſertim ad *citat. Conſtitut.* 5. Honor. III. *ſect. 4. nu. 6. & ſeqq.* quæ incapacitas eſt etiam in eorum Eccleſiis, Capellis, & Monaſteriis, quia hæc uti inſenſata nequeunt eſſe ſubjectum capax dd. Jurium ſucceſſionis, & refunderentur in Fratres, qui ſunt incapaces, Bald. *in authent. ingreſſi num. 5. verſ. eidem C. de SS. Eccleſ.* Fagn. & Matthęuc. *citat. loco*; non ſuffragante, adminiſtrationem bonorum ſuiſſe relictam Syndico Conventus, quia iſte inſtitutus fuit tantùm, ut contraheret pecuniam, quæ datur in eleemoſynam ipſis Fratri-
5 bus, vel exigat annuum legatum ab aliquibus per viam eleemoſynæ Fratribus dandæ, non autem ut mediante Sydico aliquod Jus ſucceſſorium Fratribus, vel eorum Conventibus, Eccleſiis, vel Capellis acquiratur, imò ſi hæredes inſtituantur, hæreditas devolvitur ad Eccleſiam Romanam, & ad Fabricam S. Petri, ubi viget, ex ejus privilegiis; niſi ex contextu voluntatis Teſtatoris veniat ſubſtitutus, aut hæres ab inteſtato, Matthęuc. *cit. nu.* 21. & dixi ad *cit. Conſt.* 5. Honor. III. *ſect. 4. nu. 14. & ſeqq.* non obſtante quod licitum ſit Fratribus obtinere annua legata pro uſu Eccleſiæ, & ipſorum pro certis caſibus, ut latè ibi dixi etiam pro miſſarum celebratione, Paſqualig. *de Sacrif, nova leg. quæſt.* 1091. & 1092. quia id procedit quotieſcumque Jus univerſale hæreditatis non radicatur in Fratribus incapacibus poſſidendi ſtabilia, & acquirendi jura ſucceſſoria, ſed relinquitur legatum ſolvendum ab hæredibus capacibus, tunc enim poterunt Fratres exigere dictam annuam præſtationem, nec etiam jure actionis, ſed tantùm jure eleemoſynæ, juxta quæ procedit Rot. *dec. 456. cor. Merlino, & in Turritana legatorum coram Emerix Jun. dec.* 1219. & *dec.* 1326. quæ ſunt *dec.* 32. & 33. poſt Monacell. *to.* 2. & benè diſtinxit Matthęucc. *cit. cap.* 30, *num.* 18. & ſic nequit permitti, ut jus Succeſſorium conſolidetur in Capella Fratrum, Rodriqu. *q. regul. q. 78. art.* 5. Portel. *in dub. regul, verſ, hæreditas*, Matthęucc. *cit. nu.* 18. & dixi plenè *cit. to.* 2. *Conſt.* 5. Honor. III. *ſect.* 4. Nec ex quod Teſtator
6 dixerit, nullum jus acquiri Fratribus, poteſt importare capacitatem eorum Eccleſiæ, & ſic Fratrum, quia hæreditas debet habere ſuum hæredem, unde benè Teſtator vocavit ſubſtitutum, ad quem bona devolvi debent, ſtante incapacitate Fratrum, & tunc hæredes deberent præſtationes ſubminiſtrare officio Judicis per viam eleemoſynæ, ad hoc ut manuteneatur Capella. Ex iiſdem rationibus viſum fuit non potuiſſe Fratres Minores acceptare donationem ſtabilium, etiamſi dicti Fratres ea vendere debeant, quia ſunt incapaces acquirendi bona ſtabilia etiam ad effectum vendendi, ut plenè dixi citatis locis, & reaſſumpſit Matthæucc. *loco citat. capit. 30. num.* 19. & licèt ſuſtineatur legatum pecuniæ pro una vice præſtanda illis; id procedit, ſi tale onus ſit hæredis, vel legatarii, qui capax ſit acquirendi, & vendendi, ſi Teſtator voluerit pretium aliquorum bonorum ſtabilium Fratribus acquiri, & proindè collatio, & donatio bonorum ſtabilium in Fratres, nequit ſuſtineri, ſicuti neque in Syndicum eos repræſentantem, poteritque tantùm Syndicus pecuniam relictam ab hæredibus exigere, juxta ea, quæ latè dixi *citat. Conſtitut.* 5. Honor. III. *ſect.* 4. unde Superior dd. Fratrum hujuſmodi relicta
renunciare debebat, ut fecit in ſuperius adducto ca- 7
ſu; hinc propoſitis dubiis in Sacr. Congregatione Concilii in *Marianen. Piarum diſpoſitionum. Primò, an ſuſtineatur diſpoſitio facta per qu. Petrum Adarnum ad favorem Capellæ del Cordone, exiſtentis in Eccleſia PP. Reformatorum S. Franciſci Terræ Tuani cum onere Utenſilium, & Miſſarum celebrandarum a PP, vel ſubſtitutis. Secundò, an ſuſtineatur donatio facta à Petro Paulo Polidoro tam pro utenſilibus Capella in dicta Eccleſia, quàm promiſſi, & lana pro dd. Patribus. Tertiò, An his, & quibus diſpoſitionibus renunciare potuiſſet P. Miniſter Provincialis Reformatorum, & quatenus negativè. Quartò, An idem Provincialis inciderit in pœnas & Cenſuras latas contra alienantes bona Regularium in caſu, &c,* & juxta prædicta animadverſa Sacr. Congregatio cenſuit ſub die 6. Julii 1709. *Ad primum, & ſecundum negativè. Ad tertium, & quartum proviſum in primo, & ſecundo*, & repropoſitis dubiis die 15. Novembris 1710. reſcriptum fuit *in deciſis in omnibus quoad Fratres*, Addita enim fuit in iſta ultima reſolutione particula *quoad fratres*, ut videatur, Sacr. Congr. præſervaſſe jus ſubſtitutis, qui valeant prætendere jus ſucceſſorium,
de quo fratres ſunt incapaces. Hinc elicitur, quod 8
hujuſmodi Fratres incapaces ſunt oneris miſſarum perpetuarum, quia deberent habere ſtabilia, ſuper quibus tale onus fundari debet, vel annuam præſtationem jure actionis debitam, quod neque eis eſt permiſſum, apud Pignatell. *to. 3. conſult.* 16. Rota *dec.* 456. *num. 15. & ſeq. cor. Merlino*, & licèt permiſſum ſit, quod ſi fiat legatum annuæ præſtationis ſolvendæ per hæredes Fratribus pro celebrandis miſſis, ſuſtineatur legatum, ut probat Matthęuccius *cit. cap.*
30. *num.* 18. tamen id permittitur, ut per modum 9
eleemoſynæ manualis poſſit pecunia dari pro uſu Fratrum Syndico Apoſtolico pro miſſis celebratis, nulla tamen orta actione illas præſtationes petendi; ſed præteritum poterit Fabrica S. Petri tantùm exigere, vel Epiſcopus, ubi ea non eſt, in aliud opus convertere, vel Fratribus curare dari ejus officio; ut plenè *cit.* Matthęucc. & *præſertim numer,* 36. ubi adducitur reſolutio Sacr. Congreg. Concilii in *Salernitana eleemoſynarum 14. Junii* 1704. in qua in ſimili caſu demandatum fuit, quod ſerventur decreta Rev. Fabricæ, ſcilicet ut recipiant Fratres per viam eleemoſynæ, & dum in Sacr Congr. Concilii diſcutiuntur reductiones legatorum pro miſſis relictis hujuſmodi Fratribus, reſcribitur ad inſtantiam hæredum, vel quod Patres oſtendant, qua facultate dicta onera perpetua retinent, & ſemper deinde datur reductio cum Clauſula, ut recipiant per viam eleemoſynæ annuas præſtationes, vel quod ſerventur decreta Rev. Fabricæ, quæ in his conſiſtit, & dixi etiam latè. *cit. tomo 2. ad Conſtitut.* 5. Honor. III. *ſect, 4. n. 28. & ſeqq.* & in terminis legati pro miſſis eſſe ſolvendum prout ceteræ eleemoſynæ, dixit Paſqualig. *cit. quæſt.* 1091. & 1092. *num*, 4. legatum pro miſſis eſſe ſolvendum fratribus Minoribus eo modo, quo ſolvuntur ceteræ eleemoſynæ, & Sacr. Congr. Concilii in *Parmen. 24. Septembris* 1707. & generaliter Bertachin. *in vot. dec.* 31 *num.* 10. & 12. Monacell. *in formul. tom. 2. titul. 16, formula 10. n. 21. & ſeq.* Sed quid ſi dicti Fratres ſe-

jam

Digitized by Google

jam obligarent ad onus miſſarum. Verum equidem
10 eſt, quod Sac. Cong. Concilii ſemper abhorruit, ut hujuſmodi Fratres habeant onera perpetua miſſarum, ut in Decreto Minorum Obſervantium 27. Aprilis 1630. ibi: *Quoad legata præterita conſumpta cenſuit Sac. Congregatio eſſe locum reductioni; quò verò ad legata exiſtentia, attenta incapacitate, nihil reſpondendum duxit, & quoad legata futura perpetua non poſſe recipere*, Imò notatur, dictum decretum fuiſſe acceptatum à Provincia Romana cum intentione, quod etiam ab aliis Provinciis acceptaretur, quatenus novitios recipere intendant, *lib. decret.* 14. *pag.* 278. *à ter.* Hinc quoad legata conſumpta non eſt ratio, cur fratres detrectent adimplere onus ab eorum anteceſſoribus acceptatum, quique conſumpſerunt pecuniam, ut pro onere perpetuo miſſarum recepto à benefactore pro pecunia data pro refectione Chori, Fratres prædictos teneri cenſuit Sacra Congr. Concilii in *Lunen. Sarzanea.* 12. *Februarii* 1708. Imò aliquando permittitur à Sac. Congregatione, ut recipiatur onus miſſarum perpetuum, itaut pecunia recipienda expendatur pro utilitate Eccleſiæ eorum, ut in *Mediolanea.* 23. *Junii* 1629. *& in Hortana* 16. *Januarii* 1700. prævio Oraculo Sanctiſſimi fuit permiſſum, ut ſumma legata cum onere miſſarum perpetuarum abſque in veſtimento, expenderetur in utilitatem Conventus, celebratis miſſis per Fratres ad rationem manualis pro una vice tantùm, ſed tamen hoc arduum eſt obtinere, nullo autem modo poſſunt dicti Fratres poſſidere ſtabilia pro dicto onere miſſarum, ut dixi, nec etiam annuos redditus, eos exigendo Jure actionis, ſed tantùm permittitur receptio per viam eleemoſynæ facienda à Syndico eorum, ut reſolvit Sac. Congreg. Concilii in *Jannen.* 11. *Julii* 1694. *to.* 47. *decret. pag.* 345.

CONSTITUTIO XIV.

MARTINI V.

incipiens. (*Dum onus.*)

EPITOME BULLÆ

MARTINUS JULIANO DIACONO Cardinali S. Angeli Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COncilium Generale in Civitate Baſilienſi convocandum indicit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Refertur convocatio Concilii Generalis à Martino V. facta in Civitate Papienſi, & poſteà in Senſi.*

2 *Concilium Senenſe quare fuerit à Martino V. diſſolutum.*

3 *Concilium Baſileenſe indixit Martinus V. ubi dicuntur nonnulla ad idem Concilium pertinentia.*

4 *De Auctoritate Papæ in Conciliis indicendis, eiſque præſidendi. Remiſſivè.*

JAm ex longævo Schiſmate, occaſione electionis
1 Urbani VI. ſuborti, tot evenere in Eccleſia Dei mala, ut vix valuerit aliquibus conſulere Conſtantienſis Synodus; Unde ut reliquis opportunè obviaretur, ſtatuit eadem Synodus *ſeſſ.* 44. ut lapſo poſt finem Concilii quinquennio, aliud ad fidem, & mores confirmandos, ac hæreſes extirpandas convocaretur, & poſt ſecundum iſtud, abſoluto ſeptennio alterum congregaretur. Martinus itaque Romanus Pontifex, Eccleſiæ utilitati medio hoc tam neceſſario conſulens, indixit anno 1423. Concilium in Civitate Papiæ, ac deputavit Legatos Apoſtolicos in eo conſeſſuros; ſed cum peſtifera lue inficeretur Papienſe Cælum, placuit Pontifici Concilium transferre Senas, ubi prima fuit habita ſeſſio, in qua Huſſitarum, & Vvicleffitarum hæreſum damnatio confirmata extitit, cæptumque de Græcorum cum Latinis unione tractati, miſſis à Martino Nunciis Conſtantinopolim ad Patriarcham, & Imperatorem; ſed licèt tunc res infecta remanſerit, tamen magna ſpes affulſit ejus, quod paucos poſt annos evenit in Concilio Florentino, de quo dicam infra ſuo loco. Actumque rur- 2
ſus fuit in Concilio Senenſi de reformatione morum; ſed tandem ob exiguum Prælatorum numerum, ingruentes undique bellorum procellas, & ob metum Alphonſi Aragoniæ Regis, Martino infenſi, reliquiis ſchiſmatis faventis, Senenſe Concilium diſſolvit idem Martinus, aliudque in ſequens ſeptennium celebrari præfinivit in Civitate Baſileæ, de quibus *Spondan. anno* 1423. Labbè *tom.* 12. *Concil. pag.* 367. *& ſeq.* apud quem rationes diſſolutionis factæ per Martinum Concilii Senenſis referuntur, licèt ab aliquibus non facilè ſine detractione admiſſæ.

Martinus itaque ſuæ promiſſionis fidus executor, poſt lapſum ſeptennii à Concilio Senenſi, indixit Concilium generale Baſileenſe, hac Conſtitutione edita 3
Romæ apud SS. Apoſtolos Kal. Februarii Anno 1431. deputavitque Cardinalem Julianum Cæſarinum titulo S. Angeli Diaconum, ut præſideret tamquam Legatus Apoſtolicus in eò Congreſſu, ſed adhuc Concilio non incæpto obiit Martinus; ſicque res infecta remanſit uſque ad creationem novi Pontificis Eugenii IV. poſt cujus aſſumptionem Concilium Baſileenſe extitit congregatum, ſed evenere tot diſſidia cum Eugenio, ut ſchiſma inde ſuboriretur, de quibus opportuniori loco dicam in *Conſtitut.* 11. *ejuſdem*, in qua de tranſlationibus Concilii hujus Baſileenſis primùm ad Civitatem Ferrariæ, deinde Florentiæ ab eo Pontifice peractis agitur; Cœterùm quoad aucto- 4
ritatem Romani Pontificis indicendi Concilia generalia, iiſque præſidendi per ſe, aut per Legatos, jam ſatiùs dixi *to.* 2. *ad Conſt.* 9. Alexandri III. *ſect. unica num.* 27. *& ſeqq.*

CONSTITUTIO XV.

MARTINI V.

Incipiens (*Sedis.*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS AD FUTURAM REI Memoriam.

REgulam Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis Apoſtolica auctoritate confirmat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *De Tertiariis Ordinis Prædicatorum, & Minorum. Remiſſivè.*

2 *Tertiarii Ordinis Servitarum approbantur in hac Conſtitutione.*

3 *Tertiarii cujus auctoritate ſint admittendi, & quid ſi ſint uxorati.*

4 *Tertiarii, & Tertiaria, ſeù Bizocha quæ requiſita habere debeat, ut fruatur eorum privilegiis.*

5 *Afferuntur ad rem declarationes Sac. Congregationis Concilii.*

6 *Tertiarii, & Tertiariæ quatenus poſſint ſepeliri in Eccleſiis Regularium ſui Ordinis, & num. ſeqq.*

7 *Si clauſuram non ſervent, ſubduntur Parocho quoad funera, & adminiſtrationem Sacramentorum, ac præceptum Paſchale.*

8 *Tertiarii utrinſque ſexus, in ſuis domibus viventes, etſi alia requiſita ſervent, ſubduntur Parocho quoad Sacramentorum adminiſtrationem.*

9 *Itemque quoad alia munera Parochialia tam in morte, quàm in vita.*

10 *Jidem Tertiarii an, & quo caſu fruantur privilegio Canonis.*

11 *Matrimonium à Mulieribus Tertiariis contractum, validum eſt.*

12 *Nec obtinere poſſunt dotes relictas pro Monialibus profeſſuris.*

13 *Prout nec eas obtinent puellæ viventes in Conſervatoriis.*

14 *Fori privilegio quatenus iidem Tertiarii, & Tertiariæ fruantur.*

15 *Sunt immunes à Gabellis, & tenetur tantùm ad onera, quibus obnoxii ſunt Eccleſiaſtici.*

16 *Et ſi non habeant requiſita, fruuntur privilegiis, attenta conſuetudine.*

17 *Tertiariis ſunt exempti ab Ordinario, ſi collegialiter vivant.*

18 *Itemque Tertiariæ, in propriis domibus debita requiſita ſervantes.*

19 *Secus ſi vivant collegialiter, ſed ſine clauſura.*

20 *Et eo caſu ſubſunt viſitationi, & correctioni Epiſcopi.*

21 *Ad Epiſcopum ſpectat declarare, an Tertiariæ habeant debita requiſita, ut Tertiariarum habitum aſſumere poſſint.*

22 *Profeſſio emiſſa à Tertiariis non habentibus requiſita, an ſit valida.*

23 *Tertiariæ non cenſentur tales, ſi habitum non aſſumant, & vota non emittant.*

24 *Secus ſi alia requiſita non ſervent, ut exemplificatur.*

25 *Cappucini non poſſunt dare habitum Tertiariis.*

QUemadmodum almificæ Predicatorum, & Mi-
1 norum Religiones, tertii Ordinis regulam conſtitutam habent, qua ſub eorumdem vexillo militare poſſint, qui etiam Mundi hujus impedimentis ſunt implicati; ut de Tertiariis Ordinis Minorum dixi *tomo 3. ad Conſtitut.* 2. Nicol. IV. & de iis Ordinis Prædicatorum pariter dixi in hoc tomo ad *Conſtitut. unic.* Innocent. VII. Ita ampliſſimi Servitarum Ordinis tertiam Regulam, Fratrum, & Sororum de Conſortio Servorum B. Mariæ, Martinus V. A-
2 poſtolico munimine confirmat in præſenti Conſtitutione edita Romæ apud Sanctos Apoſtolos 17. Kalend. Aprilis anno 1424. optimis ſtatutis, & regulis præſcriptis, quibus in ſæculo permanentes ſpiritualem vitam vivere poſſint, ut bonos ſervos decet Sanctiſſimæ Virginis Mariæ; Conſtituitur namque in dicta regu-
3 la, quod nullus ad hujuſmodi ſodalitium recipiatur, niſi annuente Priore generali Servitarum; ſeu Priore deputato illius loci, omninò præmiſſa examinatione, quod ſit bonæ vitæ, & honeſtæ famæ, quinimo veritatis, & fidei Catholicæ Zelator; uxorati verò regulariter non admittantur, niſi de conſenſu alterius Conjugis; Habitu hujuſmodi Confratres, & Sorores veſtiantur nigri coloris, qui nullam mundanam vanitatem prætenderat; modum orandi, Sacrametorum frequentiam, itemque ſilentium, Jejunium, cibum, diſcurſum, operarum miſericordiæ exercitium, aliaque ſpirituali progreſſui proficua Martinus eiſdem Tertii Ordinis Fratribus, & Sororibus præſcribit, quæ ſi ad obſervantiam reducantur, cooperante gratia Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Eccleſia bonorum operum ſuaveolentiam, & gratum Deo, & Deiparæ famularum teddere, proculdubio hujuſmodi ſodalitium poterit; Hæc tamen Martini Conſtitutio edita pro Tertiariis Servitis, eadem eſt, quam edidit Innocentius VII. pro Tertiariis de Pœnitentia D. Dominici, & uti notavi in *cit. Conſtit.* Innocentii, pro iſtis Tertiariis conſiderandæ ſunt Conſtitutiones, ac decreta generalia emanata pro Tertiariis, ut dixit, in ſpecie loquens de hujuſmodi Servitiis, Tamburr. *de Jure Abb. to. 2. diſput. 24. qu. 4. nu. 65.*

Tertiarii itaque, qui Regulares non ſunt, nec dici debent, aut ſunt Viri, aut Mulieres; ſi mu- 4
lieres ſint, Bizochæ nuncupari ſolent, & aliquando fuerunt nuncupatæ Beatæ, quæ in propriis domibus vitam ducunt ſeorſim, & non collegialiter cum aliis; regulam tamen Tertii Ordinis reſpectivè dictarum Religionum pro ſæcularibus præſcriptam ſervant, habitumque ejuſdem Tertii Ordinis induunt de manu Superioris, ac votum Caſtitatis ſimpliciter vovent, & quatenus hæc ſerventur, fruuntur privilegiis Tertiariorum, ac exemptione proinde ab Ordinario aliiſque Si verò ſint Viri, niſi collegialiter vivant, ac ſervent requiſita, ut ſub obedientia maneant Superioris, non fruuntur privilegiis prædictis, nec exemptione ab Ordinariis, ſed uti meri laici haberi debent; quæ requiſita tàm in mulieribus, quàm Viris fuerunt præſcripta in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & declarata fuerunt per Sacram Congreg. 5
Concilii his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, conſulta reſpondit; Fratres Tertiarios, Mantellatos, Conjugatos, alioſque ſimiles, ita demum Tertii Ordinis, cujus tertia Regula habitum aſſumpſerunt, privilegiis potiri, & ab Ordinarii Juriſdictione exemptos eſſe, ſi Viri collegialiter vivant, ſeu cum Clauſtralibus habitent, & Mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cavetur conſtitutione Concilii Lateranenſis ſub Leone X. quæ habetur ſeſſ. 11. in fine; Hoc autem voto mulierum, alia duo, ſcilicet Paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi, quinimò hujuſmodi mulieres, ſi vitam Virginalem, aut cœlibem ſimpliciter expreſſeque voverint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, ſupradictis privilegiis Ordinis, cujus Tertia Regula habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarii Juriſdictione frui debere, quemadmodum idem Leo declaravit Conſt. edita die prima Maii anni 1519. Quod ſi fratres, ſororeſque dicti Tertii Ordinis quid amplius pretendant vigore Conſuetudinis, poſſe jus ſuum proſequi in judicio ordinario.* Hujuſmodi declarationi ſubſequitur altera, magis latè continens plura, per Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium edita, apud Paſſerin *de ſtat. hom. tomo 2. qu. 186. num. 61.* Tamburr. *de Jure Abb. tomo 2. diſp. 24. qu. 4. nu. 62.* Matthęucc. *in Officiali c. 52.*

Sed numquid Tertiariæ, vel Tertiarii poſſint ſe-
6 peliri in Eccleſiis Regularium eorum reſpectivè Ordinum. Et certum eſt, quod ſi vivant collegialiter cum tribus votis ſolemnibus, & Moniales etiam cum clauſura, habentur uti veri Religioſi, ac Religioſæ, ſeù Regulares, & uti tales fruuntur omnibus privilegiis Regularium, & ſic ſepeliri valent in propria Eccleſia, nec ſubſunt Parochiis, & Parochis, imò neque habent electionem ſepulturæ, niſi reperiantur in remotis locis à Conventibus eorum Ordinum, ut dixi *tom. 2. Conſtit. 9.* Innocentii III. *ſect. unica num. 41. pag. 272.* Si verò agatur de Tertiariis viris viventibus cum Regularibus ſub obedientia Superioris Regularis juxta formam præſcriptam à Lateranenſi Decreto; tunc eligere poſſunt ſepulturam, & quatenus non elegerint, ſi adſit ſepultura ſpecialis pro hujuſmodi Tertiariis, in ea ſepeliri debent; Si verò ſint viri Tertiarii, ſed ita non viventes, vel mulieres etiam habentes requiſita ſupradicta Lateranenſis Concilii, habent etiam electionem ſepulturæ, prout alii ſæculares; ſed ſi adſit ſepultura propria in Eccleſiis prædictis Regularium, cujus Ordinis tertii ſint, pro Tertiariis, ibi ſepeliri debent, ſin minus in Parochialibus propriis, niſi ſibi ſepulturam elegerint, ut notant, ultra præfatum decretum, Murga *diſq.*

Can.

Digitized by Google

Can. tract. 7. ſect. 2. diſq. 8. §. 8. concl. 1. Samuel. *de
ſepult. tract.* 1. *diſp.* 4. *contr.* 8. *concl.* 7. *numero* 11.
Capon. *diſcept.* 325. *num.* 48. *&* 49. Paſſerin. *de ſtat.
hom. tom.* 2. *quæſt.* 177. *artic.* 4. *num.* 246. *& ſeq.* &
dixi aliqua quoad ſepulturam Tertiariorum *ad citat.
Conſtit.* 9. Innocentii III. Unde quidquid dici poſſet
juxta literam Conſtitutionis prædictæ ſub Leone X.
relata in Bullario *Conſtit.* 22. *ejuſdem*; certum eſt,
quoad ſepulturas ſervari debere, quod dixi juxta præ-
fatas declarationes S. Congr. ac alias conſimiles, ut
advertit Paſſerin. *citat. loco*, & Pignatell. *conſult.* 17.
tom. 1. ubi adducitur reſolutio S. C. Concilii An-
no 1666. 13. Februarii ad nonum, poſſe ſepeliri in
habitu Tertiariorum, Pellizar. *in man. tract.* 8. *cap.*
7 5. *num.* 171. Ex quo conſequenter elicitur, præfatos
Tertiarios, aut Tertiarias in clauſtro non viventes,
ſubiici Parocho, qui aſſiſtere debet, & poteſt in fu-
neribus eorum, quæ nequeunt fieri ſine aſſiſtentia
Parochi, nec poſſunt levari cadavera ſine illius præ-
ſentia à domo, etſi agatur de iis, qui votum emi-
ſerint, niſi clauſtraliter vivant, ut ex ſenſu S. C.
proſequitur *cit.* Paſſerin. *nu.* 247. *Lezana par.* 4. *ver.
Tertiariæ num.* 3. Diana *par.* 9. *tract.* 8. *reſolut.* 30.
itaut in omnibus quoad Sacramentorum adminiſtra-
tionem ſubiiciantur Parocho, & ſic nequeunt confi-
teri Regularibus ejuſdem Ordinis, niſi fuerint appro-
bati pro ſæcularibus ab Ordinariis, & recipere Com-
munionem in Paſchate tenentur in propria Parochia,
item Viaticum, & Extremam unctionem à proprio
Parocho, ex ea ratione, quia uti veri ſæculares ha-
beri debent, exceptis aliquibus privilegiis Religio-
nis, quæ jus Parochiale non vulnerent. Nec ob-
ſtat, quod ex prædicta Bulla Leonis X. ac antiquis
8 Decretis Sac. Congr. videatur elici, quod ii, qui
non habent requiſita, habeantur pro laicis, & pro-
inde viri collegialiter non viventes, tales haberi de-
bent, non autem mulieres, ſi ſervant requiſita, quæ
haberi debent uti Regulares, & ſic etiam ſepeliri in
eorum Eccleſiis, & recipere Sacramenta à Regula-
ribus. Quia cum quoad adminiſtrationem Sacra-
mentorum ſubſequutum fuerit decretum *Concil. Trid.
ſeſſ.* 25. *capit.* 15. *de reform.* in quo reſtricta fuit
facultas Regularibus audiendi confeſſiones ſæcularium
quorumcumque, niſi prævia approbatione Epiſcopi,
vel ſi Regularis fuerit Parochus, & ſic Regulares
amplius non poſſunt audire confeſſiones ſæcularium
quorumcumque, niſi approbati fuerint ab Ordina-
rio ipſorum pœnitentium, in quo decreto tantùm
non comprehenduntur ſubditi Regulares, & continui
Commenſales intra Clauſtra viventes, quibus tantùm
valent Regulares approbati à Superioribus Regulari-
bus abſque approbatione Ordinarii pœnitentiæ Sacra-
mentum adminiſtrare, aliaque Sacramenta, & Spi-
ritualia; unde Tertiarii, & Tertiariæ viventes in
propriis domibus, etſi ſervent requiſita, non poſſunt
dici Regulares, & ideò benè reſolvit Sacra Congre-
gatio, Regulares non valere eis adminiſtrare dicta
Sacramenta, & conſequenter alia munera Parochia-
9 lia, tàm in obitu, quàm in vita, ut omnibus ra-
tionibus ſupradictis adductis docent Fagnan. *in cap.
omnis num.* 61. *& ſeq. de pœnit. & remiſ.* Paſſerin. *de
ſtat. hom. tom.* 2. *quæſt.* 185. *artic.* 4. *num.* 249. *&
ſeq.* & Sacr. Congregatio Concilii in terminis Sororum
de Pœnitentia D. Dominici apud Fagnan. *citat. num.*
64. Pignatell. *conſult.* 34. *numer.* 32. *tom.* 3. Stratius
Generalis Carmelitarum *in opuſc. de Tertiariis*, Dian.
tract. 8. *par.* 6. *reſol.* 30. Donat. *in prax. Regul. tom.*
2. *tract.* 17. *de Sororibus in ſæculo par.* 3. *n.* 21. Nicol.
in floſcul. ver. Tertiaria nu. 4. 5. *&* 6. Barboſ. *in ſum.
Apoſt. deciſ. collect.* 700. *num.* 2. Bordon. *oper. moral.
tom.* 3. *par.* 2. *variar. reſol. tit. de Tertiariis ſæcul.
reſol.* 75. *n.* 54. & in terminis poteſtatis Parochi quo-
ad iſtas adeſt epiſtola Sac. Congregationis Epiſcopo-
rum relata à Paſſerin. *cit. nu.* 248. & quoad Commu-
nionem in Paſchate, etſi fuerit dictum non teneri adi-
re Parochias hujuſmodi Tertiarias habentes requiſita,
niſi aliud legitima conſuetudine fuerit inductum, Sac.

Congregatio Concilii 26. *Martii* 1612. *lib.* 11. *Decret.
pag.* 115. *& in Giennen.* 26. *Maii eodem lib.* 11. *pag.*
116. quia hujuſmodi requiſita ſervantes fruuntur pri-
vilegiis Regularium juxta Conſtitutionem Leonis X.
relativè ad dictum Decretum Concilii Lateranenſis,
& eadem Sacr. Congregatio 6. *Februarii* 1616. *lib.*
11. *pag.* 170. *Decret. & in Aſſiſien.* 15. *Septembris*
1610. *libr.* 10. *pag.* 136. *à tergo*, ubi etiam præ-
ciſè dicunt quoad ſepulturam. Tamen quoad ſepul-
turam vel intelligi debent juxta ea, quæ dixi, vel
hujuſmodi Decreta fuerunt abrogata per poſteriora,
ſtante animadverſione præfatæ diſpoſitionis Concilii
Tridentini poſterioris dicto Decreto ſub Leone X.
cumque etiam Tridentinum fuerit confirmatum à Pio
IV. in confirmatoria illius, ut ſunt Decreta ejuſdem
S. Cong. poſteriora, & in terminis Communionis Pa-
ſchalis, ut teneantur eam recipere à proprio Paro-
cho, & ad id ab Epiſcopis compelli poſſe, ut reſol-
vit uſque ab anno 1604. Sac. Congr. Concilii in *A-
quilana* 5. *Februarii ejuſdem anni libr.* 10. *pag.* 72.
& deindè aliæ ſubſequuntur, nempe in *Stagnen.* 19.
Decembris 1620. *ad tertium*, ubi teneri in Paſcha-
te de manu Parochi Sacram Communionem ſuſcipe-
re, nec poſſe alteri confiteri peccata, quam Sacerdo-
ti ab Epiſcopo approbato, *lib.* 12. *pag.* 60. *& in Civi-
tatis Caſtelli* 2. *Decembris* 1623. *eodem lib. pag.* 145.
*à ter. Pater Matthauccius Ordinis Minorum in Offi-
ciali Curia titul. de Officiali quoad Tertiarios*, inge-
nuè fatetur *numer.* 4. §. 1. Sacr. Congregat. Concilii
ſæpè id declaraſſe, ut adminiſtratio Sacramentorum
hujuſmodi ſpectet ad Parochum, Pignatell. *conſ.* 34.
n. 32. *to.* 3. nec in his, qui non habent requiſita, cade-
bat diſputatio, cùm iſti uti laici omninò reputentur.

Ad rem autem quæritur, an Tertiarii potiantur
privilegio Canonis. Et quatenus non agatur de ha- 10
bentibus requiſita, & ſic de viris collegialiter ſub
obedientia non viventibus, vel de mulieribus ſine re-
quiſitis dictæ Bullæ Leonis, & decretorum Sacr.
Congreg. dicendum non gaudere, latè De Angelis
*opuſc. de Tertiariis poſt tract. de expenſ. & melio-
ram. numer.* 10. *Sporell. deciſion.* 2. *num.* 22. Si au-
tem agatur de habentibus dicta requiſita reſpectivè in
viris, & mulieribus, tunc fruuntur Canonis privile-
gio, quia ſunt religioſæ perſonæ, etſi non Regulares,
nam ſunt cultui Divino dicatæ, quod ſufficit, ut fru-
antur hujuſmodi privilegio, Gloſſ. *in cap. Religioſo §.
quamvis de ſent. excommun. in* 6. cùm verbum Mona-
chus ibi expreſſum comprehendat omnes in ſtatu ali-
quo ſpeciali, ab Eccleſia approbato uti religioſo, mi-
litantes, & licèt Bordon. *in conſil. moral. reſolut.* 28.
num. 19. id neget quoad Tertiarios, ac Tertiarias,
tamen benè idem quod dixi firmat Stratius Carme- 11
lita *in opuſc. de Tertiariis*, relatus per verba præ-
ciſa à Diana *cit. part.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 30. §. *nec ca-
ret*, ubi idem audiviſſe à Fagnano Secretario Sacr.
Congreg. Concilii, Pellizar. *manual. Regul. tom.* 2.
tract. 8. *capitul.* 6. *ſect.* 3. *num.* 147. ubi ita ſervari in
praxi, Fagnan. *cap. nullus num.* 65. *&* 66. Mattheuc-
cius *cit. loco ſub num.* 3. Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.* 1.
cap. 39. §. 1. *nu.* 22. Gratian. *diſceptat.* 413. *n.* 38. *&
ſeq.* Si tamen hujuſmodi mulieres poſt votum caſtita-
tis, aliaque requiſita ſervantes, & profeſſionem emit-
tentes contrahant matrimonium, validum eſt, quia
emittunt ſimplex votum ſolùm, ut reſolvit Sac. Con-
greg. Concilii in *Marſicana validitatis matrimonii* 10.
Aprilis 1660. & in *Tudertina*, *ſeu Balneoregien.* 8.
Julii 1648. Legatum tamen pro puellis profeſſuris ac- 12
quirere non valent, quia debet dari iis, qui profi-
tentur tria vota ſubſtantialia, & ſolemnia, ut reſol-
vit Sacr. Congregat. Concilii in *Æſina* 8. *Junii* 1696.
& eſt contra Diana *part.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 8. *& par.*
6. *tract.* 8. *reſol.* 30. *in fine*, Trullench. *in Decal. tom.*
2. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 12. *nu.* 14. & refert dictam de-
clarationem Monacell. *in formular. part.* 1. *titul.* 10.
form. 19. *n.* 7. & in terminis Monialium, quæ ſunt in
Conſervatoriis, ut non valeant habere dotes relictas pro
Monialibus, dixi *to.* 3. *Conſt.* 12. Inn. IV. & denegavit in-

dulrum hujuſmodi Sac. Congr. Concilii Conſervatorio
Pueri Jeſu in *Spoletana* 20. *Septembris* 1710. & eſ-
ſe recurrendum in caſibus particularibus puellarum,
licèt fuerit conceſſum iiſdem in Conſervatorio Pueri
Jeſu Urbis per f. m. Alexandrum VIII.

Ulteriùs ad rem diſputari poteſt, an Tertiarii, &
14 Tertiariæ fruantur privilegio fori Eccleſiaſtici, itaut
ſint exempti à foro laicali. Et quidquid ſit de va-
ria opinione DD. hinc inde pugnantium, quod vi-
de, ſi libet, apud Graſſ. *de effect. Cler. effect.* 1. *nu-
mer.* 92. Fagnan. *cit. capitul. nullus numer.* 65. hodie
inconcuſſa eſt concluſio, quod ſi agatur de habentibus
requiſita reſpectivè in viris, & mulieribus, non fru-
untur fori privilegio, latè Rota *deciſ.* 720. *num.* 1. *&
ſeq. coram Merlino*, ſecus ſi talia requiſita habeant,
ut benè concludit Fagnan. *cit. numer.* 66. *& ſeq.* cùm
habentes requiſita ſint à Sede Apoſtolica approbati pro
veris Tertiariis, aliis reputatis ſecularibus, & ita do-
cent Diana *cit. loco, & par.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 8. Trul-
lench. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 11. *num.*
14. Monacell. *in formul. par.* 1. *tit.* 16. *form.* 14. *nu.*
1. ubi plures reſolutiones S. Congr. adducit, plenè De
Angelis *in cit. opuſc. de Tertiariis, ſeu de Semiſorori-
bus num.* 10. Sperell. *deciſ.* 2. *nu.* 22. Quaranta *in ſum-
ma bullar. ver. privilegia Regularium, & ver. Fratres
& Sorores*, Barboſa *de Jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 39. §. 1.
nu. 42. quidquid dicat Gratian. *diſcept.* 413. quod om-
nes indiſtinctè fruantur prvilegio fori, & cum dicta di-
ſtinctione reſolvit Sac. Cong. Immunitatis Eccleſiaſti-
cæ, nempe: *Tertiariæ gaudent privilegio fori, & ex-
emptione, quatenus habeant requiſita Conſtit.* Leonis
X. *& Decreti Sac. Congr. Epiſcoporum, & Regularium,*
ut in *Hydruntina* 9. *Auguſti* 1704. *Firmana* 2. *& 9.
Maii* 1627. & aliis relatis noviſſimè apud P. Riccium
*in Synodi decretorum S. C. Immunitatis ver. Tertiariæ
num.* 1. *&* 2. ubi ponit per extenſum prædicta requiſi-
ta ſupra à nobis adducta, & in *Interamnen. die* 10. *No-
vembris* 1638. ibi: *Tertiaria gaudere debet privile-
gio fori, ſuppoſito quod habitum aſſumpſerit, & vir-
ginalem cælibem, aut caſtam viduilem vitam egerit,
etiam ſi in propriis, vel conſanguineorum. vel affi-
nium domibus habitet, & habitum, & votum emi-
ſerit poſt motam litem, necnon non eſſe moleſtandam
pro ſolutione oneris, ut dicitur, delle bocche*, & in
Firmana 21. *Februarii* 1699. Hinc videntur eſſe im-
munes à Gabellis pro eorum perſonis, ſi habeant di-
15 cta requiſita, ſecùs è contra, imò etiam quoad anima-
lia, unde injunctum fuit Epiſcopo, ut publicet ce-
dulones contra Datiarios ob executa eorumdem ani-
malia per S. C. prædicta in *Terentina* 27. *Martii* 1703.
Tenentur tamen ad onera, quibus obnoxii ſunt alii
Eccleſiaſtici, ut in *Firmana* 11. *Februarii* 1648. &
niſi utantur lineo velo, & cinericio habitu, non gau-
dere privilegio fori, fuit dictum in *Interamnen.* 19.
Junii 1666. & quod Epiſcopi eas defendere de-
beant contra moleſtias Curiæ ſæcularis, reſolvit in
Hieracen. 8. *Aug.* 1702. niſi autem etſi induti dicto
habitu, ut laicæ perſonæ æſtimentur, ac reputentur,
quia hoc caſu non fruuntur privilegiis fori, neque
etiam exemptionis, Fagnan. *cit. num.* 71. & Sacra
Congr. Concilii in *Tricaricen.* 7. *Septembris* 1638.
Si tamen adſit conſuetudo, & fruantur privilegiis
16 exemptionum, etiam non habentes requiſita, debet
ſervari, ut plures declarationes adducit Riccius *cit.
ver. Tertiarii nu.* 3.

Sed quid dicendum quoad exemptionem Tertia-
17 riorum, & Tertiariarum à juriſdictione Ordinarii.
Et quoad viros, ſi collegialiter vivant ſub votis eſ-
ſentialibus jam liquet eſſe verè Regulares, ut de il-
lis Tertii Ordinis; ſi verò non vivant collegialiter nulla
poteſt conſiderari exemptio; ſi verò collegialiter vi-
vant cum clauſtralibus, tunc potiri privilegio exem-
ptionis, prout quoad mulieres ſervantis requiſita
præſcripta in propriis domibus, certè quòd videntur
18 exemptæ, juxta Decretum Generale ſupra recenſi-
tum, & ſubiiciuntur Judici Conſervatori ipſorum Re-
gularium, Matthæuccius *citat. capitul.* 52. *numero*
4. Hinc Tertiariæ, quæ vivunt in Congregatione ab-
ſque clauſura, non utuntur tali privilegio, quia de- 19
bet ſervari Bulla S. Pii V. & poſſunt cogi ad emit-
tendam profeſſionem regularem, aliàs diſſolvi Con-
gregationem, & rurſus ſubiiciuntur Ordinario, Piaſec.
in praxi part. 2. *cap.* 3. *art.* 7. *nu.* 13. Matthæuccius
citat. cap. 52. *num.* 6. Nicol. *in floſcul. verb. Clau-
ſura num.* 38. *& Sacr. Congr. Epiſcoporum* 22. *Janua-
rii* 1596. *ac Sac. Cong. Concilii* noviſſimè in *Luden.* 27.
Maii 1677. in qua quidem cauſa agebatur de Congre- 20
gatione 12. mulierum Tertiariarum in oppido Cotto-
nei, emittentium quædam vota caſtitatis, paupertatis,
& obedientiæ, ſed non ſolemnia, & ſine clauſura,
ideòque propoſito dubio, *An mulieres hujuſmodi ſub-
ſint Viſitationi, & correctio Epiſcopi.* Sacr. Congreg.
cenſuit, audito Procuratore Generali PP. Reformato-
rum S. Franciſci, *Affirmativè*, & Sac. Congr. Epiſ-
coporum decreta Epiſcopi confirmavit, facta circa
dictas mulieres in *Lauden.* 27. *Junii* 1704. & Sacr.
Congr. Concilii in eadem 15. *Junii* 1709. mandavit,
ut Epiſcopus procederet ad viſitationem, & corre-
ctionem earum.

Ut igitur Tertiariæ dici valeant habere requiſita,
ſpectat ad Epiſcopum id declarare, ac præviis requi- 21
ſitis contentis in decretis permittere iiſdem talem
ſtatum, Donat. *in praxi Reg. tom.* 2. *tract.* 17. *de
Soror. in ſæcul. part.* 3. *numer.* 21. Nicol. *in floſcul.
ver. Tertiaria numer.* 45. Monacell. *in formul. part.*
1. *titul.* 6. *formul.* 14. ubi ponit infraſcriptam formu-
lam: *Dilecta nobis in Chriſto N. ſalutem, & bene-
dictionem in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus imbu-
ta, bonaque frugis, ac laudabilis vitæ extiſtis, in æta-
te annorum* 40. *conſtituta, propria bona, ex quo-
rum fructibus honeſtè vivere vales, poſſides, & non
cum aliis viris, quàm cum tuis conſanguineis, vel affi-
nibus in primo tantùm gradu conjunctis habitas, prout
hæc omnia nobis prævia informatione conſtare feciſti ha-
bitum Tertii Ordinis S. N. quem poſtulaſti, ſuſcipere
poſſis. per R. P. N. Ordinis Provincialem illum tibi
conferendi licentiam, & facultatem impartimur, &
concedimus. In quorum, &c. Datum, &c. N. Epiſcopus.*

Sed quid, ſi dicta requiſita in decretis poſita, non
ſerventur, an profeſſio ſit nulla. Negat Lezana *qu.* 22
*Regul. ſeu de caſ. conſcient. ad perſonas Relig. utriuſq.
Sex. tit. de Tertiariis Regul. eorumque priv. & oblig.
cap.* 14. *num.* 4. ex eo quod in dd. decretis non ad-
ſit clauſula irritans, nec S. C. uſa fuit verbis, *non
poſſint admitti, niſi, &c.* ſed verbo, *non admittantur;*
& proinde actus admiſſionis dicendus illicitus non
autem nullus. Contrarium docet De Angelis *citat.
opuſc. num.* 14. *& ſeq.* ex eo, quod requiſita ſunt
de forma profeſſionis, ibi: *Et ab Ordinario loci li-
centia priùs impetrata*, ſicque adimit Superioribus Re-
gularibus aliter habitum ipſis conferendi facultatem,
& proinde facit, ut Tertiariæ à non habente facul-
tatem habitum obtinerent. Verùm duas partes conti-
net hoc Decretum, vel quod pertinet ad eſſentialia 23
Bullæ Leonis X. quoad habitus aſſumptionem, & vo-
tum, & certè quod ſi id deficiat, Tertiariæ non di-
cuntur ad nullos effectus; Hinc Sacr. Congreg. Im-
munitatis in quadam Tertiaria, quæ receperat qui-
dem habitum, ſed non emiſerat votum explicitè ca-
ſtitatis, licèt crederet teneri ad ejus obſervantiam ex
dicto Religioſi tradentis habitum, accuſata de infan-
ticidio cenſuit, non gaudere privilegio fori; verùm
S. C. ſupplicavit SS. pro aliquali commiſeratione,
ne deveniatur ad pœnam ultimi ſupplicii, in *Aſcu-
lana* 8. *Auguſti* 1702. apud eumdem Riccium *ver.
Tertiarii n.* 9. Si verò agatur de aliis contentis in d. de-
creto generali in §. *Superiores*, non importare nullita- 24
tem profeſſionis, & Tertiarium gaudere privilegiis,
etſi non ea eſſent ſervata, ut ſi emiſiſſet profeſſionem
in anno ante quadrageſimum, ut requirit decretum;
hinc S. C. Immunitatis in *Spoletana* 2. *Septemb.* 1684.
cenſuit, gaudere privilegio fori profeſſam anno 28.
ætatis, apud Ricc. *cit. nu.* 8. Illæ autem non habentes
requiſita neceſſaria, etſi non fruantur privilegiis, ſemper
tamen

Digitized by Google

tamen dicuntur manere aliquo modo ſub cura Regu-
larium, quorum Tertium Ordinem ſervant, De An-
gel. *cit. num.* 11. Rota *cit. deciſ.* 720. *num.* 6. *& ſeq.*
coram Merlino, & de formula profeſſionis, vide no-
viſſimè Matthæuccium *cit. num.* 8. *& ſeq.* quoad verò
25 facultatem conferendi habitum Tertiariorum, ſeù Ter-
tiariarum Sancti Franciſci, ſpectare ad Fratres Ob-
ſervantes, & Conventuales, non autem ad Cappucci-
nos, Pignatell. *conſult.* 34. *to.* 3. Matthæucc. *cit. cap.*
52. & Sac. Congreg. Conc. in *Chien. Tertiariarum*
14. *Aprilis* 1685. cenſuit, non poſſe Cappuccinos ad-
mittere, & admiſſas ab iſtis non frui privilegiis, &
adeſt deciſio Rotæ 720. *cor. Merlino*, contra PP. Ter-
tii Ordinis, ſed *deciſ.* 31. *coram Roxas* dixit cumula-
tivè ſpectare ad iſtos, & Minores, ſed de hoc latiùs,
& diſtinctiùs dicam in ſuis propriis Conſtitutionibus.

CONSTITUTIO XVI.

MARTINI V.

incipiens (*Pervigilis*)

EPITOME BULLÆ.

MARTINUS. AD PERPETUAM Rei memoriam.

DEclarat, & modificat Conſtitutiones, quas nuper idem Pontifex ediderat, relatas in ejus Conſtitutione decimatertia, & præſertim quòd nulli tàm Regularium, quàm Sæcularium, prætextu cujuſcumque licentiæ Monaſteria Monialium ingrediantur, inconſulto Romano Pontifice.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione, præſertim quoad ingreſſum Regularium in Monaſteriis Monialium.*

2 *Superior Regularis an poſſit occaſione electionis Abbatiſsæ, ingredi Monaſteria Monialium ſibi ſubjectarum, ſub motivo faciendi exhortationem, vel publicandi electionem, & numero ſeqq.*

3 *Affertur ad rem reſolutio Sac. Congregationis Concilii in* Salisburgen. Clauſuræ.

4 *Superior præſidens electioni Abbatiſſæ, excipere debet vota ante cancellorum feneſtram.*

5 *Et quid ſi concurrat neceſſitas, quæ exemplificatur.*

6 *Publicatio electionis Abbatiſsæ debet fieri per Cancellos ſtatim poſt electionem.*

7 *Superiores Regularium quatenus, & cum cujus licentia ingredi valeant Monaſteria Monialium.*

8 *Immemorabilis an ſuffragetur pro reddendo licice ingreſſu occaſione electionis Abbatiſsæ, & num. ſeq.*

9 *Moniales Germaniæ ſervantes clauſuram, ſubiiciuntur legibus clauſuræ à Sede Apoſtolica præſcriptis.*

CUm in Capitulo Generali Aſſiſii, præſidente Car-
1 dinali, tituli Sancti Petri ad Vincula, à Martino
V. ſpecialiter ad id deputato, plura fuerint ſtatuta
quoad Fratres Minores Sancti Franciſci, quæ innui
Conſtit. 13. hujuſmet Papæ, in præſenti Conſtitutione
edita ab eodem Pontifice Romæ 6. Kal. Auguſti An. 1430.
plura ex ibi ſtatutis modificata fuere, ac declarata;
& præſertim quod etſi in *c. exiit §. denique de verb. ſign. in* 6. Nicolaus III. declaraverit, non licere Fratribus ingredi Monaſteria Monialium, ſed ſervari debere Clauſura, adhuc tamen id permittebatur aliquibus Officialibus; hinc in *Conſtitut.* 13. fuit obſcurè id relatum, & in præſenti exceptis iis, qui nominantur in Bulla Benedicti XII. nulli alteri Regularium, vel ſæcularium liceret ingredi Monaſteria Monialium, non obſtante quacumque licentia, niſi fuerit Romani Pontificis. Clauſura etenim Monialium fuit ulterius à pluribus Conſtitutionibus Apoſtolicis demandata poſt Sac. Conc. Trid. ut in *Bulla Gregorii XIII.* 28. *incip. Ubi gratia, & S. Pii V.* 8. *incip. Circa*, de quibus ſuo loco;
In præſenti tantùm ad opportunitatem peculiarem ex-
pendam controverſiam, an in electione Abbatiſſæ, quæ 2
fieri debet etiam à Superiore Regularium in Mona-
ſteriis ipſis ſubjectis, poſſit Superior Monaſterium in-
gredi occaſione, vel electionis, vel ſub motivo exhor-
tationis, & publicationis electionis jam factæ. Hujuſ-
modi dubium fuit nuperrimè promotum, ac reſolutum
in Sacra Congregatione Concilii; dum enim Superior 3
PP. Reformatorum Sancti Franciſci prætenderet ingre-
di Monaſterium Monialium Sanctæ Claræ Civitatis
Grecii Diœceſis Salisburgenſis ſibi ſubjectarum, oc-
caſione præfata, inhibitus fuit à Conſiſtorio Eccleſia-
ſtico dictæ Civitatis, unde recurrente Superiore præ-
fato ad dictam Sac. Congregat. auditoque Procurato-
re Generali Ordinis, partibus hinc inde ſcribentibus,
propoſitum fuit dubium: *An Superior Regularis Mo-
naſterii Monialium Sanctæ Claræ Civitatis Grecii in-
gredi poſſit Clauſtra prædicti Monaſterii poſt electio-
nem Abbatiſſæ, ad peragendam exhortationem, & pu-
blicandam novæ Abbatiſſæ electionem Conventui in ca-
ſu, &c.* Sac. Congregat. in *Salisburgen. Clauſuræ die*
10. *Januarii* 1711. cenſuit *Negativè, & amplius*, de-
negando quoque remiſſoriam petitam pro parte Fra-
trum. Reſolutio innixa præſertim fuit in clara diſpo-
ſitione Sac. Concil. Trident. *ſeſs.* 7. *cap.* 25. *de Re-
gul.* ubi ita habetur: *Is verò, qui electioni præeſt Epi- 4
ſcopus, ſivè alius Superior, Clauſtra Monaſterii non
ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtrellam vota ſin-
gulorum audiat, vel recipiat, &c.* ut proſequuntur
plures Doctores, ſolùm limitatione admiſſa, ſi con-
currat neceſſitas, occurrendi ſcilicet gratia magno pe- 5
riculo ſubornationis vocalium, de qua re vehementer
ſuſpicetur, quæ ſcilicet omninò impediret electionem,
Bonac. *oper. moral. tom.* 1. *de Clauſ. quæſt.* 4. *puncto*
4. *numer.* 7. Paſſerin. *de elect. can. cap.* 40. *num.* 26.
Pellizzar. *man. regul. tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 10. *ſect.*
2. *ſubſect.* 1. *numer.* 110. *in fine*; Nec obſtitit non agi
de actu electionis, quia verè ſunt actus concomitantes,
imò propalatio electionis fieri debet in eodem loco,
Fagnan *in cap. quia propter numer.* 56. *de elect.* Tam- 6
burr. *de Jure Abbatiſs. diſput.* 28. *quæſt.* 10. *num.* 1.
& ſeqq. hinc videmus praxim inconcuſſam, fieri pu-
blicationem ſtatim poſt electionem in feneſtrella, in
qua etiam recipiuntur Vota Monialium, de qua praxi
Card. de Luca *ad Sac. Concil. Trident. diſc.* 37. *num.*
14. Sed quatenus ageretur de actu extra electionem,
urget in contrarium generalis regula, ut nemini liceat
ingredi clauſuram, etſi ſit Superior Regularium, ſine 7
licentia Apoſtolica, vel Epiſcopi in certis caſibus ne-
ceſſariis, *cit. ſeſs.* 25. *de regul. cap.* 5. & ſtatuerunt ci-
tatæ Conſtitutiones, imò noviſſimè id ſancivit Alex.
VII. in ejus *Conſtitut.* 156. *tom.* 5. *Bullarii, relat. a
Matthæuccio in Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ cap.* 11. *de
Officiali quoad Clauſuram Monialium numer.* 2. in qua
Conſtitutione non permittitur Superiori Regularium
ingredi Clauſuram, niſi ob urgentem, & neceſſariam
cauſam, & notat idem Matthæuccius *num.* 14. ex aliis
Conſtitutionibus, & decretis ita fuiſſe limitata quæ-
cumque privilegia Regularium Superiorum, quod e-
tiam ex Gregorii XIII. Conſtitutione eſt injunctum E-
piſcopis, ut abſque neceſſitate urgenti nequeant ingre-
di Clauſuram; Tota difficultas reſtricta fuit ad præten- 8
ſam Immemorabilem; ſed fuit denegata remiſſoria pro
illa comprobanda, quia pro Monaſterio, de quo agebatur,

tur, aderat expreſſa lex in commendatione facta dd. Patribus, ſervandi Concilii Tridentini legem in electione Abbatiſſæ, & ſic extra Clauſuram, ut Concilium præſcribit, ſed etiam urget aliud motivum, quod cùm agatur de Monaſterio, etſi exiſtente in Germania, tamen utpotè jam munito legibus Clauſuræ, totum id quod repugnat Conſtitutionibus Apoſtolicis in
9 ordine ad iſtius obſervantiam, debet adamuſſim ſervari, nulla data diſtinctione Regionis, vel Diœceſis, & ſic fuiſſet conſuetudo inhoneſta, & incompoſſibilis cum Clauſura, quæ non permittit actum ingreſſus, niſi neceſſaria, vel urgenti cauſa concurrente; itaut actus nequeat alio modo expleri, niſi per ingreſſum, & tamen exemplum totius Orbis præbet, ut hujuſmodi actus, qui prætenduntur fieri in Clauſura, extrà eam expleantur, ut animadvertit Cardinal de Luca *cit. diſc.* 37. *numer.* 14. & cùm Concilium iſtud in *cap. final. dictæ ſeſſ.* 25. *de regul.* expreſsè revocaverit quæcumque privilegia, & ſubjici ejus decretis demandavit, quæcumque Monaſteria Monialium Religionibus quibuſcumque ſubjecta, non obſtantibus quibuſcumque eorum privilegiis, etiam ampliſſimis, ac conſuetudinibus Immemorabilibus; poſt autem Concilium conſuetudo non poterat introduci obſtante decreto irritanti in Bulla ejus confirmatoria, præſertim quia requireretur patientia Superiorum legitimorum, unde cùm non controverteretur, Monaſterium prædictum Sanctæ Claræ ſubdi legi Clauſuræ, ac Ordinario in ſpectantibus ad Clauſuram, nequit pro parte aliqua à tali lege umquam exemptum fieri ex facto ipſorum fratrum, vel Monialium; De reliquis ad Clauſuram Monialium ſpectantibus dicam ſuo loco.

CONSTITUTIO I.

EUGENII IV.

Incipiens (*In Eminenti*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

Decernit, quod Cardinales in ſecreto Conciſtorio pronunciati non dicantur Cardinales, antequam Cardinalatus inſignia ſuſceperint, neque vocem in electione Summi Pontificis habeant, donec ſit eis licentia votandi data.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Refertur aſſumptio Eugenii IV. ad Pontificatum.*
2 *Innuuntur ejus præcipua geſta tum ante, tum poſt Pontificatum.*
3 *Referuntur diſpoſita in hac Conſtitutione, quod Cardinales, non reputentur tales ex ſola pronunciatione in Conciſtorio ſecreto facta.*
4 *Papa ſolo verbo creare poteſt Cardinales.*
5 *Promotio Cardinalium contra formam Bullæ Eugenianæ facta, quatenus, & ex quibus clauſulis olim ſuſtineretur.*
6 *Hodie Cardinales ex actu creationis perfectò creati cenſentur.*
7 *Cenſuras Bullæ Cœnæ incurrunt offendentes Cardinales, quamvis nondum Pileum aſſumpſerint.*
8 *Cardinales habent vocem in electione Pontificis, quamvis inſignia non obtinuerint, & num. ſeqq.*
9 *Affertur ad hoc decretum S. Pii V. ac reſolutio juxta id ſecuta.*
10 *Cardinalis abſens à Curia jurare debet in receptione bireti rubri, intra annum accedere ad Limina Apoſtolorum, ſub pœna privationis.*
11 *Cardinalis Taia, & Riccius nolebant acceptare Cardinalatum.*
12 *R. P. D. Philippuccius Cardinalatus renunciavit.*
13 *Ritus creationis Cardinalem recenſetur.*
14 *Cardinalium conſilium à Papa quomodo petatur in creatione novorum Cardinalium.*
15 *Nulla forma eſt præſcripta neceſſariò in eorum creatione ſervanda.*
16 *Ritus recipiendi biretum, ac galerum rubrum per Cardinales innuitur.*
17 *In Conciſtorio Papa claudit eos, & in alio aperit electis, ac titulum eis dat.*
18 *Novi Cardinales ſe abſtinent à votando ante aperitionem oris, imò prima vice in Congregationibus.*
19 *Forma equitatus, ac aliorum in ingreſſu novi Cardinalis venientis à locis ultra Montes.*
Refertur ingreſſus Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinalis de Comitibus, qui laudatur.
20 *Papa ſolet mittere aliquando galerum rubrum, & quibus.*
21 *Veſtes rubræ Sacr. Romanæ Eccleſiæ, & ornamenta recenſentur, eorumque origo.*
22 *Regulares aſſumpti ad Cardinalatum quibus veſtibus utantur.*
23 *Xenia, quæ donari ſolent ei, qui defert biretum Cardinali abſenti, an debeantur familiaribus Papæ, qui eum creavit, vel ſucceſſoris, ſi interim Creator obierit.*

Poſt maximas Terræ concuſſiones, Naturales dicunt, ac eventus confirmat, ut ſemper aliquis le- 1
vis motus contingere ſoleat antequam Terra quieſcat. Ita poſt magnum ſchiſma Occidentis, extinctum opera Concilii Conſtantienſis, ac electionis Martini V. ut dixi, vix hoc obeunte, ac electo ſucceſſore Eugenio IV. iterum ſchiſmatis ſcintillæ pullulare viſæ fuerunt, quæ tamen paulò poſt extinctæ remanſerunt; Conclave igitur poſt Martini obitum adiverunt Cardinales Kal. Martii 1431. & 5. Non. ejuſdem menſis electus extitit in Romanum Pontificem Gabriel Condolmerius Venetus Cardinalis titulo Sancti Clementis, honeſtis parentibus natus, iiſque orbatus, patrimo-
nium Chriſti pauperibus diſtribuit, & unà cùm Anto- 2
nio Corario inter Canonicos Sancti Georgi in Alga Venetiis cooptatus extitit, tunc inſtitutos, piè vitam ducens, donec à Gregorio XII. Eccleſiæ Senenſi præfectus fuit, quem cùm Senenſes recipere recuſarent, vel uti alienigenam, vel uti nobilitatis decore non ornatum, Romani Pontificis Auctoritate coacti fuere; Deinde Gabriel ad Clericatum Cameræ, & Theſaurarium promotus, inter Sacr. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, poſtremò ab eodem Gregorio fuit adſcriptus; eòque maximè fuit uſus Martinus V. in pluribus Legationibus, aliiſque gravibus negotiis. Ad Pontificatum aſſumptus, plura egit, ejus conſtantiam teſtantia, dum ſe oppoſuit Baſileenſibus congregatis, prætendentibus contra auctoritatem Pontificiam plura decernere, Conciliumque illud Ferrariam, ac Florentiam deinde tranſtulit; unde evenit ſchiſma poſt electionem factam per Conciliabulum Baſileenſe, Felicis dicti V. de quibus latè dicam infra in *Conſtitutione* 11. ejuſdem Eugenii, ubi de tranſlatione Concilii Baſileenſis agam, ibique plura quoad geſta Eugenii referam, prout alia in *Conſtitutione* 17. & 19. ubi de Unione Græcorum, & Armenorum, ſecuta in Concilio Florentino opera ejuſdem Eugenii, qui tandem obiit in Palatio Vaticano 7. Kalendas Martii Anno 1447. poſt annos 16. Pontificatus, ætatis 64. Vir quidem ingenio, & rebus geſtis inſignis, fortunæ caſus vincens, initio Pontificatus non valdè commendatus, ſed deindè ſatis laude dignus,

Digitized by Google

dignus, & dum à Populo Romano ad Urbem accedens non valdè acclamabatur, vectigal Vini ſubſtulit, ac ſtatim populus clamavit *Vivat Eugenius*, ut hæc, & alia refert Ciaccon. *in ejus vita*.

De Sacr. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium eminentiſſima dignitate qua nulla in altiori faſtigio reſidet poſt Summum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ caput, verba fecimus in *Conſtitutione unica* Joannis XV. *ſect. unic. to-*
3 *mo* 1. *pag.* 149. Ut verò, ſublatis ambigendi ſcrupulis, palam eſſet, quid nominis, tituli, vel honoris primùm ſibi conciliare poſſint hujuſce Supremi Senatus Candidati, Apoſtolico diplomate in præſenti Eugenius decrevit, & declaravit; ut Cardinales in ſecreto Conciſtorio pronunciati, quamvis ad Cardinalatus initium diſpoſiti habeantur, nullum jus re, aut nomine ſibi vindicare poſſint, neque pro Cardinalibus reputari debeant, quouſque Cardinalatus inſignia ſint ipſis tradita, videlicèt per Capelli rubri traditionem, vel miſſionem, ac tituli aſſignationem, annulique juxta morem in digito immiſſionem; quodque in Cardinales ſic pronunciati, etiam poſtquam inſignia hujuſmodi receperint, in electione Summi Pontificis vocem activam minimè habere cenſeantur, donec per Romanum Pontificem ad id expreſſa licentia ipſis tribuatur, ſeù (ut verbis utamur communibus) eis fuerit os apertum; Qui verò contra hujus Conſtitutionis diſpoſitionem, Cardinales ſe nominare auderent, omni jure ex hujuſmodi promotione ſibi ipſis acquiſito eo ipſo privati eſſent, ac perpetuam inhabilitatem incurrerent ad Cardinalatus honorem; Cœteri verò ipſi adhærentes, vel conſilium dantes, ipſo facto ſolemni interminatione Apoſtolicæ Sedi reſervata obſtringerentur.

Hæc quidem latiùs in noſtra Conſtitutione edita Romæ 7. Kalendas Novembris Anno 1431. Neque autem diſſimulandum, temporibus illis perturbatiſſimis, & difficillimis voluiſſe Eugenium difficiliorem, & ſolemniorem aditum ad ſublimem Cardinalatus honorem reddere, ſanciendo, quod Cardinalibus in Conciſtorio pronunciatis nullum jus, ſeu titulum, re, aut nomine acquiratur, quouſque ſolemnia traditionis In-
4 ſignium fuerint expleta; Cùm cœteroqui Summus Pontifex ſolo verbo creare poſſit Cardinalem, ut firmant Angel. *in leg. cum ſalutatus Cod. de ſent. paſſ.* Jaſon *conſ.* 145. *numer.* 1. *lib.* 2. neque planè inſignia per ſe ſumpta Cardinalem facere poſſunt, ſicut habitus non facit Monachum, juxtà vulgatiſſimum dictum ex *Tex. in cap. porrectum* 13. *de Regular. ubi gloſſ. verbo non faciat, cap. conſuluit, qui Clerici, vel voventes*, & in propoſito Cardinalium advertit Corneus *in conſ.* 278. *lib.* 3. *numer.* 17. Veruntamen quidquid in terminis Juris dici poſſit, quave ex cauſa, & impulſu ab Eugenio fuerit edita, ſatis aperta eſt noſtræ Conſtitutionis diſpoſitio, ut in his immorari non deceat; Ejus itaque efficax obſervantia immediatis poſt promulgationem temporibus deſumi concludentiſſimè poteſt ex iteratis derogationibus, quibus tunc Summi Pontifices muniebant Cardinalium promotiones extra ordinem, ſivè contra terminos noſtræ Bullæ factas, teſtantibus Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 2. *caſ.* 185. *n.* 42. Corrado *in praxi diſpen. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 38. Jaſon. *conſ.* 145. lib. 2. ubi refert Pontificium diploma creationis Cardinalium, in quo Eugenianæ Conſtitutioni derogabatur; & cùm Paulus II. quatuor creaſſet Cardinales, videlicèt Joannem Strigoniæ Archiepiſcopum, Petrum Fuſcarum Venetum, Joannem Baptiſtam Sabellum, atque Franciſcum Ferricum de Cluniaco, ut ſtatim poſt ejuſdem obitum publicari cenſerentur, & Cardinalium honoribus, & muneribus fungerentur, cùm ampliſſimis clauſulis derogatoriis; ſuper hujuſmodi promotione conſulti Alex. *in conſ.* 111. *lib.* 6. & Corneus *in conſil.* 278. *lib.* 3. vim noſtræ
5 Conſtitutionis bona fide fatentes, non aliunde inſiſtunt pro hujuſmodi promotionis validitate, quàm in relatis clauſulis derogatoriis, quibus eidem derogatum cenſuerunt; Compertiſſimum enim eſt, quod Papa, tiedum expreſsè, vel etiam tacitè huic Eugenianæ Conſtitutioni derogare poteſt, & ipſo facto Cardinalem creare, cùm legibus Prædeceſſorum non ſubſit, ex adductis ad *Conſtitutionem* 4. Gregorii IX. *numer.* 15. *cum ſeq. tom.* 2. Hujuſce verò tacitæ derogationis urgentiſſimas conjecturas dixere Corneus *in cit. conſ.* 278. Jaſon. *cit. conſ.* 145. & Alex. *conſ.* 111. quando Summus Pontifex in promotione iterato, & abſolutè Cardinales nominat, cùm priſcis Cardinalibus jubet, ut Candidatos pro Cardinalibus habeant; non enim Cardinales nominari poſſunt, neque ut Cardinales recipi, niſi qui Cardinalitiam dignitatem perfectè habent, argumento ſumpto ex *leg. nemini, leg. petitionem, Cod. de advoc. leg. magiſtros, leg. ſi quis Cod. de profeſſ. & med.* potiſſimùm quando in promotione Papa uſus ſit verbis præteriti temporis, vel alio quolibet ſermone, qui actus perfectionem importet, & *cap. dudum* §. *in his de elect. leg. nunquam* §. *theſaurus ff. de acquir. rer. dom.* ſivè cum ex certa ſcientia, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, cum clauſulis derogatoriis promotio ſit expleta, quæ quidem indicant Summum Pontificem in jure Ordinario non inſiſtere; Poſtremò quando utcumque conſtet, Papam voluiſſe ex ipſo actu promotionis Cardinales creare, eiſque ex tunc jus titulum, & dignitatem Cardinalitiam conferre; Hæc illi.

Verùm in noſtris temporibus inſiſtendo, ſupervacaneum duco in noſtra Conſtitutione ulteriùs immora- 6
ri. Etenim quidquid ſit de priſco pronunciationis Cardinalium more, in præſenti Summus Pontifex in actu ipſo promotionis, perfectè ex ſui parte Cardinales creare intendit, nihil curata noſtræ Eugenianæ diſpoſitione, adeòut optimè dixerit Cardinal de Luca *in relat. Rom. Cur. diſc.* 5. *numer.* 11. quod oris aperitio, juramenti præſtatio, aliaque traditionis Inſignium ſolemnia, *Sunt cœremoniæ, vel ſolemnitates, quæ non percutiunt ſubſtantiam, vel perfectionem actus, quoniam ſequuta promotione, ut ſupra, illi ſunt veri, ac perfecti Cardinales, ideoque* (*quid aliàs dubitatum fuit*) *votum habent in conclavi in electione Pontificis, omneſque aliàs Cardinalitias juriſdictiones, & præeminentias, ut moderna praxis docuit, &c.*
Huic etiam opinioni conſentiunt DD. qui aſſerunt, 7
offendentes, vel interficientes Cardinales, qui nondum Capellum habuere, incidere in cenſuram Bullæ Cœnæ, cùm ſtatim ac quis in Conciſtorio Cardinalis à Summo Pontifice pronuncietur, & aſſenſum ſuum præbeat, perfectè Cardinalis efficitur, Capellum verò accidentarium eſt, ut verbis utar Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 11. *quæſt.* 6. Bonacina *ibidem diſp.* 1. *quæſit.* 12. *puncto* 2. *numer.* 3. Souſa *eodem tract. capit.* 12. *diſputat.* 60. *concluſ.* 1. Scortia *ad Conſtitutionem Apoſtol. theor.* 420. *epit.* 166. Ut verò ſolidiora tradamus, quod inſignium traditio nequaquam in
præſenti ſubſtantiam actus promotionis Cardinalium 8
percutiat, ſed potius redoleat quamdam cœremoniam, expreſsè colligitur ex decreto edito à Sancto Pio V. die 26. Januarii 1571. quo contra noſtræ Eugenianæ diſpoſitionem ſtatuit, ut Cardinales vocem in electionem Summi Pontificis habeant, quamvis inſignia Cardinalitia ipſi non fuerint contradicta, neque apertum, ut dicunt, os; Itaque perfectè Cardinales, etiam abſque inſignibus exiſtere, nemo deinceps ambiget; cùm jus eligendi Summum Pontificem ſolis Cardinalibus competat, ex latè recenſitis ſupra in *Conſtitutione* 5. Clem. VI. *num.* 38. Veruntamen non pigebit verba ejuſdem Decreti referre, quibus clarè conſtat, ſolemnitates neceſſariò requiſitas ad Cardinalium creationem in præſenti Conſtitutione, ad meram cœre-
moniam redactas eſſe: *Quia aliquando dubitatum fuit,* 9
utrum Cardinales, quibus os clauſum eſſet, ſi antequam illud eis aperiretur, Sedis vacatio eveniret, utrum, inquam, in Summi Pontificis electione votum haberent, Sanctitas Sua exquiſitis RR. DD. ſententiis de eorum aſſenſu, & conſenſu decrevit, quod cùm potiſſima Cardinalium facultas in Romano Pontifice eligendo conſiſtat, quæ ſanè ipſis propter Inſignium, & cœremoniarum defectum auferri non debet, ob eam cauſam Sanctitatem Suam ſtatuere, ut poſtquam aliquis

S. R. E.

Digitized by Google

S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & conſenſum ſuum dederit, is ſtatim vocem, & jus eligendi Romanum Pontificem habeat, & conſequenter etiamſi Cardinalatus galerus non dum illi traditus ſit, neque os clauſum, vel ſi clauſum fuerit, nondum tamen apertum ſit. Videri enim hujuſmodi claudendi oris ritum ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem verſatur, non pertinere, ſed cæremoniam quamdam eſſe, ea de cauſa introductam, ut Cardinales, antequam in Conciſtoriis, & Congregationibus ſuffragium ferant, de modeſtia, quæ ab ipſis in his, & aliis actibus adhiberi debet quodammodo admoneantur, &c. ſub die 26. Januarii 1571. referentibus Cherubin. *fil. ad hanc Conſtitutionem ſchol.* 2. Diana *tom.* 5. *oper. moral. tr.* 2. *reſol.* 74. Barboſa *de Jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 3. *numer.* 41. & recenſetur in *Conſtitutionem* 19. Gregorii XV. *incip. Decet*, de approbatione cæremonialis in electione Summi Pontificis ſervandi; quibus equidem ſtantibus cùm poſt obitum Clementis VIII. dubitatum iterum fuerit, an Cardinalis de Comitibus, cui os clauſum, nondùm verò apertum fuerat, in electione Romani Pontificis vocem haberet; commiſſa diſcuſſione hujuſce quæſtionis quatuor è Rotæ Tribunali ad Sac. Collegium aſſumptis, tandem omnibus ferè Cardinalibus in Comitiis congregatis approbantibus, ut
10 Sanctus Pius V. decrevit, reſolutum fuit, ut diſtinctè recenſetur in *annot.* 45. & 46. Coccin. Rurſus non minus concludenter deſumitur pronunciatum in Conciſtorio etiam abſque inſignium conſequutione verè Cardinalem exiſtere, ex *Conſtitutione* 50. Sixti V. *incip. Poſtquam paragrapho* 19. in qua diſponitur, abſentem in Romana Curia in Cardinalem pronunciatum, non priùs Biretum rubrum ejuſdem capiti imponatur (quod inter Cardinalitia inſignia non connumeratur, ut ex noſtra Conſtitutione) quàm juret, ſe intra annum à die præſtiti juramenti ad limina Apoſtolorum acceſſurum; quod ſi fortè jurare nolit, vel intra annum jurata non ſolverit, tunc equidem ipſo facto Cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione perpetuò privatus ſit. Itaque cùm hujuſmodi Promotus ad Urbem intra annum, vel aliud tempus prorogatum à Papa non accedens, dignitate, & denominatione Cardinalitia ſit privatus ipſo facto, procul dubio inter Cardinales connumerabitur; adeò ut pendente hujuſmodi tempore, etiamſi Capello, Annuloque Cardinalitio non fuerit inſignitus, verè Cardinalis exiſtit, & denominari poteſt, in nihilo obſtan-
11 te Eugeniana Conſtitutione; His ulteriùs ſubnecti opportunè poteſt, quod in promotione Cardinalium Tajæ, & Ricci recenſetur; his namque non conſentientibus, ſivè acceptare nolentibus Eminentiſſimam dignitatem, poſtquam in Conciſtorio Cardinales pronunciati fuerant, Innocentius XI. ſanctæ memoriæ eorumdem creationem caſſare paraverat in ſecreto Conciſtorio; ſed actus expletus non fuit, cùm iidem Promoti rationibus, & internis moribus adacti, tandem ſublimem hujuſmodi dignitatem acceptarunt.

At noſtris hiſce temporibus perfectum fuiſſe hujuſ-
12 modi renunciationis actum vidimus, dùm admirabili exemplo D. Philippuccius clara memoria à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clem. XI. Cardinalis renunciatus, heroicas ſuas virtutes pateſecit, cùm purpura ornari conſtanter recuſavit, de qua Cardinalatus recuſatione, ſivè renunciatione alibi Deo dante dicemus, id tamen in præſenti ex adductis exemplis adnotaſſe ſufficiat, quod nulla equidem opus fuiſſet renunciatione, ſi adhuc vigeret in ſuo robore Eugeniana Conſtitutio, cùm ex ipſius diſpoſitione nullum jus re, aut nomine pronunciatis acquiratur ante Inſignium collationem; Poſtremò autem, ut magis elucescat, quod Inſignium traditio juxta præſentes mores potiùs cæremoniam redoleat, ſubnectere non gravabor novæ creationis, ſivè electionis Cardinalium ſtylum, & methodum.

Qua forma, quibuſque ritibus creabantur Cardi-
13 nales diſtinctè recenſet Cæremoniale Romanum *lib.* 1. *ſect.* 8. *capit.* 1. *cum ſeq.* Noſtris autem temporibus omninò obſolevit, quod ibi diſponitur de promovendis Cardinalibus feria quarta quatuor anni temporum, & de voto Sacri Collegii exquirendo, an novos creari Cardinales neceſſe ſit, & in quo numero; Summus enim Pontifex animo volvens Purpuratorum numerum augere, ſibi ipſi præfigit, & elenchum conſtituit eorum, quos ad Cardinalatus faſtigium elevare vult; maturè tamen ſingulorum doctrina, prudentia, & rerum gerendarum experientia priùs perſpecta, ut tantam rem decet; convenientiſſimè namque dixit Paulus II. *In rebus aliis hominem eſſe poſſe, in Eccleſiarum rectoribus creandum Angelum; in Collegio augendo Deum Pontificem eſſe oportere; qui in altero peccet impium, qui in altero dæmonem eſſe exiſtimandum; In illo unam Eccleſiarum proſtitui, ac viro alieno conjungi non ſuo; in hoc Eccleſias univerſas periclitari*, ut refert Raynald. *anno* 1471. *numer.* 63. lectis itaque ex univerſo Orbe hominibus tanto munere dignis, Romanus Pontifex, quo ſibi libet tempore ſecretum Conciſtorium convocat, & frequentiùs aliis pertractatis negotiis, Eminentiſs. Patribus adſtantibus ait, quod habent Fratres, exprimendo eorum nomina, quos in Sac. Collegium aſſumere determinavit, & ſciſcitato eorumdem conſilio, quid ipſis videtur? fit decretum promotionis, quæ illicò extrà Conciſtorium promulgatur, & ſummo plauſu excipitur, ignibus feſtivis de ſero ejuſdem diei, cum altero ſubſequenti Roma exultante.

Duo autem hîc animadvertere oportet, primùm
ſcilicèt Cardinalium conſilium potiùs ex quadam Sum- 14
mi Pontificis connivenentia, quàm ex neceſſitate in hac re, ut in aliis, exquiri; cùm Summum Pontificem, nullo poſtulato ſuffragio ex ſui poteſtate poſſe ſacra purpura decorare, latè rationibus adductis firmat Cardinal de Luca *in relat. Rom. Cur. diſc.* 5. *numer.* 6. Cardinal Jacobat. *de Concil. lib.* 7. *articul.* 5. *numer.* 117. & aliis recenſitis Choell. *in notit. Cardinal. capit.* 9. *pag.* 22. *lit. C.* quapropter ad hujuſmodi Romani Pontificis libertatem reſtringendam ſæpè ſæpius in Comitiis pro novo Succeſſore eligendo Cardinales juramento ſe ſe obſtrinxerunt, novos Candidatos non electuros, niſi de conſenſu Cardinalium, vel ſaltem majoris eorumdem partis, ut in articulis juratis ante electionem Eugenii IV. Pii II. Sixti IV. aliorumque, quos recenſet Odoric. Raynald. *de anno* 1430. *numer.* 6. *anno* 1431. *numer.* 6. *anno* 1458. *numero* 5. Alterum verò, quod adnotatum velim, eſt nul-
lam formam eſſe præſcriptam neceſſariò in Cardina- 15
lium promotione, ſed variis verbis expletur ad Romanorum Pontificum placitum, quamvis in Cæremoniali Romano ſub hac abſoluta, & perfecta formula concipiatur: *Auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra N. aſſumimus in Presbyterum, vel Diaconum Sacra Romana Eccleſia Cardinalem*, notat Moſcon. *de majeſt. milit. Eccleſ. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. Choell. *loc. cit. lit. E.*

His igitur expeditis, noviter promoti eodem, quo
priùs utebantur habitu, ad Aulam Apoſtolicam nul- 16
lo aſſumpto comitatu ſe conferunt, ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus excepti, Summo Pontifici offeruntur, qui inde bireto rubro eoſdem Candidatos condecorat; ſtatuit verò Romanum Cæremoniale *libro* 1. *ſect.* 8. *capit.* 5. ut poſthæc à nemine publicè viſitentur (permiſſis Viſitationibus privatis abſque cæremonia aſſociationis, dum Cardinales non exit à ſuo cubili, nec viſitatur à Cardinalibus ſine prævia licentia R. Pontificis) priuſquam in publico Conciſtorio Cardinalitia inſignia receperint his cæremoniis, & ritu; Publicum indicitur Conciſtorium, plerumque die Jovis vel Sabbati, vel Martis immediatè ſequenti, atque tàm novis, quàm antiquioribus Cardinalibus in Aula Apoſtolica congregatis, Summus Pontifex Mitra pretioſa redimitus, ad locum Conciſtorii more ſolito accedit, moxque poſt exceptum obſequium à Purpuratis Cardinalibus, ut noviter pro-

moti

Digitized by Google

moti accedant, jubet; Accedunt Candidati ad Summi
Pontificis conſpectum, atque profunde eidem ſe in-
clinantes, à cæremoniarum Magiſtro poſt ultimum
Cardinalem Presbyterum locantur ante ejuſdem faciem
detecto capite, quos ſanè poſitos Sanctiſſimus brevi-
loquia oratione alloquitur, ut plurimum recenſendo
ad quam dignitatem, quamve gloriam ſint elevati,
cui oneri ſe ſupponant, qua ſollicitudine, & vigi-
lantia ſuum munus perficere oporteat. Orationem
verò, quàm diſſertè habuit Pius II. per extenſum re-
fert Auctor Cœremonialis Romani *lib. 1. ſectione 8.
capit. 6 Maxima, dilectiſſimi filii, & ex excellen-
tiſſima dignitate donati eſtis, ad Collegium Apoſtoli-
cum vocati Conſiliarii noſtri, & Conjudices Orbis
terrarum eritis; inter cauſam, & cauſam, inter
ſanguinem, & ſanguinem, inter lepram, & lepram
diſcernere vos oportebit; ſucceſſores Apoſtolorum cir-
ca thronum ſedebitis; Vos Setatores Urbis, & Re-
gum ſimiles eritis, veri Mundi cardines, ſuper qui-
bus militantis Eccleſiæ oſtium volvendum, ac regen-
dum eſt. Cogitate animo, quos viros, quæ ingenia,
quam integritatem hæc dignitas requirat; humilitatem
non ſuperbiam; liberalitatem non avaritiam, abſtinen-
tiam non ebrietatem; continentiam non ebrietatem;
continentiam non libidinem; Scientiam non ignoran-
tiam; virtutes omnes, nullum vitium hic honor ex-
poſcit. Si fuiſtis hactenus vigilantes, nunc vigiletis
oportet adverſus malignum hoſtem, qui numquam dor-
mit, cogitans, quem devoret; Si liberales fuiſtis,
nunc opes in rebus honeſtis profundite, & maximè in
alendis pauperibus Chriſti, ſi cibi potuſque abſtinen-
tes, nunc præcipuè luxuriam fugite, abſit avaritia,
faceſſat crudelitas, exulet arrogantia; ſint libri ſacri
ſemper in manibus veſtris, dies, noctéſque, aut di-
ſcite aliquid, aut alios docete; Opera perficite, per
quæ lux veſtra coram hominibus luceat; Et denique
tales eſtote, quales eſſe debere Cardinales diiudicaſtis,
antequam hoc culmen aſcenderitis, &c.* Poſthæc Car-
dinales noviter promoti ad Pontificiam cathedram ſe
conferunt obſequia ei præſtaturi, videlicèt pedes, &
manus Summi Pontificis oſculando, qui ad oris oſ-
culum eoſdem elevat, indeque ad pacis ſignum ab
antiquioribus Cardinalibus excipiendum, deducuntur;
His verò peractis, aliiſque cœremoniis præſcriptis in
Cœremoniali Romano *lib. 1. ſect. 8. cap. 7.* tandem
Cardinalitia inſignia Candidatis in hunc, qui ſequi-
tur modum conferuntur; ſtantibus antiquioribus Car-
dinalibus ante Summum Pontificem in circulo, prior
ex noviter creatis, deindè alii ſucceſſivè genuflectunt,
cui Pontifex galerum rubrum imponit ſuper caput e-
jus, hæc proferens: *Ad laudem omnipotentis Dei,
& S. Sedis Apoſtolicæ ornamentum, accipe galerum
rubrum, inſigne ſingularis dignitatis Cardinalatus,
per quod deſignatur, quod uſque ad mortem, &
ſanguinis effuſionem incluſivè pro exaltatione Sanctæ
Fidei, pace, & quiete populi Chriſtiani, augmen-
to, & ſtatu Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ te intre-
pidum exhibere debeas. In nomine Patris, ✠ &
Filii, ✠ & Spiritus ſancti ✠ Amen.* In alte-
17 ro quidem Conciſtorio Summus Pontifex claudit os
eiſdem noviter electis, eis inhibendo, ne quid lo-
qui præſumant in Conciſtoriis, aut Conciliis, quo-
uſque de Conſilio Fratrum duxerit eis aperire os; in
ſecundo autem, aut tertio Conciſtorio, Eminentiſſi-
mis Patribus Congregatis, Romanus Pontifex jubet,
ut noviter electi exeant donec ipſe ſciſcitetur ab an-
tiquis Cardinalibus, an ipſis videatur os noviter ele-
ctis aperiendum eſſe, atque omnibus plaudentibus,
revocantur candidati, & benignè à Sanctiſſimo ad-
moniti, ad apertitionem oris accedunt, quæ his ver-
bis expletur. *Aperimus vobis os, tàm in collationi-
bus, quàm in conſiliis, atque in electione Summi
Pontificis, & in omnibus actibus tàm in Conciſtorio,
quàm extra, qui ad Cardinales ſpectant, & quos ſo-
liti ſunt exercere. In nomine Patris, ✠ & Filii,
✠ & Spiritus ſancti ✠ Amen.* Atque tandem
res perficitur cum annulorum traditione, titulorum-
que aſſignatione; etenim ipſis genuflexis ante Sum-
mi Pontificis Cathedram, idem Pontifex immittit
cuique in digito annulari dexteræ manus annulum
pretioſum ad id præparatum, aſſignando titulum his
verbis: *Ad honorem Dei Omnipotentis, Sanctorum
Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. N. committimus
tibi Eccleſiam S. N. cum Clero, & Populo, & Ca-
pellis ſuis, ſecundum formam, quæ committi conſue-
vit Cardinalibus, qui eamdem Eccleſiam in titulum
habuerunt.* Neque eſt hîc prætereundum, quod ad-
monet Sacrum Cœremoniale, videlicèt novos Car-
dinales, quamvis anteà Prælatos, non debere annu-
lum geſtare, uſquequo hanc cœremoniam non ex-
pleverint; Poſtremò animadvertere operæ prætium 18
eſt, novos Cardinales non anteà votum in Con-
ciſtorio proferre, neque in particularibus Congrega-
tionibus cooptari, priuſquam eis fuerit os apertum;
quin etiam, ut modeſtiam præſeferant, neque in ip-
ſis Congregationibus, prima vice, qua interſunt,
votum dant.

Præterea alia viſitur celebris cœremonia, cùm
Summus Pontifex abſentem à Curia ad Cardinalitiam 19
dignitatem promovit. Hic namque ſolemnem ingreſ-
ſum facit, cùm primùm ad urbem ſe confert,
galerum rubrum recepturus, biretum verò rubrum
ſtatim ac eſt promotus eidem privatè mittitur per a-
liquem ex Summi Pontificis familiaribus; Igitur
quamvis per aliquot ante dies ad Urbem pervenerit,
verumtamen ſi per Tuſciam, aut viam Flaminiam iter
fecerint ad Cœnobium Sanctæ Mariæ de Populo
propè portam Flaminiam; ſi verò per Latinam, ſi-
vè Appiam viam, ad Lateranenſe Palatium ſe con-
fert, non ſecus ac ſi eo die adventaſſet, ibique in-
dutus Cardinalitiis veſtimentis, pileo rubro tantùm
excepto, expectat, quouſque à Cardinalibus in Ur-
be exiſtentibus, phaleratas mulas equitando, argen-
teis clavis, & hippoperis cum gentilitiis ſtemmati-
bus, auro, & argento redimitis per duos familiares
equo inſedentes præmiſſis, magno etiam Procerum,
& nobilium Virorum comitatu, ad Apoſtolicum Pa-
latium pileum, rubrum recepturus, novus ipſe Car-
dinalis ſolemni pompa, & equitatu comitatur, præ-
cedente militum Cuſtodiæ Pontificis cohorte, ut de-
ſcribitur in *Cærem. Rom. lib. 1. ſect. 8. capit.* 21.
huncque ſolemnem ingreſſum, dum hæc ſcribo, fe-
cit Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardina-
lis Michael Angelus de Comitibus, à Nunciatura apud
Regem Luſitanum adveniens, Vir quidem integerri-
mis moribus, ſpecialique prudentia præditus, nobi-
litatem natalium ſuorum ſatis notam, perſonalibus,
eiſque eximiis virtutibus exornans. Denique non o-
mittendo duco, quod aliquando ob dignitatem, &
ſublimitatem Cardinalis noviter promoti, utpura ſi 20
fuerit imperiali, aut regali attinentia inſignis, ne-
dum biretum, ſed etiam galerum rubrum cœteraque
Cardinalitia inſignia per Nuncium ſpecialiter à Sum-
mo Pontifice deſtinatum mittuntur, ut contigiſſe me-
morant hiſtorici tempore Pauli V. cùm in Sacrum
Collegium cooptatus fuit Ferdinandus Auſtriacus Ca-
tholici Regis Philippi III. filius, & Urbanus VIII.
Joanni Alberto Poloniæ Regis Fratri annulum pileum-
que Cardinalitium per ſpecialem nuncium tranſmiſi,
cujus quidem functionis obſervanda tradit Auctor *Cæ-
remonialis Romani cit. ſect. 8. capit.* 16. nec hic de-
ſcribam, cùm noſtris temporibus numquam ſint vi-
ſa. Non enim hujuſmodi honore paſſim decorare ſo-
lent Summi Pontifices noviter Electos Cardinales,
niſi præcelentiſſimæ ſint dignitatis, vel alia urgentiſ-
ſima intercedente cauſa, qua ipſi Romam ſe confer-
re præpendiantur, tradit Thomaſſin. *de vet. & nov.
Eccleſ. diſcipl. par. 1. lib. 2. capit. 14. numer.* 14.
quod Joannes XXII. recuſavit pileum mittere cuidam
Cardinali Gallo, non attenta Regis interpellatione,
atque his verbis ſe excuſavit: *Quia*, inquit, *nec
Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices conſueverunt
extra Curiam hujuſmodi pileos mittere*: At Clemens
VI. cùm pileum miſiſſet Abbati Sancti Dionyſii, in

Sa-

Digitized by Google

Sacrum Collegium nuper aſſumpti, Epiſtola ſua teſtatus eſt, contra antiquum morem agere, atque graviſſimis negotiis indulgere, propter quæ non poſſet à Rege tunc digredi: *Cæterùm imitanda ſervavit antiquitas, ut ad honorem Cardinalatus evectus non prius Capello rubro uteretur, quàm illum de manu Pontifici ſuſcepiſſet.*

Hæc quidem de Cardinalium creatione ſivè lectio-
21 ne, eorumque ingreſſu in Conciſtorium, atque receptione inſignium colligi poſſunt ex Cæremoniali *Roman. lib. 1. ſect.* 8. Cardinal de Luca *in relat. Rom. Cur. diſc. 5. numero 9.* Cohell. *in notitia Cardinal. capit. 9. & 10.* Corrad. *in praxi diſput. lib. 10. capit. 14. numer. 26.* Verùm circa Cardinalium Inſignia, & veſtes verſando, de quibus hucuſque verba fecimus, ut altiùs exordiamur, certum eſt ab incunabulis ipſius Eccleſiæ, Presbyteros, Romano Pontifici aſſiſtentes ſemper in decoris veſtibus diſtinctos fuiſſe à quocumque alio Orbis Clero. Sunt verò, qui hujuſmodi Romanæ Eccleſiæ prærogativam trahant ex conceſſione Conſtantini Imperatoris, relata in *can. Conſtantinus diſt. 96. verſ. viris*; ibi: *Reverendiſſimos Clericis Sacra Romana Eccleſia illud culmen ſingularis potentia, & præcellentiæ habere ſancimus, cujus ampliſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari, ideſt Patritios, ac Conſules effici, necnon & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari, & ſicuti Imperialibus extat decorata militia, ita Clerum Sacra Romana Eccleſia adornari decernimus, & ut ampliſſimè Pontificale decus præfulgeat, decernimus ut Clerici ejuſdem Romanæ Eccleſiæ mappulis, & linteaminibus, ideſt candidiſſimo colore decoratos equos equitent, & ſicuti noſter Senatus calceamentis utitur cum undonibus, ideſt candido linteamine illuſtrentur; & ita Cæleſtia ſicut terrena ad laudem Dei decorentur.* Id verò certum eſt, Romanæ Eccleſiæ Clericos hujuſce veſtium, & ornamentorum prærogativæ retinentiſſimos fuiſſe, ex *canon. illud diſt.* 93. in quo D. Gregorius Papa ſcribens Joanni Ravennati Epiſcopo ait, fortiter Romanum Clerum obſtitiſſe, ne ejuſdem Diœceſis Clerici Mappulis uterentur; Neque ſanè undique improbabiliter ex relata Imperiali conceſſione deducit Cohell. *in notitia Cardinal. capit. 11. paragrapho* 3. Eminentiſſimos Patres purpurearum veſtium uſum trahere poſſe, cùm Conſtantinus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Clericos Senatoribus, & Conſulibus æquales eſſe ſancivit; etenim Senatores, & Conſules purpura uſos fuiſſe tradit Rebuff. *in tract. de pannis aureis in princ.* Verùmtamen non ſatis inter ſe conſtant Scriptores, quo tempore, & cujus Pontificis juſſu Cardinales jugiter coccineis veſtibus utantur, etenim Tholoſan. *lib. 4. tit. 8. capit. 2. litt. L.* à temporibus Innocentii IV. hujuſmodi uſum deducit, alii verò à Bonifacio VIII. proveniſſe affirmant, ſequentes Ciaccon. *in ejus vita*, ubi commemorat: *Cardinalatus dignitatem admodum auxit, &c. quibus & purpurei coloris veſtimenta dedit.* Certum tamen eſt, quod Apoſtolicæ Sedis Legati multo ante Innocentii IV. tempora purpurea Chlamide, & coccinea tunica utebantur, ut pluribus exemplis propoſitis probat Thomaſſin. *loc. cit. numer.* 7. Cohell. *in notitia Cardin. capit. 11. in med.* adeòut Doctores interpretantes *decretal.* Innocent. III. *in cap. antiqua de Privileg.* ubi ait: *Legatus utens inſigniis Apoſtolica Sedis*, communiter explicant de veſtimentis rubeis, neque diverſi coloris calceamentis, unà cum toto ornatu equi; Extrà verò ambiguitatem refertur, quòd Innocentius IV. duodecim creatis Cardinalibus Viris præſtantiſſimis, pileum ſeù galerum rubrum ejus Ordinis proprium inſigne conceſſit in pervigilio Nativitatis Dominicæ in generali Concilio Lugdunenſi coacto anno 1244. ut hinc Cardinales cognoſcerent caput ſuum, ſi opus eſſet pro Eccleſiæ libertate tuenda, gladio offerre paratos eſſe, præſertim tunc temporis, quo Romana Sedes à Friderico II. dirè vexabatur, ut verbis utar Ciaccon. *in ejus vita*, & tetuli *tom. 3. ad Conſtitutionem* 1. Innocent. IV. *numer.* 5. atque omnium concors eſt traditio, ut apud DD. quos refert Barboſa *de Jur. Eccleſ. lib. 1. capit. 3. numer.* 8. Azor. *inſtitut. moral. par. 2. lib. 4. capit. 3. quæſt.* 18. Duaren. *de Sacr. Eccleſ. min. lib. 1. capit.* 13. Cohell. *in notitia Cardinal. loc. cit.* Paulus verò II. publico decreto conceſſit Cardinalibus capitium, ſeù pileolum rubrum, propoſita pœna ne quis indumento illo purpureo caput tegeret; itidemque iiſdem Cardinalibus permiſit; ut ejuſdem coloris panno equos, vel mulas ſternerent, dum equitarent. Volebat prætereà decretum edere, ut galeri Cardinalium ex Serico Coccineo fierent, ſed non augendam Eccleſiæ pompam, tandem reſoluit; Hæc, ſi Platinæ, & Ciacconio credimus in ejuſdem Pauli II. vita; at ex Cardinali Papienſi oculato Teſte in *comment. lib. 2. pagin.* 370. rem ab eiſdem auctoribus de more amplificatam eſſe colligitur, cujus verba, ut brevitati ſtudeam, non referam.

Neque tandem prætereundum eſt; ſi ad Cardinalatus apicem eleventur viri ex Regularium Ordinibus, 22
quamvis forma habitus cùm cæteris Cardinalibus conveniat, attamen color regularis profeſſionis non immutatur, adeòut ad tempora uſque Gregorii XIV. biretum, ſeù Capitium primævi coloris hujuſmodi Regulares promoti deferent; Verùm idem dictus Pontifex die Dominico 9. Junii feſto Sanctiſſimæ Trinitatis in ædibus Hortorum Quirinalium, antequam ad SS. Apoſtolorum Baſilicam ſacra celebraturus deſcenderet, conceſſit Fratri Michaeli Alexandrino, & Fratri Hieronymo Auſculano ex Ordine Prædicatorum Fratri Conſtantio Sarnano ex Ordine Minorum Conventualium, & Fratri Gregorio Montelparo nuncupato ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini, rubra bireta, ac pileos perpetuò deferendos more aliorum Cardinalium, habitu Regulari in cæteris nihil immutato, ut in *Conſtitutionem* 9. Gregorii XIV. ubi latè Deo dante, dicemus, interim verò conſule Anton. Scap. *de bireto rubeo Regular. Card. Dando*, qui omnes Juris allegationes tunc editas in unum collegit.

Pro coronide tandem hujus Commentarii prætereundum non eſt; quia ſupra diximus, Cardinalibus ab- 23
ſentibus à Summo Pontifice creatis mitti ſolere biretum rubrum per aliquem ex Aula familiarem; cùm verò jucundo huic nuncio noviter promoti donare ſoleant nonnulla Xenia, ſeù munera, quæ ex inveterato ſtylo dividenda ſunt inter Cubicularios participantes ex intima Summi Pontificis aula; ſuccedente interim morte Summi Pontificis, qui Cardinales creavit, & aſſumptione Succeſſoris, antequam hujuſmodi Bireti miſſio ſit expleta, & munera diſtributa; contingit dubitari an ad Cameram antiquam Pontificis, qui promotionem fecit, ſivè potius ad Cameram novi Succeſſoris hujuſmodi Xenia pertineant. Hujuſmodi quidem quæſtio deciſa reperitur à Rota *in deciſ. 1339. coram Coccin. repetita in deciſ. 322. par. 4. tom. 2. rec.* cujus meminit Cardinal de Luca *in annot. ad diſc. 124. in fin. de regal.* & Zacch. de Salar. *quæſt. 53. numer.* 24. cùm enim Paulus V. nonnullos abſentes creaſſet Cardinales, atque miſiſſet biretum rubrum, accidit, quod poſt ejuſdem obitum, & aſſumptionem Succeſſoris Gregorii XV. Biretum à Nuncio fuit præſentatus, & munera accepit, quapropter, prædicto diſſidio exorto, Rota reſolvit, munera deberi Cameræ Succeſſoris Pontificis, non verò antiquis Camerariis Pauli V. qui promotionem Cardinalium fecerat, innixa his fundatiſſimis rationibus, quia in hujuſmodi muneribus diſtribuendis attendi ſola debet voluntas voluntarii donatoris, Imol. *in leg. dotalem numero 6. ff. ſolut. matrim.* Extrà dubium verò eſt, quod in his terminis dona cenſeantur facta Cameræ Papæ, qui tempore conſignationis regnabat ad *Tex. in leg. Titia ſervis ff. de manumiſſ. teſtamen.* prætereà Pauli V. Camera per ejuſdem mortem fuit diſſoluta, quapropter nullum jus acquiri eidem poterat poſt ſui diſſolutionem, *leg. Pater 36. paragrapho Tuſculanus ff. de leg.* 3. atque tandem animadvertere oportet, quod Nuncius, licèt à Paulo V. tranſmiſſus; eodem

tamen

tamen è vivis abrepto, deſiit eſſe ipſius Legatus, & nomen Regnantis Pontificis aſſumpſit, Gloſ. *in capit. 2. verſ. declaramus de offic. legat. in 6.* Hoſtienſ. *in ſumma de offic. legat. numero 6.* quapropter nulla eſt ratio cur Cubicularii Pauli V. prætendere poſſent Xenia donata Legato ſucceſſoris; ut latiùs in *d. deciſ.* Majoris autem diſquiſitionis eſt quæſtio, ſi caſus contingat, quod poſtquam Nuncius ad Cardinales abſentes pervenit, Biretum præſentavit, & munera accepit, ſupremum diem claudat Summus Pontifex, qui Cardinales creavit; antequam verò munera ſint diſtributa inter Cubicularios, novus Succeſſor ſit creatus; In his planè terminis Rocca *diſp. jur. tomo 2. capit. 87.* conſuluit pro Camera Clementis X. quoad Xenia legato data ab Eminentiſſ. D. Cardinali Bugliono creato à Clemente IX. qui biretum detulerat tempore vitæ ejuſdem Clementis IX. ex ea ratione, quod debeat attendi Camera Papæ, quæ eſt tempore diſtributionis Xeniorum, etſi tempore eorum donationis aderat Camera altera, quæ ceſſavit per obitum Papæ Clementis IX. cùmque intentio donatoris ſit non reſpectu ſingularum perſonarum de Camera; ſed totius Cameræ Pontificis per modum Collegii, debet repartiri iis, qui reperiuntur in Collegio tempore repartitionis, nam hujuſmodi Xenia debent deponi, & diſtribui opera Præfecti Cubiculi Papæ; atique id nequit verificari, niſi pro Camera, & Præfecto viventis Pontificis, ſicque deberi fructus maturatos Capituli Canonicis extantibus tempore diſtributionis, juxtà *Conſil. Calderini 21. de præbend. alias 242.* Navar. *conſ. 9. numer. 6. lib. 5. de ſent. excom.* Garz. *de benef. par. 3. cap. 2. numer. 429.* Gonzal. *ad reg. Cancell. gloſs. 37. numer. 26.* Tondut. *lib. 1. quæſt. benef. cap. 68. numer. 16. & ſeq.* Rota *dec. 418. numer. 23. par. 9. tom. 2. & deciſ. 377. numer. 11. par. 12. rec.* quod confirmari poſſet ex pœnis, quæ debentur Officiali tempore incamerationis exiſtentis, non autem Officiali, qui fuerat tempore incurſionis, ſeù declarationis, ut notat Cardinal de Luca *ex Bullis Apoſtolicis Annot. ad diſc. 124. de regalib.* & tandem Rocca ſe fundat in *cit. deciſ.* Coccini. Verùm diſputato præfato caſu à Rocca deducto coram quatuor Cardinalibus deputatis, evenit tranſactio, dividens dicta Xenia inter utramque Cameram ſecretam Pontificis demortui, & viventis, ut ipſe Rocca in fine adnotavit. Tamen contra Roccam in ſimili caſu inſurrexit doctus, & ingenioſus D. Advocatus Pitonus occaſione Xeniorum datorum à Cardinalibus Novaglies, Cohelin, & Granciæ, eveniente ante diſtributionem obitu ſanta memoria Innocentii XII. Creatoris, orta controverſia inter ipſius Cameram ſecretam, & eam Regnantis Pontificis, & pro prima ſcripſit *cit.* Piton. *diſcept. 31. tomo 2.* benèque diſtinxit non eſſe in *caſu deciſionis Coccini*, quia ut dixi, tunc obitus Papæ Clementis IX. Creatoris evenit antequam legatus biretum præſentaverit Cardinali Bugliono, & ſic conſideratus fuit Legatus Clementis X. regnantis, non autem Clementis IX. jam demortui, in quibus terminis procedunt omnia fundamenta ſupra recenſita; ſed in hoc caſu Legatus Innoc. XII. præſentavit biretum, etſi uti Legatus dicti Pontificis; & verè hic non agitur de fructibus alicujus beneficii, vel pœnis, quæ debentur ratione tituli, quem quis habet tempore perceptionis, ſed de puro donativo, quod acquiri debet juxta mentem donantis ad formam ſoliti; mens enim donantis eſt, ut recognoſcatur miſſus ille, ac Camera ſecreta Papæ, quem miſſus repræſentat ob jucundum acceſſum cum bireto rubro, nec attendi debet Creatio, quia nefas eſt pro ea quidquam recipere, vel dare, ut benè innuit *cit. deciſio coram Coccino*, & ratio etiam concurrit, ut in officiis iſtis primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoſcimus recepiſſe, *capit. in officiis de teſtam. ubi Gloſſ.* ait, deberi ex debito anthidotali; dum igitur Camerarius dictæ Cameræ tale incommodum habet, ac munus exercet biretum deferendi, par eſt, ut Camera ipſa Xenia, ubi grati animi monumenta recipiat, prout ſolent dari munera legatis Principis mittentis, ut dixi *tom. 3. ad Conſtitution. 3.* Alexandri III. *ſect. 3. num. 3.* Idcircò dicendum eſt, quòd cùm iſta Xenia dentur Legato ob receptionem jucundam bireti, meritò non attenta Creatoris perſona, attendi debet perſona, quam repreſentat Legatus, ſeù miſſus ille, dum biretum præſentat, & ita audivi fuiſſe reſolutum de jure in d. caſu relato à D. Pitonio ad favorem Cameræ ſecretæ Papæ, qui miſit biretum, & tempore cujus jam biretum receptum fuerat, ac Xenia data, quia tunc actus completus dicitur, ac diſtributio fit quandocumque juxta commoditatem; vel potiùs ob aliquam conniventiam etiam fundatam in reverentia Pontificis Regnantis, poſſunt dividi, ut actum fuit in caſu relato à *cit.* Roccha.

CONSTITUTIO II.

EUGENII IV.

Incipiens (*Diſpoſitione*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

COmprobat capacitatem Congregationis Monachorum de Obſervantia S. Juſtinæ Ordinis Sancti Benedicti, acceptandi, & retinendi quæcumque legata pia, ejus Monaſteriis, & locis facto.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Congregationi Monachorum S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti conceſſum fuit privilegium acquirendi bona.*
2 *Congregationis prædictæ inſtitutio. Remiſſivè.*
3 *Capacitas Religionum acquirendi bona, & retinendi enunciatur. Remiſſivè.*
4 *Quæ Religiones ſint incapaces poſſidendi bona.*
5 *Regulares quatenus ſuccedere valeant hæreditatibus, & fideicommiſſis.*
6 *Quid quoad feuda. Remiſſivè.*

ORdinem ſequendo, quem præſtat Bullarum hujuſmodi collectio, occurrit in præſenti commen- 1
tandum privilegium acquirendi, & poſſidendi ſtabilia Congregationis Monachorum de Obſervantia S. Juſtinæ, Ordinis S. Benedicti ab Eugenio elargitum in præſenti Conſtitutione edita Romæ 3. Idus Novembris annò Incarnationis Dominicæ 1431. priuſquam de ejuſdem Congregationis ortu, & Apoſtolica approbatione mentionem fecerim, quam quidem juxtà operis in- 2
ſtitutum commerabo in ſequenti *Conſtitutione* 5. incip. *Etſi*, de approbatione Congregationis S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti; Verùm cùm præſentem arenam ſæpiùs alibi occupaverim; Conſtitutionibus huic ſimilibus famulando, non eſt, quod mihi ſuperſit ad hujuſce Bullæ illuſtrationem; ne itaque penitùs illibatam prætermittam, promptuarium ſubdam omnium, quæ ad ejuſdem exigentiam diſcerpſim in pluribus Commentariis jam ſupra dixi; Etenim in *Conſtit.* 5. Honorii III. *ſect. 4. tom. 2. pag. 449.* opportunè animadverti nonnullas connumerari poſſe Religiones, quæ paupertatem in communi ex earum Inſtituto non profitentur, adeò ut privilegiis acquirendi, & retinendi in communi non indiguerint; aliæ verò, quæ ex earum regula, vel ex conſtitutionibus neque in communi bona poſſidere poterant, particularibus privilegiis, ut in noſtra Conſtitutione, impetratis, ſtabilium poſſeſſione in com-

gruni

Digitized by Google

muni potitæ fuerunt ; ſed omnem Regularium Ordi-
num, quoad hoc, diſtinctionem ſuſtulit *Sac. Conci-
lium Tridentinum cap. 3. ſeſſ. 25. de Regul.* dum ſta-
tuit, omnia Monaſteria, & Domus tàm Virorum,
quàm Mulierum, etiam Mendicantium, exceptis Do-
mibus Fratrum S. Franciſci Capuccinorum, & eorum,
qui Minorum de Obſervantia vocantur, ut deinceps
bona immobilia poſſidere valeant ; ex quo ſanè Con-
ciliari decreto noſtris temporibus Religiones omnes e-
tiam Mendicantium bona acquirere, & in communi
4 poſſidere poſſunt, Capuccinis, & Minoribus de Ob-
ſervantia exceptis, qui altiſſimam paupertatem, juxtà
literalem S. Franciſci Regulam obſervant, ut latiùs
dixi in *Conſtit.* 5. Honorii III. *ſect.* 4. Aliquæ tamen
Religiones quicumque juri ex allegato Concilio Tri-
dentino provenienti renunciarunt, adeòquod incapa-
ces evaſerunt poſſidendi etiam in communi ; inde ve-
rò deduci nequit, quod inhabiles etiam ſint acquiren-
di ſtabilia ad effectum vendendi, ut de Religione So-
cietatis Jeſu, Carmelitis diſcalceatis Congregationis
Hiſpaniæ, & Theatinis ſupra notavi ad *Conſt.* 4. In-
nocent. IV. *ſect.* 1. *num.* 4. *cum ſeq. & in Conſtit.* 1.
Clem. IV. *ſect.* 1. *num.* 2. *cum ſeqq.* Profectò autem
ex hujuſmodi capacitate poſſidendi ſtabilia in commu-
5 ni, vel ſaltem acquirendi, ibidem pro certo affirma-
vimus jus Monaſteriorum ſuccedendi in hæreditatibus,
aliiſque obvenientibus Profeſſis ; adeòut gravatus etiam
reſtituere hæreditatem ſub conditione, *ſi abſque filiis
deceſſerit*, faciat deficere ſubſtitutionem ſi Religionem
ingrediatur, atque ideò excluſo ſubſtituto Monaſte-
rium in hæreditate ſuccedit ; latè in *ſect* 2. *ad cit.
Conſtit.* 4. Innoc. 4. *tom.* 3. *pag.* 40. Quinimò Mo-
naſteria ex perſona Profeſſi ſuccedere in fideicommiſſis
agnatitiis, & juribus patronatus gentilitiis, niſi obſtet
tacita, vel expreſſa Teſtatoris voluntas, vel niſi ſuc-
ceſſio verſetur in bonis qualificatis, quorum incapax
ſit Monaſterium, ex propoſito diſceptavi ad *Conſtit.*
1. Clem. IV. *ſect.* 1. *tom.* 3. *pag.* 359. In feudis nam-
6 que laicalibus, neque Regulares, neque ex ipſis Mo-
naſteria ſuccedere poſſunt, in quibus ſervitium incom-
patibile eſt cum ſtatu Religioſo, ut dixi ad *Conſt. uni-
cam* Callixti II. *ſect.* 3. *num.* 1. *cum ſeq. tom.* 1. *pag.*
439. Quibus ſanè controverſiis enixè alibi elucidatis,
undequaque illuſtrata remanet præſens Conſtitutio, qua
jus acquirendi, & poſſidendi bona in communi Mona-
chis S. Juſtinæ affirmatur.

CONSTITUTIO III.

EUGENII IV.

incipiens (*Romani*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

Regulam Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo reformat, & mitigat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Conſtitutio hæc quo anno edita fuit.*
2 *Annus in Bullis Apoſtolicis computatur à die Incarnationis.*
3 *Carmelitarum Inſtitutio, progreſſus, & mitigatio regulæ indicantur.*
4 *Eugenius IV. hanc Conſtitutionem edidit pro illius mitigatione.*
5 *Carmelitæ alii regulam mitigatam ſervant, alii primævam, ubi de Carmelitis diſcalceatis Sanctæ Thereſiæ.*
6 *Reiiciuntur detractores ſervantium mitigatam Regulam Carmelitarum.*

STatim è veſtibulo hujus Commentarii, enodan-
dum occurrit, quomodo iſthæc Conſtitutio, pro 1
mitigatione Regulæ Fratrum B. Mariæ de Monte Car-
melo, ab Eugenio edita ſit die 15. Februarii 1431. ut
in ejuſdem data, quo quidem die idem Pontifex nec
Apoſtolicam Cathedram conſcenderat, quinimò nec
Martinus Prædeceſſor vita functus erat ; utpotè qui o-
biit 21. Februarii 1431. & Eugenius electus fuit die 11.
menſis Martii ſubſequentis, ex Ciaccon. Et planè, ſi
annum ſumamus juxta communem ſupputationem à
Circumciſione D. N. J. C. die nempè prima Januarii,
ajendum eſt, nequaquam de anno 1431. ſed certè an-
no 1432 noſtram Conſtitutionem editam fuiſſe ; Et-
enim animadvertendum ſummoperè eſt, Eugenium ab 2
Incarnatione Dominica annum computaſſe, a die nem-
pè 25. Martii ; quapropter menſis Februarius in præ-
ſenti Bulla expreſſus, juxtà noſtram ſubductionem ſe-
cundus eſt anni 1432. Si verò cùm Eugenio initium
anni ab Incarnatione deducimus, pro extremo menſe
anni 1631. accipiendus eſt : jam enim dixi, quod in
Conſtitutionibus Apoſtolicis mos eſt, ut annus inſcri-
batur à die Incarnationis, ut plenè retuli *tom.* 1. §.
proæm. 3. *numer.* 3. Ad rem autem deſcendendo, cùm 3
ad tempora uſque Eugenii IV. Ordinis B. Mariæ de
Monte Carmelo Sodales inſtitutum obſervaſſent editum
ab Alberto Patriarca Jeroſolymitano, quod Apoſtolico
munimine confirmavit Honorius III. ut dixi in ejuſdem
Conſtitutione 8. de hujus Ordinis origine, & primæ-
va inſtitutione, atque declaravit, & iterum approba-
vit Innocentius IV. in *Conſtit.* 6. ut ibi latiùs inemi-
ni ; Cùm inquam, per duorum ſæculorum decurſum
eremiticam, & arctiſſimam vivendi formam Fratres
Carmelitani peregiſſent ; ſuccedentibus temporibus
plures, aſperitatem Regulæ pertimeſcentes, ab in-
greſſu ejuſdem Ordinis retrahebantur ; Regulares ve-
rò profeſſi diſpendium ſuæ ſalutis non infrequenter
incurrebant, ſivè ex debilitate, & corporum fragili-
tate, quæ, mundo ſeneſcente, de die in diem utplu-
rimum invaleſcit, quapropter Magiſter Generalis, ac
Provinciales clauſtrales Priores, univerſique Fratres
Carmelitani ſupplices porrexerunt preces Eugenio Sum-
mo Pontifici, ut Apoſtolica providentia conſulere di-
gnaretur indemnitati hujus Ordinis penè collabentis,
opportunè mitigando, & reformando regulam ab Al-
berto Patriarcha traditam, & ab Innocentio confir-
matam, potiſſimè in his, quibus Fratribus injungun-
tur jugis in Cellis clauſura, ut ab eſu carnium perpe-
tuò ſe abſtineant, præterquam in adverſæ valetudinis
remedium, quodque ſingulis diebus à Feſto Exaltatio-
nis Sanctæ Crucis, uſque ad Dominicam Reſurrectio-
nis jejunia continuare teneantur, Dominicis diebus
tantùm exceptis.

Eugenius itaque, qui Carmelitarum Ordinem ſpe-
ciali affectu proſequebatur, Apoſtolica benignitate 4
providit, ne hujuſmodi ſacrum germen ſenſim inare-
ſceret, petitis, hac edita Conſtitutione, annuendo,
eamque mitigationem ſucceſſivè Pius II. & Sixtus IV.
iteratò approbarunt, & declararunt, ut infra in ejuſ-
dem Sixti *Conſt.* 11. incip. *Dum attenta* ; Verùm quia
neque Eugenius, nec alii memorati Pontifices verbum
fecerunt, quo præcipiatur hujuſmodi moderationis, &
reformationis obſervantia, ideò Fratribus Carmelitis li-
berum fuit hanc Eugenii mitigationem, vel acceptare,
vel reſpuere ; indeque exorta fuit diviſio Carmelitarum,
qui antiquum Regulæ rigorem ab Innoc. IV. approba-
tum obſervantes, ab aliis Carmelitis, qui Mitigati ap- 5
pellantur juxta noſtram Conſtitutionem, atque Pius II.
& Sixti IV. declaratorias, ut notavimus in *cit. Conſt.*
8. Honorii III. *num.* 6. *tom.* 2. *pag.* 490. *& in cit. Con-
ſtit.* 6. Innoc. IV. *num.* 4. *tom.* 3. *pag.* 60. ac in præ-
ſenti eſt piiſſima Religio Carmelitarum Diſcalceato-
rum S. Thereſiæ, pro quibus ſunt propriæ Conſtitu-
tutiones, Deo dante, ſuo loco recolendæ.

Si qui verò hanc Eugenianam mitigationem adeò
ini-

6 inique aſpiciunt, & inſectantur, ut ex ipſa autument antiquum Carmelitarum ſpiritum nedum mitigatum, ſed pœnitus extinctum, & ſuppreſſum fuiſſe; meritò reprehenduntur, & mordicus increpantur à Lezana *in annal. Carmelit. ad ann.* 1432. *num.* 9. eoſque nonniſi malo in Religionem animo, & invidia ad talia effutiendum moveri pro certo habeo; etenim liquidò conſtat, & poſt hanc Eugenianam Conſtitutionem quamplures ex Carmelitis ſanctitate, doctrina, atque Eccleſiaſticis dignitatibus in Eccleſia claruiſſe quod planè Eugenii gratiæ referendum eſt, qui provida moderatione, ne ferè Ordo extingueretur, conſuluit.

CONSTITUTIO IV.

EUGENII IV.

Incipiens (*Divina*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

PRivilegium concedit Officialibus, in Sedis Apoſtolicæ obſequiis exiſtentibus, ac aliis pro eorum cauſis, & negotiis ad dictam Sedem venientibus, ſeù apud eam commorantibus, aut indè recedentibus, ne interim à quibuſcumque Judicibus extra Romanam Curiam conveniantur, Cenſuris ſubjiciantur, aut Beneficiis priventur.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Curiales Urbis antiquitùs in Urbe conveniri tantùm poterant ex privilegiis Imperatorum.*
2 *Curialibus idem privilegium majori ratione conceſſerunt Romani Pontifices.*
3 *Præſertim Eugenius IV. in Bulla Eugeniana dicta, in qua comprehenduntur Officiales, & Curiales, & alii.*
4 *A. C. eſt Judex deputatus in hujuſmodi cauſis.*
5 *Officiales Papæ qui ſint pro hujuſmodi effectu.*
6 *Eugeniana procedit, ut conveniantur ibi contenti in loco, ubi Papa reſidet, etſi extra Urbem.*
7 *Qui ſint Curiales, qui frui valent hujuſmodi privilegio, ubi etiam de familiaribus Cardinalium, & quibus.*
8 *Debet tamen Curialis eſſe per annum in Curia.*
9 *Quid ſi deinde ad patriam rediret.*
10 *An exiſtens in Curia non exercens munus Curialis, fruatur dicto privilegio.*
11 *Eugeniana comprehendit Clericos, & laicos.*
12 *In quibus ei derogetur à Concilio Tridentino.*
13 *Non habet locum quoad beneficia, & reſidentiam.*
14 *Nec in ſummis modicis, niſi adſit conſenſus partis.*
15 *Eugeniana habet locum in Curiali reo, non actore ſine probatione poſſeſſionis.*
16 *Quid dicendum in Judicio jactationis jactationum.*
17 *Nec habet locum in Curiale nominato ad beneficium contra poſſeſſorem.*
18 *Aut in auctore laudato Curiali.*
19 *Eugeniana non prævalet privilegio* leg. unicæ C. quando Imperator, *& quare.*
20 *Privilegium* leg. Unicæ *quatenus derogatum cenſeatur.*
21 *Quid in privilegio Neapolitanorum, ut Neapoli trahantur, & trahant.*
22 *Eugeniana prodeſt omnibus collitigantibus, ſi unus ſit Curialis.*
23 *Reo Curiali tantùm opponente, Eugeniana intrat, & acta ſunt nulla, quacumque uſu non obſtante.*
24 *In cauſa conteſtata cum auctore Curialis Eugeniana non intrat.*
25 *Eugeniana an intret in Judicio redditionis rationis, & quid in cauſa fiſcali.*
26 *Curialis poteſt renunciare tali privilegio, imò debet illud opponere, ſi frui velit.*
27 *An Eugeniana privilegium habeat locum in gradu appellationis.*
28 *Plures caſus exponuntur, ac reſcripta Signaturæ adducuntur.*

ROmanam Curiam ſequentes, dum ea Urbs caput
Imperii fuerat, totique ferè Orbi in temporalibus 1
dominabatur; meritò proindè ab Imperatoribus privilegiati
extiterunt, ut in ſola Urbe conveniri valerent coram diverſis Magiſtratibus juxta qualitatem Miniſterii, quod ab ipſis exercebatur, diſcretivè ad ſequaces aliarum Curiarum in Provinciis exiſtentium, qui coram quolibet Judice Provinciæ conveniri poterant; Id enim ad favorem Curialium Urbis conſtitutum fuit, ubi Imperatores moram trahebant, ut alacriores, frequentioreſque viri aliarum nationum Aulam adirent, in qua totus Reipublicæ ſtatus conſervatur; iſtudque Privilegium ferè abolitum renovarunt Arcadius, & Honorius Imperatores, fuitque à Juſtiniano inter leges Imperiales collectum, *leg. 1. Cod. de Curialibus Urbis Romæ lib.* 11. ubi *Gloſs.* aliique concordantes *Text.* apud Joannem de Platea *in cit. leg.* 1. Gratian. *diſcept.* 421. *num.* 1. *& ſeq.* Marcheſan. *de Commiſ. Eugen. par.* 2. *cap.* 11. *§. unico num.* 2. *& ſeq.* Cùm igitur Romana Curia à Summis Pontificibus regeretur, itaut quamvis ea Urbs multis aucta victoriis jus Imperii
ſui terra, marique protulerit, minùs tamen ſit quod 2
illi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit, ut benè ſcripſit *D. Leo Papa Serm. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli*; hinc cùm omnium populorum Chriſtianorum Roma teneat regimen, meliori Jure privilegium Curialibus Urbis ab Imperatoribus conceſſum, Officialibus Sedis Apoſtolicæ, iiſque qui Romanam Curiam nunc incolunt, concedi debebat, quia dum uni inſerviunt Capiti, toti Orbi Chriſtiano famulatum præſtare dicuntur. Optima itaque ratione Eugenius noſter
Papa præſentem Conſtitutionem edidit in Urbe apud S. 3
Petrum 8. Idus Martii anno 1432. qua cavetur, ut omnes Officiales Sedis Apoſtolicæ, aliique quicumque, qui pro ſui cauſis, & negotiis in Curia commorantur, ad eamque accedunt, vel indè recedunt, non valeant conveniri coram quocumque Judice extra Romanam Curiam, neque ab eo Cenſuris ſubjici, aut Beneficiis privari, quæ Conſtitutio eſt redacta inter Extravagantes communes in *cap. Divina de privil.* ſed Cherubinus eam poſuit in collectione Bullarum, quia præ manibus ſæpè ſepiùs eſt Curialium, ac per ora eorum volitat, ut notatur in margine ejuſdem Conſtitutionis, cùm ipſorum refugium nuncupetur, ac per antonomaſiam Eugeniana dicta ſit, licèt plures aliàs Conſtitutiones Eugenius promulgaverit, quæque regiſtrata reperitur poſt Ridolph. *in prax.* & agunt cit. DD. & ipſe Ridolph. *par.* 3. *cap.* 4. *n.* 156. *& ſeq.* Cardin. de Luca *diſc.* 3. *num.* 49. *de Judicii, & de Juriſd. diſc.* 73. Fagn. *cap. licet num.* 46. *& ſeq. de for. compet.* & quoad Officiales, quod intelligatur de actu exercentibus, ut hujuſmodi privilegio uti valeant, præſcripſit Leo X. in ejus *Conſt.* 20. incipit *Regimini*, & Paulus V. ut certus Judex hujuſmodi privilegiatis in Curia exiſteret, deputa-
vit ad hoc Auditorem Cameræ, in *Conſt.* 44. *incip. Univerſi* 4
§. de Auditore Cameræ, ac alia refert Ridolph. *cit. num.* 160.

Duas partes continet iſta Conſtitutio, prima enim
privilegiat Officiales Sedis Apoſtolicæ, ut non valeant 5
conveniri extra Curiam, & iſti ſunt Cardinales S. R. E. aliique Officiales Papæ, qui miniſteria erga Sedem Apoſtolicam exercent, ut latè Ridolph. *cit. numer.* 158. *& ſeq.* Marcheſ. *cit. num.* 38. *& ſeq.* Alia pars eſt quoad eos,
qui etſi non ſint Officiales Papæ, tamen in Curia mo- 6

ſantur, vel ad eam accedunt pro eorum cauſis, &
negotiis, ut docent *cit.* Doctores, & parum refert,
quod Papa aliò ſe transferret ad reſidendum, quia Bul-
la non loquitur de Urbe; ſed de Curia Papæ, & ſic
dicto caſu deberent conveniri in loco, ubi Papa Cu-
riam tenet, ex vulgato adagio, ubi Papa, ibi Roma,
ut in terminis Eugenianæ dixerunt, Marcheſ. *cit. num.*
8. & Ridolphin. *cit. num.* 164.

Igitur Curiales omnes ultra Officiales Papæ fruuntur
7 privilegio hujus Eugenianæ, prout ſunt Advocati,
Procuratores, aliique qui in Curia verſantur, & ſer-
vatur in praxi Cherubin. *ad hanc Bullam Schol.* 1. Ri-
dolphin. *cit. numer.* 159. 165. *& ſequ.* aliique addu-
cti, à Mandoſ. *ad regul. Cancel. regul.* 5. *quæſt.* 3. *nu-
mer.* 2. Rota *deciſ.* 149. *par.* 3. *numer.* 2. *lib.* 2. *diverſ.*
Ita fruuntur dicto privilegio familiares Cardinalium,
quia ratione Curiæ in ea degunt, ut proſequitur Ri-
dolphin. *cit.* ubi requiri mentem, & dentem, quod
ſcilicèt actu inſerviant, Ridolph. *cit. numer.* 162. pro-
8 ut alii Curiales, ut quoad Advocatos dixit Rota *dec.*
220. *numer.* 3. *cor. Buratto*, cœteroſque Curiales,
apud Ridolphin. requiritur tamen ut ſaltem per annum
in Curia morentur, ut Pius IV. in ejus *Conſtit.* 56. in-
cip. *Inter multiplices* §. *Præterea*, & Paulus V. *in Con-
ſtitut. cit. Univerſi tit. de Auditore Cameræ* præſcri-
pſerunt, ut Auditor Cameræ non concedat inhibitio-
nem in vim Eugenianæ, niſi ſaltem per annum in Cu-
ria quis habitaverit, Ridolph. *cit. num.* 180. hinc ſi
quis ad Curiam accedat ſtatim reverſurus, quia tunc
divertiſſe non videtur, meritò Eugeniana frui non de-
bet, Fagn. *cit. cap. licet num.* 45. Marcheſan. *cit. num.*
15. quia verè Bulla conſideravit moram in Curia, &
non cauſalem tranſitum; Ita ſi Curialis ad Patriam re-
diret, vel alio ſe transferret, ſi id agat animo redeundi
9 ad Curiam, videtur continuare Curialitatem, ſed ſi
Curiam deſerat animo non redeundi, quod ex conje-
cturis elici poteſt, ſtatim amittit Curialitatem, etſi re-
deat ad Urbem aliquando per tranſitum, ut docet Mar-
cheſan. *de Commiſſ. cit. num.* 16. *&* 25. Fagn. *cit. num.*
45. Gratian. *cit. num.* 74. *&* 75. Ridolphin. *cit. n.* 168.
Rota *deciſ.* 313. *coram Mantica*, *& deciſ.* 9. *num.* 7. *&
ſeq. par.* 5. *recen.* hinc in Signatura Juſtitiæ in una *So-
rana diviſionis*, *Ponente D. Marabottino*, cùm diſpu-
taretur, an privilegium Eugenianæ competeret Joanni
Honuphrio Turio Curiali, qui receſſerat à Curia, &
in Patriam ſe contulerat; quia id egit non animo de-
ſerendi Urbem, in qua erat tempore judicii, etſi non
per annum habitaſſet in hoc ſecundo reditu, diebus 26.
Martii & 4. Junii 1699. fuit reſcriptum, *Reintegrari
inhibitionem vigore Eugenianæ*.

Sed numquid ſi aliquis non exerceat munus Procura-
10 toris, aliaque ad Curiam facientia, frui valeat dicto pri-
vilegio. Et certè, quod non ſufficit pura mora in Urbe,
ut apud Ridolphin. *cit. num.* 156. *& ſeq.* ubi requiri fa-
ctum, & exercuiſſe Curiam, Card. de Luca *diſc.* 73. *de
juriſd. num.* 4. *verſ. tum quia*, Rota *cit. deciſ.* 9. *par.* 5.
rec. Verùm in hac re ſufficit, quod quis ad Curiam ac-
ceſſerit, etiam ratione alicujus cauſæ, vel negotii du-
rante eodem negotio; rurſus quotieſcumque Curialita-
tem exercet, quæ non verſatur tantùm in munere Pro-
curatoris, ſed in quocumque actu Curiæ, quique actus
ferè innumeri ſunt, & licet negotia ampliùs non habeat,
ſatis eſt, ut Curialitatem olim exercitam retineat, ut
benè Rota *cit. deciſ.* 9. *num.* 12. *par.* 5. *recen.* Satiſque
eſt, ut Urbem adeat, ut ibi permanentia neget factu-
rus, & non quidem per tranſitum, aut viſendi cauſa,
& in his terminis etiam adaptatur reſolutio in *cit. Sora-
na*, in qua opponebatur reum non habuiſſe ampliùs ne-
gotia forenſia.

Dubitatum olim etiam fuit de pluribus quoad privi-
11 legium Eugenianæ, & præſertim an comprehendat, ul-
tra laicos, etiam Clericos. Et comprehendere clarum
viſum fuit, quia Bulla hæc procedit verbis indefinitis,
& generalibus, ibi: *quoſcumque alios*, quæ valent com-
prehendere, etiam Clericos; cum non agatur de mate-
ria exorbitanti, etſi ſubiiceretur Judici laico, ſed ſup-
ponuntur alteri Judici Eccleſiaſtico, & quidem in foro
ipſius Romani Pontificis totius Eccleſiæ Catholicæ ca-
pitis, & rurſus pœna privationis Beneficiorum, de qua
loquitur hæc Bulla, nequit applicari, niſi Clericis, &
ſic eos comprehendi dixerunt Fagn. *in cit. cap. licet nu-
mer.* 43. Ridolph. *cit. num.* 184. & ita in praxi ſervatur.
Hæc autem Conſtitutio non fuit revocata à Conc. Trid.
in *cap. Cauſæ omnes* 20. *ſeſſ.* 24. *de ref.* in quo demanda- 12
tur omnes cauſas in prima inſtantia coram locorum Or-
dinariis agitari debere, tum quia à diſpoſitione hujus ca-
pitis exceptæ fuerunt cauſæ, quæ juxta Canonicas ſan-
ctiones in Curia revideri ſolent, tum quia in duobus ca-
ſibus, in quibus privilegio Eugenianæ Concilium dero-
gare voluit, expreſsè dixit eam non obſtare in *cap.* 11.
ſeſſ. 24. *& cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de reform.* ut notat Fagn. *cit.
num.* 49. & in terminis reſolvit Sac. Congr. Conc. in *Tur-
ritana* 23. *Maii* 1626. in qua cenſuit: *Eugeniana non
derogavit S. Conc. Trid. niſi quoad Beneficiatos ratione
beneficiorum*; unde elicitur limitatio, ut quis non valeat
frui Eugeniana quoad cauſas Beneficiorum, quia ſubii- 13
ciuntur in hoc propriis Ordinariis, in quorum Diœce-
ſibus beneficia exiſtunt, Sac. Conc. Trid. *cap.* 11. *ſeſſ.* 24.
de reform. Cherubin. *ante initium hujus Bullæ*, Fagn. *in
cit. cap. licet num.* 48. & alii ſupra adducti; ſi tamen Cu-
rialis habeat exemptionem particularem ob aliud munus,
tunc debet attendi veritas exemptionis iſtius, Ridolph.
cit. num. 184. Fagn. *loc. cit.* ubi an talem exemptionem
quoad beneficia habeant Referendarii, ſeque remittit ad
ea, quæ ſcripſit in *cap. ex parte* 2. *num.* 39. *de privil.* Sed
tunc non conſideratur qualitas Curialitatis, ſed alia. Ita
denegatur privilegium Eugenianæ in cauſis reſpicienti-
bus reſidentiam in beneficiis, quæ eam requirunt, ut
expreſsè dicto privilegio Eugenianæ quoad hoc deroga-
tur in *cit. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de reform.* & dixerunt Fagn. *cit.
num.* 49. Marcheſan. *cit. num.* 60. *& ſeq.*

Hujuſmodi Eugenianum privilegium neque habet lo-
cum, ſi ſumma, in qua verſatur lis non excedat ſcuta 14
50. quæque non dicitur ſumma Curialis, & proindè re-
mittitur cauſa ad partes cognoſcenda; hinc Sac. Congr.
Concilii in *cit. Turritana* 23. *Maii* 1626. etſi cenſuerit,
ut dixi, Eugenianæ non derogaſſe Sac. Conc. Trid. niſi
quoad Beneficiatos ratione Beneficiorum, inclinarunt
tamen PP. ut pro modicis ſummis conveniri debeant Cu-
riales in partibus, ut Sanctiſſimus juſſit, ut A. C. omni-
nò remitteret hujuſmodi cauſas modicæ ſummæ ad par-
tes, ac ita ſervat Signatura juſtitiæ, & præſertim fuit
reſcriptum in *Spoletana* 21. *Aprilis* 1701. *Ponente D.
Marabottino*, & in *Maceraten. pecuniaria* 29. *Aprilis*
1694. *&* 24. *Martii* 1695. *Ponente D. Ceva*. Si verò
adſit conſenſus Partium, cognoſci poteſt in Curia, etiam
in ſumma modica.

Prodeſt itaque Privilegium hoc Curiali reo, non au-
tem actori, quia ſi actor quis ſit, debet convenire reum 15
in illius foro tam in Curia, quàm extra Urbem, Ridol-
phin. *cit. num.* 173. *& ſeq.* Marcheſan. *cit. num.* 10. *& ſeq.
& num.* 28. Fagn. *cit. num.* 46. Cherubin. *ad hanc Bullam
ſchol.* 2. proindè privilegium hoc procedit paſſivè, & non
activè, Rota *deciſ.* 716. *par.* 4. *diverſ. & in Mediolan.
bonorum* 28. *Martii*, *&* 15. *Decembris* 1594. *deciſ.* 65.
& 93. *coram Millino*, & apud Marcheſan. §. *unic. deciſ.*
1. *&* 2. non tamen debet probare profeſſionem, quotieſ-
cumque uti reus convenitur, Ridolphin. *cit. num.* 173.
Marcheſ. *cit. num.* 28. tuncque ſolùm probare debet pro-
feſſionem Curialis, ut fruatur Eugeniana, ſi ipſe inten- 16
taverit judicium in vim *leg. diffamari C. de ingen. & ma-
numiſſ.* jactationis nempè jactationum, quia in hoc caſu
dicitur verus reus, qualis non diceretur, ſi non probaret
poſſeſſionem, nec poſſet proinde juvari Eugeniana, Ri-
dolph. *cit. num.* 173. Marcheſ. *cit. num.* 10. Card. de Lu-
ca *de juriſd. diſc.* 93. *num.* 7. *& ſeq. & in citatis deciſioni-
bus cor. Millino*. Tunc enim dicitur reus voluntarius, ſi
ſit poſſeſſor, aliàs eſt ſimplex actor, ut diſtinguit Cardi-
nalis de Luca *diſc.* 62. *num.* 5. *de Juriſd. & diſcorſ.* 2. *nu-
mer.* 3. *de judiciis*. Sed ſi agatur de actu negativo, &
Curialis perturbetur à volente aliquid ab eo exigere,
tunc Curialis nequit probare negativam, & refunditur
onus alteri parti, & proindè benè poterit ſe juvare Eu-
geniana, ut prætendente Epiſcopo Cariaten. exigere De-
cimam

cimam ab animalibus Reverendiſs. D. Caraccioli tunc
Curiam ſequentis, & in præſenti meritiſſimi Nuncii
Apoſtolici apud Helvetios, iſte ſe fundans in liberta-
te naturali non ſolvendi, expedivit monitorium vi-
gore Eugenianæ jact. jact. & Signatura Juſtitiæ illud
canonizavit in *Cariaten.* 21. *Martii* 1697. *Ponente
Eminentiſſimo*, *tunc Prælato*, *Cardinali Priolo*. Si ta-
17 men quis fuiſſet tantùm nominatus ad aliquod Benefi-
cium, quia non dicitur poſſeſſor, nequit juvari Euge-
niana, hinc Signatura remiſit cauſam ad partes, non
obſtante monitorio in vim Eugenianæ obtento contra
poſſeſſorem Beneficii, in *Militen.* 5. *Aprilis* 1696.
Ponente D. Paſſerino, prout neque habet locum Eu-
geniana, ſi Curialis fuerit auctor laudatus, quia quod-
18 cumque privilegium non ſuffragatur pro auctore lauda-
to, qui tenetur defendere reum laudantem in hujus
foro, ut latè proſequitur *cit.* Marcheſan. *num.* 26.
Fuit quoque dubitatum, an tale privilegium Euge-
19 nianæ prævaleat alteri provenienti ex *leg. unica Cod.
quando Imperator*, *&c.* & Gratianus *cit. diſcept.* 421.
ubi de Luca, acriter tuetur prævalere privilegium Eu-
genianæ, quia etiam iſtud provenit ex jure Civili, &
ſic dicitur clauſum in corpore juris; Verùm contra-
rium docent Marcheſan. *cit. num.* 25. Ridolph. *citat.
num.* 179. Fagnan. *cit. num.* 50. Card. de Luca *diſc.*
106. *num.* 14. *&* 15. *de Juriſd.* ex ea ratione, quia
privilegium præfatæ *leg. unica* eſt clauſum in corpore
juris, & iſtud Eugenianæ non derogat privilegiis ex-
preſſis in corpore juris, & verè non eſt recedendum ab
hac communiori opinione negativa, ut fatetur ipſe
Card. de Luca *diſc.* 73. *num.* 4. *&* 5. *de juriſd.* nam
urget juxtà meum ſenſum alia ratio efficacior, quia
etſi verè Eugenius ipſe dixerat, privilegium hoc Cu-
rialium etiam à nonnullis Prædeceſſorum Romanorum
Pontificum fuiſſe conceſſum, & inſertum inter Extra-
vagantes, imò jure civili videtur illud cautum Curia-
libus Urbis, ut dixi; tamen certum eſt debere præ-
valere illi privilegium *leg. unica*, quia hoc eſt ad fa-
vorem miſerabilium perſonarum, ut trahere, & non
trahi debeant, & ſic major in his eſt ratio ſpecialita-
tis, quia urget major cauſa miſerabilitatis, & debili-
20 tatis eſtque magis genericum, & univerſale, etſic
numquam derogatum cenſeatur ſub quibuſvis clauſulis,
niſi expreſſa derogatione id fiat, Franch. *deciſ.* 192.
num. 3. Capycius Latro *deciſ.* 68. *n.* 7. *lib.* 1. Gratian.
diſcept. 182. *num.* 12. vel quatenus conſtaret clarè de
mente Principis concedentis aliud privilegium, Petra
Genitor *ad Rit. Magnæ Curiæ Vicariæ to.* 4. *Ritu* 301.
21 *num.* 37. ubi tamen derogari ex privilegio conceſſo
Neapolitanis, ut trahant, & non trahantur à foro Nea-
politano, ubi plura ad rem addit; Hinc pro privilegió
leg. unica contra Eugenianam ſervat praxis, & Signatura
Juſtitiæ, ut uſque à ſui tempore ſcripſit Marcheſ. *cit.
num.* 25. *& in Camarinen.* 24. *Septembris* 1699. Po-
nent D. Lonio, in qua remiſſa fuit cauſa ad partes
vigore *leg. unica* non obſtante Eugeniana.
Si verò in cauſa ſit Curialis, privilegium Eugenia-
22 næ prodeſt omnibus collitigantibus, cùm privilegiatus
trahat non privilegiatos, dummodò non concurrat po-
tentius privilegium, & in termino Eugenianæ reſol-
vit Signatura Juſtitiæ apud Marcheſ. *cit. num.* 31. Ri-
dolphin. *cit. num.* 171. *&* 172. & geſta in partibus ſunt
nulla, ſi verè inter Ægidiana reo opponente eam, quia
iſta continet decretum irritans, fuitque emanata ad
23 favorem totius Curiæ, nec proinde aliquo uſu contra-
rio vel deſuetudine poteſt abrogari Ridolphin. *cit. num.*
188. *& ſeqn.* Si tamen fuiſset lis conteſtata antequam
24 Curialis obtinuiſset privilegium Curialitatis, tunc Eu-
geniana non prodeſt, prout ſi fuiſset legitimè conteſta-
ta cum auctore Curialis, qui ſuccedit, Ridolphin. *cit.
num.* 87.
Si verò ageretur de judicio redditionis rationis in
25 partibus geſtæ adminiſtrationis, tunc ad partes remit-
tenda eſt cauſa, non obſtante Eugeniana, prout in ter-
minis *leg. unic. cit.* practicatur, ut ad rem Eugenianæ
dixit Card. de Luca *diſc.* 73. *num.* 4. *&* 5. *de Juriſd.* ubi
refert reſcriptum Signaturæ Juſtitiæ pro remiſſione cau-
ſæ ad partes. Sed quid dicendum ſi agatur de cauſa fiſca-
li, & Cardinalis de Luca *diſc.* 106. *eod. tit.* conatur tue-
ri, quod prævalebat Privilegium Eugenianæ contra per-
ſonam, cui communicata erat à Papa privilegiata forma
fiſcalis Judicii quoad certa bona recepta à Camera per
tranſactionem, nam etſi fiſcus ſit privilegiatus, ut tra-
hat, & non trahatur, tamen id facere poteſt, ut Curia-
lis debeat litigare coram Judice Fiſcali Curiæ, non ut
extra Curiam id fiat, ſi nolit, ſed cauſa pendens in Si-
gnatura fuit ſopita tranſactione; Verùm non mihi arri-
det ratio *cit.* Card. de Luca; quia fiſci privilegium eſt in
corpore Juris, & omnium potentius, & ſic numquam
cenſetur derogatum, unde quoad ipſum Eugeniana, ac
ſi non eſset, debet conſiderari, & verè ipſe Card. de Lu-
ca fatetur *num.* 20. *&* 21. ſuo clienti Eugenianam implo-
ranti, non favere, cùm enim cauſæ fiſcales tot privilegiis
fruantur, quomodo pati debent jacturam, quàm maxi-
mam cenſent DD. ut extra proprium locum fiſcus traha-
tur, nam etſi idem fiſcus ſit ejuſdem Principis unicaque
burſa, tamen id eſt reſpectu ſui, non autem reſpectu
Miniſtrorum diverſa adminiſtrantium.
Ad rem quoque dubitari poſset, an Curialis valeat
privilegio Eugenianæ renunciare. Et videtur non poſse, 26
quia ut dixi eſt privilegium datum in utilitatem totius Cu-
riæ; Sed contrarium eſt verius, & ſervatur, quia Curia-
lis debet opponere tale privilegium, aliàs acta valent co-
ram Judice de partibus, imò præſtito conſenſu tacito
vel expreſso, nequit cauſa avocari ab illo, imò ſufficit,
quod Procurator præſtiterit conſenſum in partibus, etſi
non haberet mandatum ſpeciale, ſufficitque generale cum
clauſula libera, *&c.* ut latè Fagnan. *cit. cap. licet n.* 2. *&
ſequ.* Marcheſ. *cit. num.* 20. *& ſeq.* ubi ita reſolutum in
Signatura Juſtitiæ refert; quia etſi fuerat latum pro Cu-
ria, tamen competit ſingulis uti ſingulis, & expedire
poterit, ut potius in ejus patria, & coram nativo Judice
quis conveniatur.
Ulterius inquiri opportunè valet, an privilegium Eu-
genianæ habeat locum in gradu appellationis, ut ſi la-
ta eſset ſententia in partibus. Et certè quod plures ca-
ſus debent diſtingui; Suppoſito enim quod originaria
lis ſit contra Curialem reum, quia ad favorem rei tan-
tùm eſt Eugeniana, ut dixi; ſi ſententia ſit ad favo-
rem actoris contra Curialem, ſine dubio eſt quod Cu-
rialis appellans poteſt recurrere ad Curiam relicto me-
dio, ſi adfuerit Metropolitanus, ut paſſim ex ſtylo Cu-
riæ admittitur, & aliàs dicemus; ſed ſi ſententia fue-
rit ad favorem Curialis, & pars actrix velit Judicem
appellationis in partibus, tunc poterit dici, nequire
Curialem, vigore Eugenianæ prætendere, ut cauſa
cognoſcatur in Curia, tum quia ipſe conſentit, ut in
prima inſtantia cognoſceretur in partibus, tum etiam
quia electio eſt appellantis. Verùm in utroque caſu 27
poteſt Curialis avocare cauſam ad Curiam vigore Eu-
genianæ, quia Curiales cùm habeant dictum privile-
gium, ut nequeant inviti conveniri, niſi in Curia, nul-
libi reperitur limitatio ſcripta, ut id procedat in pri-
ma tantùm inſtantia, cùm verba Bullæ ſint indefini-
tè concepta, ut contra Curiales procedi non poſſit per
Judices de partibus, & ſic comprehendunt quoſcum-
que Judices tàm primæ, quàm ſecundæ inſtantiæ, &
re vera talis limitatio eſſet contra Romanæ Curiæ u-
tilitatem, & rationem, ob quam privilegium ema-
navit, ne ſcilicet Curiales alibi ad litigandum trahen-
do, divertantur à Curia Romana, & Sedis Apoſto-
licæ obſequio; Satis etenim conſtat non minùs di-
vertere à Curia Romana lites in ſecunda inſtantia,
vel alia ulteriori inſtantia, quàm in prima, ut patet,
& cùm comprehendatur ſub privilegio prima inſtan-
tia, quæ ex neceſſitate Juris ſcripti, & Sac. Concilii
Trident. fieri debet in partibus coram Ordinario, faci-
liori ratione debet comprehendi ſecunda inſtantia, quæ
non habet legem ſcriptam in contrarium; Nec obſtat,
quod Curialis coſenſerit in prima inſtantia in partibus,
quia conſenſus nequit egredi perſonam primi Judicis,
& primæ inſtantiæ; & electio eſt quidem appellantis, ni-
ſi appellatus ſit privilegiatus, ne poſſit trahi niſi coram
certo Judice, ut eſt Curialis, & ita reſolutum per Signaturã

Juſtitiæ refert Marchesan. *de commiſ. cit. ſuper Eugeniana d. par. 2. num. 31. ad 33. pag. 469.* ubi poſtquam Curialis ſuccubuiſſet in partibus obtinuit committi cauſam in Rota, contradicente parte volente eam in partibus, & reſolvit etiam Signatura in *Lunen. Sarzanen. Cenſus 6. Julii 1673. Ponente D. Muto*, & licèt diebus 22. Auguſti 1675. & 26. Septembris d. anni fuerit receſſum, & remiſſa cauſa ad partes, id evenit, quia plura concurrebant, tum quia bona poſſidebantur à Fratre Curialis in vim donationis communis Patris, etſi prius Curialis, tum quia jam lis incæpta erat cum Patre in partibus, qui deindè obiit, & ſic in dicto caſu non intrat Eugeniana, ut ſupra dixi.

CONSTITUTIO V.

EUGENII IV.

incipiens (*Regularem*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

Congregationem Monachorum de Obſervantia Sanctæ Juſtinæ Ordinis S. Benedicti approbat, & confirmat, eique Conſtitutiones nonnullas præfigit.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Inſtitutio Congregationis S. Juſtinæ Ordinis Sancti Benedicti recenſetur.*
2 *Vivit ſub obſervantia, ac approbata præſertim fuit ab Eugenio IV.*
3 *Plura ſunt illius Monaſteria.*
4 *Ejus caput declaratum fuit Monaſterium Caſſinenſe, inde Congregatio etiam Caſſinenſis dicta.*

Congregationi Sanctæ Juſtinæ Ordinis S. Benedi-
1 cti nomen dedit Monaſterium Patavii ſub protectione Sanctæ ejuſdem Urbis Alumnæ ſuſcitatum, in quo primùm Ludovicus Barbus nobilis Venetus ejuſdem primordia jecit; Hic enim de Canonico Sancti Georgii in Alga Venetiarum Sanctioris vitæ affectu, factus Monachus Benedictinus, cùm irritum ſuum conatum perſpiceret, ex quo Monachi Benedictini his temporibus viam Patrum ſuorum reliquerant; ſtatim ſibi in animum induxit Sanctiſſimi Patriarchæ inſtituta ſaltem privato ſtudio imitari; Et quidem Deus, qui bonæ menti ſuccurrit! non modò ut ſibi proficeret, ſed quòd aliis viam perfectionem aperiret, temporis opportunitatem Ludovico fecit; Anno enim noſtræ reparatæ ſalutis 1408. Abbas S. Juſtinæ Monaſterii Patavini à Gregorio XII. creatus, flagranti ſui ſpiritus zelo auctoritatem conciliavit ab obſervantiam Re-
2 gulæ Sancti Benedicti reſtituendam, juxta ejuſdem litteræ puritatem, ut tandem opere aſſiduo, & ſermone deſideratam reformationem obtinuit, de qua meritò Arnoldus Vvion *de Ligno Vitæ part. 2. lib. 5. cap. 6.* ſcripſit: *Hæc eſt illa reformatio, quæ conſiderata charitate Dei, voluntatem propriam in manus aliorum relinquit; pro vanitate, & ſuperbia Mundi aſſumit paupertatem, & objectionem, pro intemperantia continentiam diligit, & puritatem. Hæc eſt illa fax, quæ de rogo Sancti Spiritus iterum accenſa pro fragilitate calorem, pro tenebris lucem aſſumpſit. Hæc divinum Officium in Cœnobiis diu neglectum ex integro reſtituit, & inſipientes illuminat, mores Sanctos inſtruit, pacem amat, concordiam diligit, conſervat charitatem; & breviter unumquemque juxta diſpoſitionem, & capacitatem ſenſus ſui in Viam ſalutis, & æternæ felicitatis dirigit:* Nil mirum itaque, ſi hæc Congregatio ſtatim à Summis Pontificibus benigno affectu fuerit complexa, & potiſſimè à Martino V. & Eugenio IV. in præſenti Conſtitutione edita Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1433. non Kal. Decembris. Quantociùs verò Regularis vitæ profectum virtutumque fragantiam ne dum Patavii, ſed in univerſam Italiæ Regionem hæc Congregatio diffudit, inde educere libeat, ex quo ſtatim à ſuo primordio quamplura Monaſteria, eaque magni nominis reformanda, &
informanda fuerunt à Sede Apoſtolica eidem conceſ- 3
ſa, inter quæ Cœnobium Patriarchalis Eccleſiæ Sancti Pauli extrà Urbem, ut memorat Arnold. Vvion. *loc. cit.* Profectò autem Julius II. non dubitavit, quin Regularis diſciplinæ decore Monaſterium Caſſinenſe refulgeret, ut decet totius Ordinis Benedictini Archicœnobium, ſi Patavinæ Congregationi uniretur, ejuſque ſanctis inſtitutis informaretur, ut Apoſtolica auctoritate univit, & incorporavit; voluit tamen
Summus Pontifex, ut propter Monaſterii ejuſdem præ- 4
eminentiam, deinceps Caſſinenſis Congregatio, aliàs Sanctæ Juſtinæ nuncuparetur, in ejuſdem *Conſt. 1. incip. ſuper Cathedram*. Prout latiùs hæc aliæque hujus Congregationis prærogativæ recenſentur ab Arnoldo Vvion. *de Ligno Vitæ part. 2. lib. 5. cap. 6.* Marull. *in Ocean. Relig. lib. 1. pag. 84.* Tamburin. *de Jur. Abbat. num. 2. diſp. 24. quæſt. 5. num. 54.* Barboſa *de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 41. num. 74.*

CONSTITUTIO VI.

EUGENII IV.

Incipiens (*Excellentiſſimum*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

Indulgentias in Feſtivitate Sanctiſs. Corporis Chriſti à Prædeceſſoribus conceſſas, confirmat, & auget.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Indulgentiæ plures conceſſæ in Feſtivitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti à Pluribus Pontificibus.*
2 *Eugenius IV. eas confirmavit, & adauxit in hac Conſtitutione.*
3 *Congregatio Monachorum, & Monialium Sanctiſſimi Corporis Chriſti enunciantur, ac Confraternitates.*
4 *Indulgentiæ liberaliter conceſſa hujuſmodi Confraternitatibus à Romanis Pontificibus, ac comitantibus Viaticum Infirmis.*

Ut immenſi illius beneficii, quo divina largitas
voluit nos fieri participes Corporis, & Sanguinis 1
Dominici in Sacramento Altaris, ſpecialis in nobis confoveretur memoria, primùm Urbanum IV. piè ſtatuiſſe celeberrimam Corporis Chriſti ſolemnitatem, in Eccleſia recolendam feria quinta poſt octavam Pentecoſtes, recenſui ad ejuſdem *Conſt. 1. tom. 3. pagin. 294.* quò verò avidiùs, & copioſiùs fideles convenirent ad tanti feſti ſolemnitatem, idem Pontifex ſpiritualia ſtipendia intereſſentibus divinis eſt elargitus, videlicèt omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui matutinali officio feſti

Digitized by Google

feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua hujuſmodi ageretur officium, centum; qui verò Miſſæ, totidem; qui autem in primis ejuſdem feſtis Veſperis intereſſent, ſimiliter centum; qui verò in ſecundis, totidem; eis verò, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Completorii Officiis adeſſent, pro qualibet ipſarum horarum, quadraginta; illis autem, qui per octavas illius feſti matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis intereſſent, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus de injunctis pœnitentiis relaxavit: Neque tamen, ut pius Inſtitutor vehementer exoptavit hujuſce feſti obſervantia ſe diffudit, quæ patet Chriſtianus Orbis, adeòquod Clemens V. in Concilio Vienneñſi eamdem Urbani Conſtitutionem innovavit, & ab omnibus Chriſti fidelibus obſervari diſtrictè juſſit in *Clem. ſi dominum de reliq. & vener. Sanctor.* ibique notat *Gloſs. in princ.* Cœterum Martinus V. ut honorificentiùs tantæ ſalutaris Inſtitutionis memoria quotannis recoleretur, pleraque privilegia eidem adjecit, potiſſimè ut Interdictum ea die in omnibus Eccleſiis ceſſaret, indulgentias quoque à Prædeceſſoribus conceſſas auxit, locupletavitque, ſingulis nempè verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel aliud pium opus de conſilio ſpiritualis medici fecerint, centum; & qui in Eccleſiis divinis Officiis interfuerint, pro matutinali ducentos, & pro Miſſæ Officiis totidem, ac pro Veſperis etiam ducentos; pro Primæ verò, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii horis, octuaginta; rurſus in quibuslibet octavarum diebus pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum ſimiliter centum, necnon reliquarum horarum quadraginta; illis præterea, qui proceſſiones, in quibus vivificum Sacramentum dicto feſto ſecuti fuerint, centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxavit, prout latiùs in ejuſdem Martini Conſtitutione. Hæc autem remiſſiones non ſatis-
2 fecerunt Eugenio IV. qui religioſo inflammatus ſtudio augendæ pietatis, & feſtivæ venerationis erga excellentiſſimum Corporis, & Sanguinis Chriſti Sacramentum, propoſita confirmatione Conſtitutionum Urbani IV. & Martini V. Indulgentias, & remiſſiones à Prædeceſſoribus conceſſas reduplicavit, edita ea de re præſenti Conſtitutione Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1433. ſeptimo Kal. Junii; Jure itaque notavit *Cherubin. ad præſentem Conſtit. Schol.* 1. hujuſmodi Conſtitutionem intelligendam eſſe ad terminos conceſſionum, quas edidit Urbanus IV. & Martinus V. adeòut novam ſpeciem remiſſionum non inducat, ſed tantùm indulgentias aliàs conceſſas reduplicet.

Profectò autem ad majorem ſalutiferi hujus Sacra-
3 menti venerationem olim inſtitutam fuiſſe memoravimus Congregationem Monachorum Corporis Chriſti, quorum Sodales nominabantur Monachi albi Corporis Chriſti in *cit. Conſtit.* 1. *Urbani IV. num.* 11. & etiam Moniales ſunt, qui continuò adorationi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ per turnum incumbunt. Ad id quoque erecta fuit Confraternitas in Urbe ſub invocatione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, approbata à ſanta memoria Paulo III. quam planè ſedulo commendavit Innocentius XII. ut in qualibet Parochia inſtitueretur in
4 *lib.* ejuſdem juſſu *edit.* ſub titulo, *Regole, ed inſtruzioni, che ſi devono oſſervare nell accompagnamento del Santiſſimo Viatico*; Hujus quidem Confraternitatis Sodales, ut totis viribus ſe addicerent Sanctiſſimi Sacramenti obſequio, munificè ſpiritualibus donis à Summis Pontificibus ditati fuerunt, & potiſſimè à Paulo V. in ejuſdem Brevi *ſub datum* 3. *Novembris* 1606. declarato *à Congregatione Indulgentiarum die* 15. *Februarii* 1608. quas Indulgentias per extenſum recenſet Reverendiſs. Barugius Epiſcopus Urbaniæ *in directorio Paſtorali ad Dominic. Sanctiſſimæ Trinitatis*; In propoſito verò noſtræ Conſtitutionis prætereundum non eſt, quod iidem Confratres pleniſſimam quoque peccatorum remiſſionem conſequuntur, qui Sacra Synaxi refecti in feſtivitate Corporis Chriſti piè ſe exercent; Tandem, ut paucis me expediam, ex Bullarum lectione perſpexi hanc enixam ſemper fuiſſe Summorum Pontificum voluntatem, quod incomparabile beneficium, quod nobis impertit Deus in Sacramento Altaris; ſi pari nequeat retributione compenſari, majori ſaltem, quæ adhiberi poteſt, veneratione celebretur, atque colatur, ut multa proferre poſſem teſtimonia; Nunc verò obviæ mihi ſunt ejuſdem gl. m. Innocentii XII. piiſſimæ, æeque providentiſſimæ inſtructiones, quas ſervari juſſit, cùm magnum hoc Sacramentum ab Eccleſia ad privatas Ægrotorum domos defertur, ut quoties honorificè, ut par eſt veneretur ineffabilis Dei miſericordia, qua in Sacramento Altaris Viaticum ſe præbet ex hoc Mundo tranſeuntibus, allectis de more Chriſtifidelibus Spiritualibus remiſſionibus, prout latiùs apud Reverendiſſimum Epiſcopum Cœſenatenſem Jo: Fontanam *in opere, il Veſcovo in Viſita part.* 2. *cap.* 1. §. 2. *cum ſeqq.* & de aliis ad hujuſmodi Indulgentias Confraternitatum Sanctiſſimi Sacramenti, ac aliàs conceſſas à Summis Pontificibus iis, qui interveniunt orationi quadraginta horarum circularium pro toto anno in Urbe, alibi dicam.

CONSTITUTIO VII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Cum deteſtabile.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei memoriam.

INnovat, ac auget pœnas contra Simoniacos, itaut ſic ordinati, à ſuis ordinibus ſint ſuſpenſi, & quod beneficia obtinentibus cum tali labe tàm per electionis modum, quàm proviſionem, eis nullatenus acquirantur, nec faciant fructos ſuos, ac dantes, vel recipientes, necnon mediatores excommunicationem incurrant Romano Pontifici reſervatam, ac quilibet revelare hujuſmodi delinquentes non omittat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Simoniam quatenus totis viribus eradicari curarunt Romani Pontifices.*
2 *Eugenius edidit pro ea eliminanda hanc Conſtitutionem.*
3 *Simonia duxit originem, & denominatur à Simone mago.*
4 *Ejus hiſtoria, & damnatio recenſetur.*
5 *Simonia an fuerit in lege antiqua.*
6 *Simoniaci dicti, qui hujuſmodi crimen committunt.*
7 *Varia nomina Simoniæ quæ ſint.*
8 *An dici Valeat hereſis?*
9 *Simoniæ definitio aſſignatur, & qua ratione licita non eſt.*
10 *Simonia triplex eſt, mentalis, conventionalis, & realis.*
11 *Simonia Jure Divino prohibita, & in quibus actibus conſiſtat, quorum plures adducuntur.*
12 *Simoniaci actus Jure Eccleſiaſtico inducti, qui ſint.*
13 *Simoniaca aliqua ſunt uti talia, alia quia uti Simoniaca ab Eccleſia fuere prohibita, & quæ ea ſint.*
14 *Simonia vera, & Jure Divino cadit in Ordinibus.*
15 *Pœnæ contra ſimoniacè ordinatos vigent non obſtante Conſtitutione Clementis VIII. reducentis*

ad Jus pœnas contra malè Ordinatos inductas à Sixto V.
16 *Simonia vera eſt quoad beneficia habentia poteſtatem clavium, vel ordinis executionem.*
17 *Quid dicendum in beneficiis, & Canonicatibus ea non habentibus.*
An ſaltem detur ſimonia vera quoad titulum, non verò quoad fructus, qui dicuntur ſeparabiles. Ibid.
18 *Non eſt verum aſſertum, quod in Curia Romana non conſideratur ſimonia.*
19 *Inferior Papa nequit auctorizare pactum ſimoniacum Jure Eccleſiaſtico.*
20 *Papa non auctorizat pacta ſimoniaca Jure Divino.*
21 *An ſimonia cadat in Capellaniis, Hoſpitalibus, & legatis piis non erectis auctoritate Eccleſiaſtica, quæ non ſunt beneficia, latè diſputatur.*
Quid dicendum de officiis Cuſtodis Sacriſtæ, &c. Ib.
22 *Adducuntur plures reſolutiones Sac. Congr. Concilii, quæ non ſolet approbare pacta circa hujuſmodi Capellanias, etſi non Beneficia Eccleſiaſtica.*

SIcut equidem ſimoniaca peſtis ſua pravitate alios
1 morbos vincit, ita majori robore Romani Pontifices eam ab Eccleſia Dei, in qua omnia ex charitate
procedere debent, eliminari, ac eradicari curarunt,
tot providis Conſtitutionibus editis, inter quas eſt hæc,
quam edidit Eugenius Papa IV. in Urbe 15. Kalendas
Junii Anno 1434. cujus Conſtitutionis ſimilem promulgavit Paulus II. regiſtratam inter *Extrav. cum deteſtabile de Simonia*, ac in iis innovantur quidem anti-
2 quæ pœnæ contra hujuſmodi delinquentes, aliæque irrogantur; & verè Simoniaca hæc peſtis, ſic ab ejus
3 auctore Simone Mago denominata, ſtatim ac Eccleſia
nata fuit, Evangeliique lumine decorata, ortum habuit; cùm etenim ille videret opera Spiritus ſancti in
D. Petro, credens pecunia donum Dei poſſideri poſſe, animum emendi hanc poteſtatem habuit, quodque
in ſpiritu agnoſcens Apoſtolus idem, Simonem incre-
4 pavit dicens: *Cor tuum non eſt rectum coràm Deo*, additque: *Pecunia tua tecum ſit in perditione, Act. Apoſtol. cap. 6.* ſuique facinoris pœnam luit Simon, dum
diſputare auſus cum Petro, ad Cœlum elevatus opera
dæmonum, ſubitò ejuſdem Apoſtoli precibus in terram projectus expiravit, ut narrat *Baron. Anno* 18. poſt
SS. PP. juſta pœna mulctatus, ut qui ambitione ductus
Spiritus ſancti muneribus decorari pecunia voluit, cruribus effractis terram amplecteretur, ac in Infernum deſcenderet, unde Caſſiodor. *lib. 9. var. cap.* 15. ait: *Recolatur, & timeatur Simeonis juſta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem.* Unde communiter Simoniaci dicti fuere, qui bona ſpiritualia pecunia comparare auderent, & licèt me non lateat, e-
5 tiam in *Lege veteri* fuiſſe caſus, quibus cum re temporali aliquid obtinebatur ſpirituale, ut de Jeroboam
ſcribitur *lib. 3. Regum cap.* 13. ac aliis, tamen illi verè
Simoniaci non fuerunt, deficiente vera qualitate ſpirituali talis criminis conſtitutiva, ut docent Gibalinus
de ſimonia qu. 6. conſect. 4. & 16. Suarez *de Relig. to. 1. tr. 4. de ſimonia cap.* 51. & ſic communiter Simo-
6 niaci dicuntur hujuſmodi peccatores contractantes, &
mercimonia facientes de re ſpirituali, ut paſſim ſunt
textus in Decreto, & Decretalibus, & Lucius Papa ait:
Petrus enim primus Paſtor Eccleſiæ ſancti Spiritus inſpiratione Simonis interiora recognoſcens, ſine aliqua audientia, terribili eum, & repentina morte mulctavit. Canoniſtæ omnes *in tit. de ſimonia*, & Summiſtæ
ver. Simonia, D. Th. 2. 2. *qu.* 100. *& in 4. diſt.* 25. Lot-
7 ter. *de re benef. lib. 3. qu. 29. & lib. 4. quæſt. 1. numer.* 3.
Hoc enim nomen Simoniacorum, hujuſmodi contumacibus applicari ſolet regulariter, ſed verè iis Jura noſtra
alia nomina dedere, ut deteſtabile hoc crimen oſtenderetur; hinc Simoniæ labes abſolutè dicta eſt, quia in ſe
continet aliorum criminum malitiam, unde peſtis, lepra, vulnus cancroſum, ſacrilegium, crimen horribile dici ſolet, ut apud *cit.* DD. & Gonzal. *in cap. 1. num. 12. de ſimonia*; hæreſis quoque dicta fuit, non quia verè ſit talis, ſine errore intellectus erga fidem; ſed ex o- 8
pere quod inducit, malè quem ſentire de fide, & SS. PP.
eam ſæpè hæreſim nuncuparunt quia verè dum ſerpit,
disjungitur ab Eccleſia Dei ſola charitate vigente, Fagn.
cap. cum pridem num. 24. de pactis, & cap. à nobis numer. 61. & 82. de Simonia; hinc Gregorius VII. *lib. 11. epiſt.* 34. ait: *Hanc hæreſim ante omnes alias radice peſtifera in Eccleſiam irrepſiſſe*, & verè Concilia generalia, ac Provincialia, Romanique Antiſtites ſemper contra hujuſmodi labem inſurrexerunt, unde legitur in *Concilio Niceno can.* 49. hæc labes mulctata; proindè D.
Gregorius in Generali Synodo dixit: *Antiquam Patrum Regulam ſequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo*; ut in *cap. 1. de ſimonia.*

Simonia itaque variè à DD. definiri ſolet, & alii do-
cent, quod ſit ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi 9
aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, D. Th.
aliique ſupracitati, vel quod ſit commutatio rei ſpiritualis cum temporali, & verè non ſufficit mera voluntas, ſed requiritur effectus, & opus ſubſecutum, Abb.
in cap. nemo de Simonia; & ex pluribus rationibus ſimonia licita non eſt, tum quia etiam Jure Civili publicæ res
emi nequeunt, quia non ſunt in alicujus dominio; tum
quia jura ſpiritualia nequeunt pretio æſtimari, cùm tranſcendant quodcumque majus pretium; eò quòd ſint extra
ſpheram temporalium, & ubi non poteſt dari commenſuratio, nequit eſſe contractus correſpectivus, & demum
quia talis contractus emptionis fieri debet pro ſui vero
conſtitutivo à domino rei, quæ recipitur, & tamen donorum ſpiritualium ſolus Deus eſt Dominus, cùm Miniſtri Eccleſiæ ſint diſpenſatores; unde *Matthæi* 10. habentur verba Chriſti Domini: *Gratis accepiſtis gratis date*, & Gennadius Patriarcha C. P. ait. *Dominus noſter, & Deus, & Salvator Jeſus, cùm diſcipulis ſuis, quos per univerſum Orbem hominum Doctores miſit, Evangelii prædicationem præcepit manifeſtè, ut munus, quod ab ſe gratis accepiſſent, illud ipſi cæteri quoque mortalibus largirentur, proque illo neque as, neque argentum, neque aurum, nec ullas alias ſiculeatæ, aut materiale poſſiderent; cæleſtibus enim, & ſpiritualibus gratiis terrena, & caduca commutabilia non ſunt.* Triplex
itaque conſiderari valet Simonia, alia mentalis, quæ 10
conſiſtit in intentione agentis, abſque aliquo pacto; alia conventionalis, ſi intercedat pactum; & demum realis, ſi interveniat pecunia, aut alia res in cauſam ipſam
ſimoniacam data, Gonzal. *in cap. fin. num. 1. de Simonia*, Navarr. *in manuali cap. 23. num.* 103. Gibal. *de Simonia qu. 1. num.* 2.

His explicatis quoad Simoniam in genere, ſequendo
hujus Eugenianæ Conſtitutionis veſtigia, mihi primò 11
occurrunt verba ejuſdem: *Deteſtabile hoc ſcelus tam jure divino, quàm Sacrorum Canonum fuiſſe damnatum*, &
verè jure divino id eveniſſe ſatis liquet ex verbis præcitatis D. N. J. C. *Gratis accepiſtis, gratis date*, & D.
Auguſtinus tract. 19. in Joan: dixit: *Simon ille ideò volebat emere Spiritum ſanctum, quia vendere volebat Spiritum ſanctum, & putabat Apoſtolos mercatores eſſe, quales Dominus flagello ejecit. Talis enim ipſe erat, & quod venderet, emere volebat: de illis erat, qui columbas vendebant, etenim in columba apparuit Spiritus ſanctus, can. Salvator, can. ex multis 1. quæſt. 3. c. requiſitus 1. quæſt.* 7. & alibi paſſim elicitur præceptum eſſe divinum, ut ſimonia non committatur, cùm
etiam jus naturale id abhorreat; nam continet plures
deformitates, & inordinationes, D. Th. 2. 2. *quæſt. 6. artic.* 1. Archidiac. *c. ult. 1. quæſt.* 1. quæ enim ordinatio conſiderari poteſt inter terrena, & cœleſtia, inter temporalia, & ſpiritualia, inter venalia, & ineſtimabilia, inter pecuniam, & donum Dei? Verùm tamen eſt, quod ſimonia ne dum prohibita eſt jure divino, ſed mulctata pœnis inductis à jure Canonico,
ut videmus in aliis legibus divinis, ut eas non ſervantes puniantur etiam pœna Canonica, ultra lethale
peccatum, unde in hujuſmodi contumaces pœnas ſtatue- 12
runt plura Concilia, & decretales RR. Pontificum in *tit. de Simonia*, & in Bullario, ut de hac Bulla Eugenii
de qua nunc loquimur; Ulteriùs verum quoque eſt,
quod

Digitized by Google

quod plura Simoniaca declarata fuere à jure Canonico, & quædam ſunt talia jure divino, itaut inter DD.
13 diſtinctio fiat inter Simoniaca prohibita, quia Simoniaca, & inter Simoniaca ita nuncupata, quia prohibita ab Eccleſia, quæ verè etſi in rigore Simoniaca dici non valent comparativè ad ea, quæ ex ſui natura Simoniaca ſunt, & jure Divino prohibita, tamen quoad ſe Simoniaca ſunt, quia ita ab Eccleſia ſunt declarata, & verè id potuerunt fieri, quia ſicuti contractus circa officia humana legibus humanis determinantur; ita contractus, & officia Eccleſiaſtica lege Eccleſiæ determinari debebant, Gloſs. *in cap. cum pridem de pactis*, & relato D. Th. ac aliis, dixit Fagn. *cit. cap. cum pridem num.* 12. *& ſeq. de pactis*, *& cap. ex parte il* 1. *num.* 17. *de off. Deleg.* Turrecr. *num.* 5. *& Præpoſitus num.* 12. *in can. latorem* 1. *qu.* 10. & eſſe communem contra Durand. *lib.* 4. *ſent. diſt.* 25. *quæſt.* 5. autumant. Eccleſia enim conſtituere valet, ut aliquid dicatur ſimoniacum, quod prius non erat, ſicuti poteſt conſtituere aliquam ſpeciem peccati, juxta facti circumſtantias, noviter eventas, ut actum fuit in impedimentis conſanguinitatis, *Clem. eos de conſanguinitat. & affin.* Sub hac communi Juriſtarum diſtinctione diſputari ſolet à DD. quænam dicantur prohibita uti ſimoniaca, etſi e jure Divino, & quæ ſimoniaca dicta, quia prohibita, & ſic jure Eccleſiaſtico; Unde ſequens normam hujuſmet Conſtitutionis Eugenianæ, primò dicam de Ordinibus. Et certè in his omnes conveniunt, ut committentes in Ordinibus ſimoniam,
14 committant actum verè ſimoniacum, & uti talem prohibitum etiam Divino Jure, dum enim Simon Spiritum ſanctum emere volebat, poteſtatem Ordinis intelligebat; Unde Gennadius Patriarca C. P. in *ep. ad totum Orbem* ex perſona Chriſti Domini dixit: *A me accepiſtis Sacerdotis dignitatem, pro qua ſive parvum, vel magnum quid dependiſtis, ſi hæc vendita eſt à me, vendidate & vos eam aliis, quod ſi gratis accepiſtis, date & vos gratis*; & contra ſimoniacè ordinatos graviùs Eccleſia pœnas direxit, Fagn. *cap. cum pridem n.* 130. *de pactis*, hinc nedum iſta Bulla, ſed etiam Pius II. in eos animadvertit *Conſt. incip. Cum ex Sacrorum*, & S. Pius V. *Conſt. incip. Ut ſimoniacæ pravitatis*, necnon Sixtus V. in *Conſt. incip. Sanctum, & Salutare* plures pœnas adauxit, imò cùm hæc Sixtina Con-
15 ſtitutio fuerit ad terminos juris redacta quoad malè promotos per Clem. VIII. ut notat Novar. *in ſumma Bullaris comment.* 96. *to.* 1. ac alii paſſim, tantùm præſervatæ fuerunt à Clemente pœnæ contra Simoniacè ordinatos, ut alibi erit ſermo; ex ea ratione, quia ſimonia jure Divino, & uti talis prohibita, eſt rei temporalis commutatio cum quocumque Sacramento, Fagnan. *cit. cap. cum pridem num.* 7. *& num.* 118. Sed quid dicendum de beneficiis Eccleſiaſticis, & in hoc a-
16 liqui diſtinguunt, quod agitur de beneficiis, in quibus cadit poteſtas clavium, vel Ordinis executio, & vera ſimonia contra jus Divinum committitur, ſecùs in aliis beneficiis, cùm iſta ſint inducta jure Canonico, & humano, ut Canonicatus, & cætera beneficia; Alii verò dicunt, quòd quodcumque beneficium Eccleſiaſticum, dummodò verè ſit tale, importet veram ſimoniam jure Divino prohibitam, ſi pretio detur, & reaſſumunt materiam DD. qui in primo membro conveniunt, ſed in ſecundo valdè diſcrepant, ut latè agit
17 Fagn. *cit. cap. cum pridem num.* 39. *& ſeq.* Gonzal. *capit. cum in Eccleſiis n.* 5. *de Simonia*, tuenturque poſt Cajet. *opuſc. de ſimon.* quod etiam vendere titulum Canonicatus, ut cujuſcumque alterius beneficii, etſi ſine poteſtate clavium, vel executione ordinis, importet veram ſimoniam à jure Divino prohibitam ex *can. ex multis* 1. *quæſt.* 3. qui eſt Canon Alexandri II. ibi: *Sicut per columbarum venditores deſignantur, qui ſacram manus impoſitionem vendere conantur, ſic per nummularios Eccleſiaſtici beneficii venditores denotantur, qui Domum Dei, Evangelio teſte, ſpeluncam latronum faciunt.* Cùm enim de jure Divino ſit, ut quodlibet beneficium Eccleſiaſticum habeat annexum miniſterium Eccleſiæ, quodque habeat ſtipendium jure naturæ debitum, hinc, ut ait Cajet. *cit. opuſc.* 9. *qu.* 2. nequit fieri diviſio Canoniæ, ſeù præbendæ, aut fructuum ab ipſo titulo Beneficii, qui importat ſpiritualitatem, ſed ita omnia ſunt connexa, ut eodem jure metiri debeant. Verùm Canoniſtæ ferè talem ſeparabilitatem concedunt, quia jus canoniæ, & fructuum in tali quantitate eſt conſtitutum jure Canonico, & poſitivo, & ſic juxtà hoc vendere tale jus exigendi fructus, eſt contra jus poſitivum tantùm id prohibens, ex quo oritur actum eſſe ſimoniacum jure tantùm Eccleſiaſtico quoad dictos fructus, ſeù præbendam, & verè communis opinio Canoniſtarum iſta eſt, quia titulis Eccleſiarum fuerunt bona, ex conſtitutione humana tributa, Gibal. *de ſimonia qu.* 20. *conſect.* 1. ubi concordantes, Gonzal. *cap. inſinuatum* 12. *num.* 8. *de ſimonia*, ſed urgent motiva *Cajetani*, itaut titulus ipſe Beneficialis ſine vera ſimonia vendi non poteſt, & ſic inſeparabilis à fructu ipſo annexo, ut benè ait Gelaſ. Papa 1. *qu.* 3. *can. ſi quis*, ibi: *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit, nullus ergo emat Eccleſiam, vel præbendam, aut aliud Eccleſiaſticum*, ſed cùm talis annexio in tot fructibus, vel tali perſonæ ſit ab Eccleſia inductum, ideò poſſunt iniri pacta quoad penſiones, & fructus, auctorizante Romano Pontifice, qui diminuunt quotam aſſignatam à jure poſitivo, D. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *artic.* 4. *in fine*, ex quo principio oritur alia quæſtio, an Papa poſſit ſubdi ſimoniæ, & certè quoad pœnas inductas à jure Canonico, nulla eſt dubitatio, quod non ſubdatur, cùm ſit ſupra ipſummet jus; quoad culpam; ſi agatur de actu ſimoniaco contra jus Divinum ſubjicitur culpæ, quia jus Divinum eum ligat, ſi verò agatur de actu ſimoniaco tali, quia prohibito ab Eccleſia, tunc tali lege non ligatur, & proinde ſi titulum beneficii, uti rem ſpiritualem concedit mediante pretio, ſimoniam committit, licèt pœnis actus non ſubdatur, Fagn. *cit. num.* 57. *& ſeq.* ſecùs verò ſi quotam fructuum diſmembrat à Canonia, ſeù titulo beneficiali, quia tunc tantùm tranſgreditur legem poſitivam, quæ talem quotam aſſignavit, ac fieri poteſt à Papa uti ſupremo cuicumque legi Canonicæ, Fagn. *cap. non ſine num.* 5. *de Arbitr. & cap. niſi eſſent num.* 3. *de præbendis*; & ita defenduntur annatæ beneficiorum, aliaque à Curia Romana inducta pro manutentione Officialium, ut proſequitur Fagn. *cit. cap. cum pridem numer. fin. de pactis*; alioloco dicam, & ſic verùm non eſt ignorantium, ſeù detractorum aſſertum, quod in
Curia Romana non conſideratur ſimonia, cùm agatur 18
res conſcio Papa, quia vel agitur de ex inducta jure Divino, & certè, quod non conſideratur; cùm procul ſit à Romanis Pontificibus, vel agitur de actu prohi-
bito à jure humano, & juſtis cauſis auctoritate Pontifi- 19
cis pacta purgantur à ſimoniæ labe, ut benè Lotter. *de re benef. lib.* 2. *qu.* 9. *num.* 82. quod prohibitum eſt inferioribus Papa, cum ſubdantur juri poſitivo, & ſic Papa numquam approbat pacta ſimoniaca in collatione beneficii, quia prohibita ſunt jure Divino, ut ſi aliquis collator pecuniam reciperet pro collatione, ſeù electione, ut benè Fagn. *cit. & in cap. ex parte num.* 22. *de offic. deleg.* hinc in fortiori caſo cùm poſſi-
deret aliquis ex privilegio Apoſtolico jus conferendi 20
certa beneficia in loco, qui occupatus fuerat ab hæreticis, ab hiſque permittebatur, ut conferentur ab eodem Catholico Domino, ſed Calviniſtis, prætendit patronus poſſe recipere pro collatione prædicta aliquod pretium, tum quia ampliùs non recipiebantur uti beneficia inter hæreticos, tum quia gravabantur iſti, & pecunia poterat converti in ſublevamen Catholicorum, Sac. Congregatio Concilii in *Buſcoducen Præbendarum* 21. *Auguſti* 1677. Propoſitis dubiis: *An Orator commiſerit ſimoniam, & quatenus affirmativè ſit abſolvendus. II. An ejus precibus indulgendum in poſterum. Ad primum* cenſuit *Affirmativè, & concedendam abſolutionem. Ad ſecundum Negativè.*

Sed numquid conſiderari poſſit ſimoniæ labes in
Capellanis cum onere Miſſarum, ſed auctoritate or- 21
dinaria non inſtitutis. Et videtur non committi ſimo-

niam, ſi pretio contractentur, cùm verè non ſint beneficia Eccleſiaſtica in titulum erecta, quæ importat ſpiritualitatem, & ſic tàm patronus, quàm proviſi valeant ea contractare, ac ſi ageretur de re temporali, Giballin. *de ſimonia quæſt.* 20. *conſect.* 6. Lotter. *de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 29. *numer.* 91. Gonzal. *in cap. inſinnatum num.* 8. *de ſimonia*, quod procedit etiam in Hoſpitalibus, Caſtropal. *oper. moral. tract.* 17. *diſput.* 3. *punct.* 13. *numer.* 14. Gonzalez *ad Reg. Cancellaria gloſs.* 5. *numer.* 25. & *eadem gloſs. paragrapho* 1. *de præbendis num.* 28. ubi loquitur de Capellaniis fundatis pro Clericis familiæ, in quibus non aderat auctoritas Epiſcopi, nec requirebatur Inſtitutio Canonica, Corrad. *in praxi diſp.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 57. & procedit eò magis in jure nominandi ad hujuſmodi Capellanias, ſeù Hoſpitalia, quia in his verè non cadit præſentatio conveniens in beneficiis Eccleſiaſticis, ſed jus nominandi alicujus rei temporalis, prout cenſeri debent hujuſmodi Capellaniæ, ſeù legata laicalia, ac temporalia, Laym. *lib.* 4. *tit.* 2. *c.* 4. *nu.* 9. Perez de Lara *de Anniv.* & Capel. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 31. *ad* 41. Cardin. de Luca *de benef. diſc.* 80. *nu.* 17. & *de fideicom. diſc.* 7. *nu.* 2. Rota *deciſ.* 264. & 265. *part.* 2. *diverſ.* Dunoz. Jun. *deciſ.* 101. *num.* 2. & ita fuit reſolutum in cauſa *Romana pro DD. Hieronymo Berto*, & *Maſſerotto* 8. *Maii* 1704. in Congr. particulari à Sanctiſſimo deputata, in qua cauſa, cùm fuerit dubitatum, an ſuſtinerentur nominationes ad duas Capellanias non collativas in Eccleſia Montis Marii, factæ mediante remiſſione fructuum adminiſtratorum ad favorem nominantium, fuit reſponſum pro validitate, & ſubſiſtentia nominationum, nec potuiſſe intrare Simoniam ex dictis; nec obſtat, quod etſi non detur Simonia vera, quia actus ſit in ſe Simoniacus, tamen dici poteſt ſimoniacus, uti prohibitus ab Eccleſia, ut dicitur de officio Cuſtodis, & Sacriſtæ, aut Protectoris in *can. Salvator* 1. *qu.* 3. ubi *gloſs. v.* & *Judicem*, Fagn. *cap. cum pridem num.* 17. *de pactis*, aliique Canoniſtæ, quia iſta qualitas Simoniaca ab Eccleſia his muneribus adjecta fuit propter adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ, juxtà aliquos, vel ſpiritualis, ſecundùm alios, ut notat *Gloſs. citata*, ſed in his Capellaniis nulla poteſt conſiderari qualitas Eccleſiaſtica, nec ſpiritualis; cùm habeantur earum redditus, tamquam laicales, & non ſubduntur oneribus, redditum Eccleſiaſticorum, Seminarii, Procurationis Epiſcoporum, & decimarum, & hujuſmodi, & licèt adſit onus celebrandi Miſſas, tamen id eſt accidens, quod non mutat qualitatem rei; nam poteſt etiam injungi laico, ut faciat per alios celebrare Miſſas. Et rurſus omnis Sacriſta, qui potius unum, quàm alium prælegit Sacerdotem ad celebrandum in aliqua Eccleſia, committeret Simoniam; ſufficit enim, quod titulus non ſit ſpiritualis, vel annexus ſpiritualitati, etſi conſequenter aliquod ſpirituale eveniat. Verùm Fagn. *in cit. cap. cum pridem num.* 138. diſtinguit loquendo de Hoſpitalibus, aliiſque adminiſtrationibus, quod ſi conceduntur in titulum Beneficii Eccleſiaſtici, actus eſt ſimoniacus illas vendendo, vel pretio contractando, uti à jure divino prohibitus, cùm habeat annexum neceſſariò Clericatum, & ſic intrinſecè actus ſimoniacus eſt, & in hoc nulla cadit difficultas, quia tunc agitur de vero beneficio Eccleſiaſtico. Aut agitur de adminiſtrationibus hujuſmodi ſine titulo beneficii, & licèt actus non ſit ex ſe ſimoniacus, tamen uti irreligioſus ab Eccleſia prohibitus eſt, nec debet permitti; & verè ſi agamus de excludendis pœnis inductis contra Simoniacos contractantes de beneficiis Eccleſiaſticis, ut loquitur Eugenius in hac Bulla, ac in *Extrav. cit.* aliiſque ferè Bullis de materia agentibus, his pœnis non afficiuntur contractantes hujuſmodi Capellanias, & adminiſtrationes non habentes qualitatem veri beneficii Eccleſiaſtici, & in his terminis intelliguntur citatæ auctoritates, & reſolutio d. Congregationis particularis; Aut agitur, ut actus uti irreligioſus practicandus, & approbandus, non ſit, & hoc verum eſt, imò omninò à Curia Romana non admittendus, ſi agatur præſertim de pretio pro ipſa nominatione Ca-
22 pellaniæ recipiendo, vel transferendo eas, aut permutando, permiſſa potiùs aliqua applicatione fructuum tantùm inter varios nominatos. Hinc *S. Congr. Conc. in Viterbien. Alienationis* 15. *Januarii* 1661. cùm PP. Carmelitani Diſcalceati vellent reſignare jus nominandi certæ hujuſmodi Capellaniæ Canonicis in correſpectivitatem certi pretii, propoſitis idcircò dubiis *I. An abſque Simonia nota poſſit dictus contractus iniri. II. Agatur de caſu, in quo per Sedem Apoſtolicam poſſet diſpenſari. III. An expediat, ut diſpenſatio concedatur.* Cenſuit diſpenſationem non eſſe concedendam; & in ſimili denegavit in *Neapolitana Beneplaciti* 4. *Martii*, & 6. *Maii* 1690. in qua agebatur de nominatione cedenda in certa Capellania ab hærede alteri mediante compenſatione pretii temporalis, & *in Vercellen. Beneplaciti* 27. *Aprilis* 1709. ubi de ceſſione nominationis ad certam Capellaniam, quæ non erat ordinaria auctoritate erecta, ſed erat merum legatum, cum onere Miſſarum mediante pretio; & S. C. denegavit aſſenſum, & in *Spoletana Capellaniæ* 15. *Novembris* 1710. ubi agebatur de quodam Sacerdote, qui pro obtinenda à Communitate nominatione ad quandam Capellaniam laicalem, donare intendebat Eccleſiæ capitale ſcutorum centum; propoſito dubio. *An Conceſſio Capellaniæ Eccleſiæ S. Mariæ Manſolei Terræ Hiſpelli facta in perſonam Sacerdotis Caroli Maſcioli à Communitate ejuſdem ſit confirmanda, in caſu*, &c. S. C. cenſuit *negativè*; quod eo magis id procedit ſi non agatur de puro legato laicali, cum onere Miſſarum, cujus ſunt capaces etiam laici, & mulieres, in quibus termini intelligi tutiùs poſſent citatæ auctoritates, de quibus loquuntur, ſed de Capellania conferenda neceſſariò Clerico, & in jure nominandi puellas in Monaſterio, etſi verè non agatur de jure præſentandi in beneficio Eccleſiaſtico, ſed de jure nominandi perſonas Eccleſiaſticas, non poſſe dari contractationem, & commercium liberum, ut ſit in bonis laicalibus, Rota *in Aſculana Subhaſtationis hæreditatis* 6. *Junii* 1704. §. *minus obſtat in fine*, & 10. *Decembris ejuſdem anni coram b. m. Muto*, in confirmationem primi judicati per me, uti Locumtenentem A. C. lati; cætera verò, quæ quoad Simoniacos tàm in ordinibus, quàm beneficiis, ac de Jurepatronatu, & eorum penſionis, ac invaliditate actus, alibi dicam, cùm ſatis ſit, quod prælibavi in hoc Commentario primæ Bullæ, quæ de materia Simoniæ agit, atque aliæ ſunt plures de eadem re diſponentes.

CONSTITUTIO VIII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Illa*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS PRIORI, & UNIVERSIS Fratribus Domus Fratrum Eremi Camaldulenſis.

CONfirmat hic Pontifex Indultum à Gregorio IX. Congregat. Camaldulenſium conceſſum, recipiendi Religioſos cujuſcumque Ordinis etiam Carthuſienſium.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Eugenius IV. edidit Conſtitutionem præſentem, ut Camaldulenſes valeant recipere apud ſe Religioſos cujuſcumque Ordinis etiam Carthuſiani licentia Superiorum petita, & non obtenta.*
2 *Explicatur privilegium hujuſmodi, & an fuerit fruſtraneum?*
3 *Privilegium hoc abrogatum an fuerit, numeris ſeqq.*
4 *Privilegium hoc quare Camaldulenſibus proſit.*

Plura,

5 *Plura, quæ jure communi conceduntur, privilegiis confirmantur.*
6 *Inutilia non fuere privilegia ſimilia obtenta à variis Religionibus poſt* cap. licet de Regularibus, *& quare.*
7 *Votum Religioſi tranſeundi ad ſtrictiorem an obliget.*
8 *Arctior an ſit Religio Camaldulenſium.*
9 *Arctitudo Religionis à quo metienda.*
10 *Quid ſervandum inter Religionum Camaldulenſium Reformatorum, & Carthuſienſes quoad tranſitum.*
11 *Conſtitutio S. Pii V. an revocet privilegia hujuſmodi.*
12 *Plura enucleantur, quoad tranſitum de Religione æquali ad æqualem, & nn. ſeqq.*
13 *Solus Papa poteſt concedere licentiam, ſi non adſit cauſa etiam in foro conſcientiæ ſuffragantem.*
14 *Cum Cauſa etiam Superiores Regularium, niſi concurrant privilegia, ne fiat tranſitus ſine Indulto Papæ.*
15 *Papa ſolet etiam cauſam requirere.*
16 *An licentia requiratur Papæ, vel ſufficiat Superiorum in tranſitu de ſtatu laici; ſeu Converſi profeſſi ad Clericalem, plures caſus adducuntur.*
17 *Præcedentia in Converſo, qui tranſiit ad Clericalem ſtatum, quomodo metienda.*
18 *Licentia hodie requiritur Papæ, ſtantibus privilegiis, & ſolet concedi per S. C. Concilii, Regularium, & Pœnitentiariam.*
19 *Solus tamen Papa concedere poteſt licentiam tranſitus ad laxiorem, etiam cum cauſa, non autem Superiores Regularium.*
20 *Non concedit Sedes Apoſtolica licentiam tranſeundi ad laxiorem ſine cauſa.*
21 *Etiam ante Concilium plures Regulares obtinebant privilegia, ne permitteretur tranſitus.*
22 *Quæ ſint juſta cauſa pro dicto tranſitu ad laxiorem.*
23 *Remittitur cauſa prudentiæ S. C. dummodò vigeat in Religione ad quam Clauſtralis, & Regularis obſervantia.*
24 *Quomodo permittitur tranſitus Apoſtatis.*
25 *De ordine Clauſtrali ad militarem non cenſetur datus tranſitus, niſi expreſſè permittatur.*
Quid quoad Hoſpitalarios S. Antonii, & S. Spiritus in Saxia. Ibid. & nn. ſeqq.
Imò non ſolet indulgeri à Sede Apoſtolica. Ibidem & nn. ſeqq.
26 *Quid dicendum quoad tranſitum ad Fratres Capellanos S. Joannis Hyeroſolomitani.*

1 TAmetſi clara, ac obvia videantur eſſe ea, quæ diſponuntur in præſenti Conſtitutione edita Florentiæ die 24. Novembris anno 1435. Plura nihilominùs ſingularia, eaque non adnotatione indigna continet. Confirmatur ſiquidem in ea privilegium à Gregorio IX. in ejus *Conſt.* 1. *incip. Fervor*, inclitæ Camaldulenſium Congregationi elargitum, recipiendi, ac retinendi aliarum Congregationum alumnos, cujuſcumque (ut luculentius in præſenti exprimitur) Ordinis exiſtant, ſivè Mendicantium, ſivè non Mendicantium, etiam Carthuſienſis Ordinis, Superiorum ipſorum licentia petita, licèt non obtenta. At contra hujuſmodi privilegium tria opponi poſſunt. Primùm, quod non aliquid in eo concedatur ultra id, quod Jure communi permiſſum erat in c. *licet de Regul.* ubi indiſtin-
2 ctè permittitur tranſitus ad arctiorem cum ſola licentia petita, licèt non obtenta; Congregatio autem Camaldulenſium, nulla, ſivè una, aut altera Religione excepta, omnium eſt arctior. igitur ſolo Jure communi attento recipere poterat Religioſos aliorum Ordinum, qui cum licentia petita, licèt ea non obtenta ad ipſam confluebant; adeoque non videtur cujus uſus hoc privilegium eſſe potuerit, ut etiam motivavi *to.* 2. *ad cit. Conſt.* 1. Gregor. IX. *in princ. n.* 13. *in fine*. Quod ſi dicas, privilegium fuiſſe proficuum quoad eas Religiones, quæ forſan à Sede Apoſtolica indultum obtinuerant, ut ex eis tranſitus permiſſus non eſſet, niſi cum licentia obtenta. Reſpondeo quoad hoc etiam eſſe jure communi conſultum in *cit. cap. licet*, ubi Pontifex hujuſmodi indulta ita temperanda eſſe declarat, ut conceſſa intelligantur, ſi tranſitus fiat ex temeritate, vel levitate; ſecus ſi ex zelo perfectioris vitæ, ut latiùs dixi ſupra ad *Conſt.* 1. Benedicti XII. *nu.* 15. Secundò opponi poteſt, quòd hic permittitur tranſitus à Congregatione Carthuſienſium ad iſtam Camaldulenſium, quaſi quòd hæc ſit illa arctior: quod tamen verùm non eſſe, ex eo præſertim elicitur, quòd in Indultis, pluribus Ordinibus conceſſis, ut ex eis non poſſit tranſire, niſi cum licentia obtenta, penè ſemper excipiuntur Carthuſiani, ut in *Extravag. com. viam de Regular.* & in aliis indultis, de quibus apud Pellizar. *in Manual. Regol. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *ſect.* 3. *nu.* 85. & quod Carthuſienſium Congregatio ſit omnium arctiſſima, latè firmavi ad *citat. Conſt.* 1. Gregor. IX. *ſect. un. nu.* 20. Demum quamvis hoc privilegium in ejus initio proficuè obtineri va- 3
luerit; hodie tamen non videtur vires obtinere poſſe, attenta *Conſt.* 89. S. Pii V. *incip. quæcumque tom.* 2. *Bullar.* in qua omnia hujuſmodi privilegia abrogantur, & ſignanter quod fuerit abrogatum privilegium in hac Conſtitutione conceſſum, advertit Nicol. *lib.* 3. *Inſtit. Canon. tit.* 31. *de Regul. n.* 5. *verſ. hoc tamen.*

Nihilominus, his minimè refragantibus, dicendum
eſt, hanc Conſtitutionem privilegium ſatis utile conceſ- 4
ſiſſe Camaldulenſibus, illudq; adhuc hodie vim obtinere, præterquam quoad eas Religiones, quæ ſpecialia quoad hoc obtinent privilegia, ut apud Paſſerin. *de ſtat. hom. to.* 3. *q.* 189. *art.* 8. *n.* 100. Quantùm enim attinet ad primum obiectum, dicimus motivum concedendi Camaldulenſibus hoc privilegium, fuiſſe privilegia aliis Religionibus conceſſa, quibus prohibebatur ex eis tranſire poſſe, niſi cum licentia à proprio Prælato obtenta, Id etenim impulit Gregorium IX. ad præfatam Conſtitutionem favore hujus Congregationis edendam, cui cùm ex ſubſequentibus Indultis, & privilegiis derogaretur, illam ob eamdem rationem innovari oportuit in hac Conſtitutione, ut dilucidè ex ejus verbis colligitur, ibi: *Cum autem propter diverſa privilegia, & indulta diverſis Congregationibus diverſarum domuum, & Monaſteriorum ex poſt per Apoſtolicam Sedem conceſſa, necnon diverſas alias Conſtitutiones, & ordinationes editas, conceſſioni præfati Prædeceſſoris noſtri, plurimum derogatum exiſtit, propter quod multi, qui in dicta Eremo Altiſſimo famulari affectant, ab eorum propoſito retrahuntur*. Nec obſtat, quòd privilegium hujuſmodi non contineat aliquod ultra id, quod jure communi cautum eſt in *cit. cap. licet*; Etenim ultra quod res inaudita non eſt, nec inutilis, ut per privilegium concedatur id quod
jure communi competit, ex rationibus per me conſi- 5
deratis, *to.* 2. *ad Conſt.* 6. Honor. III. *nu.* 57. & 58. eſt etiam diſtinguendum cum Sanchez *ad præcept. decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *nu.* 10. quem alii ſequuntur apud Barboſ. *in cit. cap. licet num.* 7. & 9. *circa finem* Miranda *in Manual. Prælat. to.* 1. *q.* 31. *art.* 12. Barthol. de Vecchis *de admitten. ad Relig.* Novit. *diſput.* 15. *dub.* 3. *nu.* 2. & 3. quod interpretatio inducta per Textum in *cit. c. licet* admittendam ſit, quoties privilegium conceptum fuerit, ut non liceat ex aliqua Religione diſcedere invitis Superioribus; ſecùs autem ſi tranſitus fieri prohibeatur, niſi cum licentia obtenta, præſertim ſi exprimatur, quod tranſitus aliàs factus cenſeatur nullus. Hinc rectè Fagnan. *in cit. c. licet n.* 22. enumerans requiſita, quæ concurrere debent ad hoc, ut Religioſus ad ſtrictiorem tranſire poſſit, licentia petita, licèt non obtenta, illud præ cæteris affert, ut ſcilicet Religio à qua non habeat privilegium ſpecificum, quod non ſufficiat licentia petita, niſi etiam ſit obtenta, quod & nos ſupra advertimus ad *Conſt.* 1. Benedicti XII. *num.* 22. quæ interpretatio eò vel maximè admittenda eſt, ne aliàs dicere cogamur, inutilia prorſus fuiſſe quamplurima privilegia Regularibus

hac

Digitized by Google

6 hac in re à Sede Apoſtolica conceſſa poſt *cit. c. licet* ,
quod etiam comprobari videtur ex eo, quòd votum à
7 Religioſo factum , tranſeundi ad ſtrictiorem non ſu-
ſtinetur, ſi Conſtitutiones Ordinis hunc tranſitum fie-
ri prohibeant , niſi cum licentia à Superiore petita ,
& obtenta, ut notat Bordon. *to. 2. reſol. 29. nu. 44.*
Donat. *prax. Regul. to. 2. par. 2. tract. 5. q. 9.* & re-
ſolvit S. Congr. Conc. in *Dubio validitatis voti die 17.
Januarii* 1693. ubi cùm quidam Religioſus Congre-
gationis Fulienſis in Gallia, quæ indultum obtinet pro-
hibitivum tranſitus ad quandam Abbatiam nuncupa-
tam *delle Trappe*, niſi cum licentia à Superiore Ge-
nerali obtenta, voviſſet, Superioribus inſciis , ad di-
ctam Abbatiam, utpotè ſtrictiorem tranſire, proinde-
que de voti validitate dubitaretur , Sac. Congregatio
cenſuit , votum eſſe invalidum, nec exequendum .
Alioqui autem ſubſiſtere debuiſſet votum ; ſi ad ter-
minos *cit. cap. licet* , pro tranſitu ad arctiorem ex bo-
no zelo facto , non requireretur conſenſus proprii Præ-
lati . Porrò quod iterum opponebatur ex eo, quod
in hac Conſtitutione permittatur tranſitus ex Carthu-
8 ſienſibus ad Camaldulenſes , perinde ac iſtorum Re-
ligio ſit arctior, non debet admirationem ingerere ,
nam ſi attendatur vivendi genus , quo iſti Eremitæ
juxta primævum inſtitutum his temporibus vivebant,
ceſſabit profectò admiratio , cùm viverint vitam ar-
ctiſſimam , ac humanis viribus penè majorem , ut
præſertim elicitur ex iis , quæ mirabundi referunt
Butr. *in cit. cap. licet num.* 8. & Jo. Andr. *num.* 11.
& nos aliqua diximus *to. 1. ad Conſtit. un.* Alex. II.
Unde & Gregorius XIII. temporibus quidem longè
ab eorum fundatione diſſitis, de ipſorum Regulæ ar-
ctitudine ita fatetur: *Ea eſt Eremi Camaldulenſis Are-
tinenſis Diœceſis antiquitas , & Monachorum in aſpe-
ra illa ſolitudine Deo aſſidue famulantium Religio, ac
morum, vitæque innocentia, ac ſanctitas , quæ omnia
non ſolùm ab aliis ſæpè audivimus , ſed etiam noſtris
oculis aliquando vidimus, & admirati ſumus , ut me-
ritò ſacrum illum locum, & ordinem dignum ſemper ,
qui præcipuè privilegiis fulciatur, judicemus*, ut habe-
tur in ejus *Conſt. 99. incip. Ea eſt*, *tom. 2. Bullar.*
9 Cœterùm cùm pro Religionum arctitudine metien-
da , non tàm primæva inſtitutio attendatur, quàm
præſens ejus ſtatus, & obſervantia, quæ ſi laxior ſit,
non ſuffragatur arctitudo in fundatione Regulæ , ut
colligitur ex *cit. cap. licet* , ubi DD. communiter ,
cùmque juxta præſentem ſtatum arctiùs vivere vide-
antur Carthuſienſes, attenta præſertim eorum perpe-
tua clauſura, & abſtinentia à carnibus: hinc non im-
probabiliter cenſet Fagnan. *in cit. cap. licet num.* 63.
quem ſequitur Paſſerin. *de ſtatu homin. tom. 3. quæſt.*
189. *art.* 8. *num.* 100. ſpecificè de hac Conſtitutione
10 loquens , hodie hujuſmodi privilegium vim forſam
non obtinere reſpectu Carthuſienſium ; quod tamen
rectè temperat Fagnanus cum Jo. Andr. *ibid. num.* 3.
quem ſequuntur Sanchez *loc. cit. num.* 25. Pellizar. *cit.
cap. 5. ſect. 3. num.* 88. niſi ſubſit ſpes reformationis,
vel ſi non totus Ordo , ſed aliqua ejus pars ab inſti-
tuti obſervantia receſſerit . Videtur etiam hæc Fagna-
ni aſſertio comprobari poſſe ex *cit. Conſt.* 99. Grego-
rii XIII. in qua hoc privilegium confirmatur quoad
tranſeuntes ex quibuſcumque Religionibus , & Ordi-
nibus Mendicantium , nulla autem fit mentio non
Mendicantium , & multò minus Carthuſienſium. Si-
militer Sixtus V. in *Conſt.* 35. *incip. Ea eſt* , confir-
mans , ac innovans hujuſmodi privilegium favore
Congregationis Eremitarum S. Romualdi Ordinis
Camaldulenſis Montis Coronæ , nec quidem memi-
nit Carthuſienſium . Tandem deſcendendo ad id ,
11 quod ultimo loco opponebatur, dicimus, privilegium
in hac Conſtitutione conceſſum , quantum eſt ex *cit.
Conſtit.* 89. S. Pii V. adhuc in ſuo robore permane-
re ; nam ultra quòd Conſtitutio Piana revocat ſolùm
ea privilegia , quæ præter formam Juris communis
fuerant conceſſa , ut apud Miran. *in manual. Prælat.
to. 1. q. 31. art. 7. concl.* 1. Navar. *lib. 3. conſ.* 88. *n.* 1
de Regul. Tambur. *de Jure Abb. to. 3. diſp. 7. quæſ. 2.*
n. 14. Morga *ad Conſt.* 6. Alex. IV. *ſect. 3. ſubſect.* 2.
n. 143. privilegium verò in hac Conſtitutione elargi-
tum eſt conforme diſpoſitis in *c. licet de Regul.* Suffra-
gatur etiam, quod Gregorius XIII. S. Pii V. ſucceſſor
in ejus *cit. Conſt.* 99. expreſsè confirmavit, ac innova-
vit omnia , & quæcumque privilegia quoad hoc Ca-
maldulenſibus conceſſa ; quinimò, ut advertit Cherub.
ſenior. ad Conſt. 1. Gregor. IX. *ante princ.* eo præſer-
tim fine edita fuit Conſtitutio Gregorii XIII. ut occur-
reretur revocationi privilegiorum factæ per S. Pium V.
His præmiſſis ad hujus Conſtitutionis intellectum ,
differendum eſſet de tranſitu ad arctiorem, ejuſque cau- 12
ſis, & requiſitis ; At cùm de his dictum ſit ſupra ad
Conſt. 1. Benedicti XII. opportunè hic ſubnectimus de
tranſitu ad Religionem æqualem , aut laxiorem , qua-
tenus ſcilicet permiſſus ſit, aut prohibitus, ac quænam
concurrere debeant, ut validè , & licitè fiat . Etenim
quod tranſitum ad æqualem reſpicit, de eo in jure ni-
hil videtur ſpecialiter cautum, ut advertit Caſtropal.
to. 3. oper. moral. tr. 16. diſp. 4. punct. 26. §. 5. n. 1.
cùm Textus in *can. ſtatuimus* 19. *qu.* 3. qui ad hoc alle-
gari, ſolet, verè non exprimat qualitatem Religionis,
ad quam fit tranſitus . Communiter tamen DD. poſt 13
Gloſſam *in c. non eſt*, *ver. permittatis de Regul. & in
c. cum ſingula ver. canonicè de præben. in* 6. aſſerunt
non poſſe Monachum propria auctoritate , ſeù licentia
petita, & non obtenta, ad æqualem tranſire ; tum quia
nemo poteſt votum, niſi in melius commutare ; tum
etiam quia cùm quis per profeſſionem ſe Religioni
tradit, ab ea recedere non poteſt, niſi ob majus Dei
obſequium , vel ob ſanctioris vitæ ſtudium ; quo
non contingit in tranſitu ad Religionem æqualis per-
fectionis. Verùm quia hujuſmodi tranſitus à Jure ex-
preſsè prohibitus non eſt , ac Concil. Trident. *ſeſſ.*
25. *de Regular. capitul.* 19. in fine , nil novi circa
hoc induxit, cùm ſolùm prohibuerit tranſitum ad la-
xiorem, ut notat Fagn. *in c. dilecti nu.* 11. *de renunc.*
Hinc eſt, ut tranſitus ad æqualem fieri poſſit prævia
licentia Papæ , aut inferiorum Prælatorum ; Abſolutè 14
autem neceſſaria eſt Papæ licentia , ſi nulla tranſeundi
cauſa ſubſit , Abbas *in cit. c. non eſt n.* 6. Butr. *in cit.
c. dilecti nu.* 13. S. Anton. *in 3. parte Summæ tit.* 16.
c. 4. & alii apud Peytin. *tom. 1. de ſubdit. qu. 1. c. 24.
concl.* 3. Tamburin. *de Jure Abb. to. 3. diſp. 7. q. 5. n.*
1. Quæ licentia ſuffragatur etiam in foro conſcientiæ,
quicquid dixerit Francus *in cit. c. cum ſingula §. prohi-
bemus n.* 4. Caſtrop. *cit. §. 5. nu.* 2. nam ultra quod e- 15
tiam admiſſo, quod pro commutatione voti in æqua-
le, cauſa requiratur, & dum hæc fit à Summo Ponti-
ficè quælibet cauſa ſufficiat, adeòut ferè numquam com-
mutationis cauſa deficiat, præſertim cùm nec Papa ſo-
leat concedere tranſitum ad æquè arctam, niſi legitima
cauſa concurrat, ut differit Paſſerin. *cit. q. 189. art.* 8.
n. 112. *&* 113. communis tamen DD. ſententia eſt ,
poſſe Papam tranſitum ad æquè arctam permittere ,
etiam ſi nulla ſubſit cauſa, ejuſque licentiam ſuffragari
in foro tum interno, tum externo ; cùm omnes Religio-
nes ſint ſub Supremo Summo Pontificis regimine , adeò-
que ſuppoſita æquali arctitudine Religionis à qua , &
ad quam, poterit Papa ſua poteſtate uti transferendo
de una ad aliam, præſertim ſi hujuſmodi tranſitus pri-
mæ Religioni non afferat detrimentum, Angel. *in Sum-
ma ver. Religioſus n.* 34. Silveſt. *verbo Religio* 4. *n.* 2.
Pellizar. *in manual. Regul. to. 1. tract. 3. c. 5. ſect. 3. n.*
64. Ceſſante igitur legitima cauſa, ſolus Papa permit- 16
tere poterit tranſitum ad æqualem; ipſe itidem ſolus
licentiam concedere poterit, ut intra eamdem Religio-
nem à ſtatu Converſorum ad illum Clericorum tranſitus
fiat, cùm ex decreto Clementis VIII. relato in ejus *Conſt.*
83. §. 34. & confirmato in *Conſt.* 26. Urbani VIII. pro-
hibeatur iis, qui ad Converſorum habitum recepti fue-
rint , ad Clericorum ſtatum tranſire, etiamſi adhuc
ſint intra annum probationis, & ſimile ſtatutum vige-
re in Societate Jeſu refert Pellizar. *cit. ſect. 3. nu.* 139.
proindeq; hic tranſitus fieri non poteſt , niſi cum licen-
tia Papæ, quamvis jure antiquo id fieri potuerit cum li-
centia Superiorum Regularium, Paſſerin. *cit. qu.* 189.
art.

Digitized by Google

art. 8. *n.* 227. quaſi tamen concedit ex juſtis cauſis, prout illam conceſſit Sacra Congr. Concilii in una *Ordinis S. Mariæ de Mercede die* 16. *Januarii* 1700. attento quod in Religione Studiis vacaſſet, ac ſe ad Clericorum munus idoneum reddidiſſet, & in alia *Provincia Betica die* 6. *Martii* 1700. hanc licentiam denegavit, quamvis exprimeretur, quod Orator tranſitum exoptaret ob nimiam devotionem erga SS. Euchariſtiæ Sacramentum, eſſetq; vitæ exemplaris, ac de Religione optimè meritus, ac idoneus ad Sacrum peragendum; Cauſa autem denegationis fuit, quia Orator vix erat idoneus ad divina peragenda, & ob defectum litteraturæ inhabilis erat ad alia munia Clericorum in ſuo Ordine Prædicatorum obeunda. At ſi è contra, de tranſitu à diverſo ſtatu Clericali ad illud Converſorum agatur, dummodò tranſiens in Ordinibus Sacris non ſit conſtitutus, ac juſta cauſa concurrat, cùm Prælati Regularis licentia fieri poſſe, tenent Pellizar. *cit. ſect.* 3. *nu.* 136. Lezzana *in Summa qu. Regul. par.* 1. *c.* 22. *n.* 25. *Murga ad Conſt.* 6. Alexa. IV. *n.* 153. ubi alii; eò præſertim quia id à jure non eſt prohibitum, nec violantur ſubſtantialia votorum Religioſorum, cùm hæc eadem ſint in ſtatu Converſorum, & Clericorum; quinimò ſtatus illorum quamvis humilior, eſt tamen durior, & aſperior, adeòque poterit Superior ad illum permittere tranſitum, quemadmodum concedere poteſt tranſitum ad arctiorem; Et quidem Prælatus hunc tranſitum non ſolùm permittere, ſed etiam jubere poteſt ob punitionem delicti, ut tenet Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 7. *nu.* 80. ubi quod cùm hujuſmodi tranſitus ſit res gravis, fieri debeat à Provinciali, aut Generali cum conſenſu Conventus, vel aliàs prout cujuſque Ordinis ſtatuta præſcribunt. Cœ-
17 terùm qui à Converſorum ſtatu ad illud Clericorum tranſeunt, præcedentiam, aliaque, quæ profeſſionem priùs emiſſam conſequuntur, non metiuntur à tempore primæ profeſſionis emiſſæ inter Converſos, ſed à profeſſione emiſſa in ſtatu Clericali, ut tenet Bordon. *to.* 4. *oper. moral. in theatro præced. n.* 448. *pag.* 584. & quoad PP. Minimos reſpondit eadem S. Congreg. in *Meſſanen. Primogenituræ* 15. *Aprilis* 1684. cùm hi duo ſtatus, quamvis ſint in eadem Religione, ſunt tamen inter ſe penitùs ſeparati, perinde ac ſi eſſent diverſi Ordines, ut advertit idem Bordon. *to.* 2. *oper. moral. reſol.* 29. *nu.* 93. *cum ſeqq.* proinde ad effectum præcedentiæ non prima, ſed ſecunda profeſſio eſt attendenda; quod etiam dicendum eſt in eo, qui profeſſionem nulliter emiſſam ratificavit; hic enim nonniſi à tempore ratificatæ profeſſionis præcedentiam metitur, ut cenſuit eadem S. Congr. in *Dubio Præcedentiæ* 1. *Octobr.* 1672. Porrò ſi legitima cauſa ſubſit, licentiam tranſeundi ad æqualem concedere poſſunt non ſolùm Papa,
18 ſed etiam Prælati inferiores; Et ſanè Epiſcopi licentiam exquirendam eſſe tenet Innoc. *in c. fin. de renunc.* quem ſequitur Abb. *in c. non eſt n.* 6. *de Regul.* Verùm hoc procedit in Monaſteriis Epiſcopo ſubiectis, in quibus non ſolùm ab Abbate, ob bonum obedientiæ, licentia exquirenda eſt, ſed etiam ab ipſo Epiſcopo, ut declarat Fagnan. *in c. dilecti n.* 17. *de renunc.* Azor. *inſtit. moral. to.* 1. *libr.* 12. *c.* 14. *quæſ.* 9. Secus autem in exemptis, in quibus ſolius Prælati Regularis licentia ſufficit, ut colligitur ex *cit. c. non eſt de Regul.* quam tamen licentiam concedere non poteſt idem Prælatus, niſi juſta concurrat cauſa, ut communiter concludunt DD. apud Tambur. *cit. diſp.* 7. *quæſ.* 4. *num.* 1. & 2. Fagn. *in cit. c. dilecti nu.* 12. *cum ſeqq.* Murga *ad cit. Conſt.* 6. Alex. IV. *nu.* 146. Quamvis veriùs ſit, ultra ſuperioris licentiam, exquirendum etiam eſſe conſenſum majoris partis Conventus, ut dixi ad *cit. Conſt.* 1. Benedicti XII. *n.* 8. Verùm cùm in omnibus Religionibus ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, & communicationem privilegiorum abſolutè prohibitus ſit tranſitus etiam ad æqualem, niſi cum expreſſa Summi Pontificis licentia, ut dixi ad *cit. Conſt.* 1. Bened. XII. *n.* 23. tranſitus ex his quacumque juſta cauſa concurrente permiſſus non erit cum licentia ſolius Prælati Regularis, ut rectè advertit Paſſerin *cit. q.* 189. *art.* 8. *n.* 117. & ſolet concedi licentia per Sac. Congr. Concilii, Epiſcoporum, & Regularium, & S. Pœnitentiariam.

Eadem diſtinctione utuntur DD. quoad tranſitum ad
laxiorem, ut ſcilicet à ſolo Papa concedi poſſit, ſi ju- 19
ſta cauſa non adſit; hanc autem concurrente, inquiunt, diſpenſare etiam poſſe Prælatum Regularem; Nec obſtare, ſubdunt, decretum Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 19. ubi ſtatuitur, quod nullus Regularis cujuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem; Nam illud explicant de tranſitu ſine juſta cauſa, ut pluribus congeſtis tenent Barboſa *in c. licet num.* 13. *de Regul.* Gratian. *diſcep.* 433. *n.* 2. *cum ſeqq.* Tamburin. *loc. cit. n.* 7. Navarr. *de Regul. conſ.* 56. *n.* 3. & *comment.* 4. *n.* 11. *eod. tit.* ubi, quod mens Concilii non fuerit tollere facultates juridicas, ſed eas tantùm, quibus ſine juſta cauſa, & abſque cauſæ cognitione, & conſenſu Capituli tranſitus permittebatur. Dicendum nihilominus eſt, tranſitum ad laxiorem nullo caſu permiſſum cenſeri, niſi cum ſolius Sedis Apoſtolicæ licentia, hancque concedi non poſſe à Prælatis Regularibus, quacumque juſta, & legitima cauſa concurrente; etenim quicquid jure antiquo inſpecto in utramque ſententiam variaverint DD. adeòut etiam aliqui ex antiquioribus ſoli Papæ id tribuerint, Gloſ. *in c. non eſt vobis ver. permittatis de Regul. Monach. in c. cum ſingula n.* 6. *de preb. in* 6. *Imola in clem.* 1. *nu.* 11. *de Regul.* Fagn. *cit. c. dilecti n.* 27. ubi alii, hodie omnem difficultatem adimit decretum Concilii Tridentini, quod Superioribus Regularibus quamcumque facultatem circa hoc revocavit, adeòut concedi non poſſit, niſi per ſolum Papam, ut tradit Card. de Luca *de Regul. diſc.* 37. *n.* 2. & *diſc.* 38. *n.* 5. Paſſerin. *cit. qu.* 189. *art.* 8. *n.* 121. Nullatenus ſubſiſtente interpretatione quorumdam Theologorum, præfatum decretum intelligentium de tranſitu ſine legitima cauſa; Quandoquidem cùm cauſa requiratur etiam in tranſitu ad æqualem, vel ſtrictiorem, non benè Concilium reſtrinxiſſet prohibitionem pro tranſitu ad laxiorem, ut conſiderat Fagnan. *loc. cit. n.* 35. *verſ. præterea*; Quinimò verba Concilii ſunt abſoluta, & generalia, adeòque reſtringi non valent ad facultates non juridicas, ſivè ad tranſitus ſine cauſa factos, prout aliàs declaravit Sacr. Congr. ejuſdem Concilii interpres in *Dubio Tranſitus ad laxiorem* 26. *Januarii* 1675. ubi cùm Profeſſus in Religione, in qua abſtinetur ab eſu carnium, ea dimiſſa ſe apud Parentes hæreticos recepiſſet, ac inde ejus ſubverſionis periculum eſſet; Superiores ſuæ Religionis petierunt, an ſtantibus his circumſtantiis, poſſent tuta conſcientia illi concedere tranſitum ad Religionem mitiorem, in qua eſus carnium eſſet licitus; & Sac. Congr. reſpondit negativè, ut habetur in *libr.* 29. *Decr. pag.* 3. *à ter.* Luculentiùs idem declaravit Sac. Congr. Epiſcoporum relata per Pignatell. *conſult.* 68. *n.* 4. *to.* 10. ubi reſpondit, non licere Præpoſito Generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli etiam quacumque extante cauſa, vel ſub prætextu privilegiorum facultatem tranſeundi ad laxiorem ſuis ſubditis impartiri, ac proinde ipſius Congregationis profeſſos, qui abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia ad laxiorem Religionem ſe transferunt, ad primævam Religionem revocari debere, novamque profeſſionem inibi emiſſam, nullam eſſe, & invalidam. Subinde ejuſdem Congregationis, & aliorum Ordinum quorumcumque Generalibus, ac Superioribus reſpectivè mandavit, ut impoſterum à dimiſſione, aut receptione ſimilium omninò abſtineant ſub pœna privationis officii, ac vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque contra receptores Apoſtatarum emanatis; eiſdemque affici voluit pœnis profeſſos, qui contra hujus decreti formam ad præfatas Religiones ſe transferre præſumſperint, ut in decreto edito *die* 20. *Januarii* 1651.

His accedit, quod, ut quotidie obſervamus, nec Se-
des Apoſtolica tranſitum ad laxiorem concedit, niſi ul- 20
tra alia ad tranſitum requiſita, legitima cauſa concurrat; quinimò ſi abſque juſta cauſa concedatur, non ſuffragatur in foro conſcientiæ, ut docent Abbas *in c. non eſt vobis nu.* 6. *de Regul.* & alii apud Gratian. *diſcept.*

Digitized by Google

ſtept. 434. *n.* 17. proinde inveriſimile redditur, voluiſſe Concilium prohibere tantùm tranſitus ſine juſta cauſa fieri ſolitos, præſertim cùm etiam ante Concilium pluribus Religionibus prohibitus eſſet tranſitus ſine licentia Papæ, ut præ cæteris quoad Mendicantes cautum
21 eſt in *Extrav. Viam ambitioſæ de Regul.* quàm, licèt Leſſius. & Sanchez, quos ſequuntur Barboſ. *in cit. c. licèt n.* 13. Tamburin. *cit. diſp. 7. quæſ. 5. nu. 7.* aſſerant non eſſe uſu receptam, vel intelligendam eſſe de tranſitu ſine cauſa; contrarium tamen ex ipſomet uſu comprobatur, cùm ſolus Papa concedat tranſitum à Mendicantibus ad non Mendicantes, etiam ſi alias quævis juſta cauſa ſubſit; ut tradit Fagnan. *in cit. c. dilecti n.* 31. quem ſequitur Paſſerin. *cit. qu. 189. art. 8. n.* 117. Ultra quod ex *eadem Extravag.* elicitur, cenſeri prohibitum Superioribus Regularibus ex quavis juſta cauſa concedere tranſitum, cùm in ea permittatur, tranſitus ad Carthuſienſes, qui cùm non cenſeatur permiſſus, niſi ex cauſa, videtur expreſsè denegatus quoad alios Ordines Monachales, etiamſi quæcumque juſta cauſa ſubſit.

Hæ quidem cauſæ, ex quibus diſpenſari ſolet ſuper
22 tranſitu ad Religionem laxiorem, plures à DD. recenſentur, quarum pleræque non videntur eſſe ſufficientes Etenim cùm tranſitus ſit de genere prohibitorum, ac regulariter improbetur ex ſupra deductis ad *Conſtit.* 1. Benedict. XII. præſertim ſi de tranſitu ad laxiorem agatur, ut notat Gloſſ. *in can. Monachi 33. ver. nec in Civitatibus 16. qu.* 1. ideò hac in re ita procedendum cenſerem, ut ſi cauſa tranſeundi adſit, & huic ſatisfieri poſſit permittendo tranſitum ad arctiorem, permitti non debeat ad æqualem, aut laxiorem; ſimiliter ſi cauſa ſit talis, ut conſuli poſſit tranſire volenti, indulgendo tranſitum ad æqualem, concepi non debeat ad laxiorem, cùm major ſit prohibitio tranſeundi ad laxiorem, quàm ad magis ſtrictam, vel æqualem; Qua etiam ratione Sacra Pœnitentiaria, teſte Fagn. *in cit. c. dilecti n.* 32. non concedit Mendicantibus tranſitum ad non Mendicantes, niſi ultra tranſeundi cauſam, inter Mendicantes benevoli receptores non inveniantur. Hinc ſanè fit, ut reputari non debeant cauſæ ſufficientes pro permittendo tranſitu ad laxiorem, quod ſcilicet Religioſus in priori Religione odio habeatur à cæteris Fratribus, aut indignè, & malè tractetur, ſivè ſit aliis exoſus, vel ſi in Religione adeò ſit infamatus ob aliquod crimen à ſe patratum, ut ſemper in ea pudore ſuffuſus, ac magna triſtitia affectus vitam ſit tranſacturus, ſimiliter ſi in prima Religione adſit aliquod perfectionis impedimentum, quod non eſt in alia; vel ſi propter noxiam aeris temperiem, non poſſit permanere in priori Religione, aut ea non ſervetur regula, quæ tamen obſervatur in alia Religione, ad quam tranſire cupit; hæ enim, etſi communiter reputentur cauſæ legitimæ diſpenſandi ſuper tranſitu ad laxiorem, ut apud Barboſ. *in cit. c. licet n. 15. de Regul.* Sanchez *in Summa to. 2. lib. 6. c. 7. n.* 72. Diana *to. 3. tract. 2. reſol.* 43. Tamburin. *cit. diſp. 7. q. 5. n. 11. & ſeqq.* Murga *ad Conſt.* 6. Alex. IV. *ſect. 3. ſubſect. 3. n. 160. & ſeqq.* Nihilominùs cùm Religioſo has cauſas habenti, ſatis conſuli poſſit, permittendo tranſitum ad ſtrictiorem, aut æqualem, nulla ratio patitur, ut ad Religionem laxiorem traſmigrare ſinatur. Hinc non malè ſentire viſus eſt Fagn. *in cit. capitul. dilecti numer.* 40. aſſerens, ſolam infirmitatem, vel debilitatem provenientem ex obſervantia regulæ arctioris, eſſe legitimam cauſam diſpenſandi ſuper tranſitu ad laxiorem, cum ei occurri non poſſit tranſeundo ad ſtrictiorem, aut parem, quicquid dicat Corrad. *in praxi diſpenſ. lib. 5. c. 15. n. 13. verſ. ſanè.* Cæterum id relinquitur arbitrio, & prudentiæ Sac. Congregationis, cùm multoties aliæ, & quidem graviores cauſæ id ſuadentes concurrere valeant, inter quas recenſetur Apoſtaſia; hac enim attenta, in De-
23 creto, ſeu Indulto de Apoſtatis, & ejectis permitti ſolet tranſitus etiam ad laxiorem, dummodò tamen in ea vigeat Clauſtralis, & Regularis obſervantia; Quinimò etiam extra tempus præfati Indulti, Regularibus a Religione, & à fide Apoſtatis, qui diù inter hæreticos vagati ſunt, concedi conſuevit tranſitus ad quamcumque aliam Religionem; cum aliis verò Apoſtatis con- 24
ſultiùs proceditur, ne ſpes tranſeundi ad laxiorem det anſam apoſtatandi; unde eſt, ut Indulta generalia pro Apoſtatis revocandis rarò concedantur; nec ea determinato tempore concedi expediat, prout frequentiùs fieri ſolet imminente Univerſali Jubileo; nam certitudo futuri Indulti non paucos ad Religionem deſerendam induceret.

Porrò quamvis ſub nomine Religionis laxioris comprehendi poſſe videantur Ordines Militares, ferè ta- 25
men numquam ad hos tranſitus permittitur, ut tradit Fagn. *in c. ſanè n. 65. de Regul. & Sac. Congr. Epiſc. die 7. Novemb.* 1597. relata apud Pignat. *to. 9. conſult. 170. num. 9. verſ. at his*, declaravit, in vim licentiæ alicui Regulari conceſſæ, ut alium quemcumque Religioſum Ordinem approbatum, & in quo Regularis vigeat obſervantia ingredi poſſet, non poſſe tranſire ad Ordinem Militarem, niſi expreſsè concedatur; hi enim Ordines, quamvis Regulares ſint, ejus tamen Alumni potiùs more ſæcularium vivunt, nec Clauſtralem vitam ſervant, ut advertit Card. de Luca *de Regul. diſc. 37. n.* 10. & attento quod ea Religio dicatur arctior, in qua adeſt durior, & aſperior vivendi modus; Religiones Militares omnium laxiores reputari debent, prout de facto uti tales habentur; qua etiam ratione ad Hoſpitalarios S. Spiritus in Saxia, & S. Antonii Viennenſis difficillimè tranſitus conceditur, nec comprehenſi cenſentur in Indulto tranſeundi ad quamcumque Religionem, in qua vigeat Clauſtralis, & Regularis obſervantia, ut cenſuit Sac. Congregatio Concilii in *Cajetana tranſitus 24. Martii* 1703. ubi cùm Apoſtata ex Ordine Minorum Obſervantium, in vim generalis Indulti de Apoſtatis permittentis tranſitum ad laxiorem, in qua Clauſtralis, & Regularis Obſervantia vigeat, tranſitum feciſſet ad Ordinem S. Antonii Viennenſis, proindeque dubitatum fuiſſet, *An potuerit vigore ſupradicti Indulti tranſire à Religione Fratrum Minoris Obſervantia S. Franciſci Tertii Ordinis, ad Religionem Canonicorum Regularium S. Antonii Viennenſis*. S. Congregatio reſpondit: *Tranſitum fuiſſe nullum, & Orator omninò redeat ad ſuam primam Religionem infrà menſem ſub pœnis contentis in indulto de Apoſtatis*. Similiter cùm aliàs eadem Sac. Congr. cenſuiſſet, poſſe concedi tranſitum cuidam Religioſo Societatis Jeſu ad Hoſpitalarios, facto deinde verbo cum Sanctiſſimo, hic approbavit quidem ſententiam Sac. Congregationis quoad tranſitum ad quamcumque Religionem, in qua Clauſtralis, & Regularis obſervantia vigeat, non autem quoad tranſitum ad Religionem S. Spiritus, ut in *Mantuana 30. Auguſti* 1698.

Unde apparet, pro concedendo tranſitu ad has Re-
ligiones non ſufficere cauſas aliàs ſufficientes pro tran- 26
ſitu ad laxiorem, & eadem Sac. Congr. in *Romana Tranſitus*, 19. *Maii* 1668. denegavit tranſitum à Religione Olivetana ad Fratres Capellanos S. Joannis Hieroſolymitani, quamvis adeſſet cauſa gravis infirmitatis, ex qua inhabilis reputabatur ad ſervandam Regulam Monaſticam, niſi cum magno vitæ periculo. Quemadmodum etiam nuperrimè Sac. Congr. Epiſcoporum in *Portugallien. tranſitus*, denegavit tranſitum ab Ordine Capuccinorum ad Equites Hieroſolymitanos, quamvis tranſire cupiens, eſſet vir eximiæ nobilitatis, qui poſt brevem in d. Religione moram hanc deſeruerat, ac per quindecim annos in habitu ſæculari aberraverat etiam apud hæreticos, militiæ operam dando. Cæterùm quamvis hujuſmodi tranſitus difficulter, & nonniſi ex graviſſimis cauſis concedatur, plures tamen eſt reperire caſus, in quibus fuit conceſſus, ut apud Alphon. Soto *ad Regul. Cancell. 22. hodie 23. de Mendicantibus transferen. nu.* 4. ubi plura exempla talium tranſlationum, præſertim à Franciſcanis ad Hieroſolymitanos, tempore Sixti V. conceſſarum adducit; eumdemque tranſitum à Capuccinis ad Fratres Capellanos Hieroſolymitanos fuiſſe conceſſum refert Rota *dec. 510. n. 3. & dec. 643. in princ.*

princ. coram Buratt. dec. 121. poſt Tamburin. *to.* 3. *de jure Abbat.* & de ſimili diſpenſatione à Clemente X. conceſſa, tranſeundi ab Ordine Caſſinenſium ad Hoſpitalarios S. Spiritus in Saxia, & ab his ad aliquem ex Ordinibus Militaribus S. Jacobi Alcantaræ, & Calatravæ, habetur in *Cephaluden. Penſionis die* 25. *Junii* 1683. §. *validitas*, & §. & *quamvis coram Urſino*: Etſi autem Apoſtatis concedatur tantùm tranſitus ad laxiorem Religionem, in qua Regularis, & Clauſtralis obſervantia vigeat; quandoque tamen cum iis, qui diu apud hæreticos permanſerunt, conceditur tranſitus etiam ad Religionem non Clauſtralem, prout aliàs conceſſum fuiſſe memorat Monacell. *in formul. legal. to.* 1. *in* Append. *pag.* 342. *nu.* 3. & ex eadem cauſa ſa. me. Urbanus VIII. indulſit tranſitum à Congregatione Theatinorum ad Ordinem S. Spiritus; unde ortum habuit controverſia, de qua in *Romana legati* 12. *Junii* 1690. & 24. *Novembris* 1692. *coram Priolo*, & 27. *Novembris* 1693. *cor. Urſino*.

CONSTITUTIO IX.

EUGENII IV.

Incipiens (*Regularem.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM REI Memoriam.

PRivilegia, & gratias, exemptionemque concedit Eugenius Congregationi S. Juſtinæ Monachorum S. Benedicti, & præcipuè ut poſſint recipere Ordines à quocumque Catholico Epiſcopo.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Plura privilegia, & exemptiones conceſſa Congregationi Monachorum S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti.*

2 *Inter alia privilegia id fuit, quod Monachi valeant ordinari à quocumque Catholico Antiſtite, & ſine examine in aliena Diœceſi.*

3 *Hujuſmodi privilegia, ut ordinentur ſine examine, & in aliena Diœceſi fuerunt abrogata.*

4 *Privilegium tamen recipiendi Ordines à quocumque Epiſcopo, an fuerit revocatum præſertim à Concilio Tridentino?*

5 *Adducitur Decretum ſub Sixto V. & Clemente VIII. modificativum dicti privilegii.*

6 *Quomodo ſervandum in iis, qui ordinantur in vim Brevium extra tempora, vel diſpenſationis interſtitiorum, & nn. ſeqq.*

7 *Congregatio particularis à Sanctiſſimo deputata quid ſenſerit in eo, quod in Brevibus prædictis pro Regularibus apponeretur clauſula*, ſervata forma Decreti Clementis VIII. & *nu.* 15.

8 *Motiva adducuntur, & præſertim ſolutum in Brevibus, quæ expediuntur per Datariam, & nn. ſeqq.*

9 *Refertur privilegium PP. Societatis Jeſu, ut ordinentur in tribus diebus feſtivis à quocumque Epiſcopo, ac reſolutio S. Congreg. Concilii in Mechlinien. ad eorum favorem.*

10 *Afferuntur rationes dicti privilegii.*

11 *Adducuntur plures rationes pro ſervando Decreto Clementino etiam in Ordinationibus particularibus.*

12 *In Urbe commorantes nequeunt ordinari cum litteris dimiſſorialibus eorum Ordinariorum ſine examine, & licentia Cardinalis Vicarii Urbis.*

13 *Quid ſervandum, etiam ſi illi obtinerent Brevia extra tempora cum facultate ſe promovendi à quocumque.*

14 *Quomodo ſervetur in Dataria, & Secretaria Brevium.*

15 *Senſus dictæ Congregationis refertur.* *Sanctiſſ. D. N. CLEMENTIS XI. quid uſqueadhuc in hac re mandaverit. Ibid.*

BEnigno affectu proſequi non deſtitit Eugenius Con-
gregationem S. Juſtinæ de Obſervantia Ordinis S. 1
Benedicti, dum poſtquam eam approbavit, ac conceſ-
ſit illi facultatem poſſidendi bona, ac legata accepan-
di, ut retuli ſupra *Conſt.* 2. & 5. hujus Pontificis, ac
ulteriora progreſſus hanc aliam edidit Conſtitutionem;
imò potiùs dicam duas, ſed ſub eodem numero à Che-
rubino poſitas, & in compendio ſummatas; & una
eſt in alterius calce; prima etenim fuit edita Bononiæ
pridiæ Kalendas Julii Anno 1436. & alia in eodem lo-
co quarto Nonas Julii ejuſdem anni: In prima etenim
conceſſit Pontifex Monachis d. Congregationis plura
privilegia, quæ aliis Regularibus in Superioribus Con-
ſtitutionibus conceſſa videntur ab aliis Romanis Anti-
ſtitibus, & anterioribus Commentariis ferè omnia ad
rem explicata, vel alio loco commentanda; In ſecun-
da verò Conſtitutione in calce primæ regiſtrata, licèt
anteriore, conceſſa fuit exemptio ab Epiſcoporum, ac
Parochianorum juriſdictione, ac iis debita portione
Canonica, de quibus aliàs dixi, dictuſque de aliis in
Commentariis ſequentibus. In præſenti, cùm inter alia 2
privilegia ab Eugenio conceſſa, id eſſet; ut Monachi
hujus Congregationis præſentati à ſuis Superioribus poſ-
ſint ordinari à quocumque Catholico Antiſtite in pro-
priis eorum Eccleſiis, etiam in aliena Diœceſi, & ab-
ſque examine, ut in §. 5. dictæ primæ Conſtitutionis
exprimitur; animadvertendum porrò eſt, quòd poſt
Concilium Tridentinum revocata certè remanſerint pri-
vilegia hujuſmodi, ut ordinari debeant abſque exami-
ne, quodque accerſiri poſſit Epiſcopus alienus, ut in
ipſis Regularium Eccleſiis ordinationes faciat ſine li-
centia proprii Epiſcopi Diœceſani, ut latè dixi *to.* 1.
Conſt. unica Urbani II. *ſect.* 2. *pag.* 332.

Imò quoad iſtud privilegium, & aliud, ut valeant
iſti Monachi recipere ordines à quocumque Catholico 3
Antiſtite etiam citato loco dixi talia privilegia fuiſſe
quoque abrogata; nam uſque à temporibus Leonis X.
in Concilio Lateranenſi ſub eo celebrato in ejus Bulla
incip. *Dum intra* 22. *Bullar. to.* 1. §. 11. habetur, ut
Regulares examinari debeant à proprio Epiſcopo ordi-
nante, quodque nequeant alieni Epiſcopi illos ordina-
re in aliena Diœceſi, etſi in propriis Eccleſiis, ſine li-
centia proprii Diœceſani, à quo ordinari tantùm de-
beant, niſi Diœceſano abſente, vel abſque rationabili
cauſa contradicente; Verùm etiam dictum privilegium
recipiendi Ordines à quocumque Epiſcopo invaluit poſt
dictum tempus, tum quia dicta verba Concilii Latera-
nenſis fuerunt emanata quoad Mendicantes, & ſic Mo-
nachi eis non affici dicebant, tum etiam quia videban-
tur percutere, ne ordinentur ab alieno Epiſcopo in pro- 4
priis Eccleſiis exiſtentibus in aliena Diœceſi, ſecùs au-
tem ſi ordinatio ſequeretur in Diœceſi propria alicujus
Epiſcopi, etſi ageretur de Monacho commorante in
aliena Diœceſi; imò aſſerebant neque ex vi Concilii
Tridentini talem facultatem, ut promoverentur à quo-
cumque Epiſcopo ad Ordines, fuiſſe ſubmotam; ſed
ſolùm ne id fiat in aliena Diœceſi, Diœceſano irrequi-
ſito, &, cum examine ordinandi, ut latè dixi *cit.
to.* 1, *loco adducto*. Sed ut ibi retuli Sixtus V. ſuo De-
creto ſancivit, quòd Regulares omnes recipere debe-
rent ordines ab Epiſcopis Diœceſanis, ubi morantur in
Conventu, ſed iis abſentibus poſſent uti privilegio mit-
tendi ordinandos ad quemlibet Epiſcopum, & ſanci-
tum clariùs fuit in decreto hujus Sac. Congregationis
ſub Clem. VIII. edito, ut literas dimiſſoriales omninò
dare competat Superioribus Regularibus, dirigendas
tamen Epiſcopo Diœceſano, ubi Regularis ordinandus
in

Digitized by Google

in Conventu moratur, ſi tamen Epiſcopus non face-
ret Ordinationes, vel abſens à Diœceſi eſſet, poſ-
ſent dictæ literæ dirigi cuicumq; Catholico Antiſti-
ti, necnon præſervando hoc caſu tantum privilegium
ut latiùs retuli citato loco, & juxta hæc, privile-
gium Monachorum S. Juſtinæ, de quo in præſensi
dicimus, debet intelligi, & plura ad intellectum hu-
jus Decreti Clementini ultra deducta ſuperiori loco
citato, dixi hoc *tomo ad Conſt.* 3. Bonifacii IX. in
qua cum innuerim Regulares obtinentes à Romano
Pontifice Brevia ſe promovendi ad Ordines extra tem-
6 pora, & tribus diebus feſtivis à quocumque Catholico
Antiſtite, poſſe declinare Epiſcopum Diœceſanum,
quodque ad hoc vitandum in Dataria hujuſmodi Bre-
via concedantur cum clauſula *ſervata forma decreti*
Clementis VIII. & in Secretaria Brevium hæc expe-
diuntur ſine dicta Clauſula; ac deputata fuerit Con-
gregatio ſpecialis à SS. D. N. pro Voto, an expedi-
ret etiam in Brevibus concedendis per Secretariam
Brevium dictam Clauſulam apponi. Hinc propoſito
7 dubio ſuper hujuſmodi re in Congregatione ſuper Re-
ſidentia Epiſcoporum, ſpecialiter hujuſmodi diſcuſſio-
ne ei demandata à Sanctiſſimo ad evitandum incom-
modum alterius conſeſſus, ſub die 23. Decembris 1710.
habita fuit Congregatio intervenientibus Eminentiſſi-
mis DD. Cardinalibus Panciaticò, & Fabrono, Reve-
rendiſſimis Nuntio S. C. Epiſcoporum Secretario,
Zaulo Vicegerente, Oliverio Secretario Brevium, &
me uti Secretario dictæ Congregationis. Obſervatum
8 etenim fuit, quod Decretum Clementinum præſefert
juſtitiæ maximam notam, & æqitatis, quia verè hu-
juſmodi Regularium privilegia accedendi pro Ordini-
bus ad quemcumque Epiſcopum poterant dici revo-
cata à Concilio Tridentino, imò potuerat prætendi,
quòd ex vi Concilii *c.* 8. *ſeſſ.* 23. *de ref.* valuerant E-
piſcopi prætendere concedere Dimiſſorias Regulari-
bus, in caſu quo eos ordinare non poſſent; unde cum
decretum Clementinum literas dimiſſorias præſerva-
verit Superioribus Regularibus, ita tamen, ut eas dirigere
deberent Epiſcopo Diœceſano, ſi fuerit in Diœceſi, &
ordinationes faciat, videtur talis lex promulgata correſpe-
ctivè, itaut omninò teneantur Regulares, ſaltem hoc jus
reverentiale Epiſcopis præſtare, à quibus ulterius plurima
recipiunt beneficia, nempe facultatem adminiſtrandi Sa-
cramentum Pœnitentiæ, prædicationem, ſuntque in eo-
rum territoriali juriſdictione, quæ rationes urgent tàm
ſi ordinatio fiat in temporibus ſtatutis, quàm extra il-
la; Motivari tamen poterat ex alia parte, quod PP.
Societatis Jeſu obtinent privilegium recipiendi ordi-
9 nes in tribus diebus à quocumq; Epiſcopo in propria
Diœceſi irrequiſito Ordinario etiam ordinationes ha-
bente, ut declaravit Sac. Congr. Conc. in *Mechlinienſi*
acriter plures diſpuſato dubio: *An Clerici Societatis
Jeſu habitantes in Diœceſi Mechlinienſi Archiepiſcopo
ordinationem habente poſſint extra Diœceſim ordinari
ab alio Epiſcopo in hujus propria Diœceſi.* S. C. cen-
ſuit *Affirmativè.* Unde ſicuti ſe habet Indultum gene-
rale conceſſum dd. PP. ut ordinentur in tribus diebus
feſtivis, itaut ordinari valeant ab alieno Epiſcopo non
ſervata forma decreti Clementini, ita ſe habere debet
Indultum, ſeù Breve ſpeciale certo Regulari conceſ-
ſum, ut ordinetur in tribus diebus prædictis, & licèt
Concilium voluerit hujuſmodi facultatem de promo-
vendo deberc concedi cum clauſula, ut concurrere de-
beant literæ Dimiſſoriales proprii Ordinarii; tamen in
Brevibus pro Regularibus apponitur clauſula: *De Su-
periorum Regularium licentia*, quia ad iſtos ſpectat con-
ceſſio Dimiſſorialium, & atteſtatio de vita, & mori-
bus, & non ad Epiſcopum, eoque magis, quia De-
cretum Clementinum videtur procedere ſi Epiſcopus
faciat ordinationes, ſcilicet generales, & ſicuti Epiſ-
copi ex eorum munere non tenentur, nec poſſunt co-
gi ad ordinationes particulares, ita correſpectivè vide-
tur eſſe liberum Regularibus ordinandis tribus diebus
feſtivis adire Epiſcopos quoſcumque benevolos, qui
tale onus velint ſubire, & etiam innui ſupra *cit. Conſt.*
3. Bonif. IX. & quatenus pro his ordinationibus peculia-
ribus deberet requiri Epiſcopus, variæ orirentur amba-
ges de forma hujus requiſitionis, & probationis, quod
non evenit in ordinationibus generalibus, quas facere
Epiſcopus tenetur ex proprio munere, ac præviis edi-
ctis, ac in publico adminiſtrationis actu facilè pro-
bando.

Verùm quoad PP. Societatis Jeſu animadverſum fuit
ſpeciale illud privilegium canonizatum per Decretum 10
S. C. non ſubjacere formæ Decreti Clementini fuiſſe eis
conceſſum à Gregorio XIII. in ejus *Conſtit. 77. incip.
Pium to. 2. Bullar.* & confirmatum à Paulo V. & ſic
nedum poſt Concilium, ſed poſt Decretum Clementi-
num, unde poſteriora derogant prioribus, ſed rurſus
tale privilegium fundatur ſuper Inſtituto ejuſdem Socie-
tatis, cujus ſodales peregrinantes dicuntur, nec manci-
pati ulli Eccleſiæ, aut loco ſunt, ut ibi permaneant, ſed
ſemper parati dicuntur ſub voto hunc, illucque diſcur-
rere pro Animarum ſalute in Miſſionibus agendis ſub
juſſu Romani Pontificis, ut idem Gregorius dixit in
cit. Bulla, & ſic meritò à quocumque Epiſcopo ordi-
nari valent cum dimiſſorialibus Superioris Societatis,
quæ ratio non viget in aliis Regularibus quorum vi-
ta, & mores etiam Epiſcopis noti eſſe poſſunt ex do- 11
micilio in Monaſteriis, & incumbit illis ſcrutari mo-
res Regularium, qui debent proprio populo Sacramen-
ta miniſtrare; & propter nativam ſubjectionem Mona-
ſteriorum in Diœceſi, quæ omnes rationes vigent tàm
in ordinationibus generalibus, quàm particularibus,
& quamvis in Decreto Clementino fiat mentio ſim-
pliciter de ordinationibus, hæc indefinita prolatio om-
nes comprehendit, cùm eadem vigeat ratio, eò for-
tius, quia tempore Clementi VIII. paulò poſt Conci-
lium facultates de promovendo tribus diebus feſtivis 12
non facilè concedebantur, prout nunc conceduntur pro
Regularibus cum clauſula; *ob penuriam Sacerdotum*,
& ad rem adduci valet caſus. Cum enim ſub Alexan-
dro VII. emanaſſet Edictum, ſeu Decretum in urbe,
quod in ea exiſtentes non valerent ordinari à quocum-
que Epiſcopo, etiam cum literis dimiſſorialibus proprii
Ordinarii, vel cujuſvis alterius facultatis, niſi prævio
examine in Urbe, & licentia obtenta à Cardinali Vi-
cario, quod etiam nunc ſervatur, dubitatum fuit: *An
Romæ commorantes obtinentes Brevia extra tempora,
& in tribus diebus feſtivis cum ſolita clauſula, ut vale-* 13
*ant ordinari à quocumq; Catholico Antiſtite, poſſint
id agere ſine licentia Cardinalis Vicarii.* Congregatio
deputata cenſuit *comprehendi ſub dicto Edicto*, prout
regiſtratur dictum edictum, & reſolutio poſt Synodum
Diœceſanam Nonantulanam *pag.* 35. & 36. Accedit,
quòd Dataria hujuſmodi facultates concedit Regulari- 14
bus cum dicta clauſula, *ſervata forma Decreti* Clem.
VIII. cui videtur debere ſe conformare Secretaria Bre-
vium. Tamen opponebatur, quod ex ſtylo inconcuſſo
talis clauſula apponebatur in Brevibus hujuſmodi per
Secretariam Brevium expediendis, ut teſtabatur R. P. D.
Oliverius Secretarius Brevium Sanctiſſimi D. N. hinc
Congregatio etſi inclinaret pro uniformatione Secreta-
riæ Brevium cum Dataria, & appoſitione dictæ clau-
ſulæ, tamen remiſit negotium, prævia exploratione ve-
ri ſtyli tam Datariæ, & Secretariæ prædictæ, Sanctiſ-
ſimo D. N. diffiniendum, cujus ſummæ poteſtatis ſo-
lùm eſt ſtylos variare, ſibiq; facultatem limitare, cùm
à nemine in Terris judicetur, & ratione, ac æquitate
ductus ſæpius reformat ſuos Adminiſtros, ut actum fuit
in pleriſque quoad expeditionem Brevium tempore va-
riorum Summorum Pontificum. Unde SS. D. N. jux-
ta ejus ſummam providentiam demandavit, videri ſty-
lum Datariæ, & Secretariæ Brevium; præſertim juxta
tempora proxima præfato Decreto Clementino, expe-
ctaturque in re ejus oraculum uſque ad tempus hoc,
quo ſcribimus, non prolatum juxta quod hæc materia
erit regulanda,

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO X.

EUGENII IV.

incipiens. (*Militanti.*)

EPITOME BULLÆ

EUGENIUS. ARCHIEPISCOPO Mediolanenſi, Caſtellanenſi, ac Ariminenſi Epiſcopis, Necnon Abbati Monaſterii Caſſinenſis Nullius Diœceſis.

JUdicum Conſervatorum Congregationis S. Juſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti juriſdictio, & facultas in præſenti decernuntur.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Eugenius conceſſit Congregationi S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti Judices Conſervatores cum facultatibus pluribus.*
2 *Conſervatorum utilitas refertur.*
3 *Aliæ Religiones, quæ Conſervatores obtinuerunt à Sede Apoſtolica.*
4 *Plures modificationes referuntur quoad facultates Conſervatorum Regularium.*
5 *Conſervatores etiam innuuntur in jure civili, & qui erant.*
6 *Antiquitus jam inoleverat uſus Conſervatorum in Regularibus.*
7 *Conſervatorum nomine lato ſumpto vocabulo, qui veniant.*
8 *De Conſervatoribus ſpecialibus Regularium plura adducuntur, & qui dicantur.*
9 *Facultates, & qualitates eorum innuuntur ex pluribus Textibus Juris Canonici.*
10 *Quid fuerit indictum ex Sac. Conc. Trid. quoad Conſervatores.*
11 *Quid in Bullis noviſſimis Summorum Pontificum.*
12 *DD. recenſentur de Conſervatoribus agentes. Remiſſivè.*
13 *Differentia inter Protectores, & Conſervatores aſſignatur.*

QUamvis & maximorum, & mediocrium, & par-
1 vulorum Summis Pontificibus ea cura ſit, &
neminem à Paſtorali umbra removeant; attamen nonnullæ Regularium Congregationes adeò Apoſtolicam benevolentiam aliquando promeruerunt, quod majorem partem eorumdem cordis quaſi occupare videantur; Ita quidem præcipuum Eugenii IV. ſtudium ſibi conciliaſſe celeberrimam S. Juſtinæ Congregationem Ordinis S. Benedicti, inde evidenter patet, cum inter quamplures eaſque graves ſui Pontificatus ſollitidunines, ſemel, & iterum, tertiò, & quartò in hanc Congregationem munificè converſum fuiſſe in ſuperioribus pluribus Conſtitutionibus retulerim; Et in præſenti Conſtitutione edita Bononiæ Anno 1436. 8. Kalendas Decembris providè ejuſdem indemnitati conſuluit, Conſervatores Judices deputando Mediolanenſem Archiepiſcopum, ac Caſtellanenſem, & Ariminenſem Epiſcopos, necnon Abbatem Monaſterii Caſſinenſis, quatenus ipſi, vel duo, aut ſinguli etiam per alios, quamvis extra loca, in quibus deputati ſunt Conſervatores Judices eidem Congregationi efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, non permittentes à quovis indebitè moleſtari, prout latiùs ex præſenti Conſtitutione. Et quidem nil magis proficuum Congregationi S. Juſtinæ Eugenius conferre poterat, quam Conſervatores deputando; Vix enim profuiſſet privi-
legiis, & gratiis eamdem exornare, niſi item ſuſcita- 2
ret, qui ab injuriis, & violentiis defenderet, atque invigilaret ad ejuſdem privilegia ſarta tecta conſervanda, ut meritò innuerit Imperator, utili admodum ratione proſpectum eſſe, ut quis defenſoris beneficio perfruatur, in *leg. unic. Cod. de defenſ. Civit.* Hinc quidem eſt, quod Summi Pontifices Religionibus illis, quas majori animi ſtudio ſunt proſecuti, privilegium deputandi Conſervatores benignè indulſerunt; ſicut enim
Conſervatores cum ampliſſima facultate habent Mona- 3
chi S. Juſtinæ ex hac Eugenii *Conſtit.* 10. qui præterea poſſunt eſſe illi, quibus de jure cauſæ delegari poſſunt per *Conſt.* 8. Innocentii VIII. Ita quidem Fratres Prædicatores Conſervatores habent ex *Conſt.* 7. Sixti IV. & S. Pii V. *in Conſt. incip. Ad hoc.* Canonici Regulares Lateranenſes eligunt ſibi Conſervatores cum ampliſſima Juriſdictione ex *Conſt.* 10. *incip. Dum ad univerſos ejuſdem* Sixti IV. Monachi inſuper Olivetani Ordinis S. Benedicti Conſervatores habent ex Julii II. *Conſt.* 5. *incip. Militanti.* Similiter Camaldulenſes ex *Conſt.* 2. Leonis X. *incip. Etſi*; Item Fratres Minimi S. Franciſci de Paula multis cum facultatibus ex *Conſt.* 6. Clem. VII. *incip. Conqueſtionem*; Clerici Regulares S. Pauli Decollati ex Julii III. *Conſt.* 10. *incip. Ad hoc.* Quin & Hieroſolymitani Equites quoque Conſervatores ſibi eligunt ex *Conſt*, 9. Pii IV. *incip. Circumſpecta*; Regulares quoque Societatis Jeſu ex S. Pii V. & Greg. XIII. *Conſt. incip. Æquum*; Fratres tandem Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Conſervatores ſibi deligere poſſunt ex *Conſt.* 101. Alexandri VII. & aliis Religionibus hujuſmodi privilegia habentibus, ſi quæ ſint, omiſſis, aliæ quoque communicationem privilegiorum habentes, poſſunt Conſervatores eligere ex *c. fin. de offic. deleg. in 6.* in quo dicitur, quod plerumque Conſervatores a Sede Apoſtolica conceduntur, & ex oraculo Sac. Congreget. Concilii firmant Paſſerin. *in c. hac Conſt. n.* 160. *in fine de offic. Jud. deleg. in 6.* Barbol. *ad Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *de reform. n.* 4. *& de Epiſcopo par.* 3. *alleg.* 105. *n.* 7. *§. quare in fine.*

Cùm itaque non ſemel in hoc opere recurrant Con-
ſtitutiones, Conſervatorum materiam nobis præſtan- 4
tes, atque ſanè in præſenti Conſtitutione diſpoſita, per ſubſequentes modificata comperiantur, & potiſſime ex *Conſt.* 9. Gregorii XV. *incip. Sanctiſſimus* infra recenſenda, reliquum itaque eſt, quod in præſenti nonnul-
la quoad Conſervatorias altius repetamus; Et ſanè, 5
quamvis de Conſervatoribus prima mentio in Jure Canonico fiat in ſexto libro Decretalium, priſcis temporibus prorsùs ignotos fuiſſe, ſiquidem non ſemel apud *Cic. pro Sextio* Conſervatores recenſentur, qui Civitatibus præſunt; ſępius autem locorum, provinciarumque ſervatores recenſentur in *Auth. ut judices ſine quoque ſuffrag. collat.* 2. *§. nulli, & §. interdicimus, in Auth. de mandat. Princip. collat.* 3. *§. eos autem*, atque de Conſervatoribus diſponitur in tota *Auth. ut nulli judicium liceat habere loci ſervatorem, niſi certis ex
cauſis divina conceſſerit juſſio.* Quin etiam in noſtris 6
propriè terminis, pleraque Monachorum Monaſteria antiquitùs ſuos Conſervatores delegiſſe, evincitur ex collectis à Thomaſin. *de vet. & nov. Eccl. diſcipl. ſeu de benefic. par.* 3. *lib.* 2. *c.* 55. *per tot. & n.* 4. qui ex Chronico Senonenſi recenſet: *Vides Abbas ſe non poſſe, niſi magno labore tot, & tantis moleſtationibus reſiſtere, ſtatuit ſibi, & Monaſterio ſub modo Advocatia de Conſervatore providere.* ultraquamquod ex ipſomet *Tex. in c.* 1. *de offic. delig. in 6.* elicitur, ſæpeſæpius Summos Pontifices Regularibus ſuos Conſervatores ſtatuiſſe. Profectò autem ab origine Conſervatorum munus, & officium, ut verbis etymon ſonat, fuit ſuos Clientes conſervare, cuſtodire, atque tueri, quod eleganter expreſſit Imperator in *leg.* 4. *C. de defen. Civ.* ubi formam ſuæ adminiſtrationis præſcribens Theodoro *defenſori Civil.* hæc verba habet: *Ut in primis parentis vicem plebi exhibeas deſcriptionibus, &c. non patiaris affligi: Officialium inſolentiæ, & Judicum procacitati, ſalva reverentia pudoris occurras.*

Ita

Ita quidem latè ſumptum Conſervatorum officium,
7 nihil prohibet, quod Summus Pontifex, Epiſcopi, aliq; Prælati, & Principes Conſervatores dicantur, cùm hi omnes ex officio ſubditos conſervare, & defendere, eorumdem injurias vindicare, & juſtitiam tueri adſtringantur ex *Tex. in c. ex parte, & c. ex tenore de foro competenti, c. ſignificaſti de offic. deleg. leg. un. C. quando Imperator inter Pupill. & Viduas*; quinimò, & ipſe Deus, cujus eſt omnia verbo virtutis ſuæ portare, ut inquit *Apoſt. ad Hebraos* 1. potiori Jure Conſervator univerſalis ex fide, & ratione nuncupari debet, S. Thom. *par. 1. q. 104. art. 1.* ut meritò David ad ipſum converſus dixerit. *Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te*; & ſæpiùs Conſervatoris nomen Deo in Sacris Literis attribuitur.

Proculdubio tamen de his Conſervatoribus univer-
8 ſalibus, ſivè ita latè ſumptis, non loquitur præſens Conſtitutio, ſed tantùm de iis Conſervatoribus, qui à Sede Apoſtolica ſpecialiter ad tuendum determinatas perſonas, vel loca, ſivè privilegia conceduntur; ut verò de his aliqua ſubdam, certum eſt, quod Conſervatores, novo jure Sexti Decretalium attento, deſcribi poſſunt, quod ſint veluti Judices dati ad tuendum aliquos contra manifeſtas injurias, & violentias, judiciali non utentes indagine, ex *c. 1. de offic. Jud. deleg. in 6.* ibi: *Statuimus, ut Conſervatores, quos plerumque concedimus, à manifeſtis injuriis, & violentiis defendere poſſint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam poſſint extendere poteſtatem*; modum autem coercendi
9 Epiſcopos Conſervatoribus hujuſmodi ſtatuit Alex. IV. *in c. quia Pontificali eod. tit.* ita quod ingreſſus primò ipſis, vel Sacerdotale interdicatur miniſterium, ac deinde ab officio ſuſpendantur, ac ſubſequenter aggravetur cenſura Eccleſiaſtica contra eos, niſi fortè aliter fieri ſuaſerit nimia contumaciæ protervitas, ſine culpa; Cùm verò hujuſmodi Conſervatores frequenter limites ſui officii excederent, vel minus idonei aſſumerentur, Bonif. VIII. conſultiſſima Decretali ſancivit *in c. hac Conſt. eod. tit.* ut nullus deputari poſſit in Conſervatorem, qui non ſit Epiſcopus, vel Superior, aut Abbas, ſeù Dignitatem, vel Perſonatum in Cathedralibus, vel Collegiatis obtinentes; adeò tamen, quod nullus deputati ſibi Conſervatoris eſſe valeat Conſervator. Nec aliquis deinceps Conſervatorem habeat eum, qui ſub ipſius juriſdictione dominio, vel diſtrictu Eccleſiaſtico, vel temporali conſiſtat; exceptis Regibus, & Reginis; Quod Conſervatores extra Civitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam à fine Diœceſium earumdem trahere non præſumant, quodque Conſervatores vices ſuas ſubdelegare non poſſint, citationibus, & ſententiarum denunciationibus dumtaxat exceptis, eo autem caſu non niſi intra Civitates, & Diœceſes; & perſonis tantùm habentibus qualitates requiſitas in ipſis Conſervatoribus; quod ſi Conſervatores de aliis, quàm de manifeſtis injuriis, & violentiis, ſe ſcienter intromiſerint; ſeù ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo per unum annum ab officio ſint ſuſpenſi; Pars etiam, quæ id procuravit, ſit ipſo facto excommunicata, neque poſſit abſolvi, niſi integraliter ſatisfecerit; Conſervatoris verò officium, morte concedentis expiret, quoad non cæpta negotia, & re integra, quoad verò munera, expenſas, eorumq; Aſſeſſores, Notarios, & teſtes obſervari debeant, quæ ipſe Bonifacius ſtatuit in *c. ſtatutum de reſcript. in 6.* tandem irrita, & inania decernuntur, quæ contra hujuſmodi Decretalem attentari contigerit.

Cùm verò nonnulli prætexentes injurias, & moleſtias
10 ſibi ipſis inferri, certos Judices Conſervatores deputari à Sede Apoſtolica obtinuiſſent, deinde eaſdem conſervatoris literas contra ejuſdem mentem detorquerent; Idcircò à Concil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 5. de ref.* providè ſancitum fuit, quod nemini omninò cujuſcumque dignitatis, & conditionis ſit, conſervatoriæ literæ ſuffragentur ad hoc, ut coram ſuo Epiſcopo, ſivè alio Ordinario in criminalibus, & mixtis cauſis accuſari, & conveniri, ac contra eum inquiri, & procedi non poſſit; In civilibus etiam cauſis, ſi hujuſmodi privilegiatus actor extiterit, minimè ipſi liceat reum apud ſuos Conſervatores Judices in judicium trahere; quòd ſi verò alias ipſe reus fuerit, ſi contigerit, ut electus Conſervator ab actore pro ſuſpecto habeatur, vel quomodolibet ipſius juriſdictio controvertatur; nequaquam in cauſa Conſervator procedere poſſit, donec per arbitros in forma Juris electos ſuper ſuſpicione, aut Juriſdictionis competentia fuerit judicatum; Hujuſmodi etiam privilegia Conſervatoriarum, quibus Familiares tueri ſe ſolent, non valeant niſi pro duobus famulis, qui tamen dominorum ſint commenſales, ſeù eorum ſumptibus vivant; Deinceps verò hujuſmodi literæ ultra quinquennium nullum robur habeant; Conſervatoribus quoq; nullum habere Tribunal erectum liceat; Tandem verò eadem Sancta Synodus declaravit, ſub hujuſmodi Canonis cenſura non comprehendi Regularium, Univerſitatum, Collegiorum, atque Hoſpitalium privilegia, ut ibi latiùs.

Hæc quidem de Conſervatoribus datis in forma
communi, & ordinaria, ut Clientes defendant à ma- 11
nifeſtis injuriis, ſancita reperiuntur in *libr. 6. Decretalium*, & Sacr. Conc. Trid. Quod ſi verò improbum laborem ſuſcipere vellem, recenſendo omnes Summorum Pontificum Extravagantes de Conſervatoribus Regularium, pleræque varia privilegia importare dignoſcerentur, ut diverſimodè Summi Pontifices jus commune quoad hoc vulnerarunt; Profectò autem quamvis S. C. Trid. nullam legem præfinire voluerit his Conſervatoriis literis, quæ favore Regularium à Sede Apoſtolica expediuntur, ut innui; Veruntamen cùm temporum experientia compertum fuerit, ex nonnullis hujuſmodi privilegiis intolerabiles effuſiones exortri; hinc Summi Pontifices generales Conſtitutiones, & Decreta ediderunt, quibus compeſcebatur Conſervatorum Regularium juriſdictio, & certus præfiniebatur modus, quem excedere non poſſent; Noſtris verò temporibus in viridi obſervantia etiam quoad Regulares privilegiatos potiſſimè comperiuntur, quæ Gregorius XV. *in Conſt. 9. incip. Sanctiſſimus* ſancivit, inherendo veſtigiis Clementis VIII. *in Conſt. 3. incip. Sanctiſſimus.* Videlicet prævia annullatione Conſervatoriarum quarumcumque perpetuò, vel ad tempus auctoritate Apoſtolica conceſſarum ad favorem quorumcumque Conventuum, Capitulorum Militarium, Congregationum, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum tàm ſæcularium, quàm cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, vel Societatis Regularium, idem Pontifex decrevit, ut nequeant Conſervatores deputari, niſi habeant, nedum qualitates requiſitas in *c. ſtatutum de elect. in 6.* adeòut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, verum etiam in Synodo Diœceſana, vel Provinciali, juxta Decretum Concilii Tridentini Judices electi, & deputati ſint, aliàs literæ conſervatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ, aliis quàm prædictis, nullius ſint roboris, atque Regulares, qui contra hanc formam Conſervatores eligere auſi fuerint, voce activa & paſſiva ſint privati; reliqui verò pœnis arbitrariis à Sede Apoſtolica coerceantur atque careant Conſervatore per annum; Conſervatorum verò deputatorum in Synodo provinciali, vel Diœceſana ſi aliquis mori contigerit, poterit alius ſubſtitui ab Ordinario cum conſenſu Capituli uſque ad futuram Synodum. Atque Regulares in Italia infra duos, ultra verò, infra ſex menſes à die publicationis hujus Conſtitutionis debeant ſibi eligere Conſervatorem juxta formam propoſitam, ejuſque electionis documentum intra tempus hujuſmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere teneantur, alioquin eo termino elapſo conveniri poſſint cor. Ordinariis; Conſervatores autem hujuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, & aliis prædictis libuerit approbanda, durante quinquennio à die deputatio-

nis,

Digitized by Google

nis, amovèri nullatenus poſſint; Regulares verò aliæque privilegiatæ perſonæ coram Conſervatoribus conveniri quidem, & trahi debent; ſed alios convenire, & trahere non poſſunt, adeòut iidem Conſervatores in cauſis, in quibus Regulares actores fuerint nullam prorſus juriſdictionem habeant, neque item extra Civitates, ſeù Diœceſes in quibus fuerint deputati procedere poſſunt; Si qua tamen inter Conſervatores hujuſmodi, & locorum Ordinarios controverſia orta fuerit ſuper competentia Juriſdictionis, in cauſa per eos procedi nequeat, donec per arbitros in forma Juris electos ſuper hujuſmodi controverſiis fuerit judicatum; Quod ſi ipſi Conſervatores quomodolibet limites ſibi præſcriptos exceſſerint, per annum ab Officio Conſervatoris ſunt ſuſpenſi, & pars, quæ id procuraverit ſententiam excommunicationis incurrit, ut ſtatuit Bonifacius in *cit. cap. fin. de offic. deleg. in 6.* qui planè Textus in omnibus, quæ huic Conſtitutioni non adverſantur, innovavit; Et hæc quidem ſunt, quæ in *lib.6. Decret. & in Sacr. Concil. Trident. & in Conſtitut.* Gregorii XV. de Conſervatoribus noſtris temporibus ſtatuuntur, ſuper quibus ſanè Doctores quamplures quæſtiones, & controverſias, eaſque non contemnibiles excitant, quas hìc conſultò omitto, opportunè recenſendas in Conſtitutionibus ſupramemoratis de Conſervatoribus diſponentibus; interim
12 tamen conſule Paſſerin. latiſſimè rem agentem *in cap.1. & fin. de Offic. Jud. deleg. in 6.* Monet. *de conſervat. & Nidum eodem tract.* Novar. *in ſumma Bullar. comment.57. per tot.* Campanil. *in diverſor. Jur. Can. rub. 12. cap.13. num.24. cum ſeqq.* Barboſam *ad Conc. Trid. ſeſſ.14. cap.5. de reform. & de Epiſcop. part.3. alleg. 109. per tot.* Ventriglia *in praxi par.1. annotat. 27. §. unic.* Laur. de Franch. *controv. int. Epiſcop. & regul. pag.196.* Leo *in Theſaur. fori Eccleſ. par.2. cap. 3. num.102.* Peyrin. *de privil. regul. ad conſt.5.* Greg. XV. Azor. *inſtit. moral. par.1. lib. 5. cap.35.* Pignatell. *conſult.24. & 25. tom.2.* Pellizar. *in man. Regul. tom.2. tract.8. cap.8. ſect.4. per tot.* Neque tamen hìc prætercam, quod Regularium Ordinum Protectorum, atque Conſervatorum officium inter ſe confundi non debet; Nidus namque *de Conſervat. part. 1. cap. 1.*
13 hanc differentiam inter eos agnoſcit, quod Protector integro Religionis corpori conſtituitur, adeòut in nullo negotio ſeù cauſa ſe ingerere poſſit, quæ non concernat univerſum Ordinis ſtatum; Conſervator verò datur ad defenſionem particularis Conventus, quod confirmari poteſt ex Jure noviſſimo *Conſtit.15.* Innocent. XII. incip. *Chriſti fidelium, in Bullario parvo ejus* de facultatibus Protectorum Ordinum Regularium, quæ quidem Conſtitutio ſi conferatur cum recenſita *Conſtit.9.* Gregorii XV. *de Conſervatoribus,* quamplures differentiæ inter unum, & alterum Officium elici poſſunt.

CONSTITUTIO XI.

EUGENII IV.

Incipiens (*Magnas.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

TRansfertur Concilium Baſileenſe ad Civitatem Ferrariæ in Provinciam Lombardiæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Eugenius curavit celebrari Concilium Baſileenſe miſſis Legatis, & num. ſeqq.*

2 *Baſilea Civitatis deſcriptio.*
3 *Eugenius transferri dictum Concilium voluit Ferrariam.*
4 *Concilium tamen continuatum fuit.*
5 *Pluraque attentavit contra Eugenium, iſtum citando, ac deponendo, ac eligendo Felicem V. Antipapam.*
6 *Tota Concilii poteſtas à Romano Pontifice profluit, & ſine iſto nullius eſt roboris.*
7 *Adducitur Decretum Concilii Lateranenſis ſub Leone X. nullam retinuiſſe auctoritatem Conciliabulum Baſileenſe.*
8 *Exitus infelix dicti Conciliabuli, & Antipapa abdicatio.*
9 *Plures regreſſi fuerunt ad verum Pontificem, ac innuitur retractatio Ænea Silvii, Pii nempè II.*
10 *Aperitio Concilii in Civitate Ferraria.*
Translatio Concilii à Civitate Ferraria ad Florentinam. Ibid.

VIx indicto Concilio Œcumenico in Civitate Baſileæ per Martinum V. ejus Conſtitutione XIII. 1
ſuperiùs relata, obiit ille Pontifex, quare infecta res exivit. Verùm Eugenius ſucceſſor inter cæteras graviores curas animum ejus ſæpè pulſantes, iſtam habuit, ut Concilium illud mox indictum celebraretur; hinc
ejus auctoritate coacta fuit ea Synodus in Civitate 2
Baſileæ, quæ Epiſcopalis Sedes tunc erat ſub Metropoli Biſuntina propè Rhodanum ſita, quæque Urbs infelici ſtatu nunc permanet in hæreſis labe, cum Helvetica Republica conjuncta, translata Epiſcopi Sede in aliam Civitatem; Legatus Apoſtolicus pro dicto Conſeſſu confirmatus fuit ab Eugenio idem Cardinalis Cæſarinus, qui à Martino jam fuerat præelectus, ſed præpedito eo à Legatione Germaniæ contra Huſſitas, duo Vicelegati Jo. nempè Polimar, ac Fr. Jo. de Raguſa Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, aperitioni Concilii interfuerunt, quæque evenit die 19. menſis Julii Ann. 1431. adhuc numero PP. ſatis tenui pervento ob bellum in ea Regione tunc vigens, ob
quod, aliaſque rationes Eugenio viſum fuit Concilium 3
in eo loco non continuari, ſcripſitque proinde Legato Cæſarino, qui jam illuc advenerit, ut illud diſſolveret, & aliud intimavit in Civitate Bononiæ intra aliquot menſes, quod ſtatuit conſenſu Cardinalium, ut refert Labbè *tom. 13. pag. 934.* Parere recuſavit Lega-
tus, Concilii decori minùs conforme aſſerens, ac ſua- 4
ſus à Principibus, aliiſque qui Eugenio non favebant, Concilium continuavit, ac Eugenio ſcripſit, convenire id agere, ne contra eum indignatio Congregatorum eveniret; Verùm Eugenio aliter ſentiente, Legatus unà cum Conſeſſu, favente Sigiſmundo Imperatore, Concilii progreſſum curavit, hincque attentari in eo cæptum fuit contra ſupremam Romani Pontificis auctoritatem, iſtam Concilio ſubiiciendo, nec poſſe illud ſine PP. conſenſu aliò transferri; & licèt Eugenius, ut bonus Paſtor, ne Oves diſſiparentur, ponere animam ſuam, labores ſcilicet ſummos non dubitaverit, &
ſuaſus Legatos miſerit ad Concilium, & continuatio- 5
nem illius deinde permiſerit, tamen ſuperbia Conſeſſus in id ſe protulit, ut injuſtam aſſumentes Juriſdictionem Patres illi in Romanum Pontificem Eugenium, ipſum citare auſi fuerunt, aliaque egerunt Romano Pontifici reſervata, Indulgentiam Plenariam quoque concedendo; & cùm Eugenius omnia acta hujuſmodi annullaverit, prout par erat, eò magis efferbuit Conſeſſus, præſertim dum hæc Conſtitutio edita fuerit *Ferrariæ die 9. Aprilis Anno* 1437. in ea Civitate, qua Eugenius Concilium convocavit, ea aſſignata ratione, quod Imperator Conſtantinus cum Orientalibus Venetias jam acceſſerat, & tutiùs ac commodiùs exoptata unio eorum cum Eccleſia latina in proxima Civitate Ferrariæ fieri potuiſſet, quàm Baſileam proficiſci contra ejuſdem Imperatoris Votum; Non acquieverunt Congregati Baſileenſes huic juſtæ, ac moderatæ Pontificis aſſertioni, ut rationabili motivo recederent à tanto inten-

tato facinore, ſed excœcatis oculis, induratiſque cordibus continuarunt, majoribus ſemper auctis attentatis, ipſumque Eugenium in judicio vocarunt ſub præſidentia Cardinalis Arelatenſis, eumque citarunt ad perſonaliter comparendum, Pontificatuque deindè ſpoliarunt, electo in ejus locum Amadeo Sabaudiæ Duce, qui in Eremo vitam piam ducebat, aſſumpto nomine Felicis dicti V. ut referunt Labbè *cit. pag. & ſeqq.* Spondanus *Anno* 1442. *& ſeqq.*

6 In hanc enim inſaniam proruperunt membra illius Conciliabulis, quod etſi ab initio veram, ac legitimam naturam Concilii Generalis meritò obtinuiſſet, cùm requiſitam convocationem, ac auctoritatem à Romano Pontifice habuerit; tamen poſtquam à Capite ſuo ſe divulſit, corpus remanſit truncum, nullius proindè roboris, ac facultatis, & quamvis Congregati negabant potuiſſe Papam diſſolvere Concilium legitimè congregatum, invalida tamen fuit excuſatio, cùm ſatis certum ſit totam à Chriſto facultatem fuiſſe collatam in ejus Vicarium, & ſic quotieſcumque Conſeſſus ille remanſit deſtitutus poteſtate Chriſti Vicarii, in qua conſiſtit forma eſſentialis Occumenici Concilii, amiſit omne robur; quid mirum igitur eſt ſi idem Conſeſſus poſtquam à Supremo capite diſceſſit, plura injuſtè, incompteque egerit, ut notant hiſtorici, itaut ortæ confuſiones, & diſſidia tanta fuerint, ut vera charitas, paxque Chriſtiana abſuiſſe dicenda ſit; nec ampliùs Spiritum ſanctum præſediſſe viſum fuit; ſatiſque eſt ad id comprobandum, quod
7 definivit *Oecumenica Synodus Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſ.* 10. ibi enim dicitur: *Nec illud nos movere debet, quod ſanctio ipſa, & in ea contenta in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante recepta fuerit, cùm ea omnia poſt translationem Baſileenſi Concilii per Eugenium IV. factam, a Baſileenſi Conciliabulo, ſeù potius conventiculo, quod præſertim poſt ejuſmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterunt, cùm etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem tamquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferrendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex Sacra Scripturæ teſtimonio, dictis SS. PP. ac aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum, Sacrorumque Canonum Decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſiones manifeſte conſtet:*

8 Videatur rurius, quæ fuit ſubſiſtentia hujuſmodi Conciliabuli, Cardinales etenim Cæſarinus, aliique ad Eugenium redierunt, unio Bohæmorum ibi facta non prævaluit, Felix Antipapa non fuit recognitus à Principibus, populiſve; imò Imperator per Baſileam tranſiens, eum nocturno tempore videre tantùm voluit, ei titulum Clementis benignitatis, non autem ſanctitatis tribuit, & ab omnibus ſpretus abdicato quoque Pſeudo Pontificatu, Romæ verò Pontifici Nicolao, Eugenii ſucceſſori ſe ſubmiſit, & Conciliabulum ipſum à Baſilea Ferrariam translatum evanuit.

9 Virique docti illud priùs ſequentes, ab eo deindè receſſerunt, & præ aliis Alphonſus Toſtatus, dictus Abulenſis, & Inſignis Æneas Sylvius, qui creatus Romanus Pontifex Pius II. dictus, palinodiam ſuam, dum illi Conciliabulo aſſentiebatur, canere non erubuit, ut liquet ex ejus *Conſtit.* 10. incip. *In minoribus tom.* 1. *Bullarii.*

10 Hæc ſatis referre duxi de Concilio Baſileenſi, dumque contra Eugenium præfata agebat, iſte parvipendens Baſileenſium geſta, Concilium, ut dixi, Ferrariæ indictum aperuit, prævijs ejus legatis, celebrata nempè prima Seſſione 10. *Februarii Anno* 1438. ac ad dictam Civitatem Eugenius ſe tranſtulit, Spondan. *Anno prædicto*, Labbè *cit. tom.* 13. *fol.* 309. *& ſeq.* ubi præſentem Bullam refert; Mira quidem poſteris erit Eugenii conſtantia, ac prudentia inter tot calamitates, Principum, populique Romani, ad ipſius Eccleſiæ membrorum perſecutiones paſſas, quas animi ſuperioritate vincere non omiſit. Græci, ut Latinis unirentur, curavit, viditque Græcorum Imperatorem, & Patriarcham, alioſque ejus Ritus à Venetiis Ferrariæ conventos ipſius genibus provolutos; ſed poſt plures ſeſſiones Concilii, Civitatem morbo vexante, opus fuit, ut Eugenius transferret Concilium Florentiam Urbem Tuſciæ ſatis fluminis ædificiorum, ac Villarum nobilitate in Italia Inſignem, tunc Rempublicam tàm notam, & in Eccleſia majori Concilium continuatum fuit Anno 1439. in eoque præ aliis evenit unio Græcorum, Armenorum, & Jacobitarum, ut infra *Conſtit.* 17. 19. *&* 23. dicam.

CONSTITUTIO XII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Regularem.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS UNIVERSIS EREMITIS de Societate Fratris Petri de Piſis.

Concedit nonnullas gratias Eremitis, Fratris Petri de Piſis nuncupatis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Congregationi Eremitarum Beati Petri de Piſis plura privilegia conceſſit Eugenius IV.*
2 *Inſtitutio Eremitarum prædictorum, ac vita dicti Petri refertur.*
3 *Eremitæ illi vivebant ſine votis.*
4 *Tempore Sancti Pii V. vota emittere cœperunt, ac eſſe veri Regulares Mendicantes ſub regula Divi Auguſtini.*
5 *Exemptionem, ac alia privilegia obtinuere.*
6 *Habitus eorum deſcribitur.*
7 *Provincias duas habent, & quæ ſint.*

AD Regularium ſalubrem ſtatum conſervandum Ro- 1
mani Pontifices inſudare nunquam omiſerunt, & initio cujuſcumque Religionis ſtatutis conformibus ejus inſtituto muniri eam curarunt, ac privilegiis decorari. Hinc cum Petrus de Piſis inſtituerit Eremitas quoſdam, qui approbati fuere à Martino V. *die* 5. *Junii Anno* 1421. ut refert Cherubinus Jun. *ad hanc Bullam ſchol.* 1. ac plures eorum propagati extiterint; Eugenius iis conceſſit plura privilegia, & gratias in hac Conſtitutione edita Ferrariæ 8. Kalendas Martii Anno 1437. Evenit enim Inſtitutio Anno 1380. nam idem Petrus, ex nobili familia Gambacurta Piſis ortus in Hetruria Anno 1335. rebuſque mundanis deſpectis divino afflante ſpiritu, Patriæ, Parentum, divitiarumque ſplendorem deſpiciens propter Chriſtum, ut mundi laqueos effugeret, ſolitariam vitam ſelegit, ac propè Urbinum ſeſe conferens, in Monte, qui dicitur Celana, ex Chriſti fidelium eleemoſynis Cœnobium cum parva Eccleſia in honorem SS. Trinitatis extruxit, & unà cum duodecim Sociis, vitam Sancti Hieronymi imitari voluit;
ipſumque Patronum Inſtituti elegit; In iis tamen ma- 2
xima pietas, & paupertas enituit, ac Eremiticæ pœnitentiæ rigor, præque omnibus Petrus erat, ipſique plures alii Eremitæ ſe univerunt, ut vitam cum ipſo ducerent, unde plura conſtructa fuere Monaſteria, ac poſt Petri obitum tàm piè ſecutum Venetiis Anno
1435. continuaverunt ejus Sodales vitam Eremiticam 3
ſanctè ducere abſque tamen votis, & vera qualitate Religionis, & Summi Pontifices plura in eos beneficia conferre non omiſerunt, Inſtitutore ipſo inter Beatos adſcripto. In Congregationem deindè

redacti

redacti fuere illi fratres à Sixto IV. *Conſtit.* 13. incip.
Sedis, & denominationem fratrum Divi Hieronymi
receperunt uti ejus patroni, ac emittere vota tria Re-
ligionis ſubſtantialia inceperunt, ſub regula tamen Di-
vi Auguſtini, ac obtinuerunt privilegia Mendican-
4 tium, ut ex *Conſtit.* 125. Sancti Pii V. incipiens *Reli-
gionis*, & Clemens VIII. Novitiatum præſcripſit *Con-
ſtitut.* 70. incip. *Ordinis*, ac exemptionem hujuſmodi
Congregatio aliaque privilegia recepit, ut notant
Tamburrin. *de Jure Abb. tom.* 2. *diſp.* 24. *queſt.* 4. *n.* 40.
5 ubi inſeritur Bulla Piana, & fit mentio de hac Bulla
Eugenii, Barb. *in ſumm. Apoſtolic. deciſ. collect.* 3.
num. 21. Azor. *inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 11. Ro-
der. *queſt. Regular. tom.* 1. *queſt.* 3. *art.* 9. aliique ibi ci-
6 tati; Utuntur hujuſmodi Religioſi tunica, ſcapularii,
capucio, & pallio canuſino, & anteà deferebant ligu-
lam ejuſdem coloris, vulgò becchetta, ſed eam depo-
7 ſuerunt. Congregatio parva eſt, habetque tantùm duas
Provincias, Romanam ſcilicet, & Venetam, & pri-
ma conſtat ex triginta uno Conventibus, quorum præ-
cipuus eſt Conventus Sanctæ Mariæ Gratiarum Civita-
tis Neapolis, Veneta conſtat viginti Conventibus, in-
cluſis tribus in Bavaria, & unico in Flandria.

CONSTITUTIO XIII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Inter cætera.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

PRæfinit numerum Clericorum Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ ad ſeptem, approbatque ordinationes pro bono regimine ejuſdem Cameræ editas.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Romanus Pontifex ſpeciali cura conſulit Urbis optimo ſtatui.*

2 *Eugenius plura præſcripſit in hac Conſtitutione circa Collegium Clericorum Cameræ Apoſtolicæ.*

3 *Collegii prædicti antiquitas, & inſtitutio refertur.*

4 *Clericorum Cameræ numerus præfixus fuit ſeptenarius, ultra ſupranumerarios, & de differentia eorum.*

Deinde aucti ad duodecim. Ibid.

5 *Clerici Cameræ an æquiparentur Quæſtoribus, aut Procuratoribus Cæſaris.*

6 *Clerici Cameræ ſemper obtinuerunt magnam auctoritatem.*

7 *Privilegia eorum circa veſtes, ac alia recenſentur.*

8 *Diſmembrationes plures factæ à Collegio Clericorum Cameræ.*

9 *Status præſens dicti Collegii refertur.*

10 *Eorum præcedentia enunciatur qualis ſit quoad alios Curiæ Prælatos.*

11 *Majeſtas dicti Collegii præcipuè emicat tempore Sedis vacantis.*

12 *Officia, quæ ſolent repartiri inter Clericos Cameræ.*

Alia recenſentur quoad cauſas dicti Collegii. Remiſſivè.

1 ROmanus Pontifex hoc habet peculiare præ cœteris
Terræ Principibus, ut iſti proprio Regno conſu-
lere debeant, totamque curam in eo intendere ſolent,
quò optimi Patrisfamilias vices adimpleant; Ille ta-
men toti Orbi Chriſtiano præeſt, ut in quaſcumque
partes ejus ſolicitudinem protendere non omittat. Sa-
tagit tamen ejuſdem Summi Præſulis providentia in
tanta curarum multitudine ſpecialem partem ponere,
ut domui ſuæ, Urbi ſcilicet norma tribuatur tot pro-
vidiſſimis legibus promulgatis; inter quas præcipuè
effulget Conſtitutio iſta Eugenii IV. edita Ferrariæ 5. 2
Idus Julii Anno 1438. qua in Collegio Cameræ, cui
Apoſtolici fiſci incumbit cura, in perſonis in eo con-
veniendis, ac cauſis terminandis modum, & ordi-
nem impoſuit. De Collegio, inquam, Reverendæ Ca-
meræ Apoſtolicæ, cujus initium, progreſſum, & in-
ſignitatem in hoc Commentario innuam. Etenim il- 3
lud coævum dici poteſt cum ipſo Romano Pontifi-
ce, nam ab initio cùm totum patrimonium Eccleſiæ
in eleemoſynis, & oblationibus fidelium conſiſteret,
Archidiaconus aderat S. R. E. pro illius cuſtodia, ut
aliàs dixi; aucto deindè Eccleſiæ patrimonio, ceſſan-
tibus Tyrannorum perſecutionibus, & favente Chri-
ſtianorum Principum pietate, & acquiſitis per Eccle-
ſiam temporalibus redditibus, auctæ etiam fuerunt
controverſiæ ſuper hujuſmodi juribus conſervandis de-
cidendæ, quæ fiſcales dictæ fuerunt; unde ſicuti Ro-
manus Pontifex aliis cauſis diffiniendis per ſe ipſum
incumbebat mediis aliquibus domeſticis Officialibus ad
id aſſumptis, & utebatur Capellanis ſuis pro cauſis
Eccleſiaſticis, & beneficialibus; ita pro cauſis ejus fi-
ſcum tangentibus, uti de proprii Principatus intereſ-
ſe, ac dote agentibus, domeſticos magis intrinſecos
adhibebat, Clericos Cameræ nuncupatos, quia in au-
dientia domeſtica Papæ inductos, nulla ab initio da-
ta forma Tribunalis, ſeù Collegii, eo modo, quo de
Capellanis, qui Rotam nunc componunt, dixi ſupra
Conſtit. 14. Joannis XXII. *num.* 7. & ex eadem ibi ex-
preſſa cauſa, quod formatum deindè extiterit Rotæ
Tribunal, & Collegium pro cauſis, nempè ob excre-
ſcentiam negotiorum, quæ non permittebant Roma-
num Pontificem hujuſmodi definitioni incumbere, ita
ob eamdem cauſam erectum fuit Tribunal, ſeù Col-
legium Clericorum Cameræ pro cauſis fiſcalibus, ſeù
Cameralibus, cui præſidens datus fuit Cardinalis Ca-
merarius, ac Judices Clerici Cameræ, deſtinati, de
quo dixi ſupra ad *Conſtit.* 1. Urbani VI.
Sed cùm numerus Clericorum tempore hujus Pon- 4
tificis Eugenii IV. ita fuerit excretus, ut minima quis
obtineret emolumenta ad decentem ſubſtentationem
non ſufficientia, ac proindè decus Judicum, & ne-
gotiorum utilitas labefactaretur, reduxit Eugenius nu-
merum Clericorum Cameræ ad ſeptem, qui de emo-
lumentis participarent, aliis ſupranumerariis omninò
excluſis, ut ex hac Conſtitutione elicitur; addita ra-
tione, quod non amplior ponendus eſt numerus in
officio miniſtrorum, quàm poſſit de illius proventi-
bus congruè ſubſtentari. Unde Clerici extraordinarii,
etſi adeſſent, non participabant tamen de emolumen-
tis, nec quoque cauſas judicabant; aſſiſtebant tamen
relationi cauſarum, ſed excludebantur, dum cauſæ
determinabantur, ut in *Conſtit.* 1. Calliſti III. *Con-
ſtit.* 55. & 58. Pii IV. ſed ceſſarunt deindè Clerici
ſupranumerarii, & numerus ordinariorum auctus ex-
titit ad duodenarium à Sancto Pio V. prout in præ-
ſenti eſt, Bard. *de temp. util. & continuo cap.* 15. *nu-
mer.* 1. Petr. Franciſc. de Rubeis *in ejus reſponſ. im-
preſſ.* à D. Fatinello *reſp.* 2. *num.* 13. Card. de Luca *in
relat. Romanæ Curiæ diſc.* 33. *num.* 2.
Quidquid enim ſit pro modo diſputandi, an hu- 5
juſmodi Clerici Cameræ æquiparandi ſint Quæſtori-
bus aut Procuratori Cæſaris, vel aliis muneribus an-
tiquis, ut latè agit Veſtr. *in praxi lib.* 1. *cap.* 1. *& an-
not. Gravatii ibid.* Card. de Luca *in relat. Rom. Cur.
diſc.* 33. *num.* 24. *& de proœm. diſc.* 46. ubi de Præſiden-
tibus Regiæ Cameræ Neapolis, & de Clericis Came-
ræ Urbis ulterius dixerunt *cit.* de Rub. *apud reſp.* 2. D.
Fatinell. *& idem reſp.* 2. *&* 3. hoc certum eſt, maximam 6
ſemper auctoritatem hoc Collegium obtinuiſſe, pluribus

circumſtantis in id collimantibus, tum quia totum ſta-
tum temporalem Eccleſiæ Romanæ, Ærariumque Pon-
tificum adminiſtrabat, tum quia cùm officia reddita
fuerint venalia tempore Sixti V. aucti fuerunt redditus,
itaut maximo decore in Curia verſari conſueverint,
& tandem faciliùs ad Purpuram promovebantur, &
ex iis duo ad munera præclariſſima Curiæ, Auditoris
Cameræ, & Theſaurarii Generalis promovebantur;
unde Seminarium Cardinalium hoc Collegium extitit,
7 ad plures Romanos Pontifices peperit; tum demum
quia plurima privilegia à Romanis Pontificibus obti-
nere meruit, nempè uſum Rocchetti in omnibus fun-
ctionibus, pompis, & proceſſionibus, ut quoque Ga-
leri redimiculum, cordone vulgariter nuncupatum,
coloris violacei deferre valerent, quod conceſſit Cle-
mens X. ut ex Brevi poſt D. Fatinell. *reſp.* 2. Orato-
rium privatum pro Miſſis audiendis in domibus obti-
nuerunt ab Alexandro VII. in Brevi relato, ut ſupra;
Expeditiones omnes gratuitas obtinuerunt, ac franchi-
gias etiam poſtquam ad Cardinalatus dignitatem pro-
8 vehebantur; Ceſſavit tamen in pleriſque majeſtas Colle-
gii hujus ex pluribus diſmembrationibus factis à Ro-
manis Pontificibus, quia quoad gubernium tempora-
le Status Eccleſiæ ſtatuta fuit Congrégatio Sacr. Con-
ſultæ, quoad Communitatum regimen Congregatio
Boni Regiminis, ac erectæ Congregationes Spolio-
rum, Computorum Cameralis, & inſtitutæ plures
Præfecturæ, Annonæ, Graſciæ, Viarum, & aliæ,
quarum electio fit ab ipſo Romano Pontifice, & licèt
ab his Præfecturis appelletur ad Cameram plenam,
tamen plures cauſæ terminantur ante appellationem,
& proinde Camera innumeras amiſit cauſas cognoſcen-
9 das; Prout cùm ſummo zelo ſancta memoria Innocen-
tii XII. fuerit ſublata venalitas hujuſmodi officiorum,
ut ex ejus Conſtitutione edita *Kalendas Novembris
Anno* 1692. *incip. Ad hoc la* 13. *in eius prava Bulla-
rio*, fuerunt conſequenter ſublata quoque emolumenta,
quæ hujuſmodi Clericis præſtabantur, necnon franchi-
giæ, ac alia munuſcula, aſſignatis tantùm ſcutis an-
nuis quinquaginta pro quolibet in cauſam illarum; Non
exindè depreſſum remanſit decus tanti Tribunalis, in
quo etiam aſſident Viri nobilitate, & integritate exi-
mii, quinque ab eo Collegio ad varia munera præci-
pua deſtinantur, eamdemque præcedentiam poſt Pro-
thonotarios obtinent Auditores Sacræ Rotæ ſuper alia
Tribunalia Urbis, imò etiam obtinuerunt judicari de-
bere præcedere Prælatum Præfectum Plumbi, ac Præ-
latos alios ſedentes in Banca Prothonotariorum, ut ex
reſolutione Sacr. Congregat. Rituum 18. Decembris
1660. relata apud D. Fattinelluin *reſp.* 2. *in fine*, in
qua controverſia ſcripſit D. de Rubeis ab eo relatus
10 per extenſum, imò diù anteà certatum fuit de præce-
dentia cum Auditoribus Rotæ, ſed in reformatione
Capellæ tempore Alexandri VII. cùm iis adjudicatum
fuerit munus Subdiaconorum, locus Clericis Cameræ
fuit datus poſt eos, ut in præſenti ſervatur; Redolet
quoque ejus Tribunalis præeminentia tempore Sedis
Vacantis, cum inter eoſdem Clericos diſtribuantur mu-
nera pro cuſtodia Palatii, & Ærarii Pontificis, & ju-
11 riſdictionem habent ipſi in pluribus Oppidis Status Ec-
cleſiæ, & demum, quia inter ipſos Clericos diſtribui
continuarunt Præfecturæ Annonæ, Graſciæ, Viarum,
Aquarum, Ripæ, Zecchæ, ac aliæ, quæ efformant
ſingula Tribunalia, & videtur tota Urbs ab iis guber-
nari, quæque munera potiora conferuntur à Summo
Pontifice, inferiora per ſortem in prima Camera quo-
libet anno; de cauſis verò in ea tractandis alibi di-
cam, & agunt Card. de Luca *diſc.* 33. *in relat. Rom.
Curiæ*, Veſtr. *cit. loco*, Scaccia *de Jud. lib.* 1. *cap.* 21.
Bard. *de temp. util. & contin. cap.* 14. Capucc. *in prax.
lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 147. *& ſeq.* & plenè *cit. reſponſ.* 1. *&*
2. D. Fatinell.

CONSTITUTIO XIV.

EUGENII IV.

Incipiens (*Ad Univerſalis.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

STatuit, Abbates Ciſtercienſes, quavis auctoritate etiam Apoſtolica ad Abbatias promotos, vel confirmatos, ab ejuſdem Ordinis Abbate Generali, Viſitatoribus, & Reformatoribus exemptos non cenſeri.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Abbates Ciſtercienſes prætendebant non ſubdi Viſitatoribus, & General.*

2 *Eugenius Conſtitutionem præſentem edidit ſubjectionem definiendo.*

3 *Ratio dictæ ſubjectionis adducitur.*

4 *Differentia inter Abbatem Generalem, & Locales.*

5 *Abbas promotus ad Abbatiam Nullius Diæceſis an ſubſit Abbati Generali.*

6 *Provincia Italia, Tuſcia, & Lombardia ſubduntur Abbati Generali Ciſtercii. Remiſſivè.*

DE Sacro Ciſtercienſium Ordine ſæpius in noſtris 1
hiſce laboribus mentionem fecimus; præſertim
Conſtitut. 1. Paſchalis XI. *tom.* 1. *pag.* 348. & de charta
Charitatis eorum ad *Conſtit.* 2. Eugenii III. *pag.* 534. Ad
tem verò alludendo, ex hac Conſtitutione edocemur
Monachos Ciſtercienſes his Eugenii temporibus peni-
tùs neglexiſſe ejuſdem Charitatis chartæ, numquam
ipſis obliteranda documenta, quibus primi hujus Ordi-
nis Protoplaſtes, quaſi per ſupremam voluntatem Po-
ſteris relinquere ſtatuerunt mutuam charitatem, & unio-
nem, qua Monachi per diverſas Orbis Abbatias corpo- 2
ribus diviſi, animis indiſſolubiliter conjungerentur;
Etenim Abbatiis à Sede Apoſtolica impetratis, nedum
fraternæ compaginis vinculo ſere diſſolutos eſſe tunc
Monachi ſibi ipſis perſuadebant, ſed neque membra
ejuſdem Ordinis deinceps ſe exiſtere arbitrabantur;
Prætendebant enim hujuſmodi Abbates à Sede Apoſto-
lica promoti, vel in Abbatiis confirmati, ab Abbatis
Generalis, Viſitatorum, ac Reformatorum obedien-
tia, & ſubjectione ſe eſſe ſolutos, proindèque auſu te-
merario eorumdem præcepta vilipendebant, neque ad
Capitula generalia accedere dignabantur; Eugenius 3
itaque Apoſtolica ſolicitudine perpendens, quàm lon-
gè à fundamentalibus Ordinis ſtatutis iidem Monachi
aberrarent, atque item in quam Regularis obſervantiæ
jacturam, quodve ſcandalum diſſolutus hic indepen-
dentiæ amor tandem vergeret, hac edita Conſtitutio-
ne Ferrariæ anno Incarnationis Dominicæ 1438. Idi-
bus Decembris diſtrictè ſtatuit, quoſcumque Ciſter-
cienſes Abbates Apoſtolica, vel alia quacumque au-
ctoritate promotos, nullatenus propter promotiones,
vel confirmationes hujuſmodi à Superiorum obendien-
tia eſſe exemptos, ſolemni inſuper interminatione in
illos fulminata, qui contra Patrem Abbatem Gene-
ralem, Viſitatores, & Reformatores cornua elevare
præſumerent; ut verbis utar Eugenii in præſenti Con-
ſtitutione.

Quantopere autem hujuſmodi Abbates exemptio- 4
nem, & independentiam prædictam moliences à
Summorum Pontificum propoſito diſſentirent, libeat
educere

Digitized by Google

educere ex latè adnotatis ſupra ad *Conſtit.* 6. Gregorii XI. ne Regulares quamvis Sedis Apoſtolicæ ſint Cappellani, à Superiorum obedientia ſe ſubducerent, ubi opportunè animadverti quàm rarò, & difficiliter privilegia, & exemptiones à Sede Apoſtolica concedantur, quibus Religioſi à Regulari ſubjectione, & correctione ſubtrahantur; Et quidem in noſtris terminis prorſus indebitè hujuſmodi Abbates à Sede Apoſtolica promoti ſe exemptos autumabant à generalibus Superioribus, cum Monachi per aſſumptionem ad Abbatias non deſinant eſſe Religioſi, *cap. ultim. de Simon. & cap. ex ore de privileg.* Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 1. *quæſ.* 7. *num.* 2. *& diſp.* 16. *quæſt.* 3. *num.* 3. proindèque neceſſariò remanent obnoxii voto obedientiæ erga Abbatem generalem, qui ſanè tamquam ordinarius poteſtatem habet excommunicandi eoſdem Abbates inferiores, ut docet Abbas *in cap. ne Religioſi num.* 1. *de Regular.* Quamvis enim jamdudum Abbas quilibet in ſuo Monaſterio adeò independens regimen conſequebatur, ut alium non recognoſceret Superiorem, niſi Epiſcopum, in cujus Diœceſi erat, ad Tex. *in can. Abbates, & can. Monaſteria* 18. *quæſt.* 2. Veruntamen poſtquam Monaſticæ Religiones exemptionem ab Epiſcopis impetrarunt, ut firmiùs Regularis obſervantia conſiſteret, ſub uno Capite fuerunt redactæ, cui omnes Monachi obedientiam voverent; indè-
4 que factum eſt quod uni Abbati Generali inferiores Monachorum Abbates Locales, ſivè Conventuales ſubjiciuntur, adeò quòd in eo potiſsimè differant Abbas Generalis ab Abbate Conventuali, ut hìc ſit Monachorum tantùm Abbas, ille verò ſit etiam Abbatum Abbas; & faciunt in propoſito Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 3. *quæſ.* 1. *num.* 7. *& quæſ.* 3. Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 23. & quæ latè diximus de Abbatiarum origine, & diſtinctione ad *Conſtit.* 2. Eugenii III. *ſect. unic. per tot. tom.* 1. *pag.* 536.

5 Hæc itaque in propoſito noſtræ Conſtitutionis de Abbatibus Conventualibus, ſivè Localibus, de quibus loquitur Eugenius; Sed pro coronide prætereundum non eſt, nunquid Monachus promotus ad Abbatiam habentem propriam Diœceſim, nulli Epiſcopo ſubjectam, in vera nempè qualitate Nullius cum Juriſdictione quaſi Epiſcopali, eximatur à ſubjectione Abbatis Generalis, aliorumque Superiorum Regularium; Et quidem licèt nullum inveniſſe Doctorem de hac quæſtione agentem aſſerat, pro affirmativa concludit Sanchez *ad Præcept. Decalog. libr.* 6. *cap.* 6. *numer.* 35. quem ſequitur Pellizar *in Manual. Regular. tom.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 6. *num.* 179. Rationem verò hujus aſſertionis non improbabilem aſsignat Sanchez, æquiparando Abbates hujuſmodi cum Epiſcopis Regularibus, quos certum eſt, per promotionem ſubtrahi ab actuali Superiorum Regularium obedientia, atque remanere ſpecialiter obnoxios ex vi Voti Summo Pontifici, tamquam generaliſsimo omnium Religionum, ut latè dixi ad *Conſtit.* 5. Alexandr. IV. *num.* 37. *cum ſeqq. tom.* 3. *pag.* 205. Non inquam improbabiliter, cum hujuſmodi Abbates ſint veri Prælati, & Epiſcopis de Jure quoad præeminentiam æquiparari reſpectivè poſſint, Gloſs. *in cap. ne pro defectu verbo Regular. de elect. ex can. ſi quis* 16. *quæſt. ultim.* quinimo pro Epiſcopis habentur, Gloſs. *in Clement.* 1. *de reb. Eccl. non alien.* Tambur. *de Jur. Abbat. diſp.* 1. *quæſit.* 5. *numer.* 2. *&* 3. Barboſ. *de Jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 94. *cum ſeqq.* Campanil. *in diverſ. Jur. Can. rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 26. niſi eligatur ab ipſo corpore Religionis, cu-
6 jus capiti ſubjiceretur. De ſubjectione autem Provinciæ Italiæ, & Tuſciæ, ac Lombardiæ, eorumque Superiorum Abbati Ciſterci tamquam Generali totius Ordinis Ciſtercienſis, adſunt deciſiones *Cabilonen. ſeu Ordinis Ciſtercien. Juriſdictionis* 19. *Junii* 1702. *cor. D. Molines Decano*, atque aliæ ejuſdem confirmatoriæ 4. *Maii* 1706. *&* 8. *Aprilis* 1707. *coram eodem*; de qua re ſpeciali alibi dicam.

CONSTITUTIO XV.

EUGENII IV.

Incipiens (*Non mediocri.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS, MAGISTRO HENRICO Archiepiſcopo Canthuarienſi.

PLuribus argumentis demonſtrat, Eminentiſſimam Cardinalatus Dignitatem, cœteris Eccleſiaſticis dignitatibus eſſe præſtantiorem.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Præcedentia Cardinalium ſuper omnes dignitates etiam Epiſcopales fuit comprobata ab Eugenio in hac Conſtitutione.*
2 *De hac præcedentia alibi fuit actum. Remiſſivè.*
3 *Cardinalatus nominis, antiquitas refertur.*
4 *Pluribus teſtimoniis illa comprobatur.*
5 *Revocatio Cardinalatus nominis ad Supremum Senatum, apud Romanum Pontificem exiſtens quando fuit.*
6 *Canonici Cardinales alicubi etiam nunc nuncupantur.*
7 *Solos Cardinales S. R. E. ita dici fuit ſtatutum à Summo Pontifice.*
8 *Quàm conſentaneè nomen illud ſolis illis tribuatur, comprobatur.*
9 *Antiquitas muneris Cardinalis uſque ab Apoſtolis eſt repetenda.*
10 *Apoſtoli id munus exercuere.*
11 *Eugenius Cardinalatus officium ne dum à tempore D. Petri, ſed à Lege antiqua ortum duxit in hac Conſtitutione.*
12 *Id comprobatur ex pluribus.*

POſtquam de Cardinalium creatione, variiſque 1
ejuſdem appendiciis ſupra meminimus in *Conſt.* 1. hujus Pontificis, operæ pretium eſt iterum diſſerere de antiquiſsima, & ſublimi eorumdem Officii, & nominis præſtantia, ſerviendo hypotheſi, quam præſtat præſens Conſtitutio edita Florentiæ die ... ann. 1439. In ipſa namque Eugenius fortiſsimis argumentis perſtringit Cantuarienſem Archiepiſcopum præcedentiam molientem ſupra Archiepiſcopum Eboracenſem, poſtquam inter Presbyteros Cardinales titulo S. Balbinæ fuit cooptatus, quaſiquòd Archiepiſcopalis dignitas, ſicut ordine ſupra Presbyterum Cardinalem, ita dignitate, & præeminentia antecellat; At 2
hujus quidem Conſtitutionis exigentiam ſatis dixi de Cardinalium prærogativa ſupra Epiſcopos Metropolitanos, & Patriarchas in *Conſtitut. unic.* Joann. XV. *ſect. unic. per tot. tom.* 1. *pag.* 149. ut nullum de hac re argumentum mihi ſuperfuerit; Tantis verò eruditionis Eccleſiaſticæ monumentis hanc Bullam reſperſit Eugenius, ut quomodo ulteriùs exornari poſsit, neſciam; Itaque nonnulla ex ejuſdem Eugenii dictis coacervando, hinc breviter me expediam.

Inquit Eugenius, hujus ſublimis dignitatis nomen, 3
quod modo in uſu eſt, ab initio primitivæ Eccleſiæ non ita expreſſum fuiſſe, officium tamen ipſum à B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus inſtitutum evidenter conſtare. Quinimmò, ut inquit Innocentius III. ex veteri teſtamento juſſu Dei traxiſſe originem; Et quidem liquido non conſtat, quando primùm Cardinalatus nomen innotuit; ſunt qui volunt à temporibus Hygini

Papæ, qui ſedit anno reparatæ ſalutis 138. hoc nomen
S. R. E. Clero acceſſiſſe, cùm idem Pontifex gradus
Eccleſiaſticæ Hierarchiæ in Urbe diſtribuit, quam opi-
nionem ſequutus eſt Panvin, *de ſeptem Eccleſ. cap. 2.*
4 *verſ. Cardinal. nomen*. Cæterùm, ut prætermittam
Scriptorum ratiocinia de hujuſce nominis origine, pri-
ma in Eccleſiaſticis monumentis Cardinalium mentio
viſitur in Concilio Romano, coacto anno 324. præ-
ſente S. Silveſtro Papa, in cujus *act. 1. cap. 6. & 7.*
Septem Diaconi Cardinales Urbis Romæ, qui dicto
Concilio interfuerunt, deſcripti reperiuntur ut ex Card.
Baron. notat Coheli. *in notit. Cardin. cap. 2.* Nicœna
quoque Synodo ab eodem S. Silveſtro celebrata anno
325. de Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ hujuſmodi fit
mentio: *Præſul non damnetur, niſi cum LXXII. Te-*
ſtibus, Presbyter verò Cardinalis niſi cum LXIV. Te-
ſtibus non deponatur; Diaconus autem Cardinalis Ur-
bis Romanæ niſi cum XXVII. Teſtibus non condemna-
bitur: ut refertur in *can. Præſul. 2. quæſt. 5.* Prætereà
antiquis tabulis donationis à quodam Zenobio Roma-
no Senatore factæ Eccleſiæ Aretinæ tempore S. Da-
maſi, qui clarum Eccleſiæ texit anno circiter 336.
ſubſcriptionem hanc: *Jo: S. R. E. Diaconus Cardina-*
lis ex parte Damaſi Pontificis laudo, & confirmo: ſe
legiſſe aſſerit, *Volateran. in antropol. lib. 21. in Vita*
Innocent. IV. Et ſub Gelaſio Papa anno 494. de quo-
dam Paulino Cardinali Sanctæ Mariæ Tranſtiberim ti-
tulo Caliſti in ipſius Eccleſiæ authographis memorari
ſcribit Ciaccon. *in Vita Gelaſii I. Papæ*. Nec alia de-
eſſent teſtimonia, quibus antiquiſſimum fuiſſe in Ec-
cleſia Romana Cardinalatus nomen elici poſſet; Neque
tamen diſſimulandum quòd priſcis his temporibus, in
eptheton ſublimis dignitatis, ut nunc ſonat, non aſſu-
mebatur ab Urbis Presbyteris atque Diaconis; Verùm
ita ſanè, ut oſtentarent, ſeſe in Romanæ Eccleſiæ ti-
tulis eſſe cardinatos, ſivè incardinatos, quod idem eſt,
ac inſtallatos, & ſervitio vinctos; Titulum namque
Cardinalem habere, idem importabat, ac ſervitio Ec-
cleſiæ eſſe obſtrictum ex *Concil. Meld. can. 54.* atque
in hanc planè ſignificationem ſæpenumero in S. Gre-
gorii Magni Epiſtolis Cardinales accipiuntur aliarum
quoque, à Romana, Eccleſiarum Miniſtri; ut *lib. 2.*
Epiſt. 13. indict. 11. conſtituitur in Eccleſia Terracinæ
Sacerdos Cardinalis; atque *eod. lib. Epiſt. 6. indict. 10.*
Joannem conſtituit Epiſcopum Cardinalem in Scylli-
tana Eccleſia, & *lib. 3. Epiſt. 14.* providet, ut in Sy-
racuſana Eccleſia quidem coopretur Diaconus Cardina-
lis; atque alibi paſſim, ut colligit Cabaſſut. *in notitia*
Eccleſ. Sec. XIII. anno 1274. diſert. 2. num. 9. Cæte-
5 rum ſuccedentibus temporibus ad Romanæ Eccleſiæ Se-
natum Summo Pontifici aſſiſtentem Cardinalatus no-
men revocari cæptum fuit in honorem præcellentiſſimæ
dignitatis, ut deinceps alius quilibet Clerus hujuſmodi
nomen uſurpare prohibitus fuerit; probat Ludovic. Ro-
man. *in ſermon. habit. in Conc. Baſileen, ſivè in conſ.*
6 *ultim. num. 14.* Verùm enim verò cùm à Canonicis in
Compoſtellana, Ravennatenſi, Mediolanenſi, ut etiam
in Neapolitana, aliiſque Eccleſiis Cardinalium titulus
adhuc retineretur, ex ſuppoſitis privilegiis, qui tamen
Cardinales ſicut ſine pileo, ita ſine ſucco appellantur
à Doctoribus, ut nomine tenus Rex Scaccorum dici-
tur, inquit Gloſs. *can. pudor. ver. principem 32. qu. 2.*
Fagnan. *in cap. bona de poſtul. prælat. num. 14. & 15.*
Card. Jacobat. *de Conc. lib. 1. act. 1. num. 271.* Idcircò
S. Pius V. Anno 1567. 13. Kalendas Martii, harum
Eccleſiarum privilegia (ſiquæ aderant) ſuo diplomate
abrogavit, & in omnibus aliis Eccleſiis, præterquam
7 in Romana, hoc nomen penitùs extinxit, ſoloſque S.
R. E. à Summo Pontifice creatos Cardinales hoc no-
mine decorandos eſſe ſancivit, ut verba referam Choell.
in notitia Cardin. cap. 2. §. Et ideò ex Moſcon. *de Ma-*
jeſt. milit. Eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 5. verſ. propter;
8 Quàm verò conſentaneè Cardinalium nomen ſupremo
Eccleſiæ Senatui acceſſit, libeat expromere ex *can. Sa-*
croſancta diſt. 22. ubi Anacletus Papa diſſertè inquit,
Romanam Eccleſiam caput, & Cardinem à Domino,
non ab aliis conſtitutam eſſe, & ſicut cardine oſtium
regitur, ſi cum ejuſdem auctoritate omnes Eccleſias
regi; Itaque *Senatus Cardinalium* (ut ibi exponit Ar-
chid.) *à Cardine nomen accipit, quaſi ſe regat, &*
alios; ſicut enim oſtium regitur per Cardines, ita Ec-
cleſia per iſtos: & Cardinales Cardines dicuntur in
Romana Eccleſia duplici ſimilitudine, vel quia ſicut
domus habet oſtium, & Cardinem, ſic Eccleſia habet
Papam, qui eſt oſtium Dei, vel Eccleſia, & Cardi-
nales, qui ſunt Cardines. His quidem conſentiunt PP.
Baſileenſis Conſeſſus, de S. R. E. Cardinalibus *ſeſſ. 23.*
ibi: *Sicut nomine, ita re ipſa Cardines ſunt, ſuper quos*
oſtia univerſalis Eccleſiæ verſentur, & ſuſtenentur;
adeòut optimè ad id alluſerit Choell. *loco citat.* verbis
lib. 1. Reg. cap. 2. Domini enim ſunt Cardines Terræ,
& poſuit ſuper eos orbem. Neque ſanè minus eſt ac-
comodata hujuſce nominis derivatio à Cardine, ut ſo-
nat quid præcipuum, & principales, ſicut Cardinales
quatuor principales virtutes dicuntur apud D. Ambro-
ſium *lib. 5. in Luc.* quatuor item venti Cardinales, &
quatuor mundi partes Cardinales apud *Servium*, ita
Cardinales EE. PP. dicantur, quaſi totius Eccleſiæ præ-
cipui, & principales, ad quod alludit Azor. *inſtit. mo-*
ral. tom. 2. lib. 4. cap. 1. in princip. Zecch. *de Republ.*
Eccleſ. part. 3. de Cardin. Tholoſan. *in ſintagm. jur.*
lib. 15. cap. 4. num. 5.

Hæc de Cardinalium nomine; & ſi eorumdem offi- 9
cii antiquitatem ſpectemus, quidquid dixerint alii, qui
à S. Silveſtri, vel S. Gregorii temporibus repetendam
eſſe autumant, vel qui ad Marcelli, ſeù Pontiani ſæ-
culum eam referunt, vel demum, qui à Cleti, & E-
variſti ætate Cardinalatus ſua initia protendere poſſe
autumant; Conſtans omninò eſt, quod Eugenius in
præſenti Conſtitutione aſſeruit, Cardinalium officium
à Beato Petro ejuſque Succeſſoribus fuiſſe inſtitutum:
Et quidem Cardinalium munus in ipſiſmet Apoſtolis
ſuſpicimus, qui Chriſto-Domino in terris Pontifica-
tum explicanti, quaſi quod aſſiſtere videbantur, unde
Fratres, Socii, & Amici aliquando ab ipſo fuerunt
nuncupati, *Matth. ultim. Luc. 6. & 22. Jo: 15.* quod
planè magnorum virorum eſſe aſſertum, & non levi
probabilitati niti inquit Paleott. *de Sacr. Conſiſt. conſul.*
memb. 5. cap. 11. verſ. porrò, Card. Jacobat. *de Concil.*
lib. 1. numer. 252. Barboſ. *de Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 3.*
num. 2 Profectò autem poſt Chriſti Aſcenſionem iidem
Apoſtoli, Petro Pontificale munus gerenti, aſſiſtebant
cooperantes in regimine univerſalis Eccleſiæ, tamquam
Cardinalatus officium exercentes, adeòut Apoſtolos 10
prius partes Cardinalium in Urbe Roma obiiſſe, quam
Epiſcoporum, ſcitè inquit Card. Petrus de Alliaco *de*
Auctor. Eccleſ. cap. de Cardin. cujus aurea verba hæc
ſunt: *Ex hoc poteſt inferri, quod Apoſtoli prius Car-*
dinales, quàm Epiſcopi fuerunt, &c. prius fuerunt Car-
dinales Orbis, quàm Urbis, & infra: *Senatus Apoſto-*
lorum ſuccedit Collegium Sacrum Cardinalium quantum
ad illum ſtatum, quo Apoſtoli coaſſiſtebant Petro, ante-
quam fierent particularium Eccleſiarum Epiſcopi. Nec
abſimiliter Anton. Pagan. *de ordin. juriſd. & reſident.*
Epiſcoporum ſect. 2. circa fin. Fridericus Imperator, &
omnes Doctores Pragenſis Academiæ quando contra
errores Joannis Hus ſubſcripſerunt, quorum dicta re-
fert Thomaſsin. *de benef. par. 1. lib. 2. cap. 114. num. 2.*
§. qui munus. Atque poſtquam Apoſtoli in diverſas mun- 11
di partes obierunt conſtat, B. Petrum alios adjutores
ſibi aſciſciſſe, Cardinalatus munere functuros, inter quos
Linum, & Cletum, & Clementem ex Epiſtola unica
Joannis III. relata in *can. ſi Petrus 8. quæſt. 1.* Pluſquam
verò notiſſimum eſt hujuſmodi exemplum ſequutos fuiſ-
ſe in Pontificatu Succeſſores, adeòut quiſque ſuos Car-
dinales aſſiſtentes, & in regimine univerſalis Eccleſiæ
cooperantes habuerit, quos recenſere omittam, cùm
hæc ſufficiant ad comprobandum, quod Eugenius in
præſenti Conſtitutione inquit, videlicet Cardinalium
officium B. Petri tempore primordium habuiſſe; Quin 12
etiam, uti Eugenius ipſe proſequitur, ex veteri teſta-
mento juſſu Dei Sacrum hujuſmodi miniſterium ſuam tra-
xiſſe originem affirmari poſſe videtur, ut ex *Deuter. 17.*
ubi legitur: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium*
eſſe

Digitized by Google

eſſe perſpexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, verba hujuſmodi referendo ad Summum Pontificem, & Sac. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, principales in Eccleſiæ regimine ejuſdem Cooperatores, aſſeſſores, & Conſiliarios, juxta expreſſam auctoritatem Innocentii III. in *cap. per venerabilem, qui fil. ſint legit.* cujus hæc verba ſunt de ipſis Cardinalibus diſſerendo: *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis, fratres noſtri, qui nobis jure levitico in executione Sacerdotalis officii coadjutores exiſtunt*, quem profectò Textum quamplures graviſſimi Doctores ſequentes firmarunt, Cardinalium officium ex jure Divino originem trahere, vel quidem Sacerdotum Levitici generis typum, & figuram tenere, Abbas, & alii Repeten. *in cit. cap. per venerabilem*, S. Antonin. *in ſumma par.* 3. *tit.* 21. *cap.* 1. & 2. Cardinalis Bellarm. *in apolog. cap.* 4. *pag.* 35. Cardin. Turrecre. *lib.* 2. *cap.* 80. & 81. Jacobat. *de Conc. lib.* 1. *art.* 1. *num.* 244. Alban. *de Cardin. cap.* 5. Paleot. *de Sacr. Conſit. memb.* 5. *cap.* 11. Auguſt. Triumph. *in tract. de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 102. Lauden. *de Card. par.* 1. *quæſt.* 34. & *part.* 2. *quæſt.* 12. Barbat. *eodem tractat. quæſt.* 1. Lancell. *in templo omn. Judic. lib.* 2. *cap.* 2. §. 3. *numer.* 27. Germon. *lib.* 3. *Sacr. cap.* 6. Macedo *de clavib. Petri lib.* 4. *cap.* 8.

CONSTITUTIO XVI.

EUGENII VI.

Incipiens (*Regularem.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

PRofeſſis in Ordine Ciſtercienſium ad quemcumque alium Ordinem, Carthuſienſibus exceptis, tranſire prohibet.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Eugenius interdixit Ciſtercienſibus ne tranſirent ad alium ordinem, præterquam ad Carthuſienſes.*

2 *An ſufficiat Abbatis licentia pro tranſitu, vel requiratur ea Sedis Apoſtolicæ, & num. ſeqq.*

3 *Requiritur licentia Sedis Apoſtolicæ.*

4 *Aliæ hujuſmodi prohibitiones circa Regulares alios recenſentur.*

5 *Quare edita fuit hæc Conſtitutio pro Ciſtercienſibus.*

6 *Quid ſervari debeat in tranſitu à Ciſterſienſibus ad Carthuſianos, vel è contra.*

7 *De tranſitu ad aliam Religionem. Remiſſivè.*

8 *An in tranſitu etiam bona tranſeuntis tranſire debeant ad Monaſterium ad quod, ardua dicitur quæſtio hic tractanda.*

1 CIſtercienſium quieti, & incolumitati conſulere cupiens Benedictus XII. præ cæteris ſtatuit, ne Mendicantes ad eos tranſire poſſent, niſi cum ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, ut dixi ſupra in ejus *Conſtit.* 1. quod idem intendens noſter Pontifex, in præſenti Conſtitutione edita Florentiæ 16. Kalendas Martii 1439. ipſis Ciſtercienſibus tranſitum prohibuit, ad quemcumque alium Ordinem, præterquam ad Carthuſienſes, prout de eadem Conſtitutione mentionem facientes, tradunt Lezana *tom.* 1. *Oper. moral. part.* 1. *cap.* 22. *num.* 6. Murga *ad Conſt.* 7. Alexandr. IV. *n.* 13.

qui tamen nihil exprimunt, an prohibitio tranſeundi 2
ſit abſoluta, itaut fieri non poſſit, niſi cum licentia
Sedis Apoſtolicæ, an verò ſufficiat licentia Abbatis;
cùm alioqui hac de re videatur poſſe dubitari, attentis verbis hujus Conſtitutionis, ibi: *Decernimus, & etiam ordinamus, quod nullus Ordinis præfati profeſſus, ad alium quemcumque; præterquam Carthuſienſium Ordinem, etiam prætextu litterarum Majoris Pœnitentiarii noſtri, etiamſi in illis plena, & expreſſa de præſentibus mentio habeatur, abſque Patris Abbatis Monaſterii Ciſtercienſis Cabilonen. Diœceſis licentia ſpeciali, cauſam rationabilem, & urgentem, quare licentia hujuſmodi concedi debeat, nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus expreſſè, &
ſpecificè allegantis, audeat, vel præſumat quomodolibet ſe transferre.* Hic autem expreſsè non præſcribi- 3
tur, licentiam peti debere à Sede Apoſtolica, adeòque ſufficere debet licentia ſolius Abbatis. Veriùs tamen credo, ex hac Conſtitutione licentiam Sedis Apoſtolicæ requiri, quemadmodum pro tranſitu ad Fratres Minores jampridem requirebatur ex Conſtitutione Honorii III. de qua fit mentio in Conſtitutione
Gregorii IX. ibi: *Sanè mirantes accepimus, quod cùm* 4
à ſancta memoria Honorio Papa Prædeceſſore noſtro fuerit demandatum, ut nullus de Ordinum Fratrum Minorum in veſtrum, aut ex vobis aliquis in eorum Collegio ſine ſpeciali mandato Summi Pontificis admittatur, quæ Conſtitutio eſt apud Manrique *Annal. Ciſtercienſ. tom.* 4. *ad Anno* 1235. *cap.* 7. *num.* 2. & *in Bullar. Ciſtercienſ. tom.* 1. *Bulla* 86. & de alia Conſtitutione Martini V. generaliter ad quemcumque Ordinem Ciſtercienſibus tranſitum prohibente, meminere Barboſ. *lib.* 1. *de jure Eccleſ. cap.* 42. *num.* 56.
Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 7. *quæſ.* 2. *n.* 3.
Hujus autem Conſtitutionis editioni cauſam dederunt 5
conqueſtiones Abbatum Ciſtercienſium, quod ſui Monachi ex fucatis, & confictis cauſis à Sede Apoſtolica tranſeundi licentias exorquerent. Ad occurendum ideireò his fraudibus conſultò Pontifex hic ſtatuit, quod tranſeundi licentia à Sede Apoſtolica Ciſtercienſibus in futurum non concederetur, niſi exhibita licentia Abbatis Monaſterii Ciſtercienſis, in qua juſta tranſeundi cauſa Summo Pontifici allegaretur: Excipitur tantùm tranſitus ad Carthuſienſes, prout ferè ſemper in ſimilibus indultis excepti fuerunt, ut
dixi ad *Conſtit.* 8. Eugenii IV. *num.* 10. Quamvis uſ- 6
que ad Annum 1195. Carthuſienſes de ſtrictiori, aut arctiori vita ſupra Ciſtercienſes non præſumerent, dum eo tempore concordiam inter ſe inierunt, utrinque prohibentem mutuos tranſitus ſine expreſſa Superiorum utriuſque Ordinis licentia, ut tradit Manriq. *Annal. Ciſtercien. tom.* 3. *ab Anno* 1195. *num.* 6.

Exigit præſens Conſtitutio ad ſui intelligentiam 7
hic tractari de tranſitu ad aliam Religionem, quatenus nempè ſit permiſſus, ac ex quibus cauſis concedi ſoleat. At de his latiùs diximus ad *Conſtitut.* 1. Benedicti XII. & *Conſtitut.* 8. Eugenii IV. Suppoſito autem tranſitu legitimè facto, intricatæ, ac frequentes occurrunt controverſiæ circa translationem bono-
rum, quæ ex perſona Regularis tranſeuntis primo Mo- 8
naſterio obvenerunt, adeòut hanc materiam ſatis arduam judicaverit Rota *in Romana Legati* 27. *Novembris* 1693. §. *collecta coram Urſino*; perplexitate potiſſimùm oriente ex diverſis DD. præſertim Moraliſtarum opinionibus, qui ob defectum legis hac de re ſpecificè diſponentis, in contrarias fere ſententias, ut plurimum confundentes varias circumſtantias, ex quibus horum reſolutio maximè pendet. Quo igitur hæc dilucidiùs enodemus, ſequentem ſubnectimus Sectionem.

SECTIO UNICA.

Quatenus ex tranſitu Regularium ad aliam Religionem, transferantur etiam bona à prima Religione ad ſecundam.

SUMMARIUM.

1 *Religioſi omnia bona abdicare debent, & omnia Monaſterio capaci acquirunt, vel aliis pravüs actibus eorum ante profeſſionem.*

2 *At in caſu tranſitus, an bona quæſita primæ Religioni tranſeant ad ſecundam, & num. ſeqq.*
Quid in bonis renunciatis, vel aliis quæſitis, ſi prima Religio fuerit incapax, ſecunda verò capax. Ibid.

3 *Quæſita intuitu primæ Religionis, ad iſtam pertinent, & quæ ſint talia.*
Ubi de libris, & manuſcriptis. Ibid.
Eccleſia ſecunda non ſuccedit in bonis Epiſcopi acquiſitis in prima, ſed ſuccedit iſta. Ibid.

4 *Quoad bona particularia profeſſi tranſeuntis plures ſententiæ adducuntur.*
Diſtinguuntur etiam bona an ſint relicta intuitu profeſſi, vel an profeſſus tranſierit ex ſua culpa. Ibid.

5 *Statuitur regula ad favorem Monaſterii, à quo ſit tranſitus.*
Plures Textus, & rationes adducuntur, ac DD. Ibidem.

6 *Reſpondetur contrariis rationibus.*

7 *Deciſiones Sacræ Rotæ circa hoc adducuntur, & explicantur.*

8 *Bona Monialis tranſeuntis ad aliud Monaſterium pro pœnitentia, debentur primo Monaſterio.*

9 *Bona donata tempore ingreſſus, an debeantur Monaſterio ad quod ſit tranſitus.*

10 *Ad favorem ſecundi Monaſterii videtur dicendum, & num. ſeqq.*

11 *Sacr. Congregat. Concilii decidit, non poſſe Regularem, qui facit teſtamentum ad favorem Religionis in ingreſſu, illud revocare ob ſuppreſſionem Religionis.*

12 *Quid dicendum in dotibus Monialium tranſeuntium ad aliud Monaſterium.*

13 *Verius eſt non tranſire dotes.*
Adducuntur reſolutiones Sacr. Congreg. Concilii. Ibidem.

14 *Etſi dotes videantur dari aliquo modo pro alimentis Monialis, non debent tranſire, & quare.*

15 *Formula, quæ ponitur in licentia tranſitus pro Monialibus, ut remaneant dotes, ac quandoque alia primo Monaſterio.*

16 *Quando primum Monaſterium teneatur reſtituere dotem, vel ſaltem ſuppeditare alimenta tranſeunti Moniali in aliud Monaſterium.*

17 *Regulari tranſeunti, vel Moniali an ſint præſtanda alimenta à primo Monaſterio.*

18 *Regulari carcerato in carceribus S. Officii ſubminiſtrari debent alimenta à propria Religione.*

19 *Ad primum Monaſterium debeat præſtare alimenta, ſaltem ſi ſecundum fuerit pauper.*

20 *Annuæ præſtationes, ſeù vitalitia an tranſeant cum Regulari tranſeunte, vel Moniali, ubi de legatis annuis.*

21 *An autem tranſeat legatum, ſeù donatio pro una vice facta Monaſterio.*

22 *Regularis factus Epiſcopus acquirit ſuæ Eccleſiæ, non idem tamen eſt in intranslato Regulari ad aliam Religionem.*
Diſtinguuntur bona delata ante, & poſt, ſed reſolvitur quæſitum indiſtinctè. Ibid.
Sed quid dicendum de hæreditate relicta, ſub conditione verificata poſt tranſitum. Ibid.

23 *Aliæ quæſtiones ad rem innuuntur. Remiſſivè.*

Religioſæ Profeſſionis effectos eſt bonorum abdica- 1
tio, quia profeſſus Mundo mortuus bonis ſe ſpo-
liat; non ſolùm iis, quæ labore, & induſtria poſt pro-
feſſionem ad inſtar ſervi, vel filiifamilias Monaſterio
acquirit; ſed etiam quæ ante profeſſionem obtinebat;
aut jure ſucceſſionis acquirere poteſt; hæc enim, vel
ex ejus perſona Monaſterio acquiruntur, vel poſita re-
nunciatione, aut Monaſteri incapacitate, ex hujus in-
ſtituto, aut bonorum natura, ſivè ex Teſtatorum vo-
luntate oriente, ad renunciatarios, ſeù proximiores,
alioſvè vocatos deferuntur, ut fusè dixi *tom.1. ad Con-
ſtit. unic.* Caliſti II. *ſect.3. tom.2. ad Conſtit.5.* Honorii
III. *ſect.4. tom.3. ad Conſtit.4.* Innocentii IV. *ſect.1. &
2. & ad Conſtit.1.* Clementis IV. *ſect.1. & 2.* Cùm au- 2
tem hæc Monaſterio ex perſona Profeſſi acquirantur:
ſi hunc ad aliam Religionem legitimè tranſire contin-
gat, jure dubitatur, an ſecum bona deferat, prout
etiam de bonis renunciatis, aut alteri quæſitis ob inca-
pacitatem primi Monaſterii, an tranſeat ad ſecundum
Monaſterium capax.

Quò igitur ad bona primæ Religioni acquiſita, hæc 3
ſi ſint quæſita intuitu ipſius Religionis, aut ex indu-
ſtria, & laboribus Profeſſi, procul dubio ad primam
Religionem pertinent, & quidem irrevocabiliter, ad
inſtar bonorum, quæ Dominus ex perſona ſervi acqui-
rit, Abb. *in cap. ne Religioſi num.3. de Regular.* Card.
de Luca *de Regular. diſcur.39. num.16.* & tenent com-
muniter DD. ex *can. ſtatutum 18. quæſt.1.* & optimè fa-
cit argumentum deductum ex Textu in *cap. cum in offi-
ciis de Teſtamentis*, & Sacra Congregatio Concilii in
Sueſſana, ſeu Cathacen. Spolii 25. *Januarii* 1710. ubi
bona quæſita intuitu Eccleſiæ Cathacen. ſpectare ad
ipſam, non autem ad Eccleſiam Sueſſanam; itaut nec
ſecum transferre poſſit libros, qui quamvis profeſſo con-
cedi ſoleant per modum peculii ſtabilis, ac iis uti Re-
ligioſus ſinatur uſque ad mortem, ſemper tamen ſunt
Religionis, adeòque apud ipſam remanere debent. De
manuſcriptis videtur poſſe dubitari, nam quamvis hæc
dici non poſſint propria ipſius Religioſi, valdè tamen
incommodum eſſet privari iis laboribus, quibus inge-
nium in litteris nutritur, ac adoleſcit, quæque ut plu-
rimum uſui eſſe non poſſunt, niſi illi, à quo ſunt ela-
borata; quinimò, ut inquit Suarez *tom.1. lib.6. de voto
cap.3. num.8.* propria manuſcripta ſunt quaſi pars pro-
priæ ſcientiæ, & doctrinæ acquiſitæ, deſerviuntque in
adminiculum memoriæ, à qua maximè pendet ſcien-
tia: cùm ergo Religioſus tranſiens poſſit ſecum defer-
re ſuam ſcientiam, & doctrinam, par etiam erit, ut
deferre poſſit propria ſcripta, quibus carere non po-
teſt ſine notabili propriæ doctrinæ detrimento. Unde
Clemens IV. prohibens Regularibus ex Ordine Prædi-
catorum, ad Epiſcopatum aſſumptis, ſecum aſportare
libros, declaravit prohibitionem non comprehendere
quaternulos, & illas chartulas, vel membranas, in
quibus dicti Fratres ſibi certa notabilia cum aliquibus
privatis ſermonibus collegerunt, ut dixi *tom.3. ad Con-
ſtit.11.* Clement. IV. *num.5.* Alioqui autem ſi agatur de
Manuſcriptis antiquis, & pretioſis, hæc transferri non
poſſunt, quinimò nec Religio ea concedere valet,
cùm comprehendantur ſub decreto de Rebus Regula-
rium non alienandis, ut reſolvit Sacra Congregatio
Concilii in *Florentina* 23. *Februarii* 1647. Ex his ergo
dicerem, transferri poſſe libros manuſcriptos, qui aliàs
magni pretii non ſint; alios autem transferri non poſ-
ſe, niſi cum licentia Superioris, ut diſtinguunt Villa-
lob. *in ſumma tom.2. tract.35. diffic.14. num.5.* Rodriq.
in compend. quæſt. regular. reſol.123. numer.82. & alii
apud Dian. *tom.3. tract.2. reſol.63.* Paſſerin. *de ſtatu ho-
min. tom.3. quæſt.189. art.8. num.184.* dummodò tamen
non ſint manuſcripta antiqua, & pretioſa, quæ nec
cum licentia Superioris transferri poſſunt, ut dixi.

Major porrò eſt difficultas quoad bona propria ipſius 4
profeſſi, ea ſcilicet, quæ ante profeſſionem uti pro-
prium patrimonium poſſidebat, ſivè aliàs acquiſierat,
aut quæ Monaſterio ex perſona ejuſdem profeſſi titulo
ſucceſſionis obvenerant. Quò, inquam, ad hæc varia
ſunt Authorum placita; aliis abſolutè favore primæ,
aut

Digitized by Google

aut ſecundæ Religionis reſpondentibus; Aliis diſtin-
guentibus inter proprietatem, & uſumfructum, ut ſci-
licet hic tranſeat ad ſecundam Religionem durante
vita profeſſi, illa penès primam remaneat cum jure
conſolidationis uſusfructus poſt mortem ejuſdem pro-
feſſi; Aliis item differentiam ponentibus inter bona
Monaſterio acquiſita ex perſona profeſſi, ſeù intuitu
ejus profeſſionis; & bona acquiſita ex donatione,
alioque actu voluntario ipſius Profeſſi, priuſquam
profeſſionem emitteret; itaut primum bonorum genus
remaneat priori Religioni, non item ſecundum. De-
mùm aliis conſiderantibus, an Religioſus tranſeat ex
propria culpa, an verò ob culpam Monaſterii, itaut
ſolùm in hoc ſecundo caſu bona transferantur. In tanta
5 opinionum varietate, ſtatuenda videtur Regula favo-
re Monaſterii, à quo fit tranſitus, ut ſcilicet apud
ipſum præfata bona remaneant; quod elicitur, tum
ex Jure Civili in Auth. *de Monachis collat. 1. novella
5.* ibi: *Si verò relinquens Monaſterium, in quo con-
verſationem habuerit, ad aliud tranſeat Monaſterium,
etiam ſic quidem ejus ſubſtantia maneat, & vindicetur
à priori Monaſterio, ubi abrenuncians hanc reliquit.*
Et in *Authen. de Sanctiſſ. Epiſcop. collat. 9. novell.* 123.
ibi: *Si Monachus reliquerit ſuum Monaſterium, & in
aliud ingrediatur, quaſcumque res tempore, quo Mona-
ſterium dereliquerit, habere videbitur, proprio Mona-
ſterio, in quod ab initio ingreſſus eſt, eas competere ju-
bemus.* Tum pariter ex Jure Canonico in *canon. ſtatu-
tum* 18. *quæſt.* 1. quod quamvis loquatur de Monacho
ad Epiſcopatum aſſumpto, ut dixi *tom.* 3. *ad cit. Conſt.*
11. Clemen. IV. *n.* 7. eadem tamen in utroque caſu ratio
procedit, ut mox dicam. Nec reſponderi poteſt, hæc
jura loqui de bonis induſtrialibus, non autem patrimo-
nialibus. Etenim cùm indiſtinctè loquantur, nulla ſub-
eſt ratio, cur de uno potiùs, quàm de altero bonorum
genere ſint intelligenda, quinimò Gloſ. *in cit. can. ſta-
tutum ver. reſtituat*, exemplificat in bonis acquiſitis ex
jure ſucceſſionis, prout eam intelligit Rota *deciſ.* 115.
n. 4. *par.* 2. *rec.* atque hanc ſententiam tenent innumeri
DD. quos referunt, & ſequuntur Covar. *cap.* 1. *de teſtam.
num.* 20. *cum ſeqq.* Tapia *in Auth. ingreſſi ver. ſua cap.* 6.
n. 7. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Fontanell. *deciſ.* 277. *per
tot.* ubi ita deciſum refert Capyc. Latr. *deciſ.* 193. *n.* 30.
cum ſeqq. Caſtropal. *tom.* 3. *oper. moral. tractat.* 16. *diſp.*
3. *punct.* 17. §. 2. *n.* 3. Paſſerio. *cit. art.* 8. *n.* 174. ubi quod
ita pluries Sacr. Congregatio reſolverit, *Murga ad
Conſtit.* 6. Alexand. IV. *ſect.* 3. *ſubſect.* 5. *num.* 191. & ex
antiquioribus eam docuerunt Bartol. *in tract. Minorit.
lib.* 4. *cap.* 2. Petrus de Petuſio *tract. de mutat. ſtat. Eccl.
cap.* 1. *n.* 3. Bellam. *cap. quanto n.* 11. *de offic. Ordin.* Imol.
clem. final. num. 8. *q.* 7. *de elect.* Redoan. *de ſpol. qu.* 8. *in
princip. num.* 79. Bald. *novell. de dote par.* 1. *n.* 10. Ratio
ejus potiſſima eſt, quia attenta incapacitate Monachi,
ejus bona ipſo jure Monaſterio acquiruntur, *auth. in-
greſſi, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* nec ullum jus habet, ex
quo illa transferre poſſit. Et quamquam contrariæ
6 ſententiæ Authores reſpondeant, acquiſitionem eſſe
conditionatam, ſi ſcilicèt profeſſus ad ſecundam Re-
ligionem non tranſeat ad Textum in *cap. quoad ſi de
Cleric. conjug.* ubi *Gloſſa verb. redire*, quemadmodum
donationes factæ intuitu ingreſſus, quamvis expreſsè
ſint abſolutæ, implicitam habent conditionem, ſi pro-
feſſio ſequatur; Ulterius acquiſitio reſpectu Monaſte-
rii eſt occaſionalis, & cauſativa, adeòque reſolvibilis
ceſſante cauſa, quæ eſt permanentia in prima Reli-
gione, ut differit Cardin. de Luca *de Regularibus
diſcurſ.* 36. *num.* 17. & 18. Attamen diſtinguendo inter
bona, quæ Religioſus Monaſterio intuitu ingreſſus
ante profeſſionem donavit, & bona, quæ poſt pro-
feſſionem Monaſterium ex ejus perſona acquiſivit.
Quantum ad hæc, nulla ſubeſſe poteſt tacita condi-
tio, quæ nec expreſsè poteſt à profeſſo apponi, adeò-
que bona irrevocabiliter acquiruntur, etiam in caſu
tranſitus; ad inſtar bonorum, quæ dominus ex perſo-
na ſervi acquirit; hæc enim ſervo ad alterum dominum
tranſeunte, penes primum remanent, *leg. inter anti-
quum C. de uſufr.* Capyc. Latro *dec.* 193. *n.* 33. Hinc quam-
vis præfata bona Monaſterium acquirat occaſione in-
greſſus, cauſa tamen finalis acquiſitionis non eſt ipſe
ingreſſus, aut permanentia profeſſi in Religione, ſed
incapacitas ſibi acquirendi ex voto paupertatis in Pro-
feſſo oriens, atque rectè conſiderat Pignatell. *conſult.*
432. *n.* 21. *tom.* 1. Unde cùm cauſa ſit perpetua, & irre-
vocabilis, talis etiam erit acquiſitio; ut hinc reſultat
reſponſio ad argumentum deſumptum ex donatione fa-
cta intuitu ingreſſus non ſequuti; hæc enim non ſolùm
occaſionem ſumit ab ingreſſu, ſed etiam illum reſpicit
utì cauſam finalem, adeòque ex natura ſua eſt reſolu-
bilis ob reſolutionem cauſæ; quod non contigit dum
acquiſitio oritur ex voto paupertatis, quod eſt irrevo-
cabile. Nec Rota amplexa eſt contrariam ſententiam,
ut cenſet Card. de Luca *cit. diſc.* 39. *n.* 17. Nam quantum
eſt ex *dec.* 1361. *n.* 1. *coram Seraphin.* hæc tantùm aſſe- 7
rit Monachum transferre jura ſua ad alium Ordinem,
quod intelligi poteſt de jure ſuccedendi in hæreditate de-
lata poſt tranſitum, non autem loquitur de translatione
bonorum; quinimò illius deciſionis articulus erat de
Monacho tranſeunte ad aliud Monaſterium ejuſdem Or-
dinis, & tantùm incidenter loquitur de tranſitu ad alium
Ordinem. Similiter nec obſtant *dec.* 109. & 115. *par.* 2.
rec. in quibus agebatur de hæreditate delata, dum Mo- 8
nialis erat in ſecundo Monaſterio, & fuit reſolutum,
hæreditatem deberi primo Monaſterio, cùm Monia-
lis ad ſecundum Monaſterium tranſiſſet pro pœniten-
tia agenda, nec in eo profeſſionem emiſiſſet. Nec
his obſtat Textus in *cit. cap. quod à te*; nam primò
etſi extendamus ejus diſpoſitionem ad tranſitum Re- 9
gularium, cùm tantùm loquatur de Clerico beneficia-
to ad nuptias tranſeunte, certè comprehendere non
poterit bona à Monaſterio acquiſita in ſequelam pro-
feſſionis, ſed ſolùm ea, quæ ante profeſſionem Mo-
naſterio Profeſſus donavit, cùm bona Clerici non ac-
quirantur ejus Eccleſiæ, niſi ab ipſo donentur; un-
de *Gloſ. ibid. ver. Reddite*, quæ communiter allegatur
ad probandam translationem bonorum ad ſecundum
Monaſterium, expreſsè loquitur de bonis donatis
tempore ingreſſus, & in his terminis loquuntur DD.
apud Pelliccion. *illuſtr. quæſt.* 21. *cap.* 10. *verſ. ſecun-
do infertur.*

Cœterùm veriùs eſt, nec item hujuſmodi bona an- 10
te ingreſſum donata revocari ad ſecundam Religio-
nem, ut in ſpecie tenent Caſtropal. *cit. punct.* 17. §.
2. *numer.* 6. Paſſerin. *cit. art.* 8. *numer.* 179. Etenim,
niſi expreſsè fuerit cautum, quòd ſi aliquando conti-
gerit donantem in aliam Religionem migrare, bona
illa ad ſecundam Religionem transferantur, donatio
non aliam tacitam conditionem admittit, niſi effe-
ctuationem ingreſſus, quæ eſt principalis cauſa dona-
tarii, quo autem ad poſſibilem tranſitum eſt abſolu-
ta, quemadmodum abſoluta eſt profeſſio; unde tran-
ſeunte profeſſo, transferri non poterunt acceſſoriè ad
ejus perſonam bona, quæ jam ſupponuntur Monaſte-
rio incorporata, quòd comprobatur ex mente Sac.
Congregationis Concilii in *Bononien. Teſtamenti* 25.
Februarii 1679. & 23. *Auguſti* 1692. in qua age-
batur de Profeſſo in Ordine Jeſuatorum, qui ante 11
ingreſſum Teſtamentum condiderat favore ſui Mona-
ſterii; ſequuta autem dicti Ordinis ſuppreſſione per
ſanctam memoriam Clementem IX. facta; idem pro-
feſſus petiit declarari, Teſtamentum, utpotè factum
intuitu ejus permanentiæ in ſuo Ordine, fuiſſe reſo-
lutum per ſuppreſſionem ipſius Ordinis, aut ſaltem
debuiſſe ei concedi facultatem illud revocandi; qui-
bus tamen non obſtantibus, Sacra Congregatio cen-
ſuit, Teſtamentum non eſſe reſolutum, nec illud re-
vocandi facultatem conceſſit. Unde apparet, acqui-
ſitionem bonorum, quæ Profeſſus ante ingreſſum Mo-
naſterio donavit, eſſe abſolutam, & irrevocabilem,
nec pendere ex permanentia profeſſi in Religione,
quod abſque dubio procedit, ſi in donatione Mona-
ſterio adjectum fuerit aliquod onus, ut conſiderat
Cardin. de Luca *de Regular. diſc.* 39. *numer.* 11. Por-
rò ſi bona donata tempore ingreſſus tranſirent cum
Monacho ad ſecundam Religionem, eadem ratione 12
Monia-

Moniales poſſent ſecum deferre ad ſecundum Monaſterium dotes primo Monaſterio acquiſitas, cùm ipſæ dentur intuitu ingreſſus, ac habito reſpectu ad onera temporalia, quæ pro ſuſtentatione Monialis Monaſterium ſuſſerre debet, ut latè dixi *tom. 3. ad Conſtitut.* 12. Innoc. IV. *ſect.* 1. *num.* 23. *& ſeqq.* transeunte autem Moniali ad aliud Monaſterium, ceſſat finis præſtationis dotis primo Monaſterio facto, adeòque dos tranſire debebit cum Moniali ad ſecundum Monaſterium, quòd alimentorum onus ſuſtinet; ad inſtar dotis datæ pro matrimonio carnali, quæ permanere debet apud eum, qui matrimonii onera ſubſtinet, *l. actiones §. finali ff. pro ſocio*, *Caſtren. in leg. ſi cum dotem §. tranſgrediamur numer. 7. ff. ſoluto matrim.* Rota *deciſ.* 468. *numer*, 4. *coram Ludoviſ.* Qua ratione, Monaſterium teneri reſtituere dotem Moniali ad aliud Monaſterium tranſeunti, dixerunt Bald. *novell. de dote parte* 1. *numer.* 10. Benedict. Capra *conſ.* 96. *numer.* 6. *&* 9. Redoan. *de ſpol. quæſt.* 8. *in princip. numer.* 80. Tapia *in cit. auth. ingreſſi ver. ſua cap.* 6. *numer.* 10. de Marin. *allegat.* 105. *numer.* 4. Boſtilier. *de ſucceſſ. theor.* 38. Gratian. *diſcept.* 96. *numer.* 24. Staiban. *jun. reſol.* 125. *numer.* 10. *& reſol.* 126. *per tot.* Sanfelic. *deciſ.* 323. *numer.* 10. Rota *deciſ.* 115. *numer.* 2. *parte* 2. *recent.* Nihilominùs verius eſt, Regulariter per tran-
23 ſitum Monialis in ſecundum Monaſterium, non transferri dotem; nam dos Monialis ſolam hanc tacitam conditionem continere videtur, ſi Monialis profeſſionem emittat: emiſſa igitur profeſſione, abſolutè illa acquiritur, & incorporatur Monaſterio, fitque ejus dominus irrevocabiliter etiam ſequuta morte Monialis. Unde elicitur differentia inter dotes Monialium, & dotes nubentium in ſæculo; hæ enim non irrevocabiliter viro acquiruntur, cùm dominium remaneat penes uxorem, ac ſolutæ cenſeantur ſub tacita conditione, ſi matrimonium perſeveraverit, itaut matrimonio per mortem viri ſoluto, reſtituantur uxori; quod non contingit in dotibus Monialium, quorum dominium eſt penes Monaſterium, ipſique acquiruntur abſolutè, etiam ſequuta morte Monialis: ergo idem dicendum eſt ſi Monialis ad aliud Monaſterium tranſeat; atque ita pluries reſolvit Sacra Congregatio Concilii, præſertim in *Neapolitana* 27. *Junii* 1637. ubi ad dubium; *An Moniales profeſſæ in uno Monaſterio, & tranſeuntes de licentia Superioris ad aliud novum Monaſterium ejuſdem Ordinis occaſione ſtrictioris Obſervantiæ, vel Regulæ, poſſint ſecum ad dictum novum Monaſterium deferre dotes primo Monaſterio acquiſitas tempore inibi emiſſæ profeſſionis?* Sac. &c. cenſuit, *Monialem profeſſam in uno Monaſterio, ſi ad aliud Monaſterium etiam ſtrictioris obſervantiæ ex legitima facultate tranſire voluerit, dotem priori Monaſterio ſolutam ſecum deferre non poſſe, ſed eidem priori Monaſterio remanere debere*; cujus reſolutionis mentionem etiam facit Corrad. *in praxi diſpenſ. lib.* 5. *cap.* 15. *numer.* 14. *verſ. poſtmodum*, Pignatell. *tom.* 2. *conſult.* 432. *numer.* 8. Idemque reſpondit in *Cæſarauguſtana* 28. *Julii* 1657. *lib.* 21. *Decretor. pagina* 48. ibi: *Sac. &c. cenſuit, indulgendam facultatem N. ut ex Monaſterio Ordinis S. Auguſtini, in quo regularem profeſſionem emiſit, relicta in eo dote, & quibuſcumque aliis bonis uſque in hanc diem illi acquiſitis, valeat pro arbitrio, & conſcientia Archiepiſcopi Cæſarauguſtani, & juſtificatis coram eo precibus, tranſire ad Monaſterium Incarnationis Ordinis Carmelitarum in eadem Civitate; ita tamen ut aſſenſus Superioris Monialium ejuſdem Conventus Incarnationis accedat, & Oratrix ex integro novum probationis annum ibi incipiat, & perficiat, & tranſitus ipſe recta via, & abſque diverſione ad extranea, comitantibus honeſtis Matronis, & ſi commodè fieri poteſt, proximioribus Conſanguineis, necnon Religioſis viris, ætate, & morum gravitate ſpectatis fiat.* Similiter in *Pharen Tranſlationis* 31. *Auguſti* 1618. *lib.* 21. *Decretor. pagina* 367. qua fuit permiſſus tranſitus duabus Monialibus ad Monaſterium noviter conſtructum pro introducenda in ipſum regulari diſciplina, & præ cæteris fuit præſcriptum, quod eædem Moniales priori Monaſterio dotem relinquerent, prout etiam in omni tranſitu hanc conditionem adjici ſolitum eſſe, refert Fagnan. *in cap. recolentes numer.* 48. *de ſtatu Monach.* Tamburin. *de jure Abbatiſſar. diſput.* 21. *quæſ.* 6. *num.* 2. Et quam-
vis dotes à Monialibus non aliàs Monaſterio exhibe- 14
antur, ſeu exiberi poſſint, niſi titulo alimentorum; unde erui videatur, quòd ceſſante in Monaſterio onere alimentorum ob tranſitum Monialis, ceſſet etiam jus retinendi dotem. Attamen, ut conſiderat Card. de Luca *cit. diſc.* 39. *numer.* 6. cùm regulariter quantitas hujuſmodi dotium talis ſit, ut Monaſterium notabiliter læſum remanere valeat, ſi Monialem diu cum infirma valitudine vivere contingat; congruum pariter eſt, ut Monaſterium ſit in lucro ob celerem Monialis mortem, quo pacto æqualiter ad commodum, vel incommodum ſe habebit; idcircò ſi ipſa Monialis voluntariè Monaſterium deſerat, ſatis eſſe debet, quod Monaſterium pro implemento ſui oneris ſit paratum ad exibenda alimenta, itaut dos ipſi irrevocabiliter acquiſita dicatur, etiam in caſu tranſitus, prout, ultra citatos, tenent Tamburin. *de jure Abbatiſſ. diſp.* 21. *quæſ.* 7. *numer.* 2. *&* 3. Sanchez *in decalog. lib.* 7. *cap.* 32. *numer.* 12. Rodriqu. *qu. regular. tom.* 2. *quæſt.* 79. *art.* 2. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 14. *numer.* 15. Pignatell. *conſult.* 73. *num.* 21. *tom.* 9. Tondut. *quæſt. beneſ. tom.* 1. *cap.* 65. *numer.* 7. Donat. *in praxi regular. tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 5. *quæſt.* 57. *&* 58. Paſſerin. *de ſtat. hom. tom.* 3. *qu.* 189. *art.* 8. *numer.* 188. ubi plures Sacræ Congregationis Epiſcoporum reſolutiones adducit, aliaſque refert Nicol. *in Floſcul. ver. Tranſlatio numer.* 19. quod dos, & alia bona Monialis tranſlatæ remaneant primo Monaſterio, niſi aliud Papa concedat.

Controverſiæ autem quoad hoc rarò audiri ſolent, 15
nam cùm tranſitus Monialibus non permittatur, niſi prævia licentia Sacræ Congregationis Epiſcoporum, vel Concilii, ab his, pro dirimendis litibus, quæ inſurgere poſſunt, præ cæteris conditionibus in tranſitu ſervandis, decernitur etiam de dote, & quandoque de aliis bonis Monaſterio acquiſitis, ut præſertim practicavit Sac. Congregatio Concilii in *cit. Cæſarauguſtana*, in qua fuit dictum, quòd apud primum Monaſterium remaneret dos, & quæcumque alia bona uſque ad diem tranſitus illi acquiſita. Quod quidem ſatis conſultò fit, nam quamvis regulariter dos irrevocabiliter acquiratur primo Monaſterio, præſertim dum tranſitus eſt voluntarius ex parte Monialis, veluti ſi fiat ex motivo majoris perfectionis, nec idem tranſitus occaſionetur ex parte Monaſterii, ut fuit ſervatum in *Hiſpalen.* 13. *Januarii* 1699. in qua Sac. Congregatio Epiſcoporum conceſſit tranſitum ad arctiorem ex motivo profectus ſpiritualis, relicta dote Monaſterio à quo, ac ſoluta nova dote Monaſterio ad quod; probabile tamen, ac rectæ rationi conſonum eſt, in quibuſdam caſibus Monaſterium teneri
reſtituere dotem, vel ſaltem ſuppeditare alimenta Mo- 16
niali tranſlatæ; nempè ſi cauſa tranſeundi eſſet neceſſaria, aut ſatis urgens; unde Sac. Congregatio tranſeundi licentiam concedens, id determinate ſolet, ut tradit Cardin. de Luca *de dote diſc.* 167. *num.* 28. *&* 29. *& de Regular. diſc.* 39. *numer.* 7. ea tamen differentia attenta, ut ſi adſit cauſa juſta, & neceſſaria tranſeundi, quæ occaſionata non fuerit à Monaſterio, hoc non teneatur dotem reſtituere, aut alimenta exhibere, niſi in ſubſidium, quatenus ſcilicet Monialis non habeat aliundè pro ſibi conſtituenda nova dote; ſecus autem ſi ipſum Monaſterium tranſeundi cauſam dederit; Hinc in *Nannaten.* 16. *Januarii* 1615. Sac. Congregatio Epiſcoporum indulſit Moniali tranſitum ad laxiorem ex cauſa infirmitatis, cum eo tamen, ut novam dotem ſibi conſtitueret, ac Monaſterio à quo dotem relinqueret; idemque ex eadem cauſa, & cum eiſdem conditionibus indulſit in *Valentina* 13. *Februarii* 1699. in quibus, niſi Monialis habuiſſet bona, unde ſibi novam dotem conſtitueret, adigendum

fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet primum Monaſterium ad præſtandum alimenta, vel reſtituendam dotem, cùm ageretur de tranſitu ex cauſa neceſſaria, & inculpabili reſpectu Monialis, uti eſt infirmitas, ut præſertim advertit Cardin. de Luca *cit. diſc.* 39. *numer.* 7. Bottilier. *de ſucceſſ. theor.* 78. *numer. finali*, Nicol. *loc. cit. numer.* 11. ubi quòd ſi tranſlata non habeat aliundè, ſolvuntur ſecundo Monaſterio alimenta à primo ſecundùm quantitatem fructuum dotis; ſecus autem dicendum eſt, ſi neceſſitas tranſeundi occaſionetur ab ipſo Monaſterio; tunc enim abſolutè Sac. Congregatio demandare ſolet reſtitutionem dotis, ut præſertim fuit ſervatum in *Ferrarien. 17. Februarii* 1702. in qua Monialis calumnioſè accuſata de propinatione veneni, obtinuit licentiam tranſeundi ad aliud Monaſterium, reſtituta eidem dote à Monaſterio à quo, unà cum fructibus à die exitus. Et in *Neapolitana die* 31. *Auguſti* 1674. in qua cùm Monialis ex licentia Sac. Congregationis Epiſcoporum tranſiſſet ex Monaſterio Sancti Gaudioſi ad illud Reginæ Cœli, ac ſubinde eadem Sacra Congregatio cenſuiſſet, ipſam redire debere ad primum Monaſterium, hoc illam recipere detrectante, injuncta fuit reſtitutio dotis favore ſecundi Monaſterii; Idemque ex eodem motivo fuit ſervatum in alia *Neapolitana* 20. *Junii* 1704.

17 His item attentis, reſolvendum occurrit dubium, an Regulari, ſivè Moniali tranſeunti exhiberi debeant alimenta à primo Monaſterio, ſuppoſito quod penes iſtud remaneant bona ex illius perſona acquiſita. Etenim quamvis aliqui aſſeruerint, deberi à primo Monaſterio alimenta, ſivè uſumfructum bonorum, ipſi intuitu profeſſi acquiſitorum, ut quoad Regularem tranſlatum tenent poſt alios Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *centur.* 436. *numer.* 16. Diana *oper. moral. part.* 3. *reſol.* 114. præſertim quia congruum non eſt, quòd Monaſterium ad quem obligetur ad alendum Monachum habentem unde ſe alat, quo caſu nec pater ad id tenetur reſpectu filii, *leg. ſi quis à liberis* §. *ſed etſi filius ff. de liber. agnoſcend.* iniquitatis enim ſpecimen præſefert, quòd primum Monaſterium fruatur bonis Monachi, & ſecundum teneatur eum alere, atque ad hoc allegant Textum in *can. de lapſis* 16. *quæſt.* 6. Nihilominùs dicendum eſt, non eſſe diſparem rationem de uſufructu, ſeù alimentis, quàm de proprietate, adeòut alimenta à primo Monaſterio non debeantur, ex eadem ratione, qua non debetur proprietas, ut apud Fontanell. *deciſ.* 227. *numer.* 5. Surd. *de aliment. tit.* 9. *quæſt.* 27. *numer.* 1. & 16. & *ſeqq.* & ſpecialiter quoad Monialem tranſeuntem deciſum refert Capyc. Latro *deciſ.* 193. *numer.* 34. *ad fin.* Corrad. *in praxi diſpenſat. lib.* 5. *cap.* 15. *numer.* 14. *verſ. poſtmodum*, ubi adducit reſolutionem Congregationis Particularis ab Urbano VIII. deputatæ. Obligatio enim alimentorum, qua Monaſterium nectitur cum Monacho, non oritur ex eo, quod Monaſterium acquiſierit bona intuitu Monachi, cùm eadem obligatio adſit cum profeſſo, ex quo nulla bona acquiſivit; nec ideò dicta bona acquiruntur Monaſterio, quia Monacho alimenta præbet, ſed vel quia iſte ante profeſſionem voluntariè ea Monaſterio donavit, vel quia poſt profeſſionem ob votum paupertatis fuerunt Monaſterio neceſſariò acquiſita. Cùm igitur Monaſterium non exhibeat alimenta Monacho ratione bonorum hujus intuitu acquiſitorum, ſed quia ejus filius, & ſubditus eſt; ſequitur, ut ipſo ad aliam Religionem tranſlato, ex quo ſolvitur ab obedientia primæ Religionis, & tamquam homo novus transfertur in ſecundam, ex deductis per Navar. *conſ.* 61. *numer.* 5. *de regular.* Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 8. *ſub numer.* 8. & *tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 15. *numer.* 2. Rota *deciſ.* 360. *numer.* 19. *coram Bichio*, tranſeat etiam ad ſecundum onus alimentorum, apud quem tranſit prærogativa ſuperioritatis; exemplo ducto ab adoptione, per quam onus patris naturalis alendi filium transfertur in patrem adoptantem, *leg. onera* 45. *ff. de adoption.* unde omnino extra aleam allegatur *Textus in cit. can. de lapſis*, qui non loquitur de Monacho tranſlato, ſed de incluſo in aliud Monaſterium ad pœnitentiam peragendam, quo caſu cùm non ſolvatur ab obedientia primi Monaſterii, meritò ab ipſo alendum eſſe decernitur, Gloſſ. *in can. ſi quis rapuerit* 16. *quæſt.* 2. *ver. cautiori*, Covar. *in cap.* 1. *numer.* 20. *de teſtam.* Molin. *de Juſtit. tom.* 10. *diſp.* 140. Sanchez *in Summa lib.* 7.
cap. 32. *numer.* 46. qua etiam ratione Regularibus de- 18
tentis in carceribus Sancti Officii ſubminiſtranda ſunt alimenta à propria Religione, dummodò hæc non ſit ex iis, quæ ſtabilia in communi non poſſideat, ut tradit Cardin. Albit. *de inconſt. in fide cap.* 22. *numer.*
62. & 63. Qui autem aſſerunt ſaltem deberi alimen- 19
ta, ſi ſecundum Monaſterium ſit pauper, & primum locuples, loquuntur quidem ſecundùm æquitatem, ſed ſummo Jure non videtur adeſſe poſſe talis obligatio, quæ omninò ceſſat, ceſſante vinculo ſuperioritatis, & obedientiæ per tranſitum diſſoluto, ut conſiderat Surd. *cit. quæſt.* 27. *nu.* 23. Quò autem ad Moniales recipit hoc aſſertum eaſdem limitationes, quas ſupra adduximus quoad tranſlationem dotis, quaſque Sacra Congregatio attendere ſolet in demandanda primo Monaſterio præſtatione alimentorum, præſertim cùm ab ejus prudentia, & arbitrio hæc maximè pendeant, ut rectè advertit Paſſerin *cit. qu.* 189. *art.* 8. *num.* 189.

Tandem ſi loquamur de juribus vitalitiis, ſivè de 20
annuis præſtationibus, quas Regulares, & Moniales licito modo obtinere poſſunt, juxta ea, quæ diximus ad *Conſtitut.* 5. Benedicti XII. *ſect.* 2. *per tot.* hæc cùm non acquirantur Monaſterio, niſi quoad fructus, & durante tantùm vita Profeſſi, pertinent ad ſecundum Monaſterium à die tranſitus, ex quo tempore profeſſus habetur uti mortuus reſpectu primi Monaſterii, ut latè firmat Paſſerin. *cit. quæſt.* 189. *art.* 8. *numer.* 211. & cenſuit eadem Sac. Congreg. in *cit. Hiſpalen.* 23. *Januarii* 1699. in qua permiſit tranſitum ad arctiorem, accedente conſenſu utriuſque Monaſterii, relicta dote Monaſterio à quo, & ſoluta nova dote Monaſterio ad quod, tranſlato uſufructu trium periarum, quem ex parentum legato obtinebat; Unde apparet, fructus vitalitios ſpectare ad ſecundum Monaſterium à die tranſitus, prout etiam ad ipſum ſpectant quæcumque Regularis, aut Monialis acquirit, ſivè ex propria induſtria, & laboribus, ſivè ex ſucceſſione, ſivè ex legato, aut quolibet alio modo, cùm Monaſterium ex perſona Monachi tranſlati nanciſcatur eadem jura, quæ nactus eſſet, ſi è ſæculo ad ipſum immediatè tranſiſſet, Tuſc. *tom.* 5. *lit. M. concluſ.* 321. Navar. *cap. non dicatis numer.* 31. *quæſt.* 2. Azor. *tom.* 1. *oper. moral. lib.* 12. *cap.* 15. *quæſt.* 3. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tractat.* 8. *lib.* 3. *cap.* 13. Tamburin. *cit. diſp.* 21. *quæſ.* 7. *numer.* 7. Ex his pariter deſumitur
quid ſcilicet dicendum ſit de legato, vel donatione 21
pro una vice Monaſterio facta intuitu Profeſſi, idque ſivè expreſsè, ſivè etiam tacitè, prout regulariter facta cenſetur, quotieſcumque ſit à conſanguineis profeſſi, ad Textum in *cap. requiſiſti de teſtament.* hæc enim, niſi expreſsè cautum ſit, ut cum profeſſo ad ſecundam religionem transferantur, Monaſterio abſolutè acquiruntur, & quidem irrevocabiliter ex eadem ſuperius expoſita ratione, qua irrevocabiliter ex perſona ipſius profeſſi acquirit hæreditates; hæ enim quamvis intuitu Profeſſi acquiſitæ, ad ſecundum Monaſterium non tranſeunt: nec igitur tranſire debebunt donationes, & legata, ex eo ſolùm, quòd intuitu profeſſi ſint facta, ut deciſum referunt Fontanell. *deciſ.* 227. *numer.* 11. & latè habetur apud Rotam *in cit. Romana Legati* 12. *Junii* 1690. *cum ſeqq. confirmatoriis coram Priolo*, & 27. *Novembris* 1693. *coram Urſino*, & 1. *Julii* 1695. *coram Eminentiſſimo Caprara*, & in terminis Regularis ad Epiſcopatum aſſumpti, dixi ad *cit. Conſtitut.* 11. Clem. IV. *numer.* 28. *tom.* 3.

Hactenus dictis non refragatur Textus in *can. ſta-* 22
tutum 18. *qu.* 1. ſtatuens, quòd Monachus factus Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ acquirat hæreditatem ſibi poſt aſſumptionem ad Epiſcopatum delatam; unde *Abbas in*

cap.

Digitized by Google

cap. quod à te num. 8. de Cleric. conjug. & alii apud Card. Tuſcum *lit. M. concluſ.* 322. argumentum deſumunt aſſerendi, quod bona patrimonialia intuitu profeſſi Monaſterio acquiſita transferantur cum ipſo Profeſſo ad ſecundum Monaſterium; eadem ratione, qua transfertur ſpes ſuccedendi, quamvis cum perſona Profeſſi fuerit jam translata ad primum Monaſterium. Etenim idem Textus diſtinguit inter bona quæſita, & quærenda, itaut prima remaneant Monaſterio, ſecus ſecunda, cujus differentiæ rationem dat *Gloſ. ibidem ver. reſtituat*, quia ſcilicet jus ſuccedendi non competit, niſi poſt mortem defuncti, unde illud jus non dedit Monaſterio, ſed tantùm ſolam ſpem, quæ evaneſcit ob egreſſum Monachi, cùm ex ejus perſona pendeat, Soccin. *in leg. ſi cognatis num. 29. ff. de rebus dub.* Lapus *allegat. 61. num. 8.* Covar. *in cap. 1. num. 20. de teſtam.* Fontanell. *cit. deciſ. 227. nu. 10.* Rota *deciſ. 756. num. 11. coram Buratto*; ſpes enim hæreditatem obtinendi nullum jus tribuit, quod tantùm habere cenſetur ille, cui hæreditas eſt delata, ita ut illam adire valeat, *leg. licet Cod. de jure deliber.* Caſtren. *in leg. 3. num. 3. Cod. de jure deliber.* Corn. *conſ. 305. nu. 5. & 6. lib. 3.* Exemplo ſervi, qui quamvis domino acquirat, ſi ad alium dominum tranſeat, huic acquirit hæreditatem poſteà delatam; quinimò etiamſi dominium mutet poſt hæreditatem delatam, non aditam, aditio ad ſecundum dominum ſpectabit, cùm jus adeundi hæreditatem domino competat ex perſona ſervi, ut expreſsè deciditur in *leg. ſi ſervus ejus ff. de acquiren. hæred. leg. æquiſſimum §. ult. ff. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul.* Quibus juribus inducti Bart. *in cit. leg. æquiſſimum*, Bald. *in leg. ſi quis mihi ff. de acquir. hæred.* aliique apud Sanchez *in ſumma lib. 7. cap. 32. nu. 12.* opinati ſunt, hæreditatem delatam non aditam, transferri ad ſecundum Monaſterium, ab eoque adiri poſſe. Sed contrarium utì verius tenent Covar. *cit. cap. 1. nu. 21.* Molin. *de primog. Hiſpaniæ lib. 2. cap. 12. num. 36.* Caſtropal. *tom. 3. oper. moral. tract. 16. diſp. 3. punct. 17. §. 1. num. 5.* nam dum hæreditas defertur primo Monaſterio, hoc illam adire poteſt independenter, imò & reluctante ipſo profeſſo, ut juxta magis receptam Canoniſtarum ſententiam firmavimus *tom. 3. ad Conſtit. 4.* Innoc. IV. *ſect. 1. nu. 20. & ſeqq.* cùm igitur ex dictis primo Monaſterio remaneant bona illi acquiſita, remanere etiam debet jus adeundi hæreditatem ante tranſitum delatam; hoc enim jus non eſt nuda ſpes, ſed numeratur inter bona, adeòut habeat jus adeundi hæreditatem, & ſi illi renunciet, poſſit à creditoribus revocari, ut plenè firmat Rota *deciſ. 341. per tot. par. 4. tom. 2. rec.* Qua etiam ratione contrarium dicendum in hæreditate relicta ſub conditione, in qua non attenditur mors Teſtatoris, ſed tempus conditionis impletæ; adeòque ſi conditio impleatur tranſitu jam ſequuto, jus adeundi hæreditatem ad ſecundum Monaſterium pertinebit, quamvis Teſtator obierit adhuc profeſſo in prima Religione permanente, ut dixi ad *cit. Conſt.* 11. Clementis IV. *n. 26.*

23 Hæc ſanè attinent ad controverſias, quæ inter primum, & ſecundum Monaſterium quoad translationem bonorum oriri valent; At ſuppoſita renunciatione ad terminos Decreti Sac. Conc. Tridentini ante ingreſſum facta, de qua dixi latè *tom. 3. ad Conſt. 1.* Clem. IV. *ſect. 2. per tot.* majores controverſiæ ſunt cum renunciatariis ſuper regreſſu ad bona renunciata, eveniente mutatione ſtatus ipſius renunciantis per tranſitum ad aliam Religionem capacem bonorum, ſivè ob annullationem profeſſionis, aut ejus incorrigibilitatem; vel ſuppreſſionem Religionis ad ſæculum remanere contingat, de quibus opportunè ſuo loco redibit ſermo; prout etiam ſi profeſſus ad Epiſcoparum aſſumatur, de quo dixi ad *cit. Conſtit.* 11. Clementis IV. *num. 31. & ſeqq.*

CONSTITUTIO XVII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Latentur.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

COncordia enarratur ſecuta Eccleſiæ Græcæ cum Latina, cum præfinitione certorum articulorum, in quibus diſſidebant; ac Primatus Romani Pontificis, & Patriarcharum Ordinis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Romani Pontifices quot modis curarunt unionem Græcorum cum Latinis.*

2 *Martinus V. & Eugenius IV. dictam unionem promoverunt, diſſuadentibus Baſileenſibus congregatis.*

3 *Imperator Græcorum, ac Patriarcha cum aliis Orientalibus Venetias, & deinde Ferrariam pervenerunt, ubi Concilium celebrabatur.*

Ab Eugenio, & Cardinalibus honorificè excepti fuere. Ibid.

4 *Unio Græcorum completa fuit in Concilio Florentino, ac plura indicantur quoad articulos omnes.*

ORientalis Eccleſia tam à Latina diſſidere ſemper 1
conata fuit, jugum ſubmovendo Romani Pontificis poteſtatis, quàm Apoſtolici curarunt ſemper eam ad meliorem frugem reducere, tot laboribus, ac expenſis, ut proprio ovili ſe conjungerent, à quo dividebantur, ut latè retuli *tom. 3. Conſtitut. 14.* Innocentii IV. & alibi; quodque Summi Eccleſiæ moderatores labores, ac expenſas ingentes profuderint, ut hoc eveniret, ſatis Sacræ Hiſtoriæ teſtantur, hocque ipſe innui citatis locis; Hoc prædeceſſorum exemplum imitatus Eugenius, vel maximè cordi habuit inter tot ſui Præſulatus ærumnas, ut talis unio eveniret. Hinc curavit, ut Imperator, ac Patriarcha C. P. aliique Orientales in Italiam accederent, & ne extra eum longo itinere Baſileenſe Concilium adire cogerentur, aliud indixit in Civitate Ferrariæ ſatis commodo, ut ad eam Concilium Baſileenſe transferretur, ut innui ſupra *Conſtitut. 11. ejuſdem*, & licèt Baſileenſes congregati omnem moviſſent lapidem, ut ipſos adirent Orientales, Deus ſua immenſa bonitate id denegavit, ac id reſervavit Eugenio, Vicario ejus in Terris.

A temporibus uſque Martini V. Prædeceſſoris Eu- 2
genii, negotium magnum hujus unionis actum fuit, miſſuſque extitit Maſſanus Minorum Generalis, ut cum Imperatore Jo: Palæologo hanc rem promoveret, feliciter eventuram, ut ſperabatur, eo præcipuè, qui Græci hac unione Turcarum impetus evitare ſatagebant. Sed ipſorum Infidelium bellis excitatis, ac proceribus Græcorum auro ſubornatis, infecta res evaſit. Non deſtitit tamen hoc opus unionis promovere Eugenius ad Pontificatum aſſumptus, qui miſit ad Imperatorem Virum, ut ſuaderet celebrari Concilium Conſtantinopoli, in quo præſideret Legatus ipſius Pontificis, ut unio perficeretur; ſed Imperator diſſuaſus extitit conatibus Baſileenſium Con-

gregato-

Digitized by Google

gregatorum, qui Jo. Raguſinum Ordinis Prædicatorum Conſtantinopolim miſerant, eum invitantes, ut Baſileam accederet; renuitque Imperator, petens deſignari locum maritimum proximiorem in Italia, prout dixit Patriarcha C. P. quodque in Synodo congreganda pro hujuſmodi unione ipſe Romanus Pontifex perſonaliter intereſſet in loco commodo, & convenienti pro quiete Beatiſſimi Domini Eugenii, & noſtra, ut ſunt verba Epiſtolæ apud Raynald. *ad Ann.* 1435. *num.* 8. ac de pluribus ad rem hujuſmodi tractatus ſecutæ unionis videndi ſunt Raynald. *cit. Anno* 1433. *& ſeqq.* Natal. ab Alex. *Hiſt. Eccleſ. ſæcul. XV. diſſ.* 10. *Bail. in hiſt. Concil. Flor. Vvading. ad Ann.* 1439. dinque tamen Imperator C. P. exagitatus à
3 Baſileenſibus, ut Avenionem ſaltem adiret, abhorrentibus Concilium in Italia congregari, tamen Eugenii ſuaſionibus cedens, Venetias advenit unà eum Patriarcha, aliiſque ejus Eccleſiæ membris, magnoque comitatu, indeque omnes Ferrariam petierunt, ibique Imperatori occurrerunt, ultra tot Prælatos, Marchio Eſtenſis, tunc Ferrarienſis ditionis Princeps, ac Cardinales ipſi omnes, qui ibi aderant, atque inter horum duos Imperator equitans ad Pontificis Palatium devenit, ac dum ſe dimiſsè ad genua provulvi Eugenii volebat, amantiſſimè ab iſto complexus data dextera ad oſculandum, conſedere fecit ad ſiniſtram, indeque poſt aliqua plura colloquia ad aliud Palatium magnificè ornatum deductus fuit. Triduo poſt pervenit Patriarcha, qui cùm vidiſſet neminem ex dictis Cardinalibus obviam ei eſſe, è navi conſcendere noluit, tamen die ſequenti duo Cardinales viciniores Diaconi, equitantibus jam Patriarcha, & aliis Græcis occurrerunt, nulla tamen in occurſu facta inclinatione, aut altero alteri pileum flectente, ad Eugenium deductus, ac benigniſſimè receptus ad aliud Palatium ſe divertit, hoſpitium recepturus, de quibus dicunt relati à Cabaſut. *in hiſt. ſæcul.* 15. *n.* 30.

4 Sed poſt aliquot ſeſſiones in dicto Concilio Ferrariæ habitas, ob morbum ibi graſſantem translatum fuit ad Civitatem Florentiæ, ut dixi ſupra *Conſtitut.* 11. ac in iſta Civitate finem obtinuit, proindè Florentinum dictum, in eoque completa fuit unio Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ac paries ille medius, qui inter utramque aderat, ſublatus fuit, præviis tamen pluribus ſeſſionibus, ac diſputationibus, quas recenſent Scribentes in idem Concilium, cui ſubſcripſere Imperator, aliique Orientales præter unum Marcum Epheſinum Præſulem, qui rediens Orientem, ut populi favorem obtineret, acri calamo Latinos, ac unionem exagitavit, ut latè refert Leo Allatius *de Eccleſ. Oriental. & Occidental. conſenſione lib.* 3. *capit.* 1. *& ſequentibus*. Hanc igitur unionem recenſet Eugenius in hac Conſtitutione promulgata Florentiæ in Seſſione publica Synodali ſolemniter in Eccleſia majori, celebrata pridie Nonas Julii Anno 1439. conſentiente Joanne Palæologo Imperatore, ac Locumtenentibus Patriarcharum, ac cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. In qua Conſtitutione unio Eccleſiæ Græcæ cum Latina refertur, ac articuli plures, in quibus diſſidebant concordati referuntur, ſed de pluribus alibi diximus in *cit. Conſtitutionibus*, prout de Primatu Romani Pontificis, proinde de aliquibus tantùm agam in præſenti Commentario, ac infra *Conſtitutione* 19. *&* 23. hujuſmet Pontificis, in quibus de unione Armenorum, & Jacobitarum eſt tractatio, licèt dicta unio paulò duraverit, perfidia Græcorum ſemper erumpente in Latinos, ut dixi *cit. Conſtit.*

SECTIO I.

De Proceſſione Spiritus ſancti à Patre, Filioque.

SUMMARIUM.

1 *Controverſia de proceſſione Spiritus ſancti inter Eccleſiam Latinam, & Græcam maximè in quo conſiſtit.*

2 *Quis fuerit primus auctor erroris Græcorum, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre ſolùm.*
Plures adducuntur opiniones. Ibid.

3 *Pluries Græci adhæſerunt veritati Catholicæ circa proceſſionem Spiritus ſancti à Patre, Filioque.*

4 *Veritas Catholica comprobatur ex pluribus SS. Scripturis, & PP. Latinis.*

5 *Imo etiam ex PP. Græcis id atteſtantibus.*

6 *Symbolum D. Athanaſii idem dicit, & quid de hujus Symboli auctore dici poteſt.*

7 *Teſtimonium D. Baſilii adducitur, & vindicatur à reſponſione Græcorum.*

8 *Alii Patres Græci dixerunt, Spiritum ſanctum procedere à Filio, alii per Filium, & quomodo particula per ſumi debeat.*

9 *Reſpondetur objectis Græcorum ex verbis Chriſti Domini.*
Adducitur doctrina D. Auguſtini. Ibid.

10 *Defenditur à calumniis Græcorum additio particula* Filioque *in Symbolo.*

11 *Additio in Symbolo vel mutatio pro ſenſu, ab Eccleſia prohibita fuit.*

12 *Quo tempore evenerit additio particulæ* Filioque *in Symbolo.*

13 *Quo item tempore apud Gallos, Germanos, & Romanam Eccleſiam.*

14 *Geſtum refertur Leonis III. ut Symbolum C. P. argenteis tecis regiſtraretur, juxta Altare D. Petri.*

GRavis, præcipuaque controverſia, quæ fuit, ac 1
modò eſt inter Eccleſiam Græcam, & Latinam, quæque eam ab iſta ſeparavit, ea eſt, an Spiritus ſanctus procedat à Filio in Trinitate; nam concedunt Græci cum Latinis unicum eſſe proceſſionis Spiritus ſancti principium; hoc tamen in ſolo Patre verificari, autumant Græci; Latini verò fatentur, & Patrem, & Filium ſpirare Spiritum ſanctum per modum unius principii.

Quis autem primus negaſſet proceſſionem Spiritus 2
ſancti à Filio, non ſatis conſtat, aliquibus Macedonio adſcribentibus hunc errorem ex Epiſtola Juſtiniani Epiſcopi Siciliæ ad Petrum Epiſcopum Antiochenum, quæ regiſtratur in quinto Concilio Generali: *Macedonius enim*, inquit, *ſpirat à Patre ſolum Spiritum ſanctum*, ſed mendoſa reputatur ab aliquibus dicta Epiſtola, & verbum *ſpirat* legendum putant *ſeparat*, ut dixit Vaſquez *par.* 1. *diſput.* 146. *cap.* 1. Sed comprobatur ex doctrina ipſius Macedonii, qui ſentiens cum Arianis, Filium, & Spiritum ſanctum non eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, ſed ſimilem; affirmabat proinde, & veriſimiliter ſentiiſſe poteſt eredi cum Eunomio affirmante, Filium à Patre eſſe, & à ſolo Filio Spiritum ſanctum ſuum accipere eſſe, & ſic verificari poſſunt verba Juſtiniani, *Macedonius à ſolo Patre ſeparat Spiritum ſanctum*. Primus tamen, qui apertè hanc hæreſim promulgavit poſt Neſtorium, fuit Theodoretus, ut liquet ex confutatione 9. anatematiſmi Concilii Alexandrini apud Cyrill. *in lib. ad Evoptium*. Phatius deinde talem inſtituit errorem circa Annum 863. docens, quod jam Theodoretus docuerat poſt ſuam à Nicolao Papa dejectionem à Sede C. P. paſſam, quàm abjecto Ignatio per vim invaſerat. Adhæſerunt

Græci

Græci huic errori, & ſicuti jam nunc quoque illum
3 tamquam teſſeram, qua ſe diſcernant à Latinis, de-
fendunt, Spiritum ſcilicet Sanctum à Patre, Filioque
non procedere; & quamvis ſæpe veritatem agnoverint,
nunquam ex corde ab errore deſiliere, ad vomitum
ſæpè redeuntes; In Concilio enim Barenſi, quod ſub
Urbano Papa II. celebratum fuit, Anſelmus Epiſcopus
Cantuarienſis pro Latinis ſtrenuè decertavit. In Late-
ranenſi Concilio IV. abjurato errore in Eccleſiæ Ca-
tholicæ unionem Græci recepti fuere, ſed poſt An-
nos 36. denuò antiquam hæreſim amplexi fuere; In
Concilio Lugdunenſi ſub Cregorio X. Anno 1274. im-
perante Michaele Paleologo errorem abjurarunt, ſed
mortuo eo, Regnante Andronico ejus filio, rurſus pro-
ceſſionem à Patre, Filioque denegarunt, & ſub Euge-
nio in Concilio Florentino in primo articulo ex appro-
batis, qui recenſentur in hac Conſtitutione, iſte fuit
proceſſionis Spiritus ſancti à Patre Filioque, cui ſub-
ſcripſere omnes PP. Græci, ſolo dempto Marco Ephe-
ſino, qui ſtatim Concilio diſſoluto gentem ſuam ad pri-
ſtinum revocavit errorem.

4 Veritas igitur Catholici hujus dogmatis, quòd Spi-
ritus ſanctus procedat à Patre Filioque, innumeris fe-
rè comprobatur Sacræ Scripturæ documentis; Nam
Jo. 16. Chriſtus inquit: *Omnia quæ habet Pater mea
ſunt*; Itemque in *cap. 17. Omnia tua mea ſunt*; à
quibus ſanè ſolùm excipi poſſunt, quæ perſonas invi-
cem opponunt, quòd non eſt ſpirandi virtus, ſed ſo-
la Paternitas, & Filiatio, ut communiter Theologi
apud Vaſquez *par. 1. diſp. 146. cap. 2.* Hanc interpreta-
tionem comprobat D. Auguſtinus *lib. 5. de Trinit.
cap. 14. Eſt Filius* (inquit) *hoc omnino quod Pater,
non tamen Pater, quia iſte Filius, ille Pater.* Putat
ergo rectè Auguſtinus, Filium eſſe omninò cum Pa-
tre excepta relatione Paternitatis; ex PP. quoque
Græcis adducitur pro Catholica ſententia *Jo. Dama-
ſcenus*, quem pro ſui errore Græci nobis opponunt;
ſentit enim ille *lib. 1. de fid. capit. 9. Quo fit, ut
omnia quæ habet Pater, Filii ſint, hoc uno excepto,
quòd ingenitus non eſt, quæ quidem vox nec naturæ
diſcrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem, ſed
exiſtentiæ modum indicat.* Quod ſi Spiritus ſanctus à
Filio non procederet, nec Filius eum ſpiraret, non
dixiſſet Damaſcenus, *hoc uno excepto, quod ingenitus
non eſt*; cùm aliud eſſet diſcrimen, ſi Pater eſſet Spi-
ritus ſancti principium, non verò Filius; Quod con-
firmatur ex eo, quod Chriſtus Dominus, dum ad Pa-
trem abiret, miſſurum ſe promittit Spiritum ſanctum,
Jo. 6. Si non abjero (inquit) *Paraclytus non veniet ad
vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Si ergo à
Filio Spiritus mittitur, ab eodem procedit, ut *Atha-
naſius in Epiſt. ad Serapionem*, ait: *Hic eſt ordo na-
turæ Divinæ, à Patre, & Filio, ut qui à nullo eſt, à
nullo mittatur, & qui eſt ab alio in nomine ſuo non ve-
niat, ſed in nomine illius, à quo exiſtit; Ita & Spiri-
tus ſanctus, qui à ſe non eſt, à ſe venire non debuit,
ſed in nomine illius, à quo eſt, & à quo habet, ut hy-
poſtaſis ſit, quemadmodum de eo dicit Filius, Paracly-
tus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo:*
Nec his obiici valet Græcorum reſponſio, quod iſta
miſſio intelligi debeat de donis Spiritus ſancti, non de
ipſa perſona, cùm ea dona Fides, Spes, & Charitas
per quandam appropriationem tribuantur Spiritui ſan-
cto, & à Filio nobis dantur, nam ſupponit reſponſio
perſonas divinas non dari, ſed nobis communicari tan-
tum eorum effectus, contra verba Chriſti Domini, *Jo.
14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, &
Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & man-
ſionem apud eum faciemus*; & licèt dicatur etiam Filius
miſſus à Spiritu ſancto, *Iſaiæ 48. & 61. & Lucæ 4.* intel-
ligitur id ſecundum quod Filius homo eſt, ut benè ex-
plicat Bellarmin. *lib. 2. de Chriſto cap. 22.*

5 Famulantur huic veritati, ultra Latinos, antiqui PP.
Græci quoque id aſſeruerunt apud *cit.* Bellarm. *cap. 24.*
Petavium *lib. 7. de Trin. per tot.* Patres etenim Græci
biſariam de Spiritu ſancto loquuntur; alii dicunt ex
Filio, ſeu à Filio Spiritum ſanctum procedere, alii
verò per Filium, ſed omnes eodem ſenſu loquuntur
ac Latini; *Divus enim Athanaſius ſerm. 4. contra Ar-
rianos* ait: *Non enim tria Principia, aut tres Patres
introducimus, ſicut Marcioniſtæ; cùm non tres Soles
ad comparationem adducemus, ſed unicum Solem, ejuſ-
que ſplendorem; & ex utroque lucem procedentem.*
Comparat igitur Athanaſius Patrem Soli, Filium
ſplendori, & Spiritum ſanctum luci, quem ab utro-
que, Patre ſcilicet, & Filio procedere affirmat, & in
Symbolo ejus ita ſubdit: *Spiritus ſanctus à Patre, &
Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed proce-
dens*, licèt Græci Symbolum eſſe Athanaſii negent, 6
aliique etiam ex noſtris in dubium revocaverit. Ad-
duci etiam poteſt teſtimonium D. Baſilii *lib. 4. contra
Eunomium*, ſic ajentis: *Cur neceſſe eſt, ſi dignitate,
& ordine tertius eſt Spiritus ſanctus, natura quoque
ipſum tertium eſſe; dignitate namque ipſum ſecundum
à Filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illa
cauſa dependeat; pietatis ratio tradit; natura verò
tertium eſſe neque ex SS. Scriptoribus didicimus, ne-
que ex prædictis colligere poſſibile eſt.* Nec valet re-
plicatio olim Marci Epheſini in Concilio Florentino
facta, ea verba non legi in germano Baſilii Textu, 7
ſed eſſe inſerta, ac addita à Latinis; nam ea verba
reperiuntur in pervetuſto Codice per 600. annos an-
te Florentinam Synodum ſcripto, & ante exortam de
Spiritus ſancti proceſſione controverſiam, imò non
deſunt alia Baſilii teſtimonia apud Bellarmin. *cit. loco*,
Vaſquez *diſp. cit. 146. cap. 5.* Gaſpar. Juvenin. *de Trinit.
diſſert. cap. 2.* Alii verò ex iiſdem PP. Græcis Spiri- 8
tum ſanctum eſſe per Filium affirmant, ut Baſil. *lib.
5. contra Eunomium*, Niſſenus *lib. 1. contr. eund. & in
orat. ad Ablabium*, Cyrill. Alexandr. *lib. 11. in Jo. cap. 1.
& lib. 12. cap. 56. & lib. 13. Theſaur. capit. 2.* Tharaſius
in Epiſt. ad Summos Sacerdotes, & Epiſc. quæ habe-
tur in *Action. VII. Synod.* Notandum tamen eſt parti-
culam *Per*, qua utuntur iſti PP. rationem cauſæ, ſeu
principii denotare, non autem, ut aſſerunt Græci,
eam poni pro particula *Cum*; & contra naturam parti-
culæ hæc interpretatio eſt, & in Scripturis principium
importare elicitur ex *Gen. 4. Poſſedi hominem per Deum*,
& *Jo. 1. Omnia per ipſum facta ſunt*, & ad *Coloſſ. 1.
Omnia per ipſum creata ſunt*, & D. Baſilius inquit,
particulam *Per* ſignificare idem, ac particulam *ex*, quæ
denotat rationem cauſæ, & principii.

Corroboratur etiam rationibus veritas Catholica
circa proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre, Filioque,
quas adducit D. Th. *lib. 4. contra Gentes cap. 24.* ſed
præcipua eſt, quia in divinis ſola proceſſio eſt funda-
mentum diſtinctionis, ut itaque Filius à Spiritu ſancto
diſtinguatur, neceſſe eſt, ut hic ab eo procedat; Pro-
ceſſio enim fundat relativam oppoſitionem, quæ ſola
fundat diſtinctionem inter Divinas perſonas; & ut ait
D. Auguſtinus *tract. 30. in Jo.* hoc ſolo numerum inſi-
nuant, quod ad invicem ſunt, non quod ad ſe ſunt,
& licèt quoad hæc plura apud Scholaſticos diſputentur,
in hoc tamen univocantur.

Verùm opponuntur à Græcis verba Chriſti Domi- 9
ni *Jo. 15. Cum autem venerit Paraclytus, quem ego
mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre
procedit*, ex quibus verbis Photius *in lib. contra Nicol.*
1. de quo habetur mentio in *VIII. Synod.* & apud *Hu-
gonem Hetheanianum lib. 2. c. 15. ex Patre Filius Spiri-
tum procedere aſtruis, & tu auctorem quæris, per quem
factus, imò perficias impietatem, dum fabularis Spiri-
tum ex Filio procedere*; Sed non eſt ignoranda Scriptu-
ræ Sacræ conſuetudo in aliis, ut quæ pluribus perſonis
ſunt communia, uni tribuantur non excluſivè, ſed cu-
mulativè, & poſitivè intelligendæ ſunt; hinc de Filio
dicitur *Jo. 1. Erat lux vera*, *Act. 1. Non eſt veſtrum noſ-
ſe tempora, aut momenta, quæ Pater poſuit in ſua pote-
ſtate.* Ad *Corinth. 2. ver. 10. Quæ Dei ſunt nemo cogno-
vit, niſi ſpiritus Dei*, & tamen ea tributa omnibus Di-
vinis Perſonis quis negabit competere; Spiritus ſanctus
aſſeritur à Patre procedere, non negatur à Filio, dum
omnia, quæ Patris ſunt, Filio conveniunt, ubi non ob-
viet relationis oppoſitio; Sed D. Auguſtinus *quæſivit*

tract.

Digitized by Google

tract. 99. in Jo. Si ergo, & de Patre, & Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? reſpondit: *Cur putas, niſi quemadmodum ad eum ſoles referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? unde illud eſt, quod ait: mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me; ſi igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris, quanto magis illic intelligendus eſt, & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, ubi ſic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit, meminit ergo ſolius Patris, ut indicaret, quod ſicut una eſſentia in Divinis, ita unicam eſſe originem, ac fontem Perſonarum Divinarum, & in Trinitate non multiplex, ſed unum eſſe principale principium, quod tamen reſpectu Spiritus ſancti Patri, & Filio commune ſit*, ut latè reaſſumunt Bellarmin. *lib. 2. de Chriſto cap. 27.* Vaſquez *diſp. cit. 146. cap. 2.* Petavius *lib. 7. de Trinit. cap. 15.* Gaſp. Juvenin. *diſſert. 5. de Trinit. cap. 6.* qui ulterius alia Græcorum argumenta diſſertè diſſolvunt.

10 Mentiuntur ulterius Græci, fuiſſe additam particulam *Filioque* in Symbolo à Latinis, his impingentes notam ſchiſmatis, cùm à communi veritate aberraverint. Sic oppoſuerunt in Concilio Florentino Marcus Epheſinus, ſic & Beſſario, qui tamen veram doctrinam de Spiritus ſancti proceſſione amplexatus in Concilio fuit, ſic primus omnium Photius *in cit. Ep.* aſſerens, non licuiſſe formam Symboli immutari Concilio Nicæno comprobatam, ut ſtatuit *Synod. Epheſ. par. 2. act. 6. pag. 30. edit. Pariſ.* prohibens mutationem,
11 & additionem in Symbolo, quia additio, *Filioque*, non eſt, niſi explicatio, & declaratio, ut probarunt PP. in *act. 6. Concilii Florentini* contra Græcos, adducto per Joſephum Methonenſem teſtimonio Maximi Martyris ex apologia pro Calcedonenſi Concilio: *Omnes* (inquit) *poſt Nicænam Synodum à Deo electi PP. atque omnis Synodus Orthodoxorum Sanctorumque PP. non aliam omnino fidei definitionem induxerunt eo ipſo, quo de ſuis verbis aliquid inſerverunt, ut vos affirmatis, ſtrenuè delirantes, & pœnitus inſanientes, ſed ipſam ut primam, & unicam à trecentis octodecim PP. ſancitam, firmam, & ratam eſſe voluerunt, explicantes eam ac velut apertius explanantes propter eos, qui illam ejuſque dogma pravis interpretationibus ad ſuam detorquent impietatem*; Latini enim illam explicationem addiderunt propter jam exortam hæreſim de proceſſione Spiritus ſancti, & ſic novam non cuderunt Fidem à vetere diſſidentem, eique contrariam, ſed eamdem clarioribus propoſuerunt terminis, ut factum videmus in aliis Conciliis, & perpetuus eſt in Eccleſia uſus, innumeris vetuſtatis exemplis confirmatus. Nicæna Synodus *can. 8.* juſſit, Novatianos ſub ea confeſſione recipi, utpotè quæ nihil contra Symbolum Apoſtolorum, aut aliud uſu jam celebre contineret, ſed quæ contraria inſuper ei, unde reſipiſcebant, novatianæ ſectæ profiteretur in Concilio Calcedonenſi, ubi reperiebantur multi ex iiſdem Epiſcopis, qui fuerunt in Epheſino *act. 6.* conclamatum fuit, ut adderentur Symbolo verba hæc: *Sanctam Mariam eſſe Deiparam*, & de facto *eadem act.* novum Symbolum compoſuerunt, ubi multa fuerunt addita pro majori explicatione; Quis enim dixerit, erraſſe hæc Concilia, dum aliquam fecere mutationem; hæc enim eſt prohibita ex auctoritate privata, vel de mutatione contraria, non autem de majori elucidatione, ut latè probat Cabaſſutius; aliique citati per me *tom. 1. Conſtit. 2.* D. Leonis Magni *num. 4. & ſeqq.* Juſta itaque cauſa ſuperaddita fuit particula *Filioque* in Symbolo, ut naſcentis hæreſis error, circa proceſſionem denegatam Spiritus ſancti à Filio tolleretur, ut luculenter dixit Bellarmin. *lib. 2. de Chriſto cap. 28. & 29.* & Petavius *lib. 7. de Trinit. cap. 19.*

12 Quo tamen tempore, aut quo in Eccleſia quoque auctore evenerit primùm additio *Filioque* in Symbolo, non ſatis eſt compertum, nec auctores inter ſe conſentiunt, ut dixit D. Antoninus *part. 3. tit. 22. cap. 13. §. 10.* Tamen, ut aliquid probabilius dicam, confutanda primo loco venit nonnullorum opinio, aſſerens additam fuiſſe in quadam Synodo Romana ſub Damaſo Papa; Etenim præter alia in actis ejus nihil reperire eſt, quod ad rem noſtram faciat, nec PP. Theodoretum impugnantes, hanc definitionem allegarunt, ut certè feciſſent, ſi extaret; Symbolum autem Damaſi, quod apud Hieronymum reperitur *tom. 9.* aut ſuppoſitum eſt, ut docet cum Bellarmino Cardinalis de Aghirre, aut non eſt Conſtantinopolitanum, de quo procedit controverſia; nec addita quoque eſt in Concilio pariter Romano ſub Agathone contra Monothelitas, ut ad Annum 680. putat *Baronius*; nec in ſecunda Generali Synodo, ut eſt ſententia Loayſe *in notis ad Concil. Tolet. 3.* Nec tandem in VI. Generali, vel VII. ut à ii putarunt; nam in exemplaribus hujuſmodi Synodorum non reperitur, etſi de Generalibus Conciliis loquatur, in Lugdunenſi II. celebrato anno 1274. ſub Gregorio X. primum hæc additio repetitur. Prætereà ſi in aliqua ex his Synodis haberetur, cur Leo III. ab Aquiſgranenſibus de hac additione conſultus, ipſam admittere recuſavit? Cur illi PP. auctoritatem alicujus Concilii Generalis non allegarunt ex dictis, vel Anno 791. in Concilio Forolivienſi, ut innui *tom. 1. cit. Conſtitut. 2.* Divi Leonis *numer. 11.* Tamen videtur in Concilio Toletano III. ſub Recaredo Rege, & Euphemio Epiſcopo Toletano Anno 589. additam fuiſſe particulam *Filioque* in Symbolo Conſtantinopolitano; Nam in actis hujus Concilii tribus in locis additio iſta reperitur; primò in proloquio Regis Recaredi ad Concilium, ſecundò in Symbolo Conſtantinopolitano, quod ibi refertur his verbis: *Credimus, & in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem ex Patre, & Filio procedentem*; Tertiò in *Canon. 3.* ejuſdem Concilii: *Quicumque Spiritum ſanctum non credit, aut non crediderit, anathema ſit.* Deinde eamdem uſurparunt additionem reliqua Toletana Concilia celebrata poſt illud; ſed juxta Labbæanam editionem Concilii Bracarenſis, antiquior videatur additio præfata, anno ſcilicet 411. Quando autem apud Gallos, & Germanos 13
fuerit inſerta apparet ex actis Concilii Aquiſgranenſis celebrati Anno 809. In Romana Eccleſia uſus iſte invaluit circa initium noni ſæculi, ut expreſsè probatur ex eo, quod in crimen hoc vertat Photius *in epiſt. ad Orientales Epiſcopos*, Petavius *cit. lib. 7. cap. 2.* Cabaſſut. *not. Eccleſ. pag. 560.* Vaſquez *diſp. 146. capit. 4.* Baron. *ad ann. 809. à num. 24. ad 63.* & licèt Leo III. objurgaverit inſertionem dictæ particulæ in Concilio Aquiſgranenſi, ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius *in* 14
vita ejuſdem Leonis, & Petrus Lombard. *in 1. ſent. diſt. 11.* tamen hoc fuit, quia id congregati facere curarunt ſine auctoritate Romani Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ, quæ mater omnium eſt, & magiſtra, & Leo Symbolum C. P. juſſit inſcribi ſcutis argenteis Græcè, & Latinè, & juxtà Altare B. Petri reponi, ut conſervaretur ejus memoria originalis contra hæreſes in eo proſcriptas. Cœterùm Leonem Latinorum communem ſententiam tenuiſſe, ac optaſſe, ut dilataretur, liquet ex iis, quæ Legatis reſpondens dixerat: *Ita ſentio, ita teneo cum his authoribus, & Scriptura Sacra authoritatibus; ſi quis autem hac de re ſentire, aut docere voluerit, defendo, & niſi converſus fuerit, & ſecundum hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abiicio*, ut cit. DD. referunt.

SECTIO II.

De Azimo, & Fermentato in Sacramento Euchariſtiæ conficiendo.

SUMMARIUM.

1 *Controverſia de Pane azimo, aut fermentato in Euchariſtia agitata fuit inter Orientales, & Latinos, & n. ſeqq.*

2 *Quan-*

Digitized by Google

2 *Quando incæpit diſputatio, & cum quibus.*
3 *Quando incæpit, & qua de cauſa diverſitas ritus prædicti.*
4 *Græci ne dum utebantur fermentato; ſed invalidè conſecrari in azimo dixerunt.*
5 *Comprobatur ritus Latinorum in azimis.*
6 *Chriſtus Dominus in azimo conſecravit.*
7 *Panis triticeus, & Vinum de vito eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ.*
8 *Valida eſt conſecratio in Azimo, ſeu fermentato, quod comprobatur teſtimoniis Patrum.*
9 *An ſit magis conveniens conſecrare in azimo, vel fermentato.*
An Latinus celebrans in fermentato ſuſpectus ſit de hæreſi, vel quibus pœnis ſubiiciatur. Ibid.
Concluditur convenientia in azimo. Ibid.
10 *Latini non judaizant conſecrando in azimo.*
11 *Dies Paſchæ quare non ſervetur juxta ritum hebræorum.*
12 *Licitè conſecratur juxta ritum tantùm propria Eccleſiæ.*
13 *Nequit Latinus celebrare ritu Græco, nec è contra.*
Adducitur Conſtitutio S. Pii V. Ibid.

1 PRæter controverſiam maximam de proceſſione Spi-
ritus ſancti cum Orientalibus habitam, fuit etiam
actum de materia Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, an nimi-
rum Panis deberet eſſe Azimus juxta latinorum uſum,
an fermentatus ſecundùm uſum Græcorum, & fuit
reſolutum in utroque validè conſecrari, ſed ritum
fermentati apud Græcos, azimi verò apud Latinos
2 ſervandum. Erat enim à tempore Michaelis Cerularii
Patriarchæ C. P. conſtans Græcorum ſententia, illi-
citam non modò, ſed & irritam fuiſſe conſecratio-
nem in azimo factam; ipſeque Cerularius, qui odio
in Romanam Eccleſiam XI. ſæculo hunc errorem
propalavit duabus Epiſtolis, altera ſcripta ad Joan-
nem Tranenſem Epiſcopum, altera ad Petrum An-
tiochenum Patriarcham, Latinos azimos conſecrantes
per ironiam azimitas nuncupando, quas Epiſtolas ad-
hibito dialogorum methodo impugnavit Cardinalis
Humbertus Sylvæ Candidæ Epiſcopus Anno 1054. &
Baronius *ad calcem tom.* 11. *Annalium* hujus dialogi
exemplar ad verbum deſcribit, & libellum confutavit
conſcriptum contra Latinos à Niceta Pectorato, &
exhibitum Legatis, quos Conſtantinopolim miſerat
Papa; A quo autem proceſſerit diverſitas azimi, &
fermentati panis in utraque Eccleſia, non ſatis eſt
3 compertum, ut ſunt variæ opininnes, de quibus latè
Vaſquez *de Sacram. diſput.* 74. *cap.* 1. Mihi tamen ve-
riſimile videtur, quod tradunt Innocentius III. *lib.* 4.
de Sacr. Altar. myſter. cap. 2. & D. Thom. *in* 4. quid-
quid dicant aliqui, quorum placita omitto; nimirum
initio, quod tota Eccleſia tam Orientalis, quàm
Occidentalis, azimo utebatur, in Sacris Myſteriis;
idque ex Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutione, vel
ſaltem promiſcuè utebantur pane, quem inveniebant
in illis perſecutionibus, Card. Bona *in Epiſt. ad Ma-
billon. & in libr. rer. liturg. cap.* 23. Poſteà verò exor-
ta Ebionitarum hæreſi, & Nazaræorum, volentium
cum Evangelio legalia ſervari debere, ab azimis ſe
abſtinuit Eccleſia, & fermentatos panes aſſumpſit, &
ideò apud vetuſtiores Græcos Chryſoſtomum, Orige-
nem, alioſque, nullum hujus diverſitatis, aut diſcor-
diæ veſtigium apparet; Ea poſtmodum hæreſi profli-
gata, redierunt Latini ad priſtinum uſum conſecran-
di azimos, Græcis retinentibus receptam jam conſue-
tudinem conſecrandi fermentatum panem, ſed non
4 ſolùm contenti fuere Græci retinere dictum uſum,
quinimò in inſaniam proruperunt, ut Latinos diver-
ſam conſuetudinem ſectantes, tamquam prævaricatores
inſtitutionis Divinæ reputaverint, ſupponentes Chri-
ſtum Dominum in fermentato conſecraſſe, nec aliter
poſſe nos validè conſecrare, & panem ſolum fermen-
tatum eſſe, azimum verò impropriè talem dici;
5 quòd quàm abſurdum ſit, nemo non videt, cùm
Scriptura azimos utique panes appellet, *Exodi* 12. *&*
29. *num.* 6. *Joſue* 5. *Judicum* 6. *Lucæ* 24. Accedit con-
ſenſus omnium hominum appellantium abſque ulla
ſermonis improprietate azima panem, nec eorum ali-
quis in panis definitione putavit ponendam eſſe qua-
litatem fermentati. Quo tamen pane, azimo, aut fer-
mentato uſus ſit Chriſtus Dominus, dum in ultima
Cœna Euchariſtiam inſtituit, erudita quæſtio eſt apud
Bellarmin. *de Sacram. Euch. lib.* 4. *cap.* 7. Vaſquez *eo-
dem tract. diſp.* 73. Juvenin. *de Euch. differt.* 4. *quæſt.* 2.
art. 4. §. 1. Baill. *in Sum. Concil. pag.* 602. Gonett. *diſp.*
2. *de Sacram. Euchar. artic.* 5. qui omnes benè oſten-
dunt in azimo conſecraſſe, cùm Euchariſtiam inſti- 6
tuerit in prima die azimorum, *Matthæi* 26. *Marci*
14. *& Lucæ* 22. quo tempore nullus panis fermenta-
tus, juxta mandatum Domini *Exodi* 12. poterat in
domibus Judæorum reperiri. Nec tamen inde colli-
gunt Latini invalidè Græcos in pane fermentato con-
ſecrare, ſicuti contra Latinos conſecrantes in azimo
inferunt ipſi, etenim non omnia, quæ Chriſtus Do-
minus in Sacramentorum inſtitutione ſervavit, ſunt
de neceſſitate Sacramenti, ſed aliqua prorsùs indiffe-
rentia, ea ſcilicet, quæ ſubjectum non variant, ut
eſt conſecratio in azimo, vel fermentato, in Vino al- 7
bo, vel rubro; uterque enim eſt verè panis triticeus,
utrumque verum Vinum de vite, & pro materia Sacra-
menti Panis triticeus, & Vinum de vite aſſignatur,
præcisè in hac Conſtitutione.

Pro materiæ vera quidditate in Sacramento Eu-
chariſtico ſatis eſt panis triticeus tam azimus, quàm
fermentatus; ſed apud Latinos debet eſſe azimus, ut
licitè fiat actus, prout in Græca Eccleſia fermenta-
tus, ſemper tamen valida eſt conſecratio in utroque, 8
ut benè dixit Eugenius Papa in ſupradicta *Conſtitut.*
17. *de unione Græcorum* §. 4. ibi: *Item in azimo, ſive
fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter con-
fici, Sacerdoteſque in altero ipſorum Domini Corpus
conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccle-
ſiæ ſivè Occidentalis, ſivè Orientalis conſuetudinem.*
Docuerant hanc veritatem prius Leo IX. in *epiſt.* quam
ad Michaelem Cerularium conſcripſit, *Anſelmus in
opuſc. de fermentato, & azimo*, Innocentius III. *lib.*
4. *de Sacrif. Miſſ.* & cum ipſis Scholaſtici omnes,
tam antiqui, quàm recentiores, ut teſtatur Vaſq. *diſp.*
74. *cit. art.* 3. & ſanè de fermentato nulla eſt difficul-
tas, concedentibus tam Græcis, quam Latinis validè
conſecrari; de azimo autem verè id exiſtimant con-
tra Græcos Latini, eò quod Chriſtus Dominus in azi-
mo conſecravit, ut dixi, & licèt hoc modo non con-
ſecraſſet, adhuc poſſet azimo uti, ſicuti quamvis in
azimo conſecraſſet, poteſt validè in fermentato conſe-
crari; nam cùm ex facto ipſius Chriſti illud habeamus,
quod acceperit panem, ipſumque benedicens conſe-
craverit, indeſ quidem colligi poteſt, panem eſſe ap-
tam materiam conſecrationis; Cùm ergo panis ita
verè ſit, & dicatur, qui eſt azimus, ſicuti, & qui
eſt fermentatus, planè conſtat tam azimum, quàm
fermentatum eſſe ſufficientem materiam conſecrationis;
eſt enim inter iſtos panes ſola accidentalis differentia,
quia ſicuti non invalidat conſecrationem Vini rubri
materia, etſi ſupponamus Chriſtum Dominum in al-
bo conſecraſſe, ita nec vitiat conſecrationem Panis
azimi materia, etſi Chriſtus fermentatum conſecrave-
rit; ut benè ratiocinatur D. Thom. 3. *part. qu.* 75. *art.*
4. ibi: *Reſpondeo dicendum, quod circa materiam hu-
jus Sacramenti, duo poſſunt conſiderari, ſcilicet quid
ſit neceſſarium, & quid conveniens; neceſſarium qui-
dem eſt, ut ſit Panis triticeus, ſine quo non perficitur
Sacramentum, non eſt autem de neceſſitate Sacra-
menti, quod ſit azimus, vel fermentatus, qui in utro-
que confici poteſt.*

Quid tamen ſit magis conveniens, etſi in utroque 9
pane Sacramentum conficiatur, aſſignat idem S. Do-
ctor, & cum ipſo Latini omnes putant, quod ſit azi-
mus; nam azimi ſpecies ex ſe multò magis repræſen-
tant myſterium, quod ſub ſe continent, denotant
enim puritatem, & ſanctitatem Corporis Chriſti Do-
mini,

mini, tum etiam puritatem, quàm habere debent, qui ad hoc Sacramentum accedunt, ut notavit *Anſelmus opuſc. de fermentato, & azimo poſt medium;* Fermentum enim ſignificat peccatum, & corruptionem; nam ob hoc in veteri lege in ſuis oblationibus id non admittebatur, & ex *Apoſt. 1. ad Corinth.* 5. Chriſtiani debent epulari non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis; Græci tamen unam habent congruentiam, qua moventur, ut fermentatum recipiant; dicunt enim ſignificari per ipſum aſſumptionem carnis mortalis, ut notavit D. Gregorius *in reg.* apud D. Thom. 3. *par. qu.* 74. *art.* 4. ibi: *Certæ Eccleſiæ offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum eſt carne, ſicuti fermentum miſcetur farinæ;* ſed hæc congruentia, ut notat *Eſtius in 4. ſent. diſt.* 8. §. 7. non eſt tam rationabilis, ut ea Latinorum, tum quia eſt azimus juxta Inſtitutionem, tum quia materia eſt Sacramenti Corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum extitit, & magis convenit ſinceritati, qua fideles dicto Sacramento uti debent, & latè materiam azimi juxta ritum Latinorum, ac fermentati juxta Græcum explicarunt Mabillon. *diſſert. de azimo*, Arcud. *in concord. Eccl. Orient. & Occid. lib.* 6. *c.* 6. Card. Bona *in epiſt. ad Mabillon. & in lib. rer. liturgic. c.* 23. Martene *de antiqu. Eccl. ritib. cap.* 3. *art.* 7. *per tot.* R. P. D. Dandinus *de ſuſp. de hæreſi c.* 3. *ſect.* 1. *ſub ſect.* 2. *n.* 1. *& ſeqq. nu.* 9. ait, non poſſe puniri uti ſuſpectum de hæreſi, ſi quis celebraret Latinus in fermentato, niſi aſſereret Eccleſiam Latinam errare in hoc, ſed peccare, ac plecti pœnis Canonicis privationis beneficiorum, & officiorum, *c. fin. de celebr. Miſſ.* Vaneſpen. *in jus Can. par.* 2. *tit.* 4. *c.* 1. *n.* 8.

10 Neque cum Judæis Latini judaizant, ut exprobant Græci ex Michaele Cerulario: *Azima myſticè indecenter cuſtoditis, & communicatis Judæis, etenim azima ipſi cuſtodire à Moyſe juſſi ſunt;* & eadem ratione, ne judaizarent, mutata fuit à fidelibus dies Paſchæ; nam ut ajebat *Anſelmus cit. loco* non ideò utimur Latini pane azimo, ut legem antiquam ſervemus, ſed ut imitemur Chriſtum, qui in eo conſecravit; ſicuti non judaizat, qui comedit azimum, nec imò utuntur cœremoniis Hebræorum; etenim Judæi in ſuis ſacrificiis etiam Panes fermentatos adhibebant, *Levit.* 7. *&* 23. & Paſchatis dies immutatus fuit, ad retun-
11 dendos hæreticos, omninò convenire debere cum Judæis aſſerentes, & rurſus non jejunare oporteret in die Paſſionis Dominicæ, ſi cum Judæis Paſcha celebraretur quacumque die hebdomadæ, ut ex Divo Ambroſio notavit Vaſq. *cit. diſp.* 171. *c.* 5.

12 Firmata validitate Sacramenti in azimo, ſicuti in fermentato, non tamen licitè in utroque conſecratio fit; Me enim non latet, Lutheranos, Kemnitium *in examin. Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 7. ac Calvinum *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 17. §. 33. docuiſſe, tam in Azimo, quàm fermentato poſſe licitè etiam conſecrari, quamvis practicè adhæreant Græcis utendo fermentato; Sed cum Catholicis firmè tenendum eſt, Unumquemque Sacerdotem conficere debere juxta Eccleſiæ ſuæ ritum, &
12 conſuetudinem, ut loquitur Papa in hac *Conſtitutione*, & ſtatuit S. Pius V. *Conſtitut.* 12. *incip. Providentia tom.* 2. Bullar. ne quis Latinus ritu Græco utatur in Miſſis, & Divinis Officiis, & è contra, & qui aliter faceret, graviter peccaret, quia Eccleſiæ Conſuetudo legitimè introducta gravem inducit obligationem; nec tranſitus de uno ritu ad alium permittitur ſine licentia Romani Pontificis, aliàs ſubiiciuntur pœnis indictis in *cit. Conſt.* 12. S. Pii V. licèt tranſitum à Græco ad Latinum faciliùs permittatur, tamquam perfectiorem, nunquam tamen regulariter de Latino ad Græcum, imò cùm quidam Latinus pius Sacerdos Miſſionarius è Conſtantinopoli ſupplicaſſet Sac. Congr. ut poſſet celebrare ritu Armenorum pro majori eorum converſione; Congregatio denegavit licentiam, & eum acriter reprehendit, Verricell. *de Apoſt. Miſ. tit.* 8. *qu.* 188. & poſt eum D. Dandinus *cit. n.* 11. & paſſim denegat Sac. Congreg. Supremæ Inquiſitionis uſque ad hæc tempora; ſed de hoc tranſitu erit ſermo alio loco opportuniori, prout quatenus permitti poſſit, ut Latinus Græco utatur ritu, vel è contra.

S E C T I O III.

De origine, ac Præcedentia Patriarcharum Orientis.

S U M M A R I U M.

1 *Ordo præſcriptus inter Patriarchas in hac Conſtitutione Eugenii refertur.*

2 *Patriarcharum origo, quæ fuerit? plures opiniones referuntur.*

3 *Papa Leo appellatus Patriarcha in Concilio Calcedonenſi.*

4 *Primis Eccleſiæ temporibus tres fuerunt Sedes Patriarchales, Romana, Alexandrina, & Antiochena.*

Quæ fuerunt fundata à D. Petro Apoſtolo. Ibidem.

5 *Patriarchalis qualitas non ab Urbium magnitudine, ſed B. Petri fundatione elicitur.*

6 *Additi deinde fuere Patriarcha Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus.*

7 *Patriarcha C. P. quatenus incæpit obtinere primatum honoris ſuper reliquos poſt Romanum Pontificem.*

8 *Adducuntur Canones Concilii C. P. & Chalcedonenſis.*

9 *Romani Pontifices noluerunt aſſentiri.*

10 *Permiſerunt ob pacem tribui Patriarchæ illi honorem ſuper alios Patriarchas, non autem majorem poteſtatem.*

11 *Ordo idem ſervatur in Curia Romana inter Patriarchas.*

REmiſſis aliis, quæ in hac Conſtitutione Unionis 1
Eccleſiæ Latinæ cum Græcis continentur, ac ſuppoſitis, quæ diximus in ſuperioribus Commentariis, vel dicendis infra *Conſtitut.* 19. *&* 23. hujuſmet Pontificis, ac alibi, ubi de Italis Græcis occurrent Conſtitutiones, hìc aliqua dicam de Patriarchis, cum ordine præſcripto inter eos abſolvatur præſens Conſtitutio, ut nimirum poſt Romanum Pontificem Primus omnium ſit C. P. Patriarcha, deinde reliqui quatuor; *Renovantes inſuper* (ſunt verba Eugenii §. 9.) *Ordinem traditum in Canonibus cæterorum Venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt Sanctiſſimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicet privilegiis omni-
bus, & juribus eorum.* Quæ ſanè verba occaſionem præ- 2
bent inquirendi, & Patriarcharum originem, & eorum præcedentiæ rationem aſſignare; Itaque, ut à nomine exordiar Patriarchæ, non utique hoc primo uſurpatum eſt in prima Synodo C. P. ut putavit Socrates, qui in eximiis Epiſcopis, aliorum veluti capitibus, voluit eos deſignari, Thom. *de benefic. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 3. Nec veroſimile videtur, à Patriarchis Judæorum in Eccleſiam irrepſiſſe nomen illud, & multo minùs à Montaniſtis, qui ſuos habebant Patriarchas, ut teſtatur D. Hyeronimus *Epiſt.* 54. Nec tandem à duobus Gregoriis Nazianzeno, & Nyſſeno appellantibus ſolùm ſuorum temporum Epiſcopos Patriarchas, quia in ipſis virtutes elucebant ſicuti in Patriarchis veteris
legis; Strictiore etenim ſignificatione Patriarchæ no- 3
mine appellatus legitur S. Leo Papa à Theodoſio Juniore, ut habetur in Concilio Chalcedonenſi, quod, & ſuo nomine in fauſtiſſimis acclamationibus ejuſdem Leonis, ei tale nomen attribuit: *Leoni multi anni Patriarchæ multi anni, Concil. Chalcedonen. par.* 1. *c.* 29. *&* 30. In eodem Concilio *act.* 2. Magiſtratus Civilis, qui aderant Exarcos Diæceſeon Patriarcharum nomine aſſeruiſſe conſtat apud Thomaſ. *cit. lib.* 1.

Digitized by Google

cap. 3. num. 13. qui tandem concludit, non aberraſſe à vero, qui putarunt, Romano Pontifici prius, deinde cæteris Exarchis & Primatibus Patriarchæ nomen eſſe collatum.

4 Primis Eccleſiæ initiis tres fuerunt ſedes Patriarchales, Romana nimirum Alexandrina, & Antiochena, quia harum trium Eccleſiarum Epiſcopi cæteros, & poteſtate, & honore ſuperabant, ordine tamen ſupremo conceſſo ſoli Romano; ipſæ enim Eccleſiæ à B. Petro fundatæ extiterunt, & præ cæteris ſuâ præſentia illuſtratæ, nam Romæ ad palmam uſque Martyrii pervenit, eamque ſuo ſanguine irrigavit, Eccleſiamque eam fundavit; Antiochiæ fuit ante acceſſum ad Urbem, Euſeb. *in Chronic. Barron. Anno Chriſti* 39. *num.* 9. & Alexandrinam Sedem per B. Marcum conſtituit, ut innuit Gelaſius Papa in Concil. Romano his verbis: *Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Eccleſia Romana, ſecunda autem Sedes apud Alexandriam, B. Petri nomine à Marco ejus Diſcipulo, & Evangeliſta conſecrata eſt, ipſeque à Petro Apoſtolo in Ægiptum directus, verbum veritatis prædicavit, & glorioſum conſumavit Martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam ejuſdem B. Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis, eo quod ibi prius quàm Romam veniſſet habitavit, & illic primum nomen Chriſtianorum novella gentis exortum eſt*, & dicunt aliis omiſſis Nicolaus 1. *epiſt.* 8. *& Hincma-*
5 *rus tom.* 2. *pag.* 432. Allucinatus proinde, qui id deducunt, non à Petri fundatione, ſed ab illarum Urbium amplitudine, & quia capita Imperii erant, ſivè Romani in Orbe, ſivè Græci in Ægipto, & Syria; ſunt enim ad rem verba Gelaſii Papæ in *Epiſt.* 13. quibus & ambitionem retundit Acacii Epiſcopi C. P. qui cæteris præcellere volebat, dum Epiſcopus erat Urbis tam inſignis Imperatorum Sede decoratæ, & oſtendit non à Regia, aut Imperatoria Majeſtate tres illas Eccleſias conſecutas eſſe honoris, ac poteſtatis amplitudinem: *Riſimus* (inquit) *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ Civitatis; Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquid harum Urbium Sacerdotes ultra menſuram, ſibimet antiquitùs deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt.* Idemque affirmant Euſeb. *lib.* 2. *cap.* 14. 15. *&* 16. *hiſt. Eccl. & præp. Evang. lib.* 3. *pag.* 138. Nazianzen. *orat.* 21. Chriſoſtom. *tom.* 1. *homil.* 42. *& tom.* 5. *pag.* 180. Etſi aliquando mentionem faciant de Urbium illarum ſplendore, hoc ſolum eſt, ut ſplendidius Crux Chriſti coruſcaret, nam ubi maximè ſe jactabat Idololatria, ſuperbia, & impietas, ibi Religionem, charitatem, Crucemque Chriſti triumphare curabant; Hinc Euſeb. *cit. præp. Evang. lib.* 3. *pag.* 139. ait: *Dum potentiam Verbi reſpicio, ut quod ab agreſtibus Jeſu diſcipulis numeroſiſſimæ Eccleſiæ conſtitutæ ſint, non quibuſdam obſcuris locis, ſed in clariſſimis Civitatibus, in ipſa inquam aliarum Urbium Regina Romana Urbe, in Alexandrina, in Antiochenſi cogor fateri, non aliter audax adeò facinus ipſos obtinuiſſe, quàm diviniore quadam, longeque humanam ſuperante potentia ejus, qui dixerat: Docete omnes gentes, &c. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque &c.*

6 His tribus Patriarchis per B. Petrum divinitus inſtitutis, additi ſunt poſteà duo alii, Hieroſolymitanus, & poſteà Conſtantinopolitanus; ille ob reverentiam Civitatis Sanctæ, in qua ipſe Chriſtus Dominus mortem ſubire non dedignatus fuit, & iſte ex eo, quod tranſlata Imperii Sede in eam Civitatem C. P. novæ Romæ titulo Inſignitam, Imperatores omnes conatus poſuere, ut illi Eccleſiæ primos conciliarent honores, imò
7 ut illius Patriarcha omnium primus (Romano Pontifice excepto) haberetur; ut ſtatuit Concilium C. P. 1. *Can.* 3. *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, eò quod ſit nova Roma*; Et quamvis hoc decreto non conſtituatur, nec Patriarchà, nec Metropolitanus, honorifico tantùm aſſignato loco ſedendi; tamen decurſu temporis elatum extitit faſtigium C. P. Præſulis ob protectionem Imperatoris, ut non tantùm Sedem, ſed poteſtatem aliorum Patriarcharum Orientis, ac judicandi jus uſurpa-
re tentaverit, ut conſtat ex Concil. C. P. in quo de 8
Epiſcopatu Boſtrenſi in Arabia de jure Patriarchæ Antiocheni judicare C. P. Præſul contendebat, apud Balſam. & tradit Thomaſ. *cit. cap.* 10. ex hiſce Temporibus Epiſcopi C. P. nedum ſedem, & locum principaliorem obtinuere præſidente Nectario ejus Civitatis Patriarcha ſupra Theophilum Alexandrinum, & Flavianum Antiochenum: verùm palam in Concilio Chalcedonenſi *Act.* 12. *can.* 1. *& can.* 17. *&* 18. ne dum honorem uſurpatum comprobavit Patriarcha C. P. ſed poteſtatem majorem in recurſibus à Metropolitanis, ac aliæ prærogativæ ei fuerunt ibi conceſſæ, quæ fundamenta Patriarchatus illius præ aliis poſuere ex eo motivo, quod ſicuti Romano Antiſtiti plura conceſſa repetiebantur, ita novæ Romæ debuerant privilegia tribui.

Contra has prærogativas ſivè in Concilio C. P. ſta- 9
tutas, ſivè in Chalcedonenſi confirmatas, & auctas reclamavit Eccleſia Occidentalis, & Romana Sedes, ſtatut Canones illos C. P. de his diſponentes non receperit; ut teſtatur Gregorius Papa *lib.* 6. *epiſt.* 31. *Romana Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta illius Synodi hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*; Et de Chalcedonenſi id patet, quia Legati Romani Pontificis reſtiterunt, ne dicti Canones conderentur, & conſtituto Patriarcha C. P. ſecundo Epiſcopo poſt Romanum, literiſque miſſis ad Leonem Papam, ut dignaretur talem confirmare honorem, retulit Leo, ac reſpondit Marciano Imperatori, & Anatolio Archiepiſcopo, numquam paſſurum, ut labefactaretur ordo majorum Sedium à Nicæna Synodo confirmatus, aut quod Alexandrinus ſecundo, Antiochenus tertio honoris gradu deiiciatur; & licèt Imperator, & Epiſcopi ſententiæ Leonis acquieſcerent, dicentes totum poſitum in Apoſtolici Præſulis poteſtate, ut refert Gelaſius Papa *in epiſt.* 15. *ad Epiſc. Dardaniæ*, & quamvis C. P. Patriarcha ſuperbia tumeſcens aliquoties Epiſcopi univerſalis nomen uſurpaverit, parem cum R. Pontifice poteſtatem ambiendo, tamen fuit ſemper ab Eccleſia Romana eorum protervia, ac faſtigium proſtratum, ac ſub jure contentum, ut dixi *tom.* 1. *Conſtit. unit.* Pelagii II. ubi plura de Patriarchâ C. P. dixi.

Permiſerunt tamen deindè, excepta majore poteſta- 10
te ab eo uſurpata, Romani Pontifices honorem primum poſt eos Patriarchæ C. P. tribui, ut notat ex pluribus Thomaſ. *cit. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. & innuitur in hac Conſtitutione Eugenii verbis ſupra relatis; Idque evenit pacis conſervandæ motivo, & ne hac prærogativa honoris poteſtas major præſumatur; ideò Eugenius addidit: *Salvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorum, ſcilicet Patriarcharum*, de qua prærogativa honoris C. P. Patriarchæ meminit Juſtinianus Imperator *novell.* 131. *cap.* 2. his verbis: *Ideòque ſancimus ſecundum earum* (ſcilicet Eccleſiaſticarum regularum) *definitiones, Sanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum, Beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ Romæ ſecundum habere locum poſt Sanctam Apoſtolicam Senioris Romæ Sedem, aliis autem omnibus Sedibus præponatur.* Hic autem ordo, ut C. P. Patriarchæ præponatur aliis Pa-
triarchis, nempè Alexandrino, Antiocheno, & Hie- 11
roſolymitano, etiam in Curia, & Capella Romani Pontificis ſervatur. De Patriarchis Orientalibus, quòdque lato ſumpto vocabulo plures Antiſtites hoc nomen uſurpavere, ac ſumma poteſtate Romani Pontificis in cæteros Patriarchas, agit præ cæteris Leo Allatius *de Eccl. Orient. & Occid. conſenſione lib.* 1. *cap.* 18. 19. 20. *&* 25. & alibi.

CON-

CONSTITUTIO XVIII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Licèt*.)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

EXimit Moniales S. Claræ à Juriſdictione Ordinariorum, quas etiam decernit immunes à Decimarum, Gabellarum, & ſubſidiorum contributione.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Exemptio conceſſa Monialibus S. Claræ à ſolutione onerum.*
2 *Moniales de Jure communi ſubduntur Epiſcopis.*
3 *Sed vigore privilegiorum aliqua ſunt exempta.*
4 *Sac. Conc. Trid. in pluribus exemptos ſubmiſit Epiſcopis.*
5 *Epiſcopi an juriſdictionem delegatam habeant in Monaſteriis S. Claræ ſubjectis Regularibus.*
6 *Quam habeant in Monaſterio poteſtatem ſubjecto alteri Monaſterio Monialium.*
7 *Plura innuuntur circa exemptionem Monialium S. Claræ à decimis, gabellis, & ſubventionibus. Remiſſivè.*

1 UNdique angebantur anguſtiis his temporibus ferè omnes Populi Italiæ ob ſchiſma, aliaque diſſidia exorta, & præcipuè ob eorum paupertatem premebantur Minoriſſæ, ſivè Moniales S. Claræ, de quarum inſtitutione, & regula aliàs dixi *tom. 3. ad Conſtitut.* 12. Innocent. IV. & *ad Conſtitut.* 7. Urbani IV. qua inſurgebant Parochi decimarum, novaliumque exactione, quà etiam Epiſcopi ſæpius, quàm par erat, ſubſidia depoſcentes, quà extraordinariis oneribus variis ingruentibus neceſſitatibus Apoſtolica auctoritate indictis; neque Laicalis poteſtas ab extorquendis gabellis, & pedagiis ſe abſtinebat; ut tot tantiſque oneribus ſuſtinendis imparia earumdem Monaſteria tantùm non defecerunt; cùm Eugenius Apoſtolicæ Commiſerationis oculis in eas converſus, privilegiis, & gratiis affluenter elargitis, nedum hujuſmodi Sanctimonialium ſtatum reſtituit, ſed munificè in ævum compoſuit. Etenim hac edita Conſtitutione Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ 1438. idibus Auguſti Abbatiſſas, Moniales, & Monaſteria cum omnibus juribus, & pertinentiis ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Ordinariorum exemit, ac ſub B. Petri, Summorumque Pontificum protectione ſubjecit, atque inſuper Moniales, & Monaſteria perpetuò immunia, & libera decrevit ab omni decimarum, ſubſidiorum, gabellarum, pedagiorum, reſponſionum, fructuum, aliorumque hujuſmodi onerum ſolutione, & contributione; prout latiùs in præſenti Conſtitutione.

2 In prima autem parte noſtræ Conſtitutionis verſando, in qua Eugenius Moniales Sanctæ Claræ ab Ordinariorum juriſdictione ſubtraxit, animadvertere operæ pretium eſt, quòd Jure communi attento licèt omnia Sanctimonialium Monaſteria ſub juriſdictione Epiſcoporum ſint, in quorum Diœceſi exiſtunt, ut ſedulò explorent, an omnia conſentiant Regulæ, quæ ibi profitetur; præſertim in iis, quæ ad clauſuram regularem pertinent, ex *Concilio Arelaten. V. can. 3. anno* 554. apud Sirmond. *tom. 1. Concilior.* & *ex Clem. attendentes de ſtatu Monachor.* Ni-
hilominus nonnulla Monaſteria adeò ſpecialem Apo- 3
ſtolicam dilectionem meruerunt, ut ſub ejuſdem cura, & providentia conquieſcere impetraverint, mediantibus pleriſque exemptionum privilegiis, quibus à quorumcumque inferiorum Prælatorum juriſdictione ſubtrahuntur, ut in noſtra Conſtitutione; quamvis verò hujuſmodi exemptionum privilegia Monialibus conceſſa, ſublata non fuerint à Concil. Tridentino, ut notat Cherubin. *fil. in hac Conſtitut. Schol.* 1. Verumtamen cùm temporum experientia innotuerit, Monialium Monaſteria proximo Cuſtode indigere, qui propè, & in ipſis Monaſteriorum ſeptis excubaret, ne Regularis diſciplina tàm ſecurius tabeſcat, quàm pariter ſolitariè in perpetua clauſura ob-
liteſcit; Ideò conſentaneè à Tridentinis Patribus 4
ſancitum fuit, quòd Epiſcopi in his Monaſteriis exemptis, & S. Sedi immediatè ſubjectis procurandis, & gubernandis, juriſdictionem delegatam aſſumerent, *ſeſſ. 25. cap. 9. de reg.* ibi: *Monaſteria Sanctimonialium S. Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, etiam ſub nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Joannis, vel aliàs quomodocumque nuncupentur, ab Epiſcopis tamquam dictæ Sedis delegatis gubernentur non obſtantibus quibuſcumque.* Cui diſpoſitioni conſonat *Clem. attendentes de ſtatu Monachorum*, & quidem quoad ſpirituale gubernium, non verò quoad temporalia hanc Conciliarem diſpoſitionem intelligendam eſſe, adeò ut Epiſcopis in concernentibus temporalia nullam juriſdictionem eſſe extributam in Monaſteriis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis, ex mente Sacræ Congregationis ejuſdem Interpretis, firmant Barboſa *in cit. Clem. attendentes numer.* 2. & *in cit. ſeſſ. 25. cap. 9. numer.* 2. Tamburinus *de Jure Abbatiſſar. diſp. 14. quæſito 3. numer.* 2. Id tamen certum
eſt, quòd Epiſcopi ex hujuſmodi Tridentino decreto 5
juriſdictionem delegatam aſſumunt in iis dumtaxat Monaſteriis exemptis, quæ immediatè Summo Pontifici ſubſunt; illa enim Monialium Monaſteria, quæ ita ab Ordinariorum juriſdictione ſunt exempta, ut aliis inferioribus ſubjecta noſcantur, quemadmodum ſunt Monaſteria Monialium S. Claræ, quæ Ordini Fratrum Minorum ſupponuntur, ex *Conſtitut.* 28. Eugenii IV. *incip. Ordinis*, ſub eorumdem cura, & gubernio à Concilio Tridentino relinquuntur in *cit. cap. 9. ſeſſ. 25. de Regular.* collata dumtaxat Epiſcopis Juriſdictione delegata in his, quæ ſpectant ad Clauſuram introducendam, violatam reſtituendam, inviolatamque conſervandam *in capit. 5. ſeſſ. 25. de Regular.* & alibi Deo dante latè proſequemur quomodo, & in quibus caſibus Epiſcopi hanc juriſdictionem explicare poſſint quoad Clauſuram in his
Monialium Monaſteriis, Regularibus ſubjectis; cœ- 6
terùm prætereundum hìc non eſt, numquid Monaſteria Monialium, quæ aliis Monialium Monaſteriis ſubjecta ſunt, comprehendantur in diſpoſitione *cit. capit. 9.* in quo tota juriſdictio delegata quoad Monialium gubernium Epiſcopis confertur, vel potiùs in exceptione illa, quod Monaſteria inferiorum Regimini commiſſa ſub eorumdem cura, & gubernio relinquantur; difficultatem potiſſimè ingerente, quod poſt leges clauſuræ Abbatiſſa, ſeu Provincialiſſa è clauſtris exire nequit, Monaſterium ſibi ſubjectum inviſura, ut dixi ad *Conſtitut.* 7. Urbani IV. *numer.* 18. *tom. 3. pagina* 345. quapropter convenienter gubernari ab ipſa non poteſt, ut ceſſet quodcumque Officium Ordinarii; Et quidem in his Monialium Monaſteriis locum ſibi vindicare limitationem *cit. c. 9.* ut Ordinarius regulariter ſe ingerere nequeat; ſed Prioriſſæ curæ relinquere teneatur, videtur innuere Archidiac. *in cap. unic. de ſtatu Regular. in 6.* ubi firmat, quòd major Prælata, cum juſtè ſit impedita, poſſit Monialium Monaſterium ſibi ſubjectum regere, gubernare, & viſitare per alium; Contrarium tamen docet *Gloſſ.*

in cit. Clem. attendentes verbo alia, videlicet hujuſmodi Monialium monaſteria comprehendi in principali diſpoſitione Concilii Tridentini, ut gubernari debeant ab Epiſcopo, cùm Prioriſſa Clauſuræ legibus præpediatur, quæ quidem *Gloſſæ* opinio, ut probabilior amplectenda eſt, juxta mentem Sacræ Congregationis Concilii in *Hyeracen. Viſitationis 26. Januarii* 1692. in qua firmavit jus delegatum Epiſcopi viſitandi Monaſterium Monialium B. M. Vallis Viridis in Oppido Caſtri veteris, ſubjectum juriſdictioni Prioriſſæ Meſſanen; nedum quoad concernentia Clauſuram, ſed in aliis, quæ ad earumdem regimen, & gubernium ſpectant; De aliis verò pertinentibus ad juriſdictionem Epiſcoporum delegatam quoad Clauſuram, & electionem Abbatiſſarum in his Monaſteriis ſubjectis Regularibus, alibi dicam, prout de exemptione Monialium harum à decimis, & gabellis ac oneribus, alibi dicam, cùm adſint *Conſtitutiones* 5. Pii IV. *incip. De ſtatu*, & S. Pii V. 11. *incip. Dum ad ubores*, & *Conſtit.* 148. de exemptione hujuſmodi Monialium, & Mendicantium etiam hoſpitandi Milites.

CONSTITUTIO XIX.

EUGENII IV.

Incipiens (*Exultate.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

COncordia Armenorum cum Eccleſia Latina, & præfinitio articulorum recenſetur facta in Concilio Florentino.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Unio Armenorum cum Eccleſia Latina recenſetur.*
2 *Ea unio evenit durante Concilio Florentino.*
3 *Qui ſint Armeni, & eorum errores innuuntur.*
4 *Aliqui eorum ritus recenſentur, & quidam prohibiti, vel tolerati.*
Ubi de confirmationis Sacramenti adminiſtrando feſtivitate Nativitatis Domini, & Miſſis tribus in ea per ipſos non celebrandis. Ibid.

1 EXacta Græcorum cum Latina Eccleſia unione, Patriarchæ Armenorum cum nonnullis Epiſcopis ſupervenere, adhuc Imperatore C. P. Florentiæ exiſtente, ac benignè à R. Pontifice Eugenio, Cardinalibuſque, aliiſve, qui Concilium continuabant, recepti fuere, unionem expoſcentes cum Romana Eccleſia; Unde aucta extitit Eugenii lætitia, dum eodem tempore, quo Baſileenſes refractarii Eccleſiam ſcindere conabantur, unio Græcorum peracta fuit, & alia Armenorum. Rem igitur aggreſſus Pontifex, Viros doctiſſimos deputavit, qui poſt multas diſputationes cum Armenis, eos inſtructos reddidere in pluribus articulis, in quibus à latina Eccleſia diſſidebant & præſertim plura, quæ jam cum Græcis fuerant conſtabilita, in Armenis quoque confirmata fuere, prout exprimitur in Conſtitutione, de qua agitur, edita Florentiæ in publica ſeſſione generali celebrata Anno Chriſti 1439. die 22. Novembris quo
2 tempore adhuc perſeverabat Concilium Florentinum, imò perduravit per tres alios annos ſubſequentes, ut aſſirmavit in Concilio Tridentino in actis ejus, quæ aſſervantur Romæ in Arce S. Angeli, Cardinalis à Monte eidem Præſidens, contra Epiſcopum Clodienſem negantem Bullam unionis Jacobitarum cum Eccleſia latina, editam anno 1441. de qua infra *Conſt.* 23. *hujus Pontificis*, exiſtimantem fuiſſe terminatum Concilium anno 1439. ſtatim ac Græci diſceſſerunt. Sanè contra nonnullos dicendum eſt, præfatum decretum Conciliare talis unionis fuiſſe eſſeque partem Concilii Florentini, eamdemque habere auctoritatem, nec dici poteſt eſſe ſolùm decretum Nationalis Synodi, ut probare conatur Natalis ab Alexandro *in hiſtoria Sæcul. XV. & XVII. diſſert.* 10. *art.* 3. Nam tota vis ejus argumentorum in eo ſita videtur, quod tunc aberat Orientalis Eccleſia, ſine cujus conventione Concilium Generale minimè vocari poteſt cum ſolis Latinis P. P. etſi enim hi corpore abfuerint, ſpiritu tamen erant præſentes, dum permaximè cupiebant, ut à Latinis Armeni in Fide Catholica inſtruerentur, ut elicitur ex Colloquio ipſorum privatim habito cum Orientis Imperatore, qui ſi aliter ſentiiſſet cum ſuis, aut proteſtatus fuiſset in diſceſſu, aut ſaltem eos commonuiſſet de his, quæ recipere poterant; quod ſi factum non eſt, dici debet, ratum habuiſſe Græcos quidquid à Latinis fuiſſet propoſitum, & proindè conſenſu totius Eccleſiæ decretum emanaſſe dicendum eſt, quod eo fortiùs urget, quod major, & dignior pars Concilii cum Romano Pontifice capite ejus perſeveravit, nec Eugenius teſtatus fuiſſet in hac Conſtitutione, ſe dare Armenis *Sub quodam brevi compendio Othodoxæ Fidei veritatem, Sacro hoc approbante Florentino Concilio*, & certè durabat eadem cauſa Concilii, ut occurreretur Schiſmati à Baſileenſibus intentato; hinc licèt in initio hujus Conſtitutionis de Armenorum unione non fieret mentio, ut actum fuit in ea pro unione Græcorum de Imperatore, aliiſque Orientalibus, quia verè iſti non aderant; tamen Eugenius de Concilio mentionem etiam fecit in hac Unione Armenorum, imò in fine expreſsè teſtatus fuit, decretum in publica Seſſione generali ſolemniter celebrata in Eccleſia majori, editum fuiſſe; Nec obſtat, quod Græci non paſſi fuiſſent ſubjacere pluribus Ritibus, quibus ſe ſubmiſerunt Armeni, quia non potuerant evitare, ut Armeni inſtructi à Latinis veritatem agnoviſſent, ut latè Arcudius in præclaro opere *de Concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis capit.* 5. *Baſil. tom.* 1. *Concilior. pag.* 601. *Spondan. ad annum* 1439. *Cabaſut. not. Eccl. Sæcul. XV. pag.* 533. *numer.* 35. Armeni itaque ſunt populi Orientales diviſi in varias Provincias, artes, & mercaturam exercentes, ac majori ex parte ſunt Chriſtiani; ob diuturnum 3
tempus, quo Manichæi incoluerunt Armeniam, aliique hæretici, plures errores ab iis hauſerunt, hinc tanta erat Armenorum præſumpta hæreſis, ut cùm quidam Simeon Armenus Vir pius, & juſtus Romam acceſſerit, de hæreſi fuit accuſatus, & juſto Dei judicio Accuſator à malignis Spiritibus correptus fuit, Signoque Crucis ab eodem Simeone liberatus, Baron. *tom.* 10. *annal. pag.* 57. errores quoque Armenorum recenſentur à D. Antonino *tit.* 22. *capit.* 21. §. *final.* & inter alia unam naturam in Chriſto aſſerebant, ideòque aquam Vino in Miſſa non miſcebant. Inſtructique fuerunt in Concilio Florentino, apud Labbè *tom.* 13. *Concil. fol.* 1197. & *ſequent.* iique Ritus fuerunt tolerati, qui non adverſarentur Catholicæ veritati; conſecrant tamen in azimo Pignatel. *conſul.* 41. *nu.* 14. & *ſeq. tom.* 6. Sunt enim ex iis alii Schiſmatici, ſeù Hæretici, alii Catholici, & in Urbe adeſt Eccleſia eorum S. Mariæ Ægyptiacæ, in qua ſolet reſidere Archiepiſcopus Catholicus eorum Ritus, qui obtinuit à Sede Apoſtolica facultatem Armenos ab Hæreſi, & Schiſmate ad Fidem Catholicam converſis; qui jam confirmationis Sacramentum unà cum Baptiſmo receperant, adminiſtrare denuò Sacramentum confirmationis ad cautelam juxta formam inſtructionis traditæ à Sancta Memoria Clemente Octavo pro Græcis, ſed inſtruendos eſſe confirmandos quod Baptiſmus, & con-

Digitized by Google

& confirmatio ſint duo Sacramenta diſtincta; ideque quia in Oriente Simplices Presbyteri ſolent etiam confirmare pueros, dum eos baptizant, ut aliàs dixi. Fuitque denegatum Armenis celebrare tres Miſſas in die Nativitatis Domini more Latino etiam quoad commorantes in Urbe à Sac. Cong. Supremæ Inquiſitionis 27. Februarii 1710. ac tenentur ſervare Feſtum prædictum die 25. Decembris; eadem S. Cong. in Veneta 13. Februarii 1710. ac prohibentur celebrare in Ritu Latino. De aliis autem quoad Armenos, ut plurimùm coincidunt cum Græcis, de quibus Ritibus aliàs egi, & dicam.

CONSTITUTIO XX.

EUGENII IV.

Incipiens (*Fide digna.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS, JACOBO ORDINIS Minorum.

DEclarat præcepto Paſchali ſatisfacere Communicantes in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paſchatis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Antiqua diſciplina recenſetur circa receptionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ quolibet, & n. ſeqq.*

2 *Alii negant talem uſum.*

3 *Sed alii rurſus eum comprobant, etiam in Miſſis Præſanctificatis, & quæ iſta ſint.*

4 *Eccleſia contenta fuit aliquibus diebus Euchariſtiam ſumi, & deindè ter in anno.*

5 *In præſenti ſemel in anno communio in præcepto eſt.*

6 *Commendatur tamen frequens Communio, & quid de quotidiana ſit ſtatutum.*

7 *Communio in Paſchate Reſurrectionis quam ſit conſentanea.*

8 *Eugenius IV. declaravit Communionem Paſchalem fieri poſſe in hebdomada Sancta, & infra octavam Paſchatis.*

9 *À Dominica Palmarum, uſque ad tam in Albis fieri poteſt pro præcepto adimplendo.*

À proprio Parocho quatenus prorogari poteſt. Ibidem.

10 *Ex Apoſtolicis Indultis, vel conſuetudine an aliud tempus ſuffragetur.*

11 *Feria ſexta Paraſceves an ſatisfieri valeat tali præcepto, & miniſtrari Euchariſtia.*

12 *Non volentes ſatisfacere tali præcepto intra tempus præfixum, an deinde teneatur.*

Obligatus ad aliud faciendum certa die, tranſacto tempore ab obligatione non ſolvitur. Ibidem.

13 *Prævidens impedimentum ſatisfaciendi dicto præcepto tempore ſtatuto an teneatur anticipare.*

14 *Sumens Euchariſtiam ſacrilegè, vel confeſſionem invalidam faciens non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Propoſitiones circa hoc damnata recenſentur. Ibidem.

1 MOrem gerendo præſenti Conſtitutioni, in qua Eugenius conſultiſſimè præcepti Paſchalis tempus præfinit, animadvertere operæ pretium eſt, quàm diverſimode, ac ſemper opportunè ab Eccleſia quoad uſum ſit explicatum, & temporibus accomodatum divinum illud mandatum, quo, ut vitam habeamus, ad menſæ cœleſtis participationem adſtringimur: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, Jo. 6. 54.* Ut verò ab incunabulis exordiamur, antiquæ diſciplinæ inſpectoribus ſatis compertum eſt, quod naſcentis Eccleſiæ fideles ea, qua fervebant pietate, & charitatis ardore vivificum hoc preceptum ita adimplebant, ut quot quot conſecrationi aſſiſterent, ſacra Euchariſtia reficerentur, & poſtquam conſuetudo inolevit, quotidie incruentum Miſſæ ſacrificium offerendi, nullam diem præterire ſinebant, qua non viderent, & guſtarent quàm ſuavis ſit Dominus, adeòut qui juſta cauſa abſtinentiæ non excuſabantur, tamquam contumaces excommunicarentur, ut depromitur ex *Act. 2. Erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis,* & expreſſius ex Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, *Can. omnes fideles de Conſec. diſt.* 1. ibi: *Omnes fideles, qui conveniunt in Solemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, ut ſcripturas Apoſtolorum, & Evangelium audiant, qui autem non perſeverant in oratione uſque dum Miſſa peragatur, nec S. Communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari,* & in Epiſtola prima S. Anacleti Papæ omnibus Epiſcopis: *Peracta autem conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus; ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt, & S. Romana ſervat Eccleſia,* & recenſet *D. Hieronymus adverſus Jovinianum: Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant:* & Petrus Bleſenſ. *ſer.* 16. dixit: *In prima Eccleſia quotquot intererant conſecrationi Euchariſtiæ, communicabant eidem,* & melius *Amalarius,* quem refert Thomaſſin. *de nov. & vet. diſcipl. ſeu de benef. par. 1. lib. 2. cap. 83. Præcipitur in Canonibus, ut omnes ingredientes Eccleſiam communicent, quod ſi non communicaverint, dicant cauſam quare non communicent, & ſi rationabilis extiterit, indulgetur illis, ſin autem excommunicentur;* & D. Thomas *par. 3. quæſt. 80. art. 10. ad 5.* inquit: *Nam in primitiva Eccleſia quando magna vigebat devotio Fidei Chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut fideles quotidie communicarent:* adducitque verba Anacleti, de Apoſtolorum, & Eccleſiæ ſtatuto, ac more teſtantis.

Tamen verum quidem eſt Turrecrematam, Peta- 2
vium, Balſamonem, Jo: de Avila apud Card. de Lugo *diſp. 17. num. 43.* & P. Vivam Societatis Jeſu *in propoſit. 23. damnata ab Alexandro VIII. num. 15.* dixiſſe, non eſſe veroſimilem hunc uſum, præſertim in conjugatis, qui ob reverentiam debent ſe abſtinere per aliquod tempus ab opere conjugali, quodque verba Anacleti intelligi debeant de Miniſtris Eccleſiæ; At-
tamen ſunt alia teſtimonia adducta, & adducenda 3
pro tali more comprobando, hinc doctus Leo Allatius *in epiſtola de Miſſa præſanctificatorum poſt ejus tractatum de Eccl. Orientali, & Occidentali pag. mihi* 1582. dum refert uſum apud Orientales fuiſſe, ut exceptis diebus Sabbati, & Dominicis Quadrageſimæ, ac feſto Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, in quibus Miſſæ plenæ dicuntur, in aliis diebus Quadrageſimæ utuntur tantùm Miſſa præſanctificatorum, in qua non conſecratur, ſed ſumitur particula conſecrata in die Sabbati, vel Dominico antecedenti, additque tunc quotidiè etiam dum præſanctificata abſumebantur, univerſus populus communicabat; ergo circa Apoſtolorum tempora cùm omnes quotidie communicare ſolebant, liturgia iſta præſanctificatorum peragebatur.

Sed quidquid ſit de antiquo more quotidianæ Com- 4
munionis, certum eſt decreſcente populi devotione, primùm ter, aut quater in hebdomada, deinde ſaltem Dominicis, & feſtivis diebus Eccleſiam, Euchariſtiam ſumi contentam fuiſſe, hinc *Baſil. ad Cæſarium patritium,* inquit: *Nos quater in hebdomada* commu-

communicamus Dominico, quotidie hebdomada Paraſceve, & Sabbato, aliiſque diebus ſi qua memoria, Sancti fuerit, & D. Auguſtinus, quiſquis fuerit auctor *de Eccl. dogmat. lib. 53. tom.* 3. apud D. Thom. *cit. & alibi in can. illa autem diſt.* 22. & Petr. Bleſ. *cit. ſerm.* 26. ait: *Poſtquam crevit numerus fidelium, nec omnes accedere ad Eccleſiam viſum eſt; ſtatutum eſt, ut ſaltem diebus Dominicis fideles communicarent*, & D. Th. *cit. loco* aſſerit, quod ſucceſſivis temporibus decreſcente fidelium fervore intra majus tempus Eccleſia oblationem ſumendi Euchariſtiam poſuit. *Poſtmodum verò diminuto fidelium fervore Fabianus Papa indulſit, ut ſi non frequentiùs ſaltem ter in anno omnes communicent, ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini eſſe communicandum*, ut habetur in *Decret. de conſecrat. diſt.* 2. ibi: *Poſtmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigeſcente charitate multorum, ſtatuit Innocentius III. ut ſaltem ſemel in anno in Paſcha fideles communicent*; & quoad morem trium dierum anni præfatis ſolemnitatibus congruum fuit, ut laica communio ſic dicta fieret, Turrecrem. *diſt.* 55. Pignatell. *conſult. 93. numer. 10. tom.* 9. & Petr. Bleſenſ. *loc. cit.* ait, id factum eſſe in tribus ſolemnitatibus anni, *quia hunc modum præcepit Dominus Patribus antiquibus, ut omnis maſculus in Iſrael iter in anno appareret in conſpectu ejus, ſed non vacuus; nunc autem quoniam dies mali ſunt, & omnes ferè declinaverunt, & inutiles facti ſunt, non audeo dicere ex præcepto Eccleſiæ, ſed ex tacita permiſſione ipſius introductum eſt, ut ſemel in anno congregentur in Eccleſia ad communicandum, quod præterire fas non eſt*. Sicque dixit decretalis emanata in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. anno 1215. *can. 21. relat. in cap. omnis de pænit. & remiſſ.* & innovavit S. Conc. Trid. *can. 9. ſeſſ. 13. de Euch.* ubi injungit, ut ſaltem ſemel in anno id agatur, quod omnis utriuſque ſexus Chriſti fidelis, quoſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam pœnitentiam ſtudeat præ viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minùs in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum, alioquin, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens careat ſepultura.

6 Non exinde tamen S. Mater Eccleſia imbecillitati fidelium parcens tempus obligationi recipiendi Sacram Synaxim ita ad annum protraxit, ut ſimul commendare deſinat, imò hortatur, quòd ſæpe ſæpius ſacro hoc cibo fideles uti curent, ita ſe diſponendo, ut tale cibum debita reverentia recipere ſæpe valeant, Sac. Conc. Trid. *ſeſſ. 13. de Sacram. Euchar. cap.* 7. Unde quotidiana Communio licèt non injuncta remanſit, non tamen prohibita extitit, ſed juxta perſonarum diſpoſitionem etiam permiſſa; unde D. Auguſt. *loc. cit.* dixit: *Quotidie Euchariſticam Communionem percipere nec laudo, nec vitupero*; & plura ad hanc rem adducit *cit.* P. Viva *in propoſit. damnata* 23. *ab Alexandro VIII.* nempè. *Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers*, & in *propoſit.* 56. ab Innocentio XI. damnata: *Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*; Et quoad quotidianam Communionem plura adducit Pignatell. *conſult. 36. tom.* 1. ubi præſertim quòd Epiſcopus poſſit præſcribere Monialibus tempus conveniens pro Communione, ſpectatis circumſtantiis eorum vitæ, & morum, & adeſt Decretum ſub Innocentio XI. tenoris ſequentis.

DECRETUM

Circa Communionem quotidianam.

CUM ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in feria ſexta Paraſceve, & ſimul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam eſſe à jure Divino; quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe; videlicet, quod aliqui, non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravi infirmitatis nota ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecreto illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit Sacr. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem Sac. Congregatio, prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententia ita cenſuit. Etſi frequens, quotidianuſve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; numquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent; *Idque non immeritò; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certè de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea quod ad Negotiatores ipſos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cùm B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœleſtium Epularum communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quod ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet; Illudque omninò provideat, ut nemo à Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidiè acceſſerit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & præparationis modo rariùs, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem guſtet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, digna frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cùm fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam, (quod facere debent) acceſſerint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſivè Laici negotiatores ſint, ſivè Conjugati, ſivè quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine diſcant cœleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri; Et ſi quando ſe minùs paratos ſenſerint,*

Digitized by Google

rint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt; & ab eorum Officio poſtulari ſibi maximè perſuadebuat, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque ac dona in ſumentibus augeantur: Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio. Divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius reſici cupiunt ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueveriat. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe Fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cœleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur, Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes, Communionem quotidianam eſſe de jure Divino: Doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis, ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam; nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut ſecreto, ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publicè, & cum pompa, juxta formam Ritualis Romani; ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria ſexta Paraſceve, Miſſalis Rubrica, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario, Si Parochi, & Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit.

In quorum, &c. Datum Romæ duodecima Februarii 1679.

7 Quàm verò conſentaneè hujuſmodi Paſchalis communio in Concilio fuit tandem præcepta, inde elici poteſt, quòd niſi antiquo fervore fideles in charitate proficientes ſæpiùs voluerint Deificæ cœnæ participes fieri; ſaltem pœnitentium more in ſacro Paſcha præpararent corda eorum, ut Domino ſe reconcilient, ut non obſcurè innuit Vualfridus *c.* 20. ibi: *Quidam, ut ex Patrum collationibus diſcimus, ſemel in anno communicandum cenſebant, ut videlicet diuturna præparatione corpus, & animam purificantes, tandem ad communionem menſæ cæleſtis digni pertingerent*, & quidem redeuntibus Paſchæ diebus tempore opportuno: *ut ibi ſolum Sacramentorum gratia iteraretur illorum, ubi primitus eſt oſtenſa*, ex eodem Vualfrido, & latiùs Petrus Bleſenſis in *cit. ſer.* 16. *Ut ſicut ea die filii Iſrael typicum agnum comedebant perpetuò, & eadem die Dominus Diſcipulis ſuis carnem ſuam, & Sanguinem dedit, & in memoriam ſui idipſum faciendum commendavit; ita & nos eadem die carnem Agni, qui tollit peccata mundi edamus.*

His præhabitis ad hypoteſim noſtræ Conſtitutionis deſcendendo, cùm Eugenii IV. temporibus non parum excitata fuiſſet commotio in Civitate Licii, ſivè Aletii in Regno Neapolitano de die debitæ perceptionis Sacratiſſimi Corporis Chriſti ex præcepto Concilii Lateranenſis in recenſito *Canon. omnis utriuſque ſexus*. Nonnullis Religioſis Viris autumantibus, quòd non communicantes in die Reſurrectionis Dominicæ mortalis culpæ reos ſe faciebant, etiamſi in die Cœnæ Domini, vel aliis quibuſcumque diebus infra annum communicaſſent; quapropter idem Pontifex ex debito ſui Paſtoralis officii, datis litteris quæſtionem hanc enodavit Epiſcopo Licienſi, videlicet quòd præcepto Paſchali ſatisfactum cenſebatur, ſi paulò ante, vel paulò poſt diem Reſurrectionis Dominicæ quis communicet; Nec tamen Licienſes acquieverunt, quin ſcrupuloſa cura magis ſolliciti quæſtionem prædictam reſuſcitantes effecerunt, quòd Eugenius, re maturè undequaque diſcuſſa, hanc ederet conſtitutionem Romæ die 8. Julii anno 1440. qua iterum expreſsè declaravit ſatis explere Paſchale præceptum communicantes in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paſcharis, his verbis: *Intelligimus itaque optimo jure ſatisfactum eſſe Canoni, ſi in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem fideles præparatione debita Sanctæ Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere*. Et quidem ſi, ut Divus Auguſtinus ait, circumſtantiæ ſcripturarum illuminant ſubſtantiam veritatis, & non ſolùm adjacentia, ſed etiam præcedentia, & ſubſequentia ſunt conſideranda prudenter, liquidò conſtat, Concilii mentem non fuiſſe animas illaqueare fidelium, ſub culpa mortali ad communicandum præcisè in die Reſurrectionis Dominicæ, ſed circiter paulò ante, vel paulò poſt, ut inquit Eugenius in præſenti, quapropter juxta noſtræ Conſtitutionis terminos nomine Paſchæ, nedum diem Reſurrectionis Dominicæ, ſed octo antecedentes, & octo ſub- 9
ſequentes, nempè à Dominica Palmarum ad Dominicam in albis communem Eccleſiæ uſum probare, dixere Fagnan. *in capit. omnis utriuſque numer.* 41. *de pœnit. & remiſſ.* Navarr. *in manual. capit.* 21. *numer.* 45. Barboſa *de Paroch. parte* 2. *cap.* 20. *numer.* 14. Pax Jordan. *tom.* 1. *de re ſac. lib.* 3. *tit.* 3. *numer.* 48. Azor. *inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 30. *quæſ.* 2. Caſtropal. *oper. moral. part.* 4. *tract.* 21. *diſput. unic. punct.* 15. *numer.* 2. Bonacin. *oper. moral. tom.* 1. *diſp.* 4. *quæſ.* 7. *punct.* 2. *numer.* 6. Nemo autem ambigit, quod hujuſmodi præcepti Paſchalis tempus ab Eugenio præfixum ad Sacram Communionem ſuſcipiendam poterit à proprio Sacerdote ex cauſa prorogari ex *lit. cit. Text.* veluti ſi timeatur de relapſu in peccatum, ſi gravitas delictorum diuturniorem abſtinentiam exigat, aut ſi cauſa alicujus forenſis expeditionis impediat conſcientiæ ſerenitatem, ut explicant Doctores; cæterùm abſque cauſa nequit differri, ut ex oraculis Sac. Congr. Rituum firmant Barboſa *loco cit. numer.* 14.
Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *numer.* 48. *in fine*, aliique ſupra- 10
citati. Ex conſuetudine quoque, & Apoſtolicis indultis in aliquibus Diœceſibus tempus Paſchale extenditur ultra quindecim dies in noſtra Conſtitutione præfinitos, ut ſervari Conimbriæ, & Mediolani, & in toto Luſitaniæ Regno à principio Quadrageſimæ teſtantur Henriquez *in ſumma lib.* 8. *capit.* 5. §. 1. Caſtropal. *cit. punct.* 15. *num.* 2. Fagundez *de* 3. *Eccleſ. præcepto lib.* 1. *capit.* 5. fertur etiam, Laurentium Epiſcopum Prœneſtinum Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum teſtatum fuiſſe, Clementem VII. declaraſſe, ut quolibet die Quadrageſimæ poſſint fideles in Hiſpaniæ partibus ſactum Chriſti Corpus ſumere, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant, Azor. *inſtit. moral. cit. capit.* 30. *quæſ.* 4. de qua tamen declaratione ſibi non conſtare aſſerit Caſtropal. *loc. cit. numer.* 2. Jadræ verò in Dalmatia temporis Paſchalis initium ſumitur à media Quadrageſima, teſte Pax Jordan. *cit. tit.* 3. *numer.* 48. Itemque in *Carthagien.* 12. *Martii*, & 26. *ejuſdem Sacra Congregat. Concilii* viſum fuit, concedendum eſſe, ut Incolæ ſatisfacere poſſint præcepto Eccleſiæ, ſuſcipiendo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum à medietate dierum Quadrageſimalium uſque ad octavam Paſcharis, quòd cùm Summo Pontifici relatam fuiſſet, literas in forma Brevis

ad decennium expediri mandavit *lib.* 11. *Decret. pag.* 94. *&* 95. Et in Inſulis Philippinis fideles ex indulto Apoſtolico ob Sacerdotum paucitatem, & populi frequentiam quolibet anni die præcepto Eccleſiæ ſatisfaciunt ad viginti annos, & durante neceſſitate judicio Epiſcopi, ut ex Regeſtis Sacræ Congregationis notavit Fagnan. *in cit. cap. omnis num.*46. *&* 47. proſequitur tamen, quod ſupplicaotibus aliquando Epiſcopis pro temporis Paſchalis prorogatione ob populi frequentiam, exiguum oumerum Sacerdotum, & neceſſitatem Agricolarum, poſt Paſcha: Sacra Congregatio cenſuit; nihil novi decernendum, cùm ipſi poſſint id tempus ex cauſa protogare.

11 Ad exigentiam verò noſtræ Conſtitutionis non levis incunda nobis eſſet controverſia, numquid feria ſexta Paraſceves poſſit, ſatisfacere volentibus præceptum Paſchale, Euchariſtia miniſtrari, innumeri ferè Doctoribus utrinque diſceptantibus apud Pignatell. *conſul.*90. *tom.*9. Theophil. Raynaud. *in Heterecl. ſpirit. tom.*16. *punct.*4. Arbol. *in tract. de Sacram. Euchariſt. not.*8. Candid. *tom.*2. *diſq.*23. *art.*29. *dub.*12. Durand. *de Divin. Offic. cap.*77. niſi Innocentius XI. ſancta memoria quid in hac hypoteſi ſit obſervandum, ſtatuiſſet in Decreto generali de quotidiana Communione edito ex Sacra Congregatione Concilii 12. Februarii 1679. ſupra per nos relato, ibi namque in §. *porrò Epiſcopi* ſancitur: *Curent etiam ut circa Communionem, in feria ſexta Paraſceve, Miſſalis, & Eccleſia Romanæ uſus ſerventur*, & quidem ex Miſſalis Romani rubrica ad feriam quintam majoris hebdomadæ conſtat die ſequenti non eſſe ſanis Euchariſtiam miniſtrandam, cum particularum reſervatio indulgeatur pro Infirmis, ibi: *Reſervat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit pro infirmis*. Non igitur reſervat pro ſanis, ut inquit Pignatell. *loco cit.* Uſus autem Romanæ Eccleſiæ aliarum Matris, & Magiſtræ non miniſtrandi in Paraſceve Sacram Euchariſtiam, veriantibus in eo ſatis innoteſcit. Neque tantum ævo, quo vivimus, verum quidem priſcis quoque temporibus id obſervatum fuiſſe nobis teſtes ſunt Amalarius *lib.* 1. *de Eccleſ. officiis cap.*15. ubi poſtquam ſcripſit, quod in die Cœnæ Domini Euchariſtia reſervatur pro omnibus, qui ſequenti die communicant, proſequitur: *De qua obſervantia interrogavi Romanum Archidiaconum, & ille reſpondit, in ea ſtatione, in qua Apoſtolicus ſalutat crucem, nemo ibi communicat*, & expreſſiùs Alcuin. *de Divin. Offic. cap. de Cœna Domini* ait: *Quia in Paraſceve non conficitur Corpus Domini, neceſſe eſt, ut hi, quibus eſt voluntas communicandi, habeant ſacrificium ex priori die, quod tamen Romani non faciunt*, quapropter ſæpiùs reſolvit *Sacra Rituum Congregatio*, in die Paraſceve non eſſe Euchariſtiam, aliis quàm Infirmis miniſtrandam, penès Barboſ. *de offic. Parochi part.*2. *cap.*20. *num.*16. Pignatell. *cit. conſult.* 90. *num.*8. *tom.*9.

12 Neque eſt omittendum, num qui intra quindecim hos dies in noſtra Conſtitutione deſignatos, præcepto Paſchali non ſatisfecerint ſivè ex impotentia, ſivè ex perverſa voluntate, teneantur ſubinde communicare, adeòut præceptum Concilii Lateranenſis in *cit. cap. omnis* etiam poſt Paſcha obliget, quouſque adimpleatur. Porrò autem, quamplures, & graves Doctores affirmant eum, qui præceptum Paſchæ non adimplevit, ſecura conſcientia poſſe ad alterum ſequentis anni Paſcha communionem differre, concluſione ſumpta cùm præcepta affirmativa tranſacto eo tempore, cui annectuntur, non ligant, etenim qui Miſſæ die Dominico non intereſt, qui in vigilia non jejunat, quamvis letalis culpæ fiat reus, tamen poſteà hujuſmodi præceptis non adſtringitur, ut latiùs S. Antonin. *par.* 2. *tit.* 9. *cap.* 9. §. 5. Medina *inſtruct. Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 42. Victoria *in ſumma verbo Communio n.* 148. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 4. aliique. His tamen non refragantibus contraria opinio verior mihi videtur, & omninò in praxi tenenda, ut qui in Paſcha non communicavit, teneatur quandocumque commodè poteſt; Etenim ſi benè perpendatur Concilii Lateranenſis diſpoſitio, nil aliud imponat, præterquamquod Divinum mandatum manducandi carnem Filii hominis ultra annum non differatur, verùm quidem ad obſervantiam ſaltem reducatur tempore Paſchali; quapropter cum Paſcha non ſit tempus inductivum hujuſmodi obligationis, ut in ſupradductis exemplis, ſed congruum, & opportunum deſignatur ad ſatisfactionem, ſatis apertum eſt quod ejuſdem lapſus non ſolùm non perimit, ſed graviorem reddit dictam obligationem argumento ſumpto ex *notab. Tex. in cap. cum dilectus de dolo, & contum. verbum præterea*, in quo ſancitur, quod obligatus ad aliquid faciendum, & faciendum certo die, tranſacto tempore præfinito, ab obligatione non ſolvitur, ibi: *Præterea cum mandatur alicui, ut ad certum terminum ſe Judici repræſentet duo ſub hac forma mandantur, ut ad Judicem veniat, & ad diem ſibi præfixum accedat; Unde ſi venire non poſſit ad diem aſſignatum, tenetur ſe nihilominus Judici præſentare, ſicut ratio ſuggerit, & legitima ſanctio manifeſtat; ſi enim mandatur alicui, ut alii ad certum diem rem certam exolvat, non ideò erit à mandato ſolutus, ſi ſolvere nequiverit die data, imo ad ſolutionem elapſo etiam die ſolutionis præfixo tenetur*, & concordat *Textus in leg. Celſus* §. *idem ait ff. de recep. arbitr.* & aliis rationibus propoſitis hanc ſententiam firmant Barboſa *de Parocho par.* 2. *cap.* 20. *num.* 14. Azor. *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 30. *quæſ.* 5. Pax Jordan. *de re Sac. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 56. *cum ſeqq.* Caſtropal. *oper. moral. par.* 4. *tract.* 21. *diſp. unica punct.* 15. *n.* 3. *ad* 8. Gobat. *in Theolog. experiment. tom.* 1. *tract.* 4. *caſ.* 3. *n.* 34. Navarra *in ſumma cap.* 21. *n.* 21. Bonacina *de Sacram. diſp.* 4. *quæſ.* 7. *punct.* 2. *n.* 13. *verſ. dixi*.

Neque tandem inter ſe conveniunt Doctores morales, an cum quis prævidet impedimentum, quo nequeat præceptum Paſchale exequi intra quindecim dies Paſchales, teneatur ex vi præcepti Communionem anticipare. Plerique enim negativè hanc quæſtionem reſolvunt argumento ſumpto ex præceptis affirmativis certo die affixis; neque enim is prævenire tenetur, inquiunt, diem jejunii; nec ante diem feſtum rem Divinam audire, nec hodie recitare Divinum Officium, quod die craſtino recitare non poterat, Azor. *inſtit. moral. cit. capit.* 30. *quæſ. final.* Suarez *moral. diſp.* 70. *ſect.* 2. Dicaſtillo *de Euchar. diſput.* 10. *nu.* 155. alii verò duo præcepta diſtinguentes in *cit. can. omnis* ne ſcilicet communio differatur ultra annum, & quòd ſaltem adimpleatur in Paſchate, affirmant, quòd prævidens impedimentum in Paſcha, tenetur communionem anticipare, ut ſaltem non delinquat contra præceptum annuæ communionis, ità Fagundez *de tertio præcepto Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 3. Sylvius *in* 3. *par. quæſt.* 8. *art.* 11. *diff.* 2. Nugnus *par.* 3. *quæſt.* 80. *art.* 11. alii denique meliùs diſtinguunt, aut quis intra annum aliquando communicavit, & non tenetur Communionem ex vi præcepti anticipare cum ceſſet ratio coactiva, ne ultra annum differatur communio, ſecùs verò cum quis numquam in anno communicavit, ut docet Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 9. quem ſequuntur Caſtropalaus *cit. punct.* 15. *nu.* 9. Gobat. *in Theolog. experim. tom.* 1. *tract.* 4. *caſ.* 3. *num.* 39. 13

Numquid autem per communionem ſacrilegam quis ſatisfaciat dicto præcepto Eccleſiæ eſt propoſitio damnata ab Innocentio XI. *propoſit.* 55. & coincidit alia damnata ab Alexandro VII. nempè qui facit confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, ut latè apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 43. *& par.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 50. ubi plura ad rem ait, & *cit.* P. Viva *ad præfatas propoſitiones* latè examinat, & concludit tamen ſatisfieri præcepto, ſi quis faceret Communionem, vel Confeſſionem cum peccato mortali invincibiliter oblito. De aliis tamen ad rem facientibus alibi dicam. 14

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO XXI.

EUGENII IV.

Incipiens (*Super gregem.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS FRATRIBUS S. Hieronymi Feſulani Nuncupatis.

Congregationem approbat Fratrum Sancti Hieronymi de Feſulis ſub Regula Divi Auguſtini.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Fratres S. Hieronymi de Feſulis ſub vita Eremitica vigentes, ſub Congregatione approbata reducti fuere.*
2 *In Civitate Feſulana aderat Monaſterium caput Congregationis.*
3 *Epiſcopus Feſulanus nunc reſidet Florentiæ.*
4 *Congregatio prædicta ſuppreſſa fuit.*

1 JAm enim originem Fratrum Sancti Hieronymi de Feſulis innui ſupra *Conſtit.* 3. Gregorii XII. ſub vita tamen Eremitica tunc viventium uſquequò Eugenius IV. eos ſub unica Congregatione reduxit cum Regula Divi Auguſtini, ac denominatione Sancti Hieronymi de Feſulis, ut in hac Conſtitutione commentatur, edita Kal. Auguſti Anno 1441. in qua plura etiam præſcripſit circa Prælatos, ac Officia dictæ Congregationis, quæque fuerunt confirmata à Nicolao V. aliiſque Summis Pontificibus, Conventu Feſulano capite
2 Ordinis aſſignato, cum in eo primò Regularis obſervantia dd. Fratrum cœpta fuit in Civitate nempè Feſulis tunc vigente; in præſenti tamen deſolata aſpicitur, & nullus in ea reperitur inſignis locus Lapus *alleg.* 123. ejuſque Civitatis Epiſcopus, retinens nomen Epiſcopi Feſulani, reſidet in Civitate Florentiæ, inter cujus Archiepiſcopum, & Epiſcopum notæ, & fami-
3 geratæ ſunt Juriſdictionales controverſiæ jamdiù exortæ, & de quibus memini *tom.*2. *ad Conſtit.*6. Alexandri III. *ſect.*1. *num.*12. imò noviſſimè peracta fuit concordia approbata à Sede Apoſtolica Voto regiſtrato in Secret. Concil. ſub die 30. *Januarii* 1707. Hæc de Eccleſia Feſulana incidenter hic dixi, dum de Fratribus Sancti Hieronymi de Feſulis nihil dicendum ſupereſt,
4 cum jam eorum Congregatio fuerit extincta à Sancta Memoria Clemente IX. ut innui *cit. Conſtit.* 3. Gregorii XII.

CONSTITUTIO XXII.

EUGENII IV.

INCIPIENS (*Regimini.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

FRatres Sancti Ambroſii ad Nemus ſub Congregatione redigit aſſignato pro Capite Conventu Mediolanenſi.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Eugenius IV. in Congregationem redegit Fratres S. Ambroſii ad Nemus.*
2 *Qui fuerunt extincti, & aliqua dicuntur de ritu officii Ambroſiani, qui ſervatur Mediolani.*

SUper gregem Dominicum intentus Eugenius, eum 1
tamquam Solis radium huc, illucque diſcurrere
video in Bullarum ejus revolutione; nam in Conciliis
eum Præſidentem, Orientales ad proprium ovile reducentem,
Curialibus providentem, ſed maximoperè Regularium
obſervantiam promoventem jam ſupra propoſui;
In præſenti igitur Conſtitutione ædita Florentiæ
4. non. Octobris Anno 1441. Regularem ſtatum Fratrum
Sancti Ambroſii ad Nemus promovere cupiens
eos reduxit ſub unica Congregatione aſſignato in caput
Monaſterio Mediolani. Jam enim de his Fratribus 2
dixi Conſtitutione Gregorii XI. & iis in hac Conſtitutione § 14. permittitur recitari Officium ritu Ambroſiano, qui etiam permiſſus eſt non obſtante Bulla Sancti Pii V. ex quadam approbata Conſuetudine, ut meminit D. Carolus *Syn.*2. *Mediol. in* 5. *de or. & Synod.* 3. *decret.*7. ſervari voluit etiam à Confraternitatibus in Eccleſiis erectis, in quibus talis ritus ſervari ſolet, & in iis in quibus more Romano celebratur vetitus eſt ritus Ambroſianus, vel è contra in *Synod.* 3. *decret.*19. Cœterùm de hoc officio Ambroſiano alibi erit Sermo, dum de reformatione Breviarii erit agendum io ſua ſede, & de his Fratribus nil ſupereſt dicendum, cum ſuppreſſi fuerint tempore Urbani VIII. ut retuli in *citat. Conſtit.* Gregorii XI. ubi originem, & progreſſum hujus Congregationis, & Canonicorum retuli, ac eorum extinctionem.

CONSTITUTIO XXIII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Cantate.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

REfert Unionem Jacobitarum in Ægypto cum S. R. E. in nonnullis Catholicam Fidem concernentibus in quibus diſſidebant.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Unio Jacobitarum in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. facta cum Eccleſia latina recenſetur, & num. ſeqq.*
2 *Jacobitæ, qui ſint dicti, & de eorum erroribus.*

REfulſit Eugenii IV. pro fide Catholica promovenda 1
ardor præcipuus dum Uniones Græcorum, & Armenorum cum latina Eccleſia tot laboribus, ac expenſis in Concilio Generali Florentino curavit. Emicat rursùs ejus Apoſtolicus zelus, cum uſque Ægypti incolas curam ſuæ paſtoralis ſolicitudinis vertere non omiſerit, dum Jacobitas adduxit, ut Eccleſiæ etiam latinæ unirentur in Concilio Florentino, ut liquet ex iis, quæ exprimuntur in hac Conſtitutione lata in eodem

dem Concilio Florentino in publica Seſſione pridie nonas Februarii Anno 1441. quæque fuerit edita in eodem Concilio adhuc non diſſoluto dixi ſupra *Conſtit.* 19. ubi de Unione Armenorum. Dicuntur enim Jacobitæ ſeù Jacobini à Jacobo Syro, qui circa annum
2 535. vel 584. juxta alios educatus in hæreſibus, aliiſque inveſtris ſectam Jacobitarum inſtituit, eamque apud Syros propagavit, & errores eorum plures fuiſſe recenſent Scriptores latè apud Salel. *de S. Officio tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *regul.* 259. *num.* 88. *& ſeq.* Pignatell. *conſult.* 41. *tom.* 6. cumque itaque inſtructus remanſerit in Concilio Florentino regulam veræ fidei recepit, ac ad patriam rediit legatus eorum Patriarchæ Abbas Sancti Antonii Ægyptii, qui nomine illius pedibus Romani Pontificis litteris ejus Patriarchæ munitus ſe provoluit, obedientiamque præſtitit, ut refertur apud Labb. *tom.* 12. *fol.* 1201. *& ſeq.* & meminit Epiſcopus Battaglino *in hiſt. Concil. pag.* 760. cumque errores Jacobitarum, vel rejecti fuere, dum de aliis hæreticis differui, vel alibi dicam, dum alios confutabo, ideò hìc de permiſſione, ut Orientales Sacerdotes in conjugio permaneant dicere aliqua curavi, cùm ſit materia uſitata etiam inter Catholicos illius gentis.

SECTIO UNICA.

De Conjugio permiſſo Orientalibus Presbyteris.

S U M M A R I U M.

1 *Lex continentiæ antiquitùs apud omnes in Sacris Ordinibus conſtitutos aderat.*

2 *Orientales tamen ab hac lege receſſerunt ex conſuetudine.*

3 *Talis conſuetudo fuit, & eſt in præſenti tolerata.*

4 *Etiam Orientales Presbyteri quando debeant ſe continere ab uſu conjugii.*

5 *Orientales Epiſcopi omnes ſunt Monachi, quia ſervant continentiam.*

6 *An matrimonia contracta etiam ab Orientalibus, poſtquam ſunt conſtituti in Ordinibus ſacris, ſint nulla; vel illicita ſolùm, vel valida, & licita.*

Plures adducuntur ſententiæ. Ibid.

7 *Concluditur eſſe invalida, & illicita DD. auctoritate.*

8 *Adducuntur plures Canones Conciliorum.*

9 *Explicantur Canones contrarii, qui adduci valent.*

10 *Rationes dictæ ſententiæ innuuntur.*

11 *Plures reſolutiones Sedis Apoſtolicæ referuntur.*

12 *Uſus invaliditatis hujuſmodi matrimoniorum ſervatur in Oriente quoad Catholicos.*

Adducuntur duæ Epiſtolæ Patriarchæ Caldæorum id comprobantes editæ Anno 1708.

1 LEx continentiæ Ordinibus Sacris conſtitutis apud Latinos nunc inconcuſsè ſervata, antiquitùs apud omnes tàm Occidentales, quàm Orientales fuit, itaut aliqui etiam Juri divino eam adſcripſerint, ſed verè primis Eccleſiæ temporibus, etſi reperiatur ſervata, tamen deindè conjugium apud aliquos fuit canonum violatione receptum, hinc Epiphanius *in expoſ. fid. Cathol. cap.* 21. ait: *Sacerdotium ex Virginum ordine præcipuè conſtat, aut ſi minus ex Virginibus, certè ex Monachis, aut ſi minus ex Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes ſolent, qui à ſuis ſe uxoribus continent, aut poſt unas nuptias in viduitate ſervantur, & hæreſ.* 59. ſubdit: *Eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit Uxoris Vir, nunquam tamen ad Diaconi Presbyteri, Epiſcopi, aut hypodiaconi ordinem admitti, ſed eum duntaxat, qui ab unius Uxoris conſuetudine ſe ſe continuerit, aut ea ſit orbatus, quod in illis locis præcipuè ſit, ubi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſervantur*, & contrarium ſibi objiciendo proſequitur: *Illud non ex Canonis auctoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam quæ certis temporibus negligenter agere, ac connivere ſolet*; de quo latè Bellarm. *tom.* 2. *contr. de Cler. lib.* 1. *cap.* 18. *& ſeq.* March. *tract.* 2. *par.* 6. *cap.* 8. Sotus *leg.* 7. *de Juſt. quæſt.* 6. *art.* 2. Albert. Bighius *contr.* 12. Medina *lib.* 2. *de Sacrorum homin. contin. cap.* 36. Eſtius *in lib.* 4. *ſent. diſt.* 37. §. 1.

Ab hac antiqua conſuetudine receſſerunt Græci, aliique Orientales, ſuntque ab Eccleſia tolerati, ut hoc 2
ritu uti valerent, quòd ſcilicet conjugati cum unica, & virgine, validè, & licitè ad Ordines Sacros, & Presbyteratus promoveantur *can. aliter diſt.* 31. *& cap. ut Clericorum de Vit. & honeſt. Cler. cap. cum olim de Cler. conjug.*, quando autem hæc licentia primùm inoleverit, varia eſt DD. ſententia, ſed jactura temporis aliter in hoc non eſt indagandum, cum hæc nunc ſit pro lege conſuetudo ſervata, ut permittantur iis conju- 3
gia tot Conciliorum tolerationibus poſt *Can.* 13. *Trullanum*, tot Decretalium permiſſionibus, uſuque inconcuſſo, qui ſervatur *cap. cum olim de Cleric. conjug. gloſſ. in can. Diaconi diſt.* 28. DD. *in cit. cap. cum olim* Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 15. *in fine, & cap.* 16. *num.* 7. *in fine* Arcud. *de Concord. Eccleſ. Orientalis*, & *Occidentalis lib.* 7. *cap.* 43. *col.* 1. *& ſeq. & col.* 12.
Non enim prætereundum, quod etiam aliqua lex con- 4
tinentiæ iis ſervanda eſt, quia debent ſe continere ab uſu cum conjugibus Sacerdotes celebrantes ob reverentiam ſacrificii aliquibus diebus ante, & poſt, ut reſpondit Sacr. Congregat. Supremæ Inquiſitionis coram Sanctiſſimo in *Aſpanenſi* 24. *Maii* 1705. *ad primum, & Clemens VIII. in Inſtruct. pro Italo. Græcis Conſtit. incip. Sanctiſſimus tit. de matrim.* ait: *Presbyter Græ-* 5
cus conjugatus ante Sacrum Sacrificium, ſeu ſanctam Miſſam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abſtineat ab Uxore, & rurſùs non aſſumuntur ad Epiſcopatum, niſi Monachi, qui legem continentiæ ſervant.

Difficultas tamen in hac re videtur eſſe, an matri- 6
monia fieri valeant poſtquam ad Ordines Sacros illi promoti ſint, itaut ſic contracta ſint nulla, vel tantùm illicita, aut invalida, & illicita; Et DD. in varias juere ſententias, nam alii docent eſſe valida, & licita, ex *can. aliter diſt.* 31. Cajet. *opuſc. tom.* 1. *tract.* 27. *de diſp. matrimon. in Eccleſ. Occid.* Rodriquez *in ſumm. par.* 1. *cap.* 223. *num.* 22. Pelant. in Div. Thom. *par.* 3. *in addit. ſeu ſupplem. quæſt.* 53. Alii verò dicunt eſſe valida, ſed illicita matrimonia, & proinde peccare contrahentes; ac mulctandos eſſe pœnis Canonicis, ut latè auctores Græci apud Leunclau Jur. *Græci Roman. pag.* 491. *& ſeq.* & apud Lucian. *Jur. Græc. Roman. pag.* 365. *&* 381. Arcud. *cit. lib.* 7. *cap.* 43. *per tot.* Verricel. *de Miſſion. tit.* 4. *quæſt.* 98. *num.* 166. *& ſeq.*

Tamen dicendum verè eſt, matrimonia prædicta eſ- 7
ſe invalida, & illicita; & hæc ſententia DD. calculo, rationibus, & S. Sedis oraculis comprobatur. Nam eam docent D. Thom. *in* 4. *ſent. diſt.* 37. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in corpore, & par.* 3. *in ſupplem. quæſt.* 53. *art.* 3. *in corpore*, D. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corpore*, Gloſſ. *in can. Diaconi in initio, & can. ſi ſe in fine diſt.* 28. Turrecremata *in initio diſt.* 27. *num.* 2. Covarr. *lib.* 4. *decret. relect. de Sponſalib. par.* 2. *cap.* 6. §. 3. *num.* 1. Azor. *Inſtitut. moral. par.* 1. *lib.* 13. *cap.* 12. *quæſt.* 5. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 28. *num.* 3. *&* 6. Barb. *in cap. cum olim num.* 2. *de Cler. conjug.* & alii Auctores brevitatis gratia omittendi.

Hinc in *Can.* 27. ex iis, qui Apoſtolis tribuuntur, 8
quorum diſciplina apud Orientales fuit primævis ſæculis, habetur: *In nuptiis autem, qui ad Clerum provecti ſunt præcipimus, ut ſi voluerint Uxores acceperint, ſed Lectores Canteresque tantummodò*; quæ verba important impedimentum dirimens, quod poteſt Eccleſia imponere juxta Catholicorum ſententiam; aliique ſunt Canones talia matrimonia irritantes apud Eſtium *lib.* 4. *ſent. diſt.* 37. §. 1. Bellarm. *lib.* 1. *de Cler. cap.* 19. Juvenin. *de Matrim. quæſt.* 7. *cap.* 8. Natal. ab Alexandro

hiſt.

hiſt. Eccleſ. ſecul.4. diſſert.29. & conſonat *lex Juſtiniana 45. de Epiſc. & Cler.* quæ Sacris Canonibus neque Deo amantiſſimis Presbyteris, neque RR. Diaconis, aut Subdiaconis nuptias contrahere poſt hujuſmodi ordinationem permittentibus, ſed ſolis RR. Pſaltis, & Lectoribus id concedentibus, imò ex matrimonio contracto per Presbyterum vel Diaconum filios nefarios eſſe declaravit ac ſucceſſionis incapaces, & aliæ ſunt leges, atque innumeræ Conciliorum auctoritates antiquorum, & recentium hujuſmodi nullitatem indefinitè quoad omnes firmantes; hinc in *Concil. Carthag. IV. can.3. anno 400. in Concilio Lateranenſi 1. ſub Calliſto II. anno 1123. can. 21.* prohibentur matrimonia hujuſmodi, & disjungi, ſi fuerint contracta, contra Sacrorum Canonum definitionem, & ſic ſupponit antiquiores eſſe Canones hoc idem diſponentes. *In Concilio Rhemenſi anno 1148. ſub Eugenio III. can.3. In Concil. Lateran. III. ſub Alexandro III.* quod hujuſmodi conjugia non matrimonia, ſed contubernia nuncupanda ſint, & Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.24. can.9. de matrim.* & latè apud Azor. & Sanchez *loc.*

9 *cit.* Non enim me latet plures Canones adduci, quibus hujuſmodi matrimonia facientes pœnis afficiuntur, ſed loquuntur verbis non clarè dirimentibus, & illæ pœnæ, vel ſunt, ut magis coerceantur tranſgreſſores, cum aliis pœnis ultra nullitatem, ut paſſim videmus in pœnis illatis, vel ſunt verba explicata ab aliis Canonibus, & à generali Conſuetudine ipſius Eccleſiæ Orientalis à talibus matrimoniis ſe abſtinentis, & verè quomodo poteſt verificari prohibitio in ſola pœna,

10 quæ permittat vinculum matrimonii permanere, & contrahentes, vel perpetuò ab uxore, cum qua Deus virum conjunctum ita voluit eſſe, ut homo non ſeparet, vel contra legem peccantes continuò Miniſtros Dei eſſe, & plurimi eſſent, qui contra legem peccarent, ut ſcilicet in matrimonio remanerent, etſi illicitè; non enim quod alicubi fuerit ſervatum, poteſt dici ab Eccleſia permiſſum, quia dici poteſt id actum ab hæreticis, & Eccleſia Romana permittit, & tolerat conſuetudines Græcorum ritè, & rectè introductas, non eas contra eorum Canones, vel Leges univerſales, *Leo Allatius de ætate, & interſtitiis ſervandis in ordinatione Græcorum pag. 214.* & ſecuta eſt *Sacra Con-*

11 *gregatio Concilii 20. Januarii 1616.* In hoc tandem ſenſum pro invaliditate ſcilicet fuit Sacra Congregatio Supremæ Inquiſitionis, etſi R. P. D. Maſſerius ſcripſerit diſſertationem de conjugio Græcorum, in qua ipſe firmare curaverat, valida eſſe dicta matrimonia, ſed illicita. Hinc anno 1678. ſub Clemente X. cum Græci Rutheni uniti Eccleſiæ Latinæ propoſuiſſent hujuſmodi quæſtionem decidendam; fuit reſolutum pro invaliditate, præſertim quia iſti Orientales uniti jurant ſervare leges Latinorum, & Sacr. Concil. Trident. in iis, in quibus Eccleſia eos non tolerat, ut eſt in his matrimoniis poſt Ordinem Sacrum, & proindè ita ſervari debet, juxta *cap. cum olim de Clericis conjugatis.* & Sacr. Conc. Trident. aliaſque leges matrimonia poſt Ordines Sacros irritantes, Pignatell. *conſult. 81. tom. 8. & conſult. 151. numer. 27. tom. 1.* & noviſſimè eadem Congregatio Supremę Inquiſitionis condemnavit quemdam Chaldæum Diaconum, qui uxorem duxerat poſt Diaconatum, ad abjurandum de vehementi, ac ad triremes per quinquennium, ac intimavit uxori ejus libertatem alium ducendi, ſtante nullitate matrimonii cum dicto Diacono, ut ex reſolutione coram Sanctiſſimo feria 5. die 17. Julii 1710. & fuit facta abjuratio in Palatio S. Officii Urbis coram DD. Conſultoribus, & omnibus Epiſcopis, aliiſque Orientalibus, ac aliis accurrentibus, ut notum eſſet omnibus prædictis, & ad rem hujus uſus religioſè ſervari in Oriente, non cele-

12 brandi hujuſmodi matrimonia inter Græcos Catholicos, quidquid ſit, quoad Schiſmaticos, inſerere curavi hic inferius duas Epiſtolas Patriarchæ Caldæorum ad Urbem tranſmiſſas ad Epiſcopum ejuſdem nationis pro caſu illius Diaconi, de quo ſupra, mihi à fideli traductore ex proprio idiomate Caldæo in Italum reportatas.

Ex Epiſtola Joſephi ſecundi Patriarchæ Caldæorum. Ad R. P. D. Epiſcopum, Amidæ data ſub fine Decembris Anno Domini 1708.

F*R. Scripſiſti mihi, quod Diaconus N. Diſcipulus Domini N. Uxorem ducere intendit. Ubi hoc audivi, obſtupui; Eſt enim Diaconus Evangelicus: Diaconatus autem Evangelicus, unus eſt ex Majoribus Ordinibus, qui autem in Majoribus Ordinibus conſtitutus eſt, poſt Ordinis ſuſceptionem, Uxorem ducere non poteſt. Igitur Diacono N. interdictum eſt Matrimonium; Quod autem ſit Diaconus Evangelicus, dubitari non poteſt, quia ſupradictus D. N. bo. me. ordinavit ipſum Diaconum Evangelicum præſente me, & præſentibus Presbyteris, & Diaconis noſtris, neque ipſe id negare poterit; Si nos itaque in Terra Mahometanorum hujuſcemodi matrimonia abſolutè interdicimus, neque nos ſolum, verum etiam omnes Hæretici, præter Neſtorianos; quomodo hoc Romæ, in Terra Sanctorum permittetur? Equidem ſi hoc factum eſt, nobis maximum præjudicium, & pluribus in fide ſcandalum afferet. Quin, & nos incidemus in manus Judicum, eo quod propter hoc ipſum matrimonium multos interdiximus, & alios excommunicavimus. Rogo ſanctitatem tuam, ut hæc omnia Sacr. Congregat. & meo Procuratori proponere digneris, ut hoc matrimonium impediant, & ſi Uxorem duxerit, antequam hæc Epiſtola pervenerit, ſpero, quod ipſum publica non privata pœna pro hujuſmodi facinore plectant; Ego enim hoc matrimonium pluribus longè melioris notæ, quàm ſit N. hoc interdixi. Iterum Rogo, ut totus in id incumbas, ne, aut nobis præjudicium, aut aliis immedicabile ſcandalum oriatur. Vale.*

Romam in manus Venerabilis N.

Ven. Fr. & Procuratori noſtro N. quem Deus conſervet.

Oſculantes faciem tuam, notum tibi facimus, multum jam tranſactum eſſe tempus, ex quo tuis litteris caremus, ubi nos uno, aut duobus ab hinc menſibus noſtras ad te direximus Epiſtolas, ſtatum noſtrum tibi ſignificantes, & ſimul mittentes Sacr. Congregat. de Propaganda Fide Chirographum pro parte Anni 1707. quod jam perveniſſe confidimus; Nunc verò ubi à Fratre noſtro N. Epiſcopo N. accepimus, quod N. Diaconus, præceptoris mei N. Diſcipulus, Uxorem ducere Romæ intendit, obſtupuimus, quia prædictus N. Diaconus, eſt Diaconus Evangelicus. Diconatus autem Evangelicus unus eſt ex Majoribus Ordinibus. Qui verò in majoribus conſtitutus eſt ordinibus, Uxorem ducere nullo modo poteſt, conſequens eſt igitur ut N. Diacono Uxorem ducere nequaquam liceat; quod autem ſit Diaconus Evangelicus patet, quia prædictus bo. me. N. ordinavit ipſum Diaconum Evangelicum præſente me, noſtriſque adſtantibus Presbyteris, quod neque Ipſe negare poteſt, & ſi negaverit, mendax erit, & falſum proferet.

Si igitur nos in Mahometanorum Regionibus hoc illegitimum matrimonium interdicimus, quomodo id in Terra Sanctorum, Romæ inquam, permittetur. Neque verò nos ſoli id generis matrimonia prohibemus, verùm etiam omnes Hæretici, præter Neſtorianos, quorum Presbyteri ſex, & ampliùs Uxoribus junguntur. Obteſtamus te, ut hoc illicitum matrimonium prohibeas, & ſi priùs quàm hæc noſtra pervenerit Epiſtola, Uxorem duxiſſe reperiatur, Sacr. Congregat. iſtud exponas, ut publica pœna plectatur; alioquin & maximo nobis erit detrimento, & fides multorum deficiet, quia hic non pluribus Illuſtribus Viris hujuſcemodi matrimonia interdiximus; Hæc tibi ſignificantes, confidimus quod de omnibus nos certiores facias. Deus te ſervet incolumem. Amen. Datum ſub fine Decembris Anno Chriſti 1708. in Civitate Amidæ.

Joſeph Secundus Patriarcha Caldæorum.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO XXIV.

EUGENII IV.

Incipiens (*Quamquam.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

EXimit Gongregationem S. Georgii in Alga à ſolutione Decimarum, aliorumque oncrum.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Canonicis S. Georgii de Alga plura privilegia fuerunt conceſſa.*

2 *Hi tamen ſuppreſſi extitere à Sede Apoſtolica.*

1 ORiginem Congregationis Canonicorum S. Georgii in Alga retuli *Conſtit.* 1. Gregorii XI. quam ac dum iſte Papa Eugenius IV. maximo favore fuit proſecutus, hac Conſtitutione ædita Florentiæ ſeptimo Idus Junii Anno 1442. ei impartiendo privilegium exemptionis à ſolutione decimarum, aliorumque onerum, ſed alii quoque Pontifices pluribus privilegiis illam decorarunt, & Paulus III. ei conceſſit Congregationis Caſſinenſis privilegia, ut notat *Cherubinus filius ad hanc Conſtit.* & S. Pius V. ampliora conceſſit in-
2 dulta in ejus *Conſtit.* 92. Verùm cùm de ſimilibus privilegiis plura retulerim in Bullis aliorum Regularium, & hujuſmodi Congregatio Sancti Georgi in Alga fuerit ſuppreſſa à ſancta memoria Clemente IX. ut innui *cit. Conſtit.* 1. Gregorii XI. ideò in præſenti explicare aliqua opus non eſt.

CONSTITUTIO XXV.

EUGENII IV.

Incipiens (*Regimini.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

SEparat Frarres Eremitas Sancti Auguſtini Regularis Obſervantiæ Congregationis Ilicetanæ à ſuperioritate Prælatorum, non tamen Prioris Generalis Ordinis.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Congregatio Ilicetana Ordinis S. Auguſtini approbatur, ac de ejus origine, ac progreſſu agitur.*

2 *Fuit ſeparata, ac exempta à Superioribus Ordinis, excepto Generali.*

1 AUguſtinianam arborem fœcundam tot Congregationum, imò veriùs dicam Religionum, jam indicavi *tom.* 3. *Conſtit.* 6. Alexandri IV. *pag.* 208. In præſenti Conſtitutione Eugenii IV. edita Senis 8. Idus Septembris Anno 1443. fit mentio ſeparationis per illum Pontificem peractæ Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, qui militaverant ſub regulari obſervantia in Congregatione dicta Ilicetana, à Superioribus ſubalternis totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, remanente tamen ſub poteſtate, & gubernio Generali dicti Ordinis, plureſque gratias dictæ Congregationi elargitus fuit idem Papa.

Ilicetum, ſeù Illicium ſanctitatis monumentum obtinuit, Eremum nempè Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Auguſtini; locus enim ille, horæ itinere diſtat à Senis, ac initium Eremus habuit à Diſcipulis Sancti Aniani de Francipanis, ſubque varia gubernatione permanſit uſque ad annum 1252. quo tempore Innocentius Papa IV. unionem fecit plurium Eremitarum per totam Italiam ſub Regula Divi Auguſtini cum regulari obſervantia, ac ſub unico Priore Generali approbatam ab Alexandro IV. diſtinctis tamen Provinciis; hocque tempore Eremus Iliceti plures peperit viros præſtantes, pietateque celebres; unde cum incœperit juxta aliquos Anno 1303. ac ſub regula Divi Auguſtini Anno 1388. quampluirimi in eo numerantur adfuiſſe ſodales maximaque veneratione digni; in eoque loco fuere Divus Auguſtinus cum Sociis, & Matre, & D. Ambroſium, Div. Hieronymum, alioſque Viros Sanctos, & præcisè Div. Franciſcum fuiſſe fertur, unde P. Thomas de Herrera Auguſtinianus dixit: *Felix Eremus, quæ ex propriis partibus domos alienas dotavit, & nova Religioſorum ſobole Catholicam fœcundavit Eccleſiam*; ut
igitur Regularis obſervantia in dicta Congregatione 2
vigeret, Eugenius IV. eam ſeparavit modo, quo dixi, ac etiam Innocentius VIII. vocans Sorores Congregationem Ilicetanam, & Lombardiæ, confirmavit gratias obtentas à Congregatione Ilicetana, ac communicavit Congregationi Lombardiæ, habetque Vicarium Generalem proprium, alioſque ſubalternos Officiales, ſub Generali tamen totius Ordinis Sancti Auguſtini, & plura de hac Congregatione dixerunt Magiſter Ambroſius Landuci in opere, cui titulus *Sacra Ilicetana Sylva*, & P. Franciſcus Landuci.

CONSTITUTIO XXVI.

EUGENII IV.

Incipiens (*Inter curas.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD FUTURAM Rei Memoriam.

APprobat ordinationes factas in Capitulo Romæ peracto pro reformatione Monachorum Græcorum Sancti Baſilii in Provinciis Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Baſileenſes Monachi Græci in Italia Monaſteria extruxerunt.*

Gubernantur abſque corpore unito, & abſque Generali. Ibid.

2 *Qui fuerint Archimandritæ eorum?*

3 *Eugenius IV. pro reformatione iſtorum Monachorum celebrari mandavit Capitulum in Urbe.*

4 *Plura in eo præſcripta fuere præſertim, ut conſervarentur inter eos Monachi Magiſtri linguæ Græcæ.*

5 *In ea Monachi officiant divina lingua Græca.*

6 *Redacti fuere ſub Congregatione, & Generali.*

Menſa

Menſa Monaſterialis ſeparata eſſe debet ab ea Commendatarii. Ibid.

1 BAſilius Monachorum Grœcorum Pater, meruit
obtinere Benedictum Monachalis Inſtituti inter
Latinos propagatorem, ut notat Cardinalis Tuſc. *ver.*
Religio, Colleg. Paduan. poſt Conſil. Cardinalis Za-
barell. *num.* 39. *& ſequent.* Caecialup. *conſ.* 4. Cùm
igitur Græci aberraſſent à Catholica unione, plures
ex iis Monachis propinquas Regiones Catholicas in-
colere curarunt, ac Monaſteria eorum incœperunt in
Sicilia, Calabria, & Apulea, aliiſque Italiæ partibus
ſub ritu Græco, non tamen ſub certa Congregatione
coaleſcebant, & ſub Abbate Generali, ſed uti corpo-
ra diviſa unumquodque ſuis utebatur legibus, ac Ab-
bas à propriis Monachis eligebatur, ut de jure com-
muni ſervari debere dixi *tom.* 1. *Conſtitut.* 2. Eugenii
2 III. *pag.* 535. Principaliora tamen Monaſteria iſtorum
Monachorum ſub gubernio Monachi Archimandritæ
nuncupati regebantur, de quo Archimandritæ mune-
re dixi *tom.* 2. *ad Conſtit.* 6. Alexandri III. *pag.* 120.
Major tamen Archimandrita erat ille Monaſterii San-
cti Salvatoris Meſſanæ, ut refert Roccus Pirrus *in*
Sicil. Sacr. lib. 4. quique Archimandrita Meſſanenſis
3 obtinebat Juriſdictionem, quam in Monaſteria Cala-
briæ, & Siciliæ exercebat; In hoc ſtatu erat Religio
hæc inſignis Sancti Baſilii in Italia, dum Eugenius
IV. cogitavit reformare Monachos iſtos, ac Monia-
les ſub Regula Divi Baſilii in Italia degentes ſub ri-
tu Græco, hinc demandavit celebrari Capitulum
Generale in Urbe, quod celebratum fuit pluribus
emanatis Decretis, præſertim, ut ſubmotà Juriſdictio-
ne ab Archimandrita Meſſanæ prætenſa, eligerentur
Viſitatores in dictis Provinciis, qui viſitarent eos,
ac Monaſteria, fuitque peracta taxa à quolibet Mo-
na ſterio perſolvenda pro continua manutentione Ma-
4 giſtri verſati in lingua Græca pro inſtructione Mo-
nachorum in ea lingua pro manutenendo ritu Græ-
co, quas ordinationes, aliaſque confirmavit Euge-
nius in hac Conſtitutione promulgata Romæ deci-
manona Kalendas Januarii Anno 1446. Nam etſi ab
initio Græci adeſſent, dum ſub dominio Imperatoris
Græci Provinciæ illæ Italiæ finitimæ Orientalibus
partibus ſubjiciebatur; tamen poſteà Græci Monachi
non accedebant, unde opus fuit recipere in Mona-
ſteriis Italos, ut notat Cardinalis Beſſario *Monachus*
Græcus dicti Ordinis in prologo ad Compendium Re-
gularum ejuſdem lingua latina, & Itala ab eo tra-
5 *ductarum*, ut itaque iſti linguam Græcam addiſce-
rent, pro conſervatione ritus Græci in Divinis Offi-
ciis inter eos Monachos, proindè fuit in dicto Ca-
pitulo injunctum, ut conſuleretur Magiſtris Græcæ
linguæ, Sicque in præſenti ſervatur, ut omninò lin-
gua Græca conſervetur in eorum Eccleſiis pro Divi-
nis Officiis, in qua re Romani Pontifices maximo-
pere incumbunt, nec permittunt aliter ſervari, ea
ratione, ut ritus ille obſervetur à Viris, qui conti-
nentiam profitentur, alioſque Eccleſiæ Latinæ mores
proſequuntur circa alia. Pleraque erant tempore Eu-
genii Monaſteria, quæque deindè ſub Congregatio-
6 ne Italiæ cum Generali reducta fuere à Gregorio
XIII. quique etiam demandavit, ut ſepararetur men-
ſa Monaſterialis pro manutentione Monachorum, &
Abbatialis pro Commendatariis, ſub quorum cura
omnia iſta Divi Baſilii Monaſteria in Italia ferè de-
gunt.

CONSTITUTIO XXVII.

E U G E N I I IV.

Incipiens (*Licèt.*)

E P I T O M E B U L L Æ.

EUGENIUS UNIVERSIS Chiſti Fidelibus.

INter Sanctos Confeſſores declaravit Nicolaum de Tolentino Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.

C O M M E N T A R I U M.

S U M M A R I U M.

1 *Eugenius inter SS. adſcripſit Nicolaum de Tolentino.*
Quare ita nuncupatus. Ibid.
2 *Natales, & geſta ejuſdem Nicolai.*
3 *Ejus obitus recenſetur.*
4 *Ac miraculorum ingentem numerum feciſſe refertur.*

INter præcipua Eugenii IV. geſta, quorum plurima 1
hiſce ſuis Conſtitutionibus retuli, illud eſt, quod
continet præſens Conſtitutio edita Romæ Kalendis
Februarii Anno 1447. qua in Cathalogo SS. Con-
feſſorum repoſuit Nicolaum de Tolentino nuncupa-
tum, ex eo quod in eo oppidò tunc, deindè in Se-
dem Epiſcopalem à Sixto V. redacto, domicilium pro-
traxerat, imò idem locus ejus Corpus obtinere me-
ruit. Natales tamen habuit Nicolaus in oppido S. 2
Angeli Firmanæ Diœceſis Anno 1245. voto prius
per ejus pios parentes expleto viſitandi ſepulchrum D.
Nicolai Miræ Præſulis in Civitate Barii, inſpirato,
filio naſcituro Nicolai nomine aſſumendo. Tanti igi-
tur Interceſſoris veſtigia premens Nicolaus, etſi puer,
ætatis, ſuperavit impedimenta, dum virtutes omnes
æmulabatur, ac præcisè ſummam abſtinentiam pro-
tracto jejunio in pane, & aqua ad plures hebdoma-
dæ dies; Canonicus Eccleſiæ deindè factus, dum
quemdam Eremitam D. Auguſtini concionantem au-
divit, ejus inſtitutum profiteri voluit, ac in illo ita
profecit, ut Satanæ inſidiis vexatus, victor oratione
extitit, ac tandem prægustato Angelico cantu per
plures menſes ante obitum animam Deo reddidit 4. 3
Idus Semptembris Anno 1305. ac inter SS. relatus
ab Eugenio extitit aſſignata Feſtivitate die 10. Se-
ptembris, & Sixtus V. *Conſtit.* 16. Officium ſub ritu
duplici in Eccleſia inſtituit; Ejuſque geſta ſcripſerunt
D. Antoninus *part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 10. Surius *in ejus*
vita tom. 5. *die* 10. *Septembris Baronius in Martyro-*
log. dicta die. Ejus miracula ingenti numero 301. re- 4
cenſentur facta in hac Bulla, & ex his unum illud
præcœteris, quod poſt quinquaginta annos Schiſma-
tis id terminavit; & Surius *cit.* addit, quod tanta eſt
ejus miraculorum copia, ut referri omnia vix poſſent,
opuſque ſit calamo illius ſcribæ velociter ſcribentis,
qui virtutis ſuæ digito in menſe tabulas lapideas exa-
ravit, præcipuè in præſenti effulget miraculum ſangui-
nis, qui profluere ſolet ab ejus Brachio in majoribus
Italiæ, & præſertim Eccleſiæ neceſſitatibus, de qui-
bus effuſionibus pluribus annis ſæculi XV. & XVI. facit
mentionem relatio edita Maceratæ typis Silveſtri An-
no 1698. & alia de effuſione Anni 1676. Joſephi Ma-
riæ Mariani Ordinis S. Auguſtini.

CONSTITUTIO XXVIII.

EUGENII IV.

Incipiens (*Quamquam.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS FRATRI JACOBO DE Primaticiis de Bononia Ordinis Minorum de Obſervantia.

MOniales Sanctæ Claræ ſupponit Regimini Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, earumque regulam in pluribus mitigat, & declarat.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Moniales S. Claræ fuerunt ſuppoſitæ regimini Fratrum Minorum.*

2 *Imò aliquoties ſeparatæ, deindè iterum iis ſubjectæ.*

3 *Superiorum Minorum auctoritas erga Moniales prædictas, quæ ſit.*

4 *An habeat Juriſdictionem in temporalibus circa eas.*

5 *Fratres prædicti an valeant renunciare auctoritati, quam habent in Moniales.*

6 *Plura Monaſteria hujuſmodi Romani Pontifices ſuppoſuerunt Epiſcopis, & quas Indulgentias nunc obtinent.*

1 DE Monialium Sanctæ Claræ Seraphica inſtitutione, regula, aliiſque ad earumdem Ordinem pertinentibus, juxta operis inſtitutum mentionem fecimus ad *Conſtit.* 12. Innocent. IV. *& ad Conſtit.* 7. Urbani IV. *tom.* 3. *pag.* 98. *&* 341. alias quoque nec levi ponderis gratias, atque privilegia Apoſtolica beneficentia eiſdem elargita attigimus ſupra ad *Conſtit.* 18. hujuſmet Pontificis; dum verò Eugenius hac edita Conſtitutione Romæ nonis Februarii 1447. earumdem Sanctimonialium Monaſteria, & Familias ſivè primi, ſivè ſecundi aut tertii Ordinis curæ, & regimini Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia ſubjicit, atque ſuppoſitas eſſe decernit, equidem S. Fundatoris Franciſci Aſſiſiatis voluntati adhæſit, qui præcæteris ejuſdem ordinis præceptis, enixe voluit, quòd ſub Fratrum Minorum Viſitatione, & regimine hujuſmodi Moniales viverent; quapropter in prima Regula Sanctæ Claræ, quam Raynaldus Oſtienſis, & Vellerrenſis Epiſcopus compilavit juſſu Innocentii IV. ante alia quæcumque hoc ſubſtruitur fundamentum, quod Moniales perpetuò obedientiam, quam ipſa S. Clara Beato Franciſco promiſit, ſucceſſoribus ſuis ſpoponderent, ut *in cap.* 1. *reg. S. Claræ inſert. in cit. Conſtit.* 12. Innocent. IV. indequè optimè advertit Rota, quod hujuſmodi Moniales ex regula Sanctæ Claræ, quam profitentur, vivere tenentur ſub Fratrum Ordinis Sancti Franciſci regimine, in *Ulixbonen. Monaſterii deciſ.* 81. *num.* 18. poſt Tamburin. *de Jur. Abbat.* Profectò au-
2 tem, quamvis hujuſmodi Minoriſſæ ſub Protectorum auctoritate aliquando vixerint, veruntamen ſuccedentibus temporibus ſub eorumdem Fratrum Minorum gubernio, juxta primæva ſtatuta ſenſim redierunt, ipſiſmet Protectoribus ſponte ab hujuſmodi cura ſe expedientibus, ad cujus quidem facti perpetuam confirmationem, quamplures Summorum Pontificum Conſtitutiones acceſſerunt, & ſpecialiter Innocentii IV. Bonifacii VIII. & Eugenii IV. ex quibus ſanè noſtris temporibus compertiſſimum eſt, Moniales Sanctæ Claræ ſivè primæ, ſivè ſecundæ, aut tertiæ regulæ Fratrum Minorum regimini, & gubernio ſubjectas eſſe, ejuſque Ordinis Miniſtros ex Apoſtolica auctoritate poſſe earum familias; prout expedire judicaverint in viam ſalutis dirigere, ut Conſtitutionibus relatis latiùs advertunt Joann. de Argumian. *in Clypeo Monial. cap.* 15. Tambur. *de Jur. Abbatiſſ. diſp.* 14. *quæſ.* 1. *num.* 4. *cum ſeqq.* Rodriquez *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 17. *art.* 8. His
ſic conſtitutis, cùm dubitatum fuerit, quanta eſſet Mi- 3
noritarum auctoritas in Moniales, Julius II. decrevit, & ſtatuit, quod Miniſtri Provinciales eamdem auctoritatem haberent in Moniales ſibi ſubjectas, quam habebant Protectores ex Conſtitutione, & regula ab Urbano IV. edita, quam retulimus ſupra ad *Conſtitut.* 7. ejuſdem Pontificis, quamvis hanc Regularium poteſtatem in pluribus coarctaſſe Martinum V. affirmet Tamburin. *loco cit. num.* 7. §. *ſed quoniam*; aſſerunt verò Regulares Scriptores, quod Prælatorum Regularium juriſdictio in Moniales ſibi ſubjectas cenſeri debeat ordinaria, non verò delegata, proindeque tamquam Ordinarios poſſe Commiſſarios delegare pro iiſdem Monialibus viſitandis, argumento ſumpto quod Juriſdictio mandans ex conceſſione perpetua facta à Principe, eſt ordinaria, nihil obſtante, quod ſit per viam privilegii, & Commiſſionis ex Gloſſ. *in leg. pluribus ff. de procurat. & in cap. fin. de offic. Ordin.* in propoſito Miranda *in Manual. Monial. quæſt.* 5. *num.* 2. Rodriquez *loc. cit.* Tamburin. *de Jure Abbat. cit. diſp.* 14. *quæſ.* 4.
Indubium tamen eſt, quod Minoritæ in ſpiritualibus 4
tantùm Monialium Sanctæ Claræ Monaſteriis præeſſe poſſint, neque in temporalibus ſe ingerunt; tum quia per Regulam Sancti Franciſci, & declarationes Summorum Pontificum non ſolùm ingreſſus, ſed etiam acceſſus ad Monialium Monaſteria illis prohibetur; tum quia temporalium adminiſtratio ſine pecuniarum contrectatione, & rerum negotiatione confici minimè poteſt, quæ ſanè ipſorum Fratrum ſtatui, & profeſſioni à temporalibus abſtracto, ſunt prorsùs aliena, ut in his terminis advertit Tamburin. *cit. diſp.* 14. *quæſ.* 2. *num.* 5. ubi ſubnectit decretum Hieronymi Cardinalis Matthæi nuncupati, tunc temporis Protectoris Ordinis Minorum à Clemente VIII. confirmatum, in quo expreſsè prohibetur, ne procuratoriæ, ſivè factoriæ committantur Fratribus Minoribus, ut ipſi univerſam curam, ſolicitudinem, & adminiſtrationem pecuniariam, bonorum, atque redditurum, & litium Monaſteriorum Monialium per ſe ipſos gerant, ſub excommunicationis verò, privationis, & inhabilitatis pœnis decernitur, quòd Provinciales aliique Superiores infra certum dierum ſpatium, quoſcumque Fratres, qui tunc prædictas procuratorias exercebant, omninò removeant, atque prædictas factorias, & procurationes Sæcularibus idoneis, ut antea ſolebat, ab ipſis Monialibus deinceps committi curent. Neque tandem eſt prætereundum, quod ſicuti Moniales S. Claræ nequeunt exemptionibus ſibi conceſſis renunciare, ſe ſe Ordinariis
ſubjiciendo, ita neque Fratres Minores earumdem ad- 5
miniſtrationem, & gubernium ſibi ipſis conceſſum dimittere valent inconſulta Sede Apoſtolica, ut latiſſimè firmat Rota *in Ulixbonen. Monaſterii deciſ.* 577. *per tot. coram Rembold. repetit. in recent. deciſ.* 456. *par.* 4. *tom.* 2. & poſt Tamburin. *de Jur. Abbat. deciſ.* 81. & in ejuſdem Confirmatoria *deciſ.* 1604. *coram Coccin.* in caſu quo Commiſſarius Generalis totius familiæ Ciſmontanæ, & Indiarum Sancti Franciſci de Obſervantia, & PP. Diffinitores Provinciæ Portugalliæ de communi conſenſu dimiſerunt ab eorum obedientia Moniales Conventus Sanctæ Claræ Oppidi de Sanctaren. attenta dictarum Monialium, & Abbatiſſæ inobedientia, cum declaratione tamen, quod ſi Moniales ſuam culpam agnoſcerent, & veniam peterent, datis evidentibus pœnitentiæ ſignis, Pater Provincialis illas iterum reciperet; qua dimiſſione dictis Monialibus intimata, Abbatiſſa, cum majori earumdem parte illam acceptavit, & Archiepiſcopo Ulixbonen. ut in ſuas reciperet, ſupplicarunt, qui eas recepit ſub conditione, quòd infra ſex menſes confirmatorias litteras à Sede Apoſtolica obtinerent; quibus æquidem ſtantibus Do-

mini

Digitized by Google

mini in *cit. deciſ.* unanimiter cenſuerunt, tàm dictam Fratrum dimiſſionem, quàm Monialium ſubjectionem Ordinario Ulixbonen. non ſuſtineri; potiſſimè quoad primam partem deciſionis ſuadente, quòd Prælati Regulares, cùm nomine, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ Moniales gubernent, omninò nequeunt, eadem inconſulta, illas proprio marte dimittere, ut in propoſito facit Ang. *conſ.* 367. *num.* 7. & latiùs ratiocinatur Rota *in cit. deciſ.* 1604. *num.* 8. & 9. quod verò Moniales exemptæ ſubtrahi ſe nequeant ab Regularium obedientia, & ſe ſe Ordinariis ſubmittere, inde evidenter patet, quòd Exemptus ſine licentia Summi Pontificis, exemptioni renunciare nequit ex litterali Text. *in cap. cum tempore* 5. *de Arbitris Gloſſ. final. in Clement. penult. de ſentent. excommunic.* & proſequitur Rota *in deciſ. coram Rembold. num.* 12. *& ſeqq. & in deciſ. cit. coram Coccin. num.* 21. *cum ſeqq.*

6 Plura tamen Monaſteria hujuſmodi Regularibus ſubjecta, Romani Pontifices ab eis eximerunt, & Epiſcopis ſubjecerunt; ſolet tamen Summus Pontifex iiſdem Monialibus concedere, ut frui valeant omnibus Indulgentiis, ac ſi eſſent ſubjectæ adhuc Regularibus, & noviſſimè cenſuit eſſe concedendum hujuſmodi Breve certis Monialibus die 23. Februarii 1711.

CONSTITUTIO XXIX.

EUGENII IV.

Incipiens (*Inter cætera.*)

EPITOME BULLÆ.

EUGENIUS AD PERPETUAM Rei Memoriam.

Geſta à quibuſdam Epiſcopis, & Principibus Nationis Germaniæ, qui tempore ſchiſmatis ex Concilio Baſileenſi ſuborti, ſe in neutralitatem tenuerant, ac ſubinde Eugenium IV. verum Pontificem agnoverant, idem Pontifex hìc confirmat. Abſolvit item eos, qui eidem Concilio poſt ejus diſſolutionem adhæſerunt, ac ad ipſius Pontificis obedientiam poſteà redierunt. Providet porrò, ac declarat circa collationes Beneficiorum, à præfatis perſonis ſchiſmate, ſeù neutralitate durante factas.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Præmittuntur nonnulla de Concilio Baſileenſi.*
2 *Neutralitatem cur ſervaverint Germani tempore ſchiſmatis ejuſdem Concilii.*
3 *Geſta tempore hujus neutralitatis, & ſchiſmatis quoad collationes Beneficiorum, Ordinum, aliaque Pontifex hic confirmat.*
4 *Proponuntur tractanda in hoc Commentario.*
5 *Poteſtas Ordinis, & Juriſdictionis quatenus differant.*
6 *Heretici, & Schiſmatici an priventur poteſtate Juriſdictionis, & licito uſu poteſtatis Ordinis.*
7 *Non privantur charactere, nec valido uſu poteſtatis Ordinis.*
8 *De jure abſolutè privantur poteſtate juriſdictionis, & licito uſu poteſtatis Ordinis.*
9 *An eadem poteſtate priventur poſt* Extravag. Ad evitanda, *ſi ad ejus terminos vitandi non ſint.*
10 *Affertur ſententia affirmativa, ejuſque rationes.*
11 Extravagans Ad evitanda *loquitur tantùm de cenſuratis, non autem de vitandis alio jure.*
12 *Heretici privantur juriſdictione precisè ob hereſim.*
13 *Schiſmatici, & Heretici ipſo jure privantur quibuſcumque Beneficiis.*
14 Extravagans Ad evitanda *quatenus fuerit quoad Hareticos ſublata per Conſtitutionem Pauli IV.*
15 *In Conſtitutionibus factis per modum legis non requiritur derogatio Concilii Generalis.*
16 *Invalida ſunt matrimonia contracta coram Parocho heretico, & qua ratione.*
17 *Epiſcopus ordinatus à Patriarcha Schiſmatico eſt ſuſpenſus, & privatur adminiſeratione Epiſcopatus, ac uſu Pontificalium.*
18 *Affertur Decretum Clementis VIII. quoad ordinatos ab Epiſcopis Græcis Schiſmaticis.*
19 *Itemque adducitur praxis Supreme Inquiſitionis quoad ordinatos ab Epiſcopis Schiſmaticis, aut Hareticis.*
20 *Sacerdotes Schiſmatici ad fidem converſi quatenus facultatem abſolvendi à peccatis obtineant.*
21 *Decretum Clementis VIII. procedit indiſtinctè etiam quoad Schiſmaticos non vitandos in vim* Extravag. Ad evitanda.
22 *Expenditur, an hæc procedant quoad Græcos Schiſmaticos Orientales, & afferuntur variæ ſententiæ* Fagnani, & Albirii.
23 *Proponitur in quo conſiſtat ſtatus hujus controverſiæ.*
24 *Schiſmatici Orientales non cenſentur tolerati in vim* Extravag. Ad evitanda.
25 *Ac comprehenduntur ſub Conſtitutione Pauli IV.*
26 *Epiſcopi Schiſmatici Orientales privantur licito uſu poteſtatis Ordinis.*
27 *Hoc autem licito uſu non privarentur, ſi eſſent tolerati.*
De aliis ad hanc materiam pertinentibus. Remiſſive.

Teterrimum, ac diuturnum ſchiſma, quo ab electione Urbani VI. uſque ad Martini V. aſſumptionem Christiana Reſpublica conflicta fuerat, excepit Baſileenſe Conciliabulum. Hoc tametſi in ſui initio legitimum fuerit Concilium, ut in ſuperioribus diximus; ex quo tamen ſibi ſupra Romanum Pontificem auctoritatem arrogavit indebitam, plenamque juriſdictionem jubendi, compellendi, ipſumque ſuis juſſionibus non obedientem deponendi, aliumque ejus viventis loco Pontificem obtrudendi temerè aſſumpſit, legitimum eſſe deſiit, ſibique grande vituperium, fœdamque maculam accerſivit, & quod deteſtabilius eſt, turbas in omnem Eccleſiam concitavit, novumque ſchiſma intruſit; fatale enim, atque inevitabile eſt ſchiſma, aut hæreſis iis, qui debitam Romano Pontifici obedientiam non præſtant, nam ut inquit S. Cyprian. *ad Cornel. Epiſt.* 55. *Neque aliunde hereſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.* 1
In his porrò Eccleſiæ univerſalis perturbationibus, ii minus peccare viſi fuerunt, qui nec Baſileenſibus, nec Eugenio adhærentes, neutralitatem ſervabant, quod ea mente factum eſt, ut inde faciliùs concordiæ modus iniretur, ut advertit Pius II. *Conſtit.* 10. incip. *In minoribus agentes* § 4. *in fine* ibi: *Neutralitatem idcircò Teutones induerant, ut concordia faciliùs inveniretur, non ex conſilio Solonis, qui tumultuante Civitate, extorrem fecit eum, qui ſine parte remanſit.* Hujuſmodi neutralitatem à die 17. menſis Martii 1438. ad editionem uſque hujus Bullæ foverunt nonnulli Principes, tàm Eccleſiaſtici, quàm ſæculares Nationis Germanicæ, inter quos Fridericus Rex Romanorum, Archiepiſcopi Maguntinus, Magdeburgenſis, ac Bremenſis, aliique ejuſdem Nationis Prælati, ac Principes. 2

Cùmque

Cùmque hujuſmodi neutralitatis tempore multa à præfatis acta, & geſta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam, & diſpenſationem Apoſtolicæ auctoritatis requirebant; ſubindeque iidem Prælati, & Principes debitam Eugenio IV. obedientiam exhibuerint, ac ipſum in ſolum Chriſti Vicarium recognoverint:
3 Hinc idem Eugenius in præſenti Conſtitutione edita Romæ apud S. Petrum ſeptima Idus Februarii Anno 1447. omnes electiones poſtulationes, collationes, proviſiones Eccleſiarum tàm Metropolitanarum, aliarumque dignitatum, ac Beneficiorum; itemque omnes ſententias, aliaque acta judiciaria neutralitatis tempore facta, firma, & rata habet, atque Apoſtolica auctoritate confirmat; Ulteriùs firmas, ac ratas habet collationes, ſeù proviſiones quorumcumque Beneficiorum, & Eccleſiarum etiam Epiſcopalium factas ab iis, qui ſchiſmati Baſileenſi adhærebant, abſolvens ab omnibus cenſuris, irregularitatibus, & pœnis, de iiſdem Eccleſiis proviſos, qui ad Romani Pontificis obedientiam reverſi erant, vel qui infra ſex menſes reverterentur; Itemque diſpenſat, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare valeant, qui ab iiſdem ſchiſmaticis, ſeù eorum auctoritate, ſivè à proviſis ab iis Sacros Ordines tempore ſchiſmatis receperunt, ut latiùs in præſenti Conſtitutione continetur; prout etiam Nicolaus V. immediatus Eugenii ſucceſſor, in Bulla cujus meminit Cabaſut. *in notit. Concil. ſæcul.* 15. *ad Concil. Baſileen. pag.* 555. *num.* 10. Rota *deciſ.* 23. *nu.* 33. poſt Tamburin. *de jur. Abbat.* pro bono pacis, & Eccleſiaſticæ unionis confirmavit, & rata eſſe voluit omnia illa, quæ in rebus beneficiariis, & diſpenſationibus præfatum Concilium geſſerat, ordinarat, conceſſerat in materia, tàm gratiæ, quàm juſtitiæ illis, qui erant in præſenti poſſeſſione.

4 Multa, eaque non vulgaris indaginis ad hujus Conſtitutionis expoſitionem, & ordinatum in præſenti Commentario elucidari oporteret; At volumen iſtud in juſtam, ac ultra quàm par erat molem excretum nos ad unum præcipuum reſtringi cogit. Confirmat etenim hìc Pontifex Beneficiorum Collationes, à Præfatis Conciliabulo Baſileenſi adhærentibus, adeòque à Schiſmaticis factas, ac ab iiſdem ad Sacros Ordines promotos, ut in iis miniſtrare poſſint, diſpenſat. Unde ſcrutari oportet, an Hæretici, & Schiſmatici, præſertim ſi ſint Græci Orientales, amittant poteſtatem Ordinis, ſivè juriſdictionis; itaut Sacrorum Ordinum, Beneficiorumque collationes ab ipſos factæ irritæ ſint, ſivè illicitæ.

5 Controverſiam hanc ante Martini V. Conſtitutionem incip. *Ad evitanda* in Concilio Conſtantienſi editam, quam retuli *tom.* 3. *ad Conſtit.* 18. Innocent. IV. *num.* 33. facilè erat reſolvere. Etenim ſuppoſita differentia inter poteſtatem Sacramentalem, ſeù Ordinis, & poteſtatem juriſdictionis, quam expoſui *tom.* 1. *ad Conſtit. unic.* Alexandr. II. *ſect.* 3. *num.* 15. *pag.* 304. ut ſcilicet poteſtas Ordinis, utpotè quæ immediatè, & principaliter à Deo dependet, impediri ab Eccleſia non poſſit, quin validè exerceatur. Poteſtas verò juriſdictionis, utpotè quæ à Papa immediatè dependet, prout ſcilicet in hoc, vel illo ſubjecto, reſpectu horum, vel illorum ſubditorum collocatur, ab Eccleſia non ſolùm reſtringi, & variari poteſt, ſed etiam omninò revocari, itaut actus ab ea pendentes tum illicitè, tum invalidè fiant, ut communiter tradunt Theologi, & Canoniſtæ apud Bellarmin. *lib.* 4. *de Summo Pontifice cap.* 29. S. Bonavent. *in* 4. *ſent. diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 2. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 10. *punct.* 2.

6 Hæc inquam, diſtinctione ſuppoſita, jure communi attento, communis DD. ſententia eſt, hæreticos, & ſchiſmaticos manifeſtos, ſivè notorios, poteſtate juriſdictionis omninò privari, itaut actus ab ea pendentes nedum illicitè, ſed etiam invalidè gerantur; poteſtate autem Ordinis non privantur, aut privari poſſunt, niſi quoad ejus licitum uſum, ſeù exercitium, non autem quoad eſſentiam, itaut quæ hujus poteſtatis ſunt, validè geſta cenſeantur quamvis illicitè, ut colligitur ex *can. ait* Cœleſtinus 24. *quæſt.* 1. *cap.* 1. & 2. *de Schiſmat. cap. ut commiſſi* §. *privandi de hæret. in* 6.

Et quamvis nonnulli antiqui Canones adeò in exe- 7
crabiles hæreticos, & Schiſmaticos invehant, ut fermè declaratione opus eſſe videatur, nonne irritas, & vacuas decernere voluerint ordinationes ab eiſdem factas? intelligendi tamen ſunt de ordinationibus irritis, quoad uſum non quidem quoad ſubſtantiam, & characterem, quod irrevocabile eſt, atque indelebile, ut declaratur in *decreto de Unione Armen. relat. in ſupradicta Conſtit.* 19. Eugenii IV. §. 9. *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *can.* 9. & ita poſt alios latè probant Halliet. *de Sacr. Elect. tit. de qualit. Miniſtr. art.* 1. §. 1. & *ſeqq.* Pompeus Sarnellius Epiſcop. Vigilien. *in ſuis eruditis Epiſtolis Eccleſiaſticis tom.* 1. *Epiſt.* 28. & dixi *tom.* 1. *ad cit. Conſtit. unic.* Alexandr. II. *ſect.* 3. *num.* 24. Quemadmodum autem irrevocabilitas characteris Sacramentalis operatur, ut quæ à poteſtate ordinis pendent, validè exerceantur ab Epiſcopis, aliiſque Sacris Miniſtris hæreticis, ſeù ſchiſmaticis; ita etiam cùm poteſtas juriſdictionis, ac licitus uſus poteſtatis Ordinis, immediatè ab Eccleſia dependeant, ſequitur potuiſſe per ipſam revocari, prout reipſa revocavit, præſertim dum hæreticos, & ſchiſmaticos omni gradu, dignitate, & beneficio ſpoliavit in *cap. cùm a prædeceſſore, de ſchiſmat. cit. cap. ut commiſſi* §. *privandi, de hæret. in* 6. Gonzal. *in cap. fraternitati num.* 5. *de ſchiſmat.* ſeù cùm eos excommunicationi majori ſubjecit, de qua dixi *tom.* 3. *ad Conſtit.* 18. Innocentii IV.

Unde eos abſolutè poteſtate juriſdictionis, item- 8
que poteſtate Ordinis, quoad ejus licitum exercitium privari docuerunt Div. Thom. 2. 2. *quæſt.* 39. *art.* 3. S. Raymund. *in ſumma ad tit. de ſchiſmat.* Turrecremat. *in ſumma de Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 14. Sauſay *in panopl. Sacerd. par.* 1. *lib.* 6. *cap.* 3. Anton. Auguſtinus *libr.* 11. *Epit. Juris titul.* 20. & 54. Corvin. *in aphoriſ. Jur. Pontif. tit.* 8. Morin. *de Sacr. Ordin. exercit.* 5. *cap.* 1.

Cum hactenus dictis conſonant in terminis Juris 9
communis DD. omnes etiam Neotherici. Variis autem in hac re ſententiis occaſionem dedit Extravagans Martini V. *Ad evitanda*, quæ cùm eos tantùm excommunicatos evitandos eſſe declaraverit, qui ſint nominatim uti tales declarati, vel ſint publici Clericorum percuſſores: Hinc nonnulli Auctores ſupponentes ex eo ſolùm capite hæreticos vitandos eſſe, quia excommunicati ſunt, aſſeruerunt eos poteſtate juriſdictionis non privari, niſi aliàs ad terminos præfatæ Extravagantis fuerint vitandi, ut tenent Bonacin. *de Cenſur. in Bulla Cœna diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *numer.* 9. Carena *de Offic. Inquiſit. par.* 2. *tit.* 3. §. 12. *numer.* 43. Del Bene *eod. tract. dub.* 48. *ſect.* 2. *num.* 5. *to.* 1. & *dubit.* 54. *ſect.* 2. *num.* 15. Suarez *de fide diſput.* 21. *ſect.* 5. *num.* 15. & *in* 3. *par.* D. Thom. *quæſt.* 65. *art.* 4. *diſp.* 18. *ſect.* 1. *quæſt.* 65. *art.* 4. *diſp.* 18. *ſect.* 1. Joann. à S. Thom. 2. 2. *diſp.* 8. *art.* 3. *num.* 6. Card. de Lugo *de Fide diſp.* 24. *ſect.* 4. *num.* 184. ex qua pariter tolerantia oritur, ut neque priventur licito uſu poteſtatis Ordinis, ut tenent Verricell. *de Apoſt. Miſſion. tit.* 11. *quæſt.* 169. *num.* 2. Sayr. *de Cenſur. lib.* 4. *cap.* 12. Sanchez *conſ. moral. libr.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *numer.* 42. quod tamen intelligunt iidem Auctores, ut ſequentes concurrant conditiones. Prima ſcilicet, ne ulla inde oriatur Catholicorum offenſio. Secunda ut in Sacramento adminiſtrando, & recipiendo legitima Eccleſiæ forma ſervetur, & miniſter verè ſit Sacerdos. Tertia ne ulla ſit communicatio ritus, cæremoniæ, & Schiſmaticæ pravitatis. Quarta ne ullum immineat pœnitenti periculum erroris in fide, ut apud Pignatell. *tom.* 7. *conſul.* 50. *num.* 5. Huic item ſententiæ adhæſit Cardinalis Albit. *de inconſt. in fide cap.* 20. *num.* 3. & *ſeqq.* qui tamen dum contrariæ ſententiæ objecta ſolvere conatur, ſenſim ſuam reſtringere viſus eſt ad Græcos Schiſmaticos Orientales, de quibus, utpotè ab Eccleſia toleratis, ſepiùs à ſuprema

Inqui-

Digitized by Google

Inquiſitione reſolutum aſſerit, neque Ordine, neque juriſdictione carere, uſquequò nominatim denunciati non fuerint; quàm pariter limitationem, quoad Græcos orientales admittit D. Dandin. *de ſuſpect. de Hæreſi cap. 3. ſect. 4. nu. 11.* & priùs *cap. 3. ſect. 1. ſubſect. 4. numer. 25.*

10 Verùm loquendo priùs genericè de Hæreticis, & Schiſmaticis, poſtea ſpecialiter de Schiſmaticis orientalibus dicturi, non deſunt graviſſimi Auctores, qui non parvi momenti rationibus contrariam ſententiam propugnant. Etenim omiſſo motivo, cui præ cæteris innititur Fagnanus, hanc controverſiam doctè, & ſolidè examinans in *cap. quod à prædeceſſore nu. 39. de Schiſm.* quod ſcilicet *Extrav. Ad evitanda* revocata fuerit in ſequentibus Conciliis Baſileenſi, & Lateranenſi, quod verum non eſt, ut dixi *to. 3. ad cit. Conſtit.* 18. Innoc. IV. *n. 37.* præſertim cùm hæc Extravagans univerſim uſu recepta ſit, ut ultrà ibi citatos tradunt Sayr. *de Cenſur. lib. 2. c. 13. n. 9.* Theſaur. *de pœnis Eccleſ. par. 2. verſ. cenſura cap. 4.* Rota *dec. 534. n. 12. par. 1. rec.* Omiſſo, inquam, hoc Fagnani mo-
11 tivo. Primum, eumque præcipuum hujus ſententiæ fundamentum eſſe videtur, quod tametſi Hæreticis, & Schiſmaticis, uti excommunicati ſunt, ſuffragari poſſit præfata extravagans, eis tamen non ſuffragatur quoad pœnas, quas ratione Hæreſis, ſeu Schiſmatis, præciſa excommunicatione, incurrunt; Extravagans enim ſimpliciter loquitur de cenſuratis, & in diſpoſitione juris relinquunt eos, qui alio jure vitandi ſunt; Hæreticos autem non ſolùm ratione cenſuræ, ſed etiam in vim ſolius Hæreſis vitandos eſſe, fatentur etiam Auctores, qui poſt præfatam Extravagantem ſcripſere, ut dixi ad *cit. Conſt.* 18. Innocentii IV. *n. 40. to. 3.* Hoc ſuppoſito, ita urgent Card. Bellarm. *de Summo Pontif. lib. 2. cap. 30. §. neque valet*, Card. Capiſucch. *in qu. theolog. ſelec. qu. 1.* Azor. *tom. 1. oper. moral. lib. 8. cap. 13. quæſ. 7.* Thom. à Jeſu *de converſ. omn. Gentium, lib. 6. cap. 9. §. ſi quæras*, Rodriqu. *in ſumma tom. 1. cap. 130. n. 3.* Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 16. n. 7.* Paſſerin. *cap. ad ſuccidendos de Hæreticis in 6. n. 19.* Pign. *tom. 7. conſult. 50. nu. 4.* aliique infra citandi. Etenim Canones, & Patres cùm dicunt Hæreticos deſtitui, poteſtate juriſdictionis, non allegant ulla Jura Huma-
12 na quæ fortè tunc nulla extabant de hac re, ſed argumentantur ex natura hæreſis, ut præſertim advertit Bellarmin. *loc. cit.* Hinc S. Cyprian. *lib. 2. Epiſt. 6. relatus in can. didicimus* 24. *qu.* 1. inquit: *Didicimus omnes omninò Hæreticos, atque Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac juriſdictionis*, ſimiliter idem Cyprian. *in cap. Novitianus 7. qu. 1. loquens* de Epiſcopis hæreticis, & Schiſmaticis ait: *Qui nec unitatem ſpiritus, nec communionis pacem obſervat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, ſeque à Sacerdotum collegio ſeparat, nec Epiſcopi poteſtatem habere poteſt, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem:* ubi præſertim notanda ſunt verba, *ſe ab Eccleſia vinculo, & Collegio Sacerdotum ſeparat*: quæ ſupponunt ſeparationem hæreticorum ab Eccleſia oriri ex hæreſi, non autem ab excommunicatione, qua potiùs qui excommunicantur, judicio Eccleſiæ ſeparantur, non ſe ſeparant. Huic pariter ſententiæ favet S. Tho. *cit. q. 39. ar.* 3. ubi docet, quod poteſtas juriſdictionis, quæ ex ſimplici injunctione Eccleſiæ confertur, non manet in Hæreticis, & Schiſmaticis: unde non poſſunt abſolvere, & excommunicare, neque indulgentias facere, aut aliquid hujuſmodi ex juriſdictione ſpirituali pendens: quod ſi fecerint, nihil actum eſſet. Nec dici poteſt, quod S. Thomas loquatur in vim excommunicationis; nam ſe fundat in *cit. can. Novatianus*, qui loquitur de Hæreticis uti Hæretici ſunt; & quòd ab excommunicatione præſcindat, patet, quia in *cit. art.* 3. agit de poteſtate Schiſmaticorum, & in *articulo ſequenti* quærit, utrum ſit conveniens, ut excommunicentur. Idcircò cùm antiqui Canones, & Patres aſſerant. Hæreticos privari juriſdictione in vim ſolius Hæreſis non poterit eis ſuffragari *Extrav. Ad evitanda*, quæ non loquitur niſi de excommunicatis, ideſt de eis, qui per ſententiam Eccleſiæ amiſerunt juriſdictionem; hæretici autem etiam ante excommunicationem ſunt extra Eccleſiam, & privati omni juriſdictione; ſunt enim proprio judicio condemnati, ut docet Apoſt. *ad Tit.* 3. hoc eſt præciſi à corpore Eccleſiæ ſine excommunicatione, ut ibi exponit D. Hieron. Idemque ex eadem ratione adſtruit Car. Turrec. *in ſum. de Eccl. par. 2. lib. 4. c. 18. & c. 20.* quia, inquit, in his, quæ ſunt propria Religionis Chriſtianæ nulla poteſt eſſe communicatio cum Hæreticis, & in ordine ad illa, quæ ſpiritualia ſunt, non poteſt Hæreticus præeſſe fidelibus; Eamdemque ſententiam uti communem inter Theologos, & Canoniſtas docuit Melchior Canus *de locis Theol. lib. 4. de Eccl. c. 2. pag. mihi* 223. Jo: Dried. *de ſcrip. & dogm. Eccl. lib. 4. c. 2. par. 2. ſent. 7.* Greg. de Valent. *in* 2. 2. D. Thom. *q. 39. art. 3. to. 3. diſp. 3. q. 15. de Schiſmate pu. 3. pag. mihi* 757. Tametſi autem quoad hoc, & præſertim quoad Ordinationes per Epiſcopos Hæreticos factas, alibi plures innuerim, juxta utramque ſententiam, nempè ad *cit. Conſt. unic. Alex. II. ſect. 3. n. 27. & ſeqq. to. 1. pag.* 306. *& ad Conſt. unic. Urban. II. ſect. 2. num. 90. eodem tom. pagin.* 341. Tamen quoad validitatem actus nullum prorſus dubium exoriri poteſt, etiam ſi fuiſſent denunciati excommunicati, quoverò ad ipſam executionem Ordinum, etſi adduxerim DD. id etiam firmantes in vim *Extrav. Ad Evitanda*; nihilominus etiam innui contrarium fuiſſe ſenſum ſupremæ Inquiſitionis ad *Conſtit.* 4. Innoc. IV. *ſect. unic. nu. 41. to. 3. fol. 56.* Quæ praxis comprobatur ex hic latè adductis: & præcipuè quod dicta in citatis locis procedunt tantùm quoad Epiſcopos uti excommunicatos, non autem uti hæreticos, ut ſupponimus *cit. to. 3. ad Conſt.* 18. Innoc. IV. *n. 39. pag.* 183. hic autem loquimur de Hæreticis uti talibus, an ſcilicet in vim hæreſis priventur poteſtate juriſdictionis, & licito uſu poteſtatis Ordinis.

His accedit, quod ea *Conſt.* 19. Pauli IV. *inc. Cum* 13
ex Apoſtolatus §. 2. contra Hæreticos, & Schiſmaticos innovantur omnes antiquæ pœnæ contra ipſos ſtatutæ, ac præſertim ſtatuitur, quod confeſſi, vel convicti, ſeù aliàs deprehenſi incurriſſe in Hæreſim, aut Schiſma ipſo jure privati ſint omnibus Eccleſiis etiam Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus; & §. 6. ſubdit idem Pontifex, quod ſi ullo unquam tempore apparuerit, aliquem Epiſcopum, ſivè aliàs in majori dignitate conſtitutum ante ejus promotionem à Fide Catholica deviaſſe, aut in aliquam hæreſim incidiſſe, ſeu ſchiſma incurriſſe; promotio de eo facta irrita, atque inanis exiſtat, nec convaleſcat illa per ſuſceptionem muneris conſecrationis, aut ſubſequutam regiminis; & adminiſtrationis poſſeſſionem, vel cujuſvis temporis curſum, nec pro legitima in aliqua ſui parte habeatur, nullamque talibus in Epiſcopos, ſeu aliam majorem dignitatem promotis in ſpiritualibus, vel temporalibus adminiſtrandi facultatem tribuere cenſeatur, ſed omnia, & ſingula per eos quomodolibet geſta, ac adminiſtrata, & inde ſequuta quæcumque viribus careant, & nullam prorsùs firmitatem, nec jus alicui tribuant, ſintque ipſi ſic promoti eo ipſo abſque alia deſuper declaratione facienda omni dignitate, loco, titulo, honore, officio, auctoritate, & poteſtate privati. Et quamvis hæc Conſtitutio loqui tantùm videatur de Epiſcopis, aliiſque in majori dignitate conſtitutis: attamen idem Pontifex ſubſequenti Decreto declaravit, etiam Parochorum, aliorumque inferiorum Clericorum beneficia ipſo jure, & à die commiſſi criminis ob hæreſim, aut ſchiſma vacare, ut referunt, Locat. *poſt judic. Inq. pag.* 473. Farinac. *de hæreſi quæſt. 189. numer. 77.* Ex qua quidem Conſtitutione apertè elicitur Hæreticos, & Schiſmaticos manifeſtos, ſivè notorios ipſo jure, & à die commiſſi criminis quibuſcumque Beneficiis privari, tum quia Pontifex innovat antiquos Canones, quibus hæc pœna irrogabatur, ut ſupra dixi, & admittunt contrariæ ſententiæ ſectatores: tum etiam quia ſpecificè hanc pœnam imponit, ut notant Pegna *in direct. Inquiſ. par. 3. comm. 162. verſ. poſtremo*

cum ſeqq. Farinace. *de hæreſi, qu.* 189. §. 4. *nu.* 77. Al-
terius *de cenſuris tom.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 4. Layman. *lib.* 2.
tract. 1. *de fide cap.* 16. Unde cum Beneficiis priven-
tur ipſo jure, ſequitur, quòd præter poteſtatem in-
delebilem ex ſacro charactere provenientem, omni
alia ſpirituali poteſtate priventur, itaut ſi Epiſcopi
ſint, amittant poteſtatem juriſdictionis, & licitum e-
xercitium poteſtatis Ordinis, ſi verò Parochi, amit-
tant omnem poteſtatem ex Beneficio Parochiali orien-
tem; & uno verbo amittunt omne id, quod Eccleſia
eis adimere poteſt, ut ultrà citatos latè tuetur Fagn.
in cit. cap. quod à prædeceſſore à num. 26. *ad finem*, &
præſertim *n.* 66. ubi præfatam Conſtitutionem Pauli IV.
adducit.

14 Proindeque etiamſi ſupponere velimus Hæreticos,
& Shiſmaticos in vim *Extravag. Ad evitanda* cenſe-
ri toleratos, ſaltem dicendum eſt hujuſmodi tolleran-
tiam fuiſſe ſublatam per præfatam Conſtitutionem
Pauli IV. Non obſtante, quod cùm Extravagans fue-
rit edita in Concilio Generali Conſtantienſi nequaquam
potuerit à Paulo IV. derogari abſque ſpeciali ejuſmen-
tione, ex vulgatis juribus. Etenim ultrà quod veriùs
eſt eam Extravagantem non haberi uti Conſtitutionem
Synodalem, ut probat Giballin. *de cenſur. diſquiſ.* 7. *q.*
1. *num.* 4. *& ſeqq.* Reſpondetur etiam, quod ſpecialis
15 derogatio decreti Concilii Generalis requiritur tantùm
in privilegiis, & literis gratiæ, non autem in Con-
ſtitutionibus, quæ fiunt per modum legis univerſalis,
ut latè probat Fagnan. *in cap. nonnulli num.* 29. *de re-
ſcript. & in cit. cap. quod à prædeceſſore num.* 71. Huic
16 porrò ſententiæ conformis eſt ſenſus Sac. Congregat.
Concilii, quæ pluries declaravit, quod in iis locis,
in quibus publicatum eſt Decretum Concilii Triden-
tini *cap.* 1. *de reform. matrim.* nullum ſit matrimonium
contractum coram Parocho Hæretico, ut latè dixi ad
cit. Conſtit. 18. *Innoc. IV. num.* 27. *& ſeqq.* quæ reſolu-
tio non aliæ rationi nititur, niſi quia Parochus ob
hæreſim privatur beneficio Parochiali, ac deſinit eſſe
Parochus, proindeque matrimonia coram eo inita,
cenſentur facta contra formam Concilii requirentis
pro validitate matrimonii, præſentiam Parochi, Simi-
17 liter cùm aliàs quidam nobilis Polonus ſe à Patriar-
cha Schiſmatico juxta Ritum Orientis conſecrare fe-
ciſſet in Epiſcopum Cameneceæ, quæ Eccleſia eſt per-
petuò unita alteri Leopolis; ſa. mem. Innocentius XI.
eum ab exercitio Pontificalium ſuſpendit, & veſtibus
Epiſcopalibus privavit, tamquàm malè promotum, &
quia ordinationem cujuſdam Sacerdotis fecerat; Cum-
que ſubinde poſtquam triennalem ſuſpenſionem ſuſti-
nuerat, diſpenſatus fuiſſet ab irregularitate, & abſolu-
tus, itaut abſtineret ab exercitio Epiſcopatus, & uſu
veſtium Epiſcopalium, ſupplicavit iterum, ut veſtium
Epiſcopalium uſus ei permitteretur. Et S. Congregat.
Concilii, ad quam hoc negotium Sanctiſſimus remi-
ſerat, ſub die 24. Aprilis 1694. in una *Polonia reaſ-
ſumptionis habitus Epiſcopalis*, veſtium Epiſcopalium
uſum ei permittendum non eſſe cenſuit, ut refertur
in *tom.* 44. *Regeſt. pag.* 173. Cujus reſolutionis moti-
vum fuit non ſolùm, quia aſſumpſerat titulum Epi-
ſcopi Eccleſiæ Cameneceæ, quæ unita erat cum Ec-
cleſia Leopolitana, ſed etiam quia promovere ſe fe-
cerat à Patriarcha Schiſmatico.

18 Porrò hanc ſententiam comprobare, ſeu ſuppone-
re viſus eſt Clemens VIII. qui in Inſtructione ſuper ri-
tibus Græcorum, relata in ejus *Conſtit.* 34. *inc. San-
ctiſſimus*, §. 4. ſtatuit, quòd ordinati ab Epiſcopis
ſchiſmaticis, aliàs ritè ordinatis, ſervata debita for-
ma, recipiunt quidem ordinem, ſed non executio-
nem; quodque ipſi ordinati ab Epiſcopis ſchiſmati-
cis, correcti, vel emendati reconciliandi ſunt, & ab-
ſolvendi cum pœnitentiis ſalutaribus, dummodò er-
rores, vel ſaltem ſchiſma Ordinatoris abjurent in ju-
dicio, vel publicè, vel ſecretò pro qualitate facti. Præ-
cipit ulteriùs, ut in Ordinibus eos aliàs ritè ſuſceptis
miniſtrare non permittantur, niſi cum ipſis ſuper ir-
regularitate, hujuſmodi occaſione contracta, auctori-
tate Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum. Decernit
etiam, quòd admittendi non ſint Epiſcopi ſchiſma-
tici, ſivè pro Ordinibus, ſivè pro aliis Sacramentis
conferendis, ſed detinendi ſint, quouſque Sedes A-
poſtolica deſuper conſulatur. Atque huic inſtructioni 19
conformis eſt ſtylus Supremæ Inquiſitionis, ut ſcili-
cet Ordinati ab Epiſcopis hæreticis, aut ſchiſmaticis
remaneant ſuſpenſi ab exercitio Ordinum ſuſceptorum,
& quatenus ſe in ipſis exercuerint incurrant in irre-
gularitatem, à qua, ſi ad fidem Catholicam conver-
tantur, paſſim de mandato ejuſdem Supremæ Inqui-
ſitionis abſolvuntur, ac reſpectivè diſpenſantur. Ita in
una *Cranganorenſi, ſeu Terra de Malavarra die* 2.
Auguſti 1708. declaravit: *Ordinatos, & conſecratos
à veris Epiſcopis etiam ſchiſmaticis, & hæreticis, non
eſſe iterum conſecrandos, & ordinandos, & habendos
eſſe pro veris Epiſcopis; egere tamen diſpenſatione ſu-
per irregularitate pro exercitio ſuorum Ordinum, quod
ſi dubium rationabile ſit Ordinantes, & Conſecran-
tes non fuiſſe veros Epiſcopos, eſſe reordinandos ſub
conditione:* Similiter *die* 29. *Sept.* 1666. *&* 13. *Mar-
tii* 1669. reſpondit, Epiſcopos, ac Sacerdotes Græci
ritus, Ordinatos ab Epiſcopo ſchiſmatico, ſivè hære-
tico, validè, ſed illicitè fuiſſe Ordinatos, & Conſe-
cratos; & ideò indigere relaxatione quoad ſuſpenſio-
nem, & diſpenſatione quoad irregularitatem ad for-
mam Conſtitutionis Clement. VIII. Itemque cùm aliàs
ad inſtantiam cujuſdam Miſſionarii in Bagdat quærere- 20
tur, an Sacerdotibus Neſtorianis ad Catholicam fidem
converſis, permitti, aut tolerari poſſit, Sacramentales
Nationalium confeſſiones ſuorum Ordinar. auct. audi-
re; ac ulteriùs declarari peteretur, à quonam præfati Sa-
cerdotes Neſtoriani ad fidem converſi abſolvendi pote-
ſtatem obtineant, an nempè ab Epiſcopis ſchiſmati-
cis, ſivè potiùs ab Eccleſia, & communi errore Po-
puli. Eadem Suprema Inquiſitio *die* 28. *Auguſti* 1669.
reſpondit, *Si hujuſmod. Sacerdotes Neſtoriani ſint Or-
dinati à vero Epiſcopo, cùm ſiant Catholici non habent
juriſdictionem ab illis Epiſcopis ſchiſmaticis, ſed in ca-
ſu neceſſitatis habent ab Eccleſia, ſi autem non ſunt
ordinati à vero Epiſcopo, cum non ſint Sacerdotes nul-
lo modo habent.*

Nec dici poteſt, has reſolutiones, prout etiam de- 21
cretum Clementis VIII. intelligi debere de recipien-
tibus Ordines ab Epiſcopis hæreticis, ſivè Schiſma-
ticis nominatim denunciatis, ſivè alias non toleratis
ad formam *Extravagantis, ad evitanda*, ut cenſet
Verricell. *de Apoſtol. Miſſion. tit.* 11. *qu.* 169. *num.* 2.
Etenim, ut advertit Card. Albit. *de inconſt. in fide*,
cap. 18. *num.* 54. Suprema Inquiſitio indiſtinctè cen-
ſuit, ordinatos ab Epiſcopo Schiſmatico non poſſe in
Ordine miniſtrare, niſi obtenta diſpenſatione Apoſto-
lica; & idem Auctor teſtatur ſervari, quòd tales or-
dinati, qui abjurato ſchiſmate uniuntur Eccleſiæ Ca-
tholicæ, diſpenſantur, & ſuper irregularitate, & ſu-
per executione ſuorum Ordinum, quamvis ordines
ſuſceperint ab Epiſcopo Schiſmatico non denuncia-
to, in quo pariter ſenſu nuperrimè fuit eadem Sac.
Cong. ſub die 14. Novemb. 1709. in qua reſpondit,
Nullo modo licere Armenis Catholicis, etiam in de-
fectum Epiſcoporum Catholicorum, ſuſcipere Ordines
ab Epiſcopis hæreticis, & ſchiſmaticis; & ordinatos
ab hujuſmodi Epiſcopis eſſe ſuſpenſos ab exercitio or-
dinum, & reſpectivè irregulares; & ad hunc effectum
juſſit tranſmitti Miſſionariis præfatam inſtructionem
Clementis VIII.

Hactenus generaliter dicta quoad hæreticos, & 22
ſchiſmaticos, procedere etiam quoad Græcos Schiſ-
maticos Orientales latè probat Fagn. *in cit. c. quod à
prædeceſſore à numer.* 26. *ad finem*. Contrarium nihilo-
minus ſentit Card. Albit. *de inconſt. in fide cap.* 20. *qui*
tametſi *num.* 3. generaliter aſſerat, hæreticos, & ſchiſ-
maticos non privari poteſtate juriſdictionis poſt *Extra-
vag. ad Evitanda*, niſi ſint nominatim denunciati,
aut notorii Clericorum percuſſores; Attamen dum ra-
tionibus à Fagnano adductis reſpondere conatur, ſuam
ſententiam reſtringere videtur ad Schiſmaticos Orien-
tales; nam *nu.* 6. agnoſcit, adductam Conſtitutionem

Pauli

Digitized by Google

Pauli IV. longè poſt *Extravag. ad evitanda* editam, privare ipſo jure hæreticos, & ſchiſmaticos omni Beneficio, & conſequenter juriſdictione; ſed eam, cenſet, non comprehendere Græcos Orientales, qui ſub novis Summorum Pontificum Conſtitutionibus non comprehenduntur, niſi in ſpecie de illis fiat mentio; Unde aſſerit, ſupremam Inquiſitionem ſæpiùs reſolviſſe, Græcos ſchiſmaticos Orientales poteſtate juriſdictionis non privari, quia, ut inquit, ſunt ab Eccleſia tolerati, & ſucceſſivè, cùm non fuerint nominatim denunciati, neque carent ordine, neque juriſdictione.

23 Mihi In hac graviſſima controverſia, in qua veniunt in partes doctiſſimi, ac Juris Canonici peritiſſimi Fagnanus, & Albitius, grave non eſt cum eodem Fagnano *loco cit. num.* 143. aſſerere, quod exquiri oporteret oraculum Papæ in Sacra Congregatione Inquiſitionis, non quidem quod reputem articulum in puncto Juris inextricabilem; ſed quia cùm Albitius, in rebus Supremæ Inquiſitionis verſatiſſimus, affirmet de praxi ejuſdem Inquiſitionis; alioqui autem nullum peculiare Decretum indicet, ſed tantùm pro ſua ſententia adducat Azorium *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *quæſ.* 11. ubi tantùm refert, non autem ſequitur hanc ſententiam; quinimò ſatis apertè, ſe in contraria ſententia eſſe idem Auctor aſſeruerat *eod. lib.* 8. *cap.* 13. *quæſ.* 7. ubi ipſe quærens, an Epiſcopus, & Sacerdos in hæreſim prolapſus eò ipſo omni juriſdictione ſit privatus, & an valeant, ea, quæ ab ipſis fiunt ratione publici muneris, & officii, poſt relatam ſententiam eorum, qui cenſent non privari juriſdictionem, niſi ad formam *Extravag. Ad evitanda* ſint vitandi, ſuam ſententiam ſic exponit: *Ego tamen aliter dicendum puto; nimirum aliud eſſe dubitare, an hæreticos vitare debeamus tamquàm excommunicatos: aliud verò, an hæreticus ob hæreſim, non quidem internam, & mente conceptam, ſed ob externam verbo proditam, omni juriſdictione careat. De primo verum eſt, nos non debere evitare quoslibet hæreticos, ſed tantùm eos, qui ſunt nominatim denunciati, vel notorii Clerici percuſſores. De ſecundo verò puto, hæreticos ob hæreſim exteriorem, juriſdictionem Eccleſiaſticam amittere.* Ex his, inquam, controverſia reduci videtur ad factum, an ſcilicet reipſa Sedes Apoſtolica toleret Schiſmaticos Orientales, prout eos tolerare teſtatur Albitius: Extra enim dubium eſt, quod
24 eos Eccleſia tolerare poteſt, etiamſi in vim *Extravag. Ad evitanda* tolerandi non eſſent; Alioqui autem eos non cenſeri toleratos in vim *Extravag. Ad evitanda*, ſatis probatum eſt ex ſupradictis, tum quia *Extravagans* loquitur tantùm de excommunicatis uti talibus, non autem uti Hæreticis, & Schiſmaticis, qui ſpecialiter ratione hæreſis, aut ſchiſmatis vitandi ſunt; tum etiam quia etiamſi ob hanc Extravagantem hæretici vitandi non eſſent, hæc tamen revocata cenſetur ex ſubſequenti Conſtitutione 19. Pauli IV. in qua Hæretici, & Schiſmatici ipſo jure privantur quibuſcumque Beneficiis, & conſequenter quacumque juriſdictione, ut ſupra dixi. Nec videtur ſubſiſtere replicatio Card. Albitii *loc. cit. n.* 6. quod ſcilicet hæc Conſtitutio, cum
25 non loquatur ſpecificè de Schiſmaticis Occidentalibus, eos non comprehendat, adeòque tolerati cenſentur in vim præcedentis Extravagantis; Græci enim, Armeni, aliique Orientales non tenentur ad obſervantiam Apoſtolicarum Conſtitutionum, Concilii Tridentini, aliarumque legum noviter editarum, niſi de illis fiat ſpecialis mentio, vel agatur de re ad fidem ſpectante ut dixi *tom.* 3. *ad Conſtit.* 14. *Innoc. IV. ſect.* 1. *nu.* 21. Etenim omiſſis aliis reſponſionibus, ſatis ſit dicere, quod etiam ſi admittamus, quòd Orientales non comprehendantur ſub Conſtitutione Pauli IV. utpotè quæ de eis ſpecialem mentionem non facit; ſequeretur, quòd nec eis ſuffragaretur Extravagans Martini V. utpotè quæ nec ſpecialem mentionem facit de Orientalibus, nec ulla videtur ſubeſſe diverſitatis ratio, cur in una eademque re ad imparia judicari debeant; ſeu quòd afficiantur Conſtitutionibus favorabilibus, non autem odioſis, quod eſt abſurdum.

Quod autem de auctoritate Albitii in hac re me
dubitare maximè cogit, eſt quod ipſemet pugnantia 26
proferre videtur, ac uno loco deſtruit, quod alibi aſſeruit. Aſſerit enim in *cit. cap.* 20. *num.* 5. Schiſmaticos Orientales tolerari ab Eccleſia in vim *Extravag. Ad evitanda*, adſtruit non privari poteſtate juriſdictionis; Alibi autem *cap.* 18. *numer.* 54. *& in eod. c.* 20. *num.* 1. aſſeruerat, quod ordinati ab Epiſcopo Græco Schiſmatico indiſtinctè remanent ſuſpenſi; etiamſi Epiſcopus ordinans non eſſet vitandus ad formam *Ex-*
travag. Ad evitanda. Hæc autem maximè inter ſe pu- 27
gnantia ſunt; nam ſi verum eſt, quod ipſe aſſerit, Græcos Orientales tolerari ab Eccleſia in vim præfatæ Extravagantis, inde ſequitur non ſolùm eos non privari juriſdictione, ſed neque licito uſu poteſtatis Ordinis, adeòque ordinati ab eiſdem Schiſmaticis non erant ſuſpenſi, quod erroneum eſt ex ſuperiùs dictis, & fatetur idem Card. Albit. Certum enim eſt, quòd ex beneficio præfatæ Extravagantis excommunicati, quouſque ſint tolerati validè, & licitè nobis miniſtrant Sacramenta, ut apud Alter. *de Cenſur. lib.* 1. *diſp.* 27. *cap.* 2. Theſaur. *de pœnis*, *cap.* 12. *n.* 10. Giballin. *cit. diſq.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 11 Adeòque vel dicendum eſt, quòd tolerantia Eccleſiæ ſuffragetur ad utrumque effectum, quoad poteſtatem ſcilicet juriſdictionis, & licitum exercitium poteſtatis Ordinis; vel veriùs aſſerendum, quod ſicuti hæc tolerantia non ſuffragatur quoad poteſtatem Ordinis, ita nec quoad poteſtatem juriſdictionis ſuffragari poterit. In omnem autem caſum, ſi admittendum tantùm ſit, quòd iidem ſchiſmatici Orientales non priventur poteſtate juriſdictionis; hæc certè tolerantia deſumi non poteſt ex *Extravag. Ad evitanda*; cùm in ejus vim non magis dicendi ſint tolerati Orientales, ac quicumque alii ſchiſmatici, & hæretici. Proindèque ſi verum eſt, quod aſſerit Cardin. Albitius, quòd ſcilicet Eccleſia Romana toleret poteſtatem juriſdictionis in ſchiſmaticis Orientalibus, hæc tolerantia minimè à præfata Extravaganti, ſed ex alio jure petenda eſt, de quo nobis hactenus non conſtat.

Tandem hìc ad rem expendi oporteret, an Epiſcopis, & Sacerdotibus hæreticis, & ſchiſmaticis, qui ex dictis privantur poteſtate juriſdictionis, & licito exercitio poteſtatis Ordinis, aut aliis ab iis ordinati, ſivè aliam poteſtatem ſpiritualem habentibus, ſaltem ſuffragetur titulus coloratus, ſeu putativus, ſivè error communis populi, ad vulgarem Textum in *leg. Barbarius ff. de Off. prætor.* Attamen cùm volumen iſtud ferè præſcriptam molem exceſſerit; ideò de his alibi in continuatione operis opportunè occurret ſermo. Interim autem Deum Optimum Maximum exoro, ut ipſe quemadmodum dedit incipere, ita pro publica utilitate proſequi, & perficere largiatur.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
COPIOSISSIMUS,
OMNIUM RERUM, ET MATERIARUM,
quæ in hoc quarto Tomo continentur.

Primus Numerus, Paginam; Secundus verò, Numerum marginalem indicat.

A

ABBAS Generalis ab Abbatibus conventualibus quo pactu differat, recenſetur. *pag.* 293. *num.* 5.

Abbas Generalis tanquam Ordinarius poteſtatem habet excommunicandi Abbates inferiores, *ibid. numero* 4.

Abbas quilibet in ſuo Monaſterio olim adeò independentem juriſdictionem habebat, ut alium non recognoſceret Superiorem niſi Epiſcopum. *ibid. nu.* 4.

Poſtquam verò Regulares obtinuerunt exemptionem ab Ordinariis, Abbati Generali ſubduntur. *ibid.*

Abbas Nullius cum vera juriſdictione quaſi Epiſcopali, nunquid eximatur a ſubjectione Generalis, aliorumque Superiorum Regularium. *ibid. num.* 6.

Sententia affirmativa, ut verior proponitur & explicatur. *ibidem.*

Abbas Nullius eſt verè Prælatus, & Epiſcopo æquiparatur quoad præeminentiam, & alia. *ibid.*

Abbates a Sede Apoſtolica promoti non ſunt exempti ab obedientia a Generalibus Superioribus. *ibid. nu.* 4.

Latè recenſentur rationes. *ibid. & nu. ſeqq.*

Abbatiſſa, ſeu Provincialiſſa, quæ plura Monialium Monaſteria ſub ſe habet poſt leges clauſuræ, è clauſtris exire nequit, monaſteria ſibi ſubjecta inviſura. *pag.* 307. *num.* 6.

Abbatiſſæ electio propalari debet ante Cancellorum feneſtram. *pag.* 265. *nu.* 6. Vide Regularium Superior.

Abbreviatores ad certum numerum fuerunt reducti à Pio II. *pag.* 233. *nu.* 5. *&* *nu.* 8.

Abbreviatores alii dicuntur de parco majori, alii verò de parco minori. *ibid. num.* 6.

Quæ ſit inter eos differentia aſſignatur. *ibid.*

Unum tamen corpus ſive Collegium conſtituunt. *ibid. nu.* 7.

Ideo, cùm mentio fit de Abbreviatoribus ſimpliciter, de utriuſque præſidentiæ parco intelligitur. *ibid.*

Abbreviatorum Collegium a Paulo II. fuit extinctum, ſed à Sixto IV. reſtauratur. *ibid. nu.* 8.

Abbreviatorum munus in Cancellaria antiquiſſimum eſt. *ibid. num.* 4.

In quibus verſatur. *ibid.*

Abbreviatorum nomen quid ſignificet. *ibid.*

Abſolutio à peccatis invalida eſt, ſi fuerit à Sacerdote data, juriſdictionem in pœnitente non habente. *pag.* 160. *nu.* 29.

Abſolutio realis inducitur, ex facto ejus, qui poteſt abſolvere. *pag.* 180. *num.* 46.

Adminiſtratio generaliter conceſſa, nunquam includit liberum jus alienandi, vel donandi. *pag.* 35. *num.* 4.

Adoptio licèt ab arrogatione differat, comprehenditur verò ſub illa in largiori ſignificatione ſumpta. *pag.* 189. *nu.* 4.

Advocatia in Civitatibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ permiſſa, in perſonam alicujus Cardinalis Subditi Sedis Apoſtolicæ. *pag.* 112. *nu.* 18.

Advocatia tunc licita, inconſulto Principe, Subditis, cùm Princeps, vel deſerat, vel defendere nolit, vel non poſſit, ita ut in manibus hoſtium eoſdem relinquat. *p.* 113. *n.* 21.

Advocatia illicita, Principe inconſulto, militat in veris Subditis, non verò in his, qui impropriè ſunt tales Ubi ratio affertur. *ibid. nu.* 23.

Advocatia Subditorum alienorum, ſemper ad uſurpationem alterius Dominii tendit, ideo a Principe vitanda. *pagina* 112. *nu.* 14.

Advocatia licèt juriſdictionem non importet, in ſeſta tamen Principum juriſdictioni eſt, & præjudicialis. *ibid. nu.* 28.

Advocatia Subditis illicita, inconſulto Principe, limitatur quando ad Sum. Pontificis, & Imperatoris patrocinium convolatur. *pag.* 113. *nu.* 24.

Advocatia Potentiorum permiſſa Subditis, eorum Principe inconſulto, per aliquos propugnatur. Sed refelluntur. *pag.* 112. *nu.* 15. *& ſeqq.*

Advocatia quid ſit, & quatenus Civitates Status Eccleſiaſtici prohibeantur ſe dare alteri in Advocatiam. *pagina* 111. *num.* 21.

Advocatiæ ſe ſubmittere non poſſunt Civitates, & Perſonæ Subditæ. *pag.* 112. *nu.* 13. *&* 14.

Advocatia non importat juriſdictionem. *ibid. num.* 15.

Advocatia Perſonarum, & Civitatum Subditarum eſt pernicioſiſſima proprio Principi. *ibid. nu.* 18.

Advocatia etiam inconſulto Principe permittitur, ſi hic Subditos defendere non poſſit, aut non curet. *p.* 113. *nu.* 21.

Itemque ſi immoderate a Principe graventur. *ibid. num.* 22.

Et quid ſi petatur advocatia Summi Pontificis, ſeu Imperatoris. *ibid. num.* 24.

Advocatia prohibetur Civitatibus verè Subditis, non autem iis, qui impropriè ſunt tales. *ibid. num.* 23.

Advocatiæ vocabulum munus protegendi, & tuendi tàm in bello, quàm in pace importat. Remiſſivè. *pag.* 111. *nu.* 1.

An advocatias habere in ſuis bonis Eccleſiæ expediat Remiſſivè. *ibid.*

Advocatiam Potentium expoſtulantes, jactura Cauſæ eſſe afficiendos. Vide ſubditi. *ibid. num.* 12. *& ſeqq.*

Advocatus Pauperum in Cauſis Criminalibus regulariter conſtituitur, ſed ſatis utilitati publicæ conſuleretur, ſi, & in Civilibus etiam daretur. Ubi praxis affertur, in peculiaribus caſibus ſervanda. *pag.* 116. *num.* 18.

Advocatus in Rota non poteſt ſcribere pro parte, contra quam alias patrocinatus fuit in eadem cauſa. *pag.* 239. *n.* 13.

Advocatus prohibetur eſſe Judex in Cauſa, quam patrocinatus fuit. *pag.* 55. *num.* 47.

Advocatus factus Judex judicare poteſt in Cauſis, in quibus patrocinium non præſtitit ipſorum Clientum. Vide Judex. *pag.* 56. *num.* 51. *& ſeqq.*

Advocatus Judex factus, nunquid ex tacito, vel expreſſo litigantium conſenſu, votare poſſit in cauſa in qua patrocinatus fuit? Proponitur, & reſolvitur. Vide Rotæ Auditores. *pag.* 55. *num.* 48.

Advocatus primus inter Sanctos relatus an fuerit S. Ivo. *pag.* 114. *num.* 6. Vide S. Ivo.

Advocatus à Conſcribente injuriis laceſſitus, poteſt injurias repellere, melius autem faciet, ſi vindictam Judici relinquat. *pag.* 73. *num.* 20.

Advocatus Pauperum, in Civilibus, & Criminalibus cur à Principe deputari ſoleat? Ubi Stylus nedum Regni Neapolitani, ſed Germanorum, & Hiſpanorum laudatur. *pag.* 115. *num.* 14.

Advocatus Pauperum in Tribunalibus Eccleſiaſticis, ab Epiſcopis eligitur, & ab ipſis ſalarium plerumque recipit, ubi de ejuſdem privilegiis diſſeritur. *ibid. num.* 15.

Advocatus Pauperum, quis, & qualis eſſe debeat, ubi de ejuſdem privilegiis, juriſdictione, prærogativis, & obligatione agitur. *ibid. num.* 16. *& ſeqq.*

Advocatus informatus a Cliente de ſuo bono jure, ſi de honorario convenire nolit, num patrocinium ex adverſo in eadem Cauſa ſuſcipere valeat? Refertur. *pag.* 74. *nu.* 25.

Advocati gratis patrocinare Cauſas pauperum debent, & nolentes ad id cogi poſſunt. Ubi rationes afferuntur. *pagina* 115. *num.* 13.

Advocati gratuitò ſuum munus exercebant apud Romanos. *pag.* 116. *nu.* 17.

Idem in more poſitum erat apud Athenienſes, & Græcos. *pag.* 114. *nu.* 8.

Quod etiam ſervare debent Advocati Chriſtiani. *ibidem numero* 9.

Advocati prohibentur pro ſuo munere ſuſcipere ſalarium, ſed eis debetur honorarium. *pag.* 115. *num.* 10.

Advocati petere poſſunt honorarium jure actionis. *ibid.*

Advocati ſub pœna falſi ſecreta Cauſæ Parti pandere nequeunt, ſecus verò procedit poſtquam injuſtam dimiſerint Cauſam. *pag.* 133. *num.* 24.

Advocati, & Procuratores Pauperum lites gratis agere, & defendere tenentur. Remiſſivè. *pag.* 74. *nu.* 21.

Advocati Urbis pro minimo honorario laudantur. *pag.* 115. *num.* 12.

Advocati Simplices quomodo à Conſiſtorialibus differant, & quænam præcedentia inter ipſos intercedat? Remiſſivè. *pag.* 71. *num.* 5.

Advocati munus ſatis conducibile ad æternam ſalutem ſecundùm aliquos ubi contrarium ſentientes referuntur. *pag.* 114. *num.* 6.

Advocati olim apud Romanos gratuitò Cauſas generaliter defen-

Digitized by Google

defendebant, & indignum exiſtiſtimabant pro patrocinio aliquid accipere, ubi pluta exempla afferuntur. *ibid.nu.7.*
Advocati oedum apud Athenienſes, ſed apud Græcos gratis patrocinium ſuſcipiebant, ubi quòd Advocatia venalis turpis judicabatur, & quampluribus exemplis illuſtratur. *ibid.num.8.*
Advocati Chriſtiani, in patrocinandis gratuitò Cauſis, non imitare, ſed ſuperare in hoc Gentiles debent. *ibidem numero 9.*
Advocati nullo jure prohibentur honorarium recipere pro patrocinio, ubi Civiles Leges inter ſe pugnantes conciliantur. *ibid. nu. 10. & ſeqq.*
Exempla Gentilium interpretantur, & ad concordiam revocantur. *ibidem.*
Advocati mercenarii à Jure improbantur. Ubi differentia inter mercedem,& honorarium affertur. *ib. nu. 10. & ſeqq.*
Advocati, de conſuetudine totius Orbis honorarium recipere licitè valent. Ubi de honorario agitur. *pagina 115. num. 12.*
Advocati Pauperum, & Fiſci quatenus intervenire debeant, dum Judices Cauſas diſcutiunt, & votant? Ubi Curiæ praxis refertur. *pag. 126. num. 17.*
Advocati injuſtam Cauſam ſuſcipientes, nedum contra Juſtitiam peccant, verùm etiam ad omnia damna, expenſas, & intereſſe tenentur. *pag. 74. nu. 23.*
Advocati in Cauſis Canonizationis quales eſſe debeant. *pag. 10. num. 27.*
Advocati. Vide Eugeniana Conſtitutio.
Ædilium Cura ſe protendebat ad vias & pontes publicos in univerſo imperio exiſtentes. *pag. 246. numero 8.*
Ægidiana non intrat in piis Confraternitatibus erectis abſque authoritate Ordinarii. Ubi ratio affertur. Remiſſivè. *pag. 132. nu. 59.*
Ægidiana non intrat in militibus Hieroſolymitanis. Sed num id ipſum procedat, quoad milites Calatravæ, Alcantaræ, & S. Stephani? reſolvitur. *ibid. nu. 60.*
Ægidiana non intrat quando perſona Eccleſiaſtica, vel Eccleſia venit ad Cauſam ante Sententiam, & ſi poſt cauſam inſtitutam, & eximit etiam cureum, vel coactorem. *pag. 130. num. 39.*
Ægidiana non intrat ſi conteſtata lite contra laicum decedat ille, & ſuccedat Eccleſiaſticus. *ibid. num. 40. & ſeqq.*
Ægidiana intrat in Sententiis datis ab A. C. & a Rota inter laicos, ſecùs inter Eccleſiaſticos, & bona Eccleſiæ. Ubi ratio affertur. *pag. 132. nu. 54.*
Ægidiana non afficit loca habentia ſpecialia Statuta contraria. *ibid. num. 55.*
Ægidiana non intrat in bonis patrimonialibus Clericorum, quæ Eccleſiaſtica cenſentur. Et quid in bonis fideicommiſſi ordinati a Clerico? Reſolvitur. *ibid. num. 56.*
Ægidiana non intrat in bonis Eccleſiaſticorum quæ ab alio non poſſidentur, & dicuntur vacantia; Secus verò ſi adita fuerit hæreditas. *ibid. num. 57.*
Ægidiana quoad appellationem prohibitam in poſſeſſoriis, an afficiat Clericum non ſervantem requiſita Concilii. *pag. 253. num. 40. & ſeqq.*
Proponitur ſententia affirmativa, ſed negativa amplectitur late adductis rationibus. *pag. 254. num. 41. cum ſeqq.*
Reſpondetur contrariis. *ibid. num. 43. cum ſeqq.*
Ægidiana quoad Appellationes Perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſias, aut bona Eccleſiaſtica non comprehendit. *pagina 226. num. 9. & ſeqq.*
Ægidiana in Sententiis ſuper manutentione latis in Curia, non intrat, ubi rationes afferuntur. *pag. 128. num. 23.*
Ægidiana intrat in Sententiis ſuper manutentione, quando petitorium incidenter, & manutentio principaliter fuerit in Cauſa diſcuſſa, & appellatio quæ tunc admittitur, petitorium reſpicit non poſſeſſorium, quod in Decreto manutentionis, præſervatur. *ibid. num. 24.*
Ægidiana in Statu Avenionenſi, & Venaiſino S. Sedi ſubjecto quoad rubricam appellationis intrat, quoad reliqua ſecùs. Ubi circa hoc magna refertur quæſtio, & per SS. Pontificem juxta enarrata reſoluta. *pag. 129. numer. 30. & ſeqq.*
Ægidiana ratione miſturæ non intrat, cùm Sententia lata fuerit per unicum caput, ſecùs per diverſa capita ſeparata non connexa. *pag. 128. num. 18.*
Ægidiana tunc intrat, cùm Sententia eſt prolata in ſtatu Eccleſiaſtico, etſi ſit cum perſonis exteris, ſecùs dicendum extra Statum, etiam ſi agatur de Subditis Papæ. *p. 130. nu. 35.*
Statutum Urbis de duobus Conformibus, in quo ab Ægidiana differat? *ibid.*
Ægidiana Conſtitutio quoad ſolemnitates contractum, cùm reſpiciat deciſoria non ligat Clericos, quamvis non ſervent requiſita Concilii, & foro laicali ſubdantur. *pag. 253. nu. 35.*
Ægidiana non intrat, cùm Sententia notoriè, & clarè nulla, vel injuſta fuerit. Ubi Signaturæ Stylus in hoc refertur. *pag. 153. num. 26.*
Ægidiana non comprehendit clericos tam quoad contractus, quàm quoad appellationes, & quare *pag. 251. num. 25. & pag. 253. num. 35.*

Etiamſi agatur de Clericis primæ tonſuræ. *ibidem.*
Ægidiana an afficiat Clericum non habentem requiſita Concilii latè diſcutitur. *pag. 250. num. 24. cum ſeqq.*
Ægidiana an liget Clericum ſi tempore ſententiæ, ſit in ſtatu laicali. *pag. 254. nu. 44.*
Ægidiana ſe extendit nedum ad Poſſeſſorium plenarium, ſed etiam ſummarium exemplo Juris Civilis. *pag. 127. nu. 15. & ſeqq.*
Dicta verò procedunt in ſuſpenſivo tantùm, ſecus in devolutivo, & ita de ſtylo utriuſque Signaturæ ſervatur. *ibidem.*
Ægidiana non intrat, quando ſecunda Sententia revocat primam, etiam in Poſſeſſorio, & quatenus id procedat? Reſolvitur. *pagina 128. num. 19. & ſeqq.*
Dicta limitantur, cùm ſecundus Judex haberet facultatem procedendi in ſecunda inſtantia, tamquam in prima. *ibidem.*
Ægidiana non intrat, ſi qualitas Clericatus, ſeu bonorum Eccleſiaſticorum allegetur ſivè antè, ſivè poſt ſententiam. Ubi Rotæ opinio contraria, & Signaturæ ſtylus favorabilia referuntur. *pag. 131. num. 50. & ſeqq.*
Id ipſum militat ſi adſit mixtura bonorum Eccleſiaſticorum, & laicorum. *ibid.*
AEgidiana intrat in Judicio Summariiſſimo, neque in eo de Jure Canonico admittitur appellatio. *pag. 128. num. 21.*
Ægidiana non intrat, ſi diſtinctis Sententiis Clericus, & Laicus fuerint condemnati, ſi idem jus connexum concurrat. *ibid. num. 48.*
Jus connexum quando haberi dicatur. *ibid.*
Ægidiana intrat in Judicio Summariiſſimo, neque in eo de Jure Canonico admittitur appellatio. *pag. 128. nu. 21.*
Ægidiana non intrat, ſi agatur de bonis emphyteuticis Eccleſiæ, etiam inter Laicos ſuper dominio utili, etiam ſi Eccleſia non ſit in Cauſa. *pag. 132. num. 49.*
Ægidiana num intret in Clericis requiſita S. C. Tridentini non habentibus, vel Conjugatis? Remiſſivè. *pag. 133. num. 64.*
Ægidiana quatenus intret in bonis Laicis, quorum adminiſtrator, ſeu executor eſt Eccleſiaſticus. Ubi Rotæ deciſiones afferuntur. *pag. 133. num. 63.*
Et an intret quando exequutores ſunt Laici, etſi ea relinquantur pro erigendo Monaſterio? *ibid.*
Ægidiana appellationes in Judiciis poſſeſſoriis, & ſummariis prohibet, quæ verò de Jure Canonico permiſſæ erant. *pag. 127. num. 14.*
Ægidiana non comprehendit Cauſas, & perſonas Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, imò in immiſſione vigore obligationis Cameralis, ſi adſint in cauſa dictæ perſonæ, neque vim obtinet. *pag. 130. nu. 36. & ſeqq.*
Requiritur tamen, quod ſint in Cauſa tempore ſententiæ. *Ibidem.*
Ægidiana comprehendit Clericos, & Eccleſias, ſi ſint in Cauſa, tanquam defenſores laici. *ibid. num. 38.*
Ægidiana afficit tantùm loca immediatè Sanctæ Sedi ſubjecta, non autem mediatè. *pag. 128. nu. 28.*
Ægidiana tum quoad bona Religionis Hieroſolymitanæ, tùm etiam quoad bona patrimonialia Militum, non intrat. *pag. 133. num. 61.*
Id ipſum procedit in aliis militiis Equitum. *ibid.*
Ægidiana, ut intret requiritur, quod Sententiæ ferantur in foro laicali, ſecùs in foro Eccleſiaſtico, etiam inter Laicos, ubi ſemper admittitur appellatio. *p. 131. & 132. n. 53.*
Ægidiana non intrat in locis Eccleſiaſticis erectis auctoritate Ordinaria, vel S. Pontificis. *pag. 132. nu. 58.*
Ægidiana quoquid liget Clericos conjugatos, habentes requiſita Concilii. *pag. 255. nu. 52.*
Ægidiana non habet locum quoad appellationem in ſententia lata a Judice Eccleſiaſtico inter meros laicos. *pag. 254. num. 42. & 255. nu. 52.*
Ægidiana à Summ. Pontificibus confirmata, juxta ea, quæ in eadem exprimuntur confirmata intelligitur. *pagina 127. nu. 13.*
Ægidiana non comprehendit caſus, in quibus de jure Civili appellatio permittitur in Judiciis poſſeſſoriis,& ſic in caſu mixturæ petitorii cum poſſeſſorio non intrat. *ib. nu. 17.*
Ægidiana non comprehendit loca, in quibus Statuta incompatibilia diverſa adſint quoad contractus. *pag. 129. nu. 34.*
Id ipſum procedit circa appellationes, ſi adſint in locis Statuta ſpecialia. *ibid.*
Ægidiana ideò non intrat contrà Clericum Laici ſucceſſorem, quia tempus Sententiæ, non principium Inſtantiæ attenditur. *pag. 130. nu. 42.*
Ægidiana intrat, quando Clericus ſuccedit Laico poſt Sententiam latam contra iſtum in Foro Laicali, & cauſa ſit in ſtatu rei judicatæ, ortæ per inappellabilitatem Sententiæ tempore Laici emanatæ. *ibid. nu. 43. & ſeqq.*
Secùs erit ſi orta Sententia contra Laicum Signatura reſcripſerit: *Conſtito, quòd ſit locus Ægidianæ*. Ubi ratio affertur. *ibid.*
AEgidiana per non uſum non abrogari valeat? Reſolvitur. *pag. 129. num. 33.*

Rotæ Senſus, & Signaturæ Stylus circa dictum non uſum, enarratur. *ibid.*

Ægidiana non intrat in Statu Parmæ, Placentiæ, & in Regno Neapolitano, mediatè Sanctæ Sedi ſubjectis: Secùs verò dicendum de Statu Urbini. *ibid. nu.29.*

Ægidiana quid in rubrica appellationum contineat, quas Perſonas, & loca obliget, quave auctoritate condita, & à quibus Pontificibus commeodata, & extenſa; Diſſeruntur. *pag.126. num.6. cum ſeqq.*

Ægidiana an poſſit allegari a Clerico per viam Privilegii tanquam ſibi favorabilis. *pag.253. num.39.*

Ægidiana approbata fuit, nedum à Concilio Generali Lateranenſi, ſed etiam a Siſto IV. Paulo III. aliiſque Succeſſoribus. *pag.126. num.11.*

Ægidiana Clericos, & Eccleſias non compræhendit minimè ex defectu poteſtatis, ſed quia non includuntur in illis diſpoſitionibus, in quibus ſpecialis mentio de illis facta non fuerit. Ubi aliorum ſententia refellitur. *pagina 127. num.12.*

Ægidiana uno intrat in Tertiariis. *pag.133. nu.62.*

Ægidius poteſtatem habuit in ſpiritualibus, & temporalibus uti Legatus à Latere, ubi contrarium ſentientes refelluntur. *pag.125. nu.10. & ſeqq.*

Ægidii Cardinalis ingenium, geſta in legatione oxpleta, aliaque munera, ejuſque obitus cum inſtitutione Collegii pro Hiſpanis in Urbe Bononiæ, enarrantur. *pag.125. nu.4. & ſeqq.*

Agentes in Curia, cùm Civitatates Status Pontificii eligere valeant, & ex cujus permiſſione, & voluntate eligantur? Vide advocatio. *pag.112. num.18.*

Agentes, qui in Curia Romana tam negotia forenſia, quàm Aulica peragunt, non comprehenduntur in Conſtit. Benedicti XII. Vide Curia. *pag.71. nu.4.*

Agentes, & Erarii Baronis, licèt illi ſervire teneantur, Angarii, vel Perangarii minimè dicuntur. Vide Angarii. *pag.168. num.5.*

Alexander V. electus in Concilio Piſano vivente Gregorio XI. & Benedicto XIII. *pag.213. nu.9.*

Ejus virtutes recenſetur, ac opera. *ibid.*

Ejus obitus recenſetur. *ibid. nu.10.*

Ei ſucceſſit Jo: XXIII. *ibid.*

Alexandrinus Patriarcha. Vide Patriarcha.

Alienandi licentia per Regulares peti debet in S. C. Concilii, non autem expediri per Breve. Vide Beneplacitum. *pag.105. nu.41. & ſeqq.*

Alienandi non ſervata forma *Decreti Urbani*, pro pœnis incurſis ab alio abſolvi nequit, niſi à Papa, vel a Sac. Congreg. Concilii. *pagina 103. num.24.*

Alienatio Bonorum Eccleſiæ prohibita vigore decreti Urbani non includit Jus quærendum, quod ſine beneplacitu renunciari valet. Vide Jeſuitæ. *pag.102. num.19.*

Alienatio bonorum prohibita per Decretum Urbani Regularibus, num compræhendat Carmelitas Diſcalceatos, Moniales Turris Speculorum, & Convertitarum? Vide Carmelitæ. *pag.103. num.21.*

Alienatio bonorum Regularium compræhenditur ſub *Extravag. Ambitioſæ.* Ubi de Privilegiis per ipſos obtentis alienandi contra formam dictæ *Extravag.* & de derogatione dd. privilegiorum. *pag.100. nu.4. & ſeqq.*

Alienatio bonorum Regularium, ipſis ex privilegio conceſſa, expreſsè revocatur per Decretum Urbani VIII. quod refertur. *ibid. nu.5.*

Alienatio bonorum Regularium per Urbani Decretum prohibita, compræhendit tam immobilia, quam mobilia pretioſa, quæ mobilia ab incapacibus retineri valent, & ſub dicto Decreto continentur. Remiſſivè. *ibid. num.8.*

Alienatio bonorum Menſæ Epiſcopalis favore Capituli, abſque Beneplacito nequit per Epiſcopum fieri. Ubi opinio contraria explicantur. Vide Beneplacitum. *pag. 105. nu.39. & ſeq.*

Alienatio per Epiſcopum favore Capituli, ex voluntate Teſtatoris deſcendens, ut neceſſaria licita eſt, abſque aſſenſu, nec cadit ſub prohibita alienatione. Remiſſivè. *ib. n.40.*

Alienatio nunquid licita cenſeatur inter Monaſteria ejuſdem Ordinis, & ſub eodem Prælato abſque aſſenſu Apoſtolico, & diſcutitur materia. *pag.104. nu.33. cum ſeqq.*

Alienatio, ſivè permutatio rerum Eccleſiæ cum rebus alterius Eccleſiæ, nunquam licita, niſi præviis ſolemnitatibus jure novisſimo præſcriptis, ubi contrarii refelluntur. *ibid. nu.34. cum ſeq.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ vigore *Extravagan. Ambitioſæ*, & *Decreti Urbani* prohibita, num Theatinos comprehendat? Vide Theatini *pag.102. nu.18.*

Alenatio bonorum Eccleſiæ abſque beneplacito prohibita, non comprehendit generalem hypothecam bonorum. Vide Regulares. *pag.103. nu.28.*

Alienatio bonorum Regularium prohibita per Urbani Decretum capaces, ſecus vero Religiones incapaces ſtabilium, comprehendit. *pag.100. num.6. & ſeqq.*

Alienatio Regularibus prohibita per Urbani Decretum, exceptis Religionibus in communi incapadibus, cæteras alias comprehendit, ubi de pœnis, quibus contravenientes afficiuntur. *pag.103. num.22.*

Alienatio, & ſubmiſſio quælibet Patrimonii Eccleſiaſtici, auctoritate Officialium, & Rectorum ditionis Pontificiæ facta, nulla, & irrita declaratur per Joannem XXII. Remiſſivè. *pag.111. nu.4.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ, ſivè permutatio abſque aſſenſu Apoſtolico prohibita etiam inter ipſas Capellas, ſeu Beneficiatos ejuſdem Eccleſiæ. *pag.104. num.35.*

Alienatio inter Monaſteria ejuſdem Ordinis abſque Beneplacito, etiam ſi ſit utilis prohibita eſt. Ubi reſolut. Congr. Concilii refertur. *ibid. num.36.*

Alienatio, aut obligatio bonorum Eccleſiæ pro Sanctorum Canonizatione, abſque beneplacito Apoſtolico fieri nequit. Vide Canonizationis expenſæ. *pag.33. num.22.*

Copulativè cauſam legitimam, & Apoſtolicum beneplacitum requirit. *ibid.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ à Decreto Urbani prohibita includit etiam oppignorationem abſque licentia. *p.103. n.27.*

Alienationes, & Infeudationes Status Eccleſiaſtici nullæ ſunt, & prohibitæ per Pianam Conſtitutionem. Vide Piana. *pagina 112. nu.6. & ſeq.*

Alienationes inter unam Eccleſiam, & aliam aſſenſu Apoſtolico non indigere aliqui putarunt. *pag.104. nu.32.*

Alimenta, & Mercedes, præſentia, & non præterita, decerni diebus feſtivis poſſunt, quando debentur pauperi, qui aliunde non habet. *pag.63. num.33.*

Alimenta ſuppeditanda non ſunt à primo Monaſterio Regulari, aut Moniali ad aliud Monalium tranſeunti; quamvis penes primum Monaſterium remaneat dos, & alia bona. *pag.200. nu.17.*

Quid ſi ſecundum Monaſterium ſit pauper, & primum locuples. *ibid. nu.19.*

Alimenta tenetur Monaſterium exhibere Regulari, non ratione bonorum, quæ ejus intuitu acquiſiit, ſed ratione ſuperioritatis, quam in eo habet. *ibid.*

Alimenta tenetur exhibere Monaſterium Regulari in aliud Monaſterium incluſo pro pœnitentia peragenda. *ibid.*

Alimenta tenetur exhibere Religio Regularibus detentis in Carceribus S. Officii, dummodò Religio non ſit de iis, quæ in communi non poſſident. *ibid. nu.18.*

Altare portatile extra Eccleſiam erigentes, & in ipſa celebrantes, graviter peccant, & puniri valent. *p.147. nu.7.*

Altare portatile ſuper navibus qualiter nuperrimè conceſſum Militibus Hieroſolymitanis, & Legato Apoſtolico Sinarum? refertur. *pag.152. nu.31.*

Altare portatile Regularibus ex privilegio conceſſum abrogatum fuit per Tridentinum, & per Sacram Congregationem Concilii pluries declaratum, ubi reſolutiones afferuntur. *pag.149. num.12. & ſeq.*

Altare portatili utentes vigore privilegii, per Tridentinum abrogati, cenſuris plecti ab Epiſcopo valent, etiam ſi ſint Regulares. *pag.150. num.12.*

Altare portatile ab Urbano V. Carthuſianis conceſſum. Vide Carthuſiani *pag.148. num.1.*

Altare portatile quando, & ex quibus cauſis per Papam in navibus concedatur. *pag.152. nu.30.*

Altare portatile permiſſum Epiſcopis electis, & confirmatis, licet non conſecratis, ſimiliter & Epiſcopis titularibus, ſecus verò adminiſtratoribus Epiſcopatus. Vide Epiſcopi. *pag.151. nu.22.*

Altare portatile erigi debet in loco decenti, & honeſto; & quinam, & qualis debeat eſſe hujuſmodi locus? refertur. *ibid. num.25.*

Altare portatile cujus materiæ, & figuræ eſſe debeat? & quid ſub illis ſignificetur? refertur. *pag.153. num.33.*

Altare portatile debet eſſe ab Epiſcopo conſecratum, & quomodo talis conſecratio peragatur? Remiſſivè. *ibid. num.34.*

Altare portatile à S. Silveſtro primùm abrogatum, & lapideum firmum conſtruendum illius loco præceptum. *pag. 149. num.5.*

Altare portatile ex qua cauſa poſt Tridentinum concedi per Epiſcopos valeat? Et quænam illa ſit? refertur. *pag.150. num.20.*

Altare portatile num uti valeant Cardinales, & Epiſcopi in Urbe. *pag.153. num.32.*

Altare portatile Cardinalibus, aliiſque Epiſcoporum Superioribus in dignitate, permiſſum. Ubi Sac. Congreg. Concil. reſolut. refertur. Vide Cardinales. *pag.151. num.23.*

Altare aliud firmum, portatile aliud, & quænam ſint, explicatur. *pag. 148. num.3.*

Altare portatile, num poſt Concilium Tridentinum concedi valeat per Epiſcopos? & in quibus caſibus, & an per eorum Vicarios. *pag.150. num.19. & ſeq.*

Altar nonniſi in Eccleſia conſecrata, vel benedicta erigi valet. *pag.149. num.6.*

Altare portatile. Vide Miſſa. Miſſionarii.

Altare Papale quare dictum, & num alii, etſi Cardinales in illo celebrare valeant? *pag.155. nu.10.*

Altaris ethimologia, & origo illuſtratur. *pag.148. num.2.*

Alta-

Altaris portatilis uſus quando, & quomodo per Epiſcopos exerceri valeat, & in quibus locis in aliena Diœceſi. *pag.* 150. *nu.* 17. *&* 18.

Altaris portatilis privilegium Epiſcopis conceſſum, per Tridentinum revocatum non eſt. *ibid. num.* 15. *& ſeq.*

Altaris portatilis uſus ex privilegio pluribus Religionibus eſt conceſſus, & quænam illæ ſint. *pag.* 149. *num.* 8. *& ſeqq.*

Altaris portatilis uſus Regularibus conceſſus, num revocatus poſt erectionem eorundem Eccleſiarum. *ibidem nu.* 11.

Altaris portatilis uſus nunquid permittatur ſuper navibus. Vide Miſſa.

Altaris portatilis execratio ex quibus cauſis contingat. *pag.* 153. *nu.* 35.

Altaris portatilis, quis, & qualis in primitiva Eccleſia uſus fuerit? *pag.* 148. *num.* 4.

Ambroſianus ritus; Vide Ritus Ambroſianus.

Angaria importat ſervitium perſonale, congrua ſoluta mercede; Perangaria verò illud importat abſque ulla mercede, & quomodo ab aliis accipiantur. *pag.* 167. *nu.* 3. *&* 4.

Angarii, & Perangarii in vilibus, atque ſordidis verſari debent, aliàs potius Agentes dicerentur. *pag.* 168. *nu.* 5.

Angariæ, & Perangariæ licèt de Regalibus, ſint, Coronæ verò non dicuntur affixæ unde ex privilegio acquiri valent. *ibid. nu.* 7.

Angariæ, & Perangariæ quatenùs in Regno Neapoli concedantur Baronibus. *pag.* 167. *nu.* 8.

Angariæ, & Perangariæ cum, & intrà quod tempus præſcribi valeant. *pag.* 168. *num.* 9.

Angariæ, & Perangariæ ſunt de Regalibus, nec tranſeunt conceſſa juriſdictione. *ibid. num.* 6.

Angli Denarium in ſingulas domos S. Petro ſolti erant ſolvere, non in ſingula capita, ut Lutherus, & alii contra Eccleſiam declamabant. *pag.* 24. *num.* 6.

Anglia plures Sanctos peperit. *pag.* 31. *nu.* 1.

Nunc infelix ſub hæreſis. *ibid. num.* 2.

Animæ purgatæ in nova lege ſtatim in Cœlum tranſeunt, in Veteri verò Lege ſinum Abrhaæ petebant. *pag.* 78. *num.* 8. *& ſeqq.*

Animas in gratia decedentium non recipi in Beatitudine niſi in die Judicii, & interim in abditis receptaculis ſervari, tenuere hæretici. *pag.* 77. *num.* 1. *cum ſeqq.*

Idemque ſentire viſi ſunt nonnulli ex Patribus; Ubi etiam ſcripturæ loca referuntur, quibus etherodoxi dictam aſtruunt Sententiam. *ibid.*

Animas morientium non recipi in gloria, ante diem Judicii, publicis, & privatis congreſſibus docuiſſe Joannem XXII. imò ita definire meditaſſe, fertur. *pag.* 78. *num.* 4.

Sed validis argumentis contrarium probatur. *pag.* 80. *num.* 12. *cum ſeqq.*

Animæ juſtorum an recipiantur in Beatitndine antè diem Judicii, quæſtio fuit anceps, & dubia, ſed tandem Benedicti XII. tempore fuit definita. *pag.* 78. *num.* 5.

Animas purgatas antè diem Judicii in Beatitudinem recipi ultrà Benedicti definitionem, Decretis Pontificum, ac Conciliorum Generalium comprobatur. *ibid. nu.* 6. *& ſeqq.*

Animas Sanctorum videre Deum facie ad faciem, non verò perfectè ſicuti poſt reſurrectionem, Auguſtinus, & Bernardus docuere. Ubi ſolvuntur ex adverſo objecta. *pag.* 79. *num.* 10. *& ſeqq.*

Exponuntur loca S. Scripturæ ex adverſo allata. *ibid.*

Animas Sanctorum per mille annos poſt reſurrectionem in terreno Regno Chriſti ſecundùm carnales ventris, & libidinis voluptates futuras, fabulabantur Cirinthiani, aliique hæretici, *paginis* 80. *&* 81. *numero* 15. *cum ſeqq.*

Alii hæretici docuerunt in ſpiritualibus deliciis dictum millenarium acturas. *ibid. num.* 16.

Annalia ſibi reſervare nequit Epiſcopus, nec quomodolibet fructus alicujus certi beneficii ad ſui commodum applicare. *pag.* 27. *nu.* 22.

Annalia in Beneficiis vacantibus, juxtà diſpoſita in *Extravag. ſuſcepti de Elect.* explicantur. *pag.* 25. *nu.* 1.

Annalia ad ſavorem alterius, abſque improbatione hodiè conſtituuntur ad formam eit. *Extravagantis. pag.* 26. *num.* 11. *& ſeqq.*

